B. AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI ET VETERUM EIUSDEM DISCIPULORUM...

Aurelius santo Augustinus (santo), Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

37
16 A
16

Digitized by Google

B. AVGVSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

ET

Veterum eiuſdem diſcipulorum

OPVSCVLORVM INSIGNIORVM

ADVERSVS

PELAGIANOS ET EORVM RELIQVIAS

TOMVS SECVNDVS

Continens opuſcula varia, quorum Catalogum verſa facies exhibebit.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA
IN ROMA

STOLBERG-WERNIGERODE

LOVANII

Ex Officina Bernardini Maſij,

Sub Viridi Cruce, ANNO 1648.

Cum Gratiâ & Privilegio.

Elenchus eorum quæ hoc Secundo Tomo continentur.

Libri 2. De Nuptijs & concupiscentia à pag. 1. vsque ad pag. 74.

Libri 6. Operis perfecti contra Iulianum à pag 75. vsque ad pag. 347.

Libri 2. Operis imperfecti contra Iulianum à pag. 348. ad pag. 577.

Restitutiones seu variæ lectiones Doctorum Parisiensium, super 2. dictis libris, ad calcem huius Tomi reiectæ.

Item emendationes huius editionis dictorum 2. librorum, necessariò eorum lectioni præmittendæ: etiam ad calcem reiectæ.

Liber de perfectione iustitiæ. à pag. 578. vsque ad pag. 606.

Liber de Gratia & Libero arbitrio à pag 607. ad pag. 647.

Epistola 46. & 47. Augustini ad Valentinum, à pag. 644. ad pag. 651.

Liber de Correptione & Gratiâ à pag. 652. ad pag. 686.

Prosperi Epistola ad Augustinum, à pag. 687. ad pag. 693.

Hilarii Epistola ad Augustinum à pag 694. ad pag. 700.

Libri duo de Prædestinatione sanctorum & Bono Perseverantiæ à pag. 701. ad pag. 786.



Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI

ET

AMPLISSIMO DOMINO

D. AVGVSTINO DE FELLERIES

Ecclesiæ Beatæ Mariæ Bonæ-spei

PRÆSVLI,

EIVSDEMQVE TERRITORII

VICECOMITI,

BARONI DE CHAVLEMONT,

TOPARCHÆ De Leugnies, Vellereille, Souveretz, Couriers,

A CONCILIIS STATVS RERVM HANNONIÆ,

Ibidemque Cleri ASSESSORI Ordinario, & Prælatorum Præmonstratensium Primo &c.

ADMOD. REVEREND. ATQVE AMPLISS. DOMINE.

IN triplici labyrintho, certissimum fidelissimumque Ariadnes filum: in triplici abysso atque voragine, felicissimum cynosuræ sidus, AVGVSTINVM, reproducimus. Ecquis enim non acie palpiter

tet vertiginemvè incurrat in contemplandâ altissimâ plagâ quam in universum genus humanum, a *Magnum Adæ peccatum,* b *quod multò est grandius quàm nos cogitare possumus,* invexit? Quis immensum illum miseriarum Oceanum c *à primis fletibus nascentium vsque ad extremos halitus morientium,* mente immotâ enataverit? Quos non, in hâc præsertim labentium seculorum fæce ac sentinâ, concupiscentiæ vel ignorantiæ (capitalium originalis peccati vulnerum) inexhaustus gurges haurit?

a Lib. 1. de Nupt. & conc. c. 22. L. 1. Op. Imp. c 105. & l. 2. cap. 177. S. Leo Ep. ad Nicat. b. Lib. 1. De Nup. & conc. l. 2. c. 34. c L. 1. Oper. cap. 50.

Innumeris verò hisce malis quomodò medicetur Deus: Abyssus altera; ad quam tot præclara ingenia despumant, tantumque non naufragantur d *Ista* enim *quæstio, vbi de arbitrio voluntatis & Dei gratiâ disputatur, ità est ad discernendum difficilis, vt quandò defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quandò autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Et aliàs AVG. e *Aut enim non intelligit librum meum, aut fortè ipse non intelligitur, quandò difficillimam quæstionem &* PAVCIS INTELLIGIBILEM *solvere atque enodare conatur. Ipsa est enim quæstio de gratiâ Dei.*

d L. de Gra. Chr. c. 47. e Epist. 46. & 47. quæ sunt ad Valent. hic.

Sed quis illum f *profunditatis horrorem* vel à longè speculari audeat, cur vnus assumatur, alter relinquatur? g *In illo profundo est quod ille parvulus in honorem adoptatur per regenerationis lavacrum: ille in contumeliâ relinquitur, non admittendus ad regnum, cùm amborum in neutram partem sit meritum per voluntatis arbitrium.* Tertia

f Lib 2. ad Bonif. c. 7. g L. 1. Op. Imp. c. 18 Videitem l. 4. ad Bonif. c. 6.

ergò

ergò ista abyssus est; in quâ non merguntur, sed qui fundum humilitatis tenent : quàm irretortâ mentis acie penetrant, sed agrestes non rarò opiliones sub vilibus dumetis mora legentes: quos non *inflat scientia*, sed Dei *charitas ædificat*. Audiant Theologi, audiat Orbis! Non multarum Bibliothecarum vrinatorem, non aliquot lustrorum lucubratorem: sed præcipuarum virtutum, charitatis & humilitatis, præcipuè sectatorem: Non è pulpitis ac superbis subselliis phaleras verborum eructantem: Non è Carthusiæ Asceteriis emergentem: Sed sub thamnis humilibus sentibusque horridis purissimo ardentissimoque Dei amore liquescentem, atque in favillas & cineres humilitate evanescentem. 1. Cor. 8. 1.

h *His perpensis, ex intimis animi medullis exoscular pronusque adoro decretoriam Iudicis ac Redemptoris mei sententiam quam in me depromet (incertus an id temporis idoneus ac promptus futurus sim qui honorem ei ac venerationem desuper deferam) in eamque conspiro. Atque eundem plus quam meipsum diligendo, si perspexero fortassis quod gloria, laus & honor eius, adversus me sententiam auferant, ex nunc legem in me ferendam peramanter circumplexor: Sensumq; meum cum accessionibus omnibus quibus in propria cõmoda gloriam expeto, lubens abjcio: abiurans interim universa delicta mea.* Ità

h P. Turianus le Febvre Soc. Iesu in libello de Eminentiis S. Iosephi par. 2. pag. 135. Cecy considéré i'adore de tout mon cœur la sentence, qui sortira de la bouche de mon Iuge & Redempteur, voire le Iugement qu'il fera sur moy mesme: (à cause que ie ne scay, si lors ie serai en estat de luy en faire honneur, & de le vouloir adorer) afin de me ioindre à son iugement, & si l'aymant plus que moy mesme, ie voix qu'il tire gloire du iugement & condemnation qu'il donnera contre moy; ie veux à cette heure adorer son iugement, & renoncer au mien interessé, par lequel ie veux la gloire, pour mon propre contentement, detestant neantmoins tous mes pechez & offenses.

Ità suatim Deus *infirma mundi eligit vt confundat fortia.*

Tres istas abyssos præcipuè in huius Tomi opusculis feliciter emensus est AVGVSTINVS. Primam in operibus contrà Iulianum: Secundam in libris *de perfectione iustitiæ, de gratiâ & libero arbitrio, de correptione & gratiâ.* Tertiam in reliquis. Omnes in omnibus sparsim atque intercise.

Porrò sub Nominis Tui *Amplissime Domine* patrocinio prodit hic secundus Tomus opusculorum D. AVGVSTINI contra Pelagianos: Ità enim Candidi Ordinis, & Nominis Tui provocavit Maiestas. AVGVSTINVM Augustino: Divinissimum Præsulem dignissimo Prælato sapientissimi ac religiosissimi Ordinis qui in eius doctrinam de gratiâ iuravit, reddere debui. Sed & cùm solidæ ac variæ eruditionis inter tot alios vestros D. Philippū ab Harueng (cui ab elëemosyna cognomen) cœnobii vestri Abbatem secundum, [i] Divo Bernardo Clarevallensi contemporaneum, toties & promiscuè, [k] NOSTRVM AVGVSTINVM, MEVM AVGVSTINVM, in doctissimis atque omnibus (Clericis præsertim ac divini verbi administris, qui in illis plurimam supellectilem instituto suo peropportunam comparabunt) commendatissimis operibus suis ingeminantem percipio: de plagio teneri vererer, nisi AVGVSTINVM quē tot iam seculis per eum præscripsistis, vestrum inclamastis, vestrum fecistis

[i] *Svvertius in Athenis Belgicis.*
[k] *Epist. 1. 5. 6. De cont. Clericor. cap. 6. 7. 92 & alibi passim.*

ſtis: vobis reſtituerem. Ità etiam oportuit, ſi apud eum quo auctore iſta colligere atque evulgare ſuſcepi, ingrati animi maculam præcavere parabam. Scio, colit ille Amplitudinem Tuam ac veneratur quamplurimum. Eius in Te, mea in illum, nomina liberanda erant. Neque liberabo tamen: futurus quoad vixero

ADMODVM REVEREN.

ET

AMPLISS. D. T.

HVMILLIMVS SERVVS

BERNARDINVS MASIVS.

INDEX

Præcipuorum locorum

S. SCRIPTVRÆ,

HOC TOMO EXPLICATORVM.

Numerus primus paginam, secundus caput designat.

Genesis.

c.1.v.29. ECce dedi vobis omne fœnum sativum seminans semen quod est super omnem terram, & omne lignum quod habet in se fructum seminis sativi vobis erit in escam. 229. 14.

2. 17. Quis nuntiavit tibi quia nudus es, nisi de ligno da quo præceperam tibi ne māducares, manducasti. 239. 16.

2. 25. Erant ambo nudi & non confundebantur. 7. 5. & 8. 5. & 239. 16.

3. 7. Aperti sunt oculi amborum & cognoverunt quia nudi erant. 7. 5.

3. 7. Fecerunt sibi perromata. 243. 2.

4. 25. Suscitavit mihi Dominus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. 43. 8.

17. 14. Masculus qui non circumciderur carne præputii sui octavo die, disperiet anima eius de genere suo, quia testamentum meum dissipavit 46. 11. & 128. 6.

20. 6 Sciebam quia in mundo corde feciſti hoc. 171. 19.

20. 17. Orante autem abraham sanavit Deus Abimelech & vxorem ancillasque eius & pepererunt. ibid.

20. 18. Concluserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ. 51. 15. & 171. 19.

21. 19. Aperuit oculos suos & vidit puteum. 7. 5.

Exodus.

20. 17. Non concupiscet. 25. 19.

Deuteronomium.

30. 11. Mandatum hoc, quod ego mando tibi hodie, non est grave neque longe à te est. 590. 10.

30. 15. Vitam & mortem dedit ante faciem tuam, bonum & malum, elige vitam vt vivas. 602. 19.

Secundus Regum.

16. 10. Quid mihi & vobis filii Sarviæ dimittite eum vt maledicat, quia Dñs. dixit illi maledicere Davide? quis dicet ei quare feciſti sic. 646. 19.

16. 12. Sinite illum vt maledicat quoniam dixit illis Deus; vt videat Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledicto in die isto. 637. 20.

17. 14. Et Dominus mandavit dissipare consilium Architophel bonum, vt inducat Dominus super Absalon omnia mala. 637. 20.

Tertius Regum.

19. 18. Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genu ante Baal. 772. 18.

Tobias.

4. 23. Si timuerimus Deum & receſſerimus ab omni peccato & fecerimus bona. 595. 13.

Iob.

9. 17. Multas enim contritiones meas fecit ſine cauſa. 592. 11.

10. 11. Oſsibus & nervis compegiſti me. 275. 13.

10. 12. Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi. 275. 13.

12. iuxta 70. Iuſtus enim vir & ſine querela, factus ſum in deriſum. 591. 11.

13. iuxta 70. Ecce ipſe proximus ſum iudicio meo ſcio quia iuſtus inveniar. 592. 11.

14. 17. iuxta 70. Signaſti peccata mea in ſucculo, & annotaſti quod invitus commiſi. 423. 105.

16. 18. Nihil iniquum erat in manibus meis, ſed munda oratio mea. 592. 11.

23. 11. Vias enim eius cuſtodivi & non declinavi à mandatis eius, neque diſcedam. 592. 11.

27. 6. Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. 593. 11.

29. 14. Iuſtitiâ veſtitus eram, & circumdedi mihi iudicium ſicut chlamidem. 593. 11.

Pſalmi.

2. 11. Servite Domino in timore & exultate ei cum tremore. 668. 9.

2. 12. Ne quando iraſcatur Dominus & pereatis de via iuſta. 669. 9.

13. 3. Dominus reſpexit ſuper filios hominum, omnes declinaverunt. 532. 175.

13. 3. Non eſt qui faciat bonum non eſt uſque ad unum 596. 13.

23. 3. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius 599. 15.

23. 3. Innocens manibus & mundo corde. 599. 15.

24. 7 Delicta iuventutis meæ & ignorantias meas ne memineris. 423. 105.

24. 17. De neceſſitatibus meis erue me. 424. 106.

29. 7. Ego dixi in abundantia mea non movebor in æternum 616. 6.

31. 2. Beatus cui non imputavit Dominus peccatum. 585. 6.

79. 18. Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi. 748. 7.

79. 19. Et non diſcedimus à te 748. 7.

102. 3. Qui propitius ſit omnibus iniquitatibus tuis. 327. 18.

102. 4 Qui coronat te in miſericordia & miſeratione. 621. 9.

118. 9. In quo corrigit iunior viam ſuam. 34. 23.

126. 1. Niſi Dominus ædificaverit domum in vanum laboraverunt qui ædificant eam. 712. 7.

139. 9. Ne tradas me à deſiderio meo peccatori. 253. 4.

142. 2. Quoniam non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. 600. 17.

Proverbia.

2. 4. Si quæſiveris eam quaſi pecuniam. 200. 3.

4. 26. Rectos curſus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, ne declines in dexteram neque in ſiniſtram; averte autem pedem tuum à via mala. 649.

4. 27. Vias enim quæ à dextris ſunt novit Dñs, perverſæ verò ſunt quæ à ſiniſtris ſunt; ipſe autem rectos faciet curſus tuos. 649.

10. iuxta 70. Filius eruditus ſapiens erit, imprudente autem miniſtro vtetur. 281. 16.

20. 9. Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor. 597. 15.

Sapientia.

1. 13. Deus mortem non fecit. 268. 9.

2. 25. Imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius. 470. 48.

7. 28. Neminem diligit Deus, niſi eum, qui cum ſapientia habitat. 286. 1.

12. 10. Non ignorans quoniam nequam eſt natio illorum & naturalis malitia ipſorum. 449.

12. 11. Et quoniam non poterat mutari

cogi-

cogitatio illorum in perpetuum, semen enim erat maledictum ab initio. 44. 9.

Ecclesiasticus.

3. 5. Tempus amplectendi, & tempus continendi ab amplexu. 14. 13. & 16. 16.

11. 14. Vita & mors à Domino. 268. 9.

13. 30. Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia 599. 15.

15. 8. Viri autem veraces invenientur in illa. 594. 12.

15. 14. Deus ab initio constituit hominem & reliquit eum in manu consilij sui. 602. 19.

15. 15. Adiecit ei mandata & præcepta sua. 602. 19.

15. 16. Si volueris mandata servare conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. 602. 19. & 629. 15.

15. 17. Appositi tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. 602. 19

15. 18. Ante hominem vita & mors, bonũ & malum: quod placuerit ei dabitur ei. 602. 19.

18. 30. Post concupiscentias tuas non eas. 25. 29. & 186. 26. & 249. 3.

18. 31. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te gaudium inimicis & invidis tuis. 249. 3.

30. 21. Videns oculis & ingemiscens, quasi spado complectens virginem & suspirans. 314. 14.

Isaias.

1. 19. Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen. 447. 141.

1. 19. Si volueritis & audieritis me bona terræ comedetis. 413. 93. & 602. & 604. 19.

1. 20. Si nolueritis gladius meus devorabit vos. 413. 93. & 602. & 604. 19.

10. 22. Reliquiæ convertentur ex eo. 447 141.

45. 9. Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, vt quid me fecisti sic. 438. 133.

65. 2. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem 772. 18.

Hieremias.

31. 29. In diebus illis non dicent; patres manducaverunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. 545. 25.

31. 32. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & consummabo domui Israel & domui Iuda testamentum novum, & non secundum testamentum quod disposui patribus eorum. 346. 25.

Ezechiel.

11. 19. Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum. 627 14.

14. 9. Propheta si erraverit & locutus fuerit, ego Dominus seduxi prophetam illum. 250. 3.

18 2. Quid est hoc inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel dicentes. 345. 25.

18. 3. patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. 345. 25.

18. 4. Anima quæ peccaverit ipsa morietur. 345. 25.

36. 22. Non propter vos ego facio domus Israel, sed propter nomen meum sanctum quod prophanastis in gentibus &c. 627. 14.

Malachias.

1. 2. Dilexi Iacob. 446. 141.

1. 3. Esau autem odio habui. 446. 41.

Zacharias.

11. 3. Convertimini ad me & ego convertar ad vos. 614. 5.

Matthæus.

1. 20. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. 12. 11. & 273. 12.

1. 17. Omnes ab Abraham vsque ad David

vid generationes quatuordecim. 485. 84.

5. 28. Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. 217. 14.

6. 9. Sanctificetur nomen tuum. 742. 2.

6. 10. Veniat regnum tuum. 741. 2.

6. 10. Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. 117. 3. & 714. 8. & 743. 3.

6. 11. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 714. 4.

6. 12. Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. 744. 5.

6. 13. Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. 191. 2. & 252. 4. & 745. 5. & 746. 6.

6. 22. Si oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit. 210. 3.

6. 23. Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit. 210. 3

7. 13. Quam lata & spatiosa via est quæ ducit ad interitum! & multi ingrediuntur eam. 546. 105.

7. 14 Quam arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam! & pauci sunt qui inveniunt eam. 546. 105.

7. 17. Arbor bona bonos fructus facit. 203. 3.

7. 18. Non potest arbor bona malos fructus facere neque arbor mala bonos fructus facere. 60. 16. & 106. 8. & 203. 31. & 208. 3.

7. 23. Non novi vos. 750.

10. 16. Astuti vt serpentes. 202. 3.

11. 21. Si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes quę factę sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. 752. 9. & 762. 14. & 763. 14.

11. 30. Iugum enim meum suave est & onus meum leve. 591. 10.

12. 33. Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem malam & fructum eius malum. 107. 8.

19. 6. Igitur iam non sunt duo sed vna caro. 474. 57. & 476. 59. & 477. 61. & 541. 194.

19. 11. Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. 269. 9.

19. 12. Qui potest capere capiat. 269. 9.

22. 40. In his duobus mandatis vniversa lex pendet & prophetæ. 583. 5.

23. 37. Hierusalem, Hierusalem quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos sub alas suas, & voluisti. 412. 93.

26. 41. Vigilate & orate ne intretis in tentationem. 614. 4.

27. 22. Dicunt omnes crucifigatur. 532. 175.

Marcus.

16. 16. Qui non crediderit condemnabitur. 289. 3.

Lucas.

2. 33. Erant pater eius & mater mirantes 12. 11.

3. 23. Putabatur filius Ioseph. 174. 13.

8. 8. Qui habet aures audiendi audiat. 765. 14.

10. 5. In quamcumque domum intraveritis primum dicite pax huic domui. 684. 15.

10. 6. Et sibi ibi fuerit filius pacis requiescet super eum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur. 684. 15.

10. 13. Si in Tyro & Sidone factæ virtutes quę factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio sedentes pœniterent. 752. 9. 762. 14.

11. 41. Decimatis omne olus. 682. 14.

18. 32. Eiicio dæmonia hodie & cras & tertia consumor. 330. 19.

16. 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. 123. 7.

18. 19. Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus. 596. 14.

20. 34. Filii huius sæculi generant & generantur. 17. 18.

23.18. Et clamabat omnis populus crucifige, crucifige. 532. 175.

24.31. In fractione panis aperti sunt oculi eorum. 7.5.

Ioannes.

1.8. Non erat ille lumen. 597.14.

1.9. Illuminat omnem hominem. 511. 136.

1.10. Mundus per eum factus est. 288.2.

1.16. Omnes ex plenitudine eius accepimus & gratiam pro gratia. 621.9. & 681.13.

1.29. Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi 486.84.

3.5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. 293.4.

6.37. Omne quod dat mihi Pater ad me venit. 712.8.

6.39. Hic est voluntas eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo. 252.4.

6.44. Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum. 603.19.

6.45. Omnis qui audivit à Patre & didicit venit ad me. 712.8. & 713.8.

6.54. Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 148.1. & 163.12.

7.7. Non potest mundus odisse vos. 288.2.

8.23. Vos de mundo estis, ego non sum de hoc mundo. 288.2.

8.34. Omnis qui facit peccatum servus est peccati. 409.87.

8.36. Si filius vos liberaverit tunc verè liberi eritis. 409.87. & 410.88. & 413.94.

8.38. Sermo meus non capit in vobis. 410.89.

12.31. Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps mundi eiicietur foras. 289.2.

14.30. Ecce venit Princeps mundi. 288.2.

15.5. Sine me nihil potestis facere. 542. 398.

15.16. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos vt eatis & fructum adferatis & fructus vester maneat. 676.12. & 730.17.

15.18. Si mundus vos odit scitote quia me priorem odio habuit. 288.2.

15.19. Si de mundo essetis mundus quod suum erat diligeret, quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus. 288.2.

15.22. Si non veniissem & locutus eis fuissem peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. 608.2.

16.53. Ecce venit Princeps mundi. 288.

Acta.

7.29. Fugit Moyses in verbo hoc. 341. 84.

10.4. Orationes tuæ & eleemosinæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. 712.7.

Epistola ad Romanos.

1.3. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute. 727.15.

1.23. Et mutaverunt gloriam Dei incorruptibilis in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum. 449.3.

1.24. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. 449.3.

1.26. Propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. 248.3.

1.27. Relicto naturali vsu fœminæ exarserunt in desideria sua. 54.19. & 55.20. & 172.20.

1.28. Tradidit illos Deus in reprobum sensum vt faciant quæ non conveniunt. 248.3.

2.14. Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex. 203.3.

2.15. Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. 203.3.

Testi-

Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus 204. 3.

3. 13. Peccatum non imputatur cum lex non est. 543. 200.

3. 20. Per legem cognitio peccati. 61. 27. & 292. 4.

4. 14 Si enim qui sunt ex lege, hæredes sunt; evacuata est fides destructa est promissio. 521. 15. 7.

4. 15. Lex iram operatur vbi enim non est lex, nec prævaricatio. 523. 158. & 612. 10.

4. 19. Non consideravit corpus suum emortuum. 160. 11.

4. 21. Quæcunque promisit Deus potens est & facere. 510. 153. & 512. 156. & 718. 10.

5. 8. Commendat autem suam charitatem Deus quoniam cum adhuc peccatores essemus. 291. 4 & 292. 4.

5. 9. Christus pro nobis mortuus est. 291. 4. & 292. 4.

5. 10. Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii eius: multo magis iustificati nunc in sanguine ipsius in vita ipsius.

5. 11. Non solum autem, sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum per quem nunc reconciliationem accepimus. 292. 4. & 530. 172.

5. 12. Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. 61. 27. & 63. 27. & 64. 28. & 102. 7. & 340. 14. & 469. 47. & seq. & 481. 83 & 530. 172. & 541. 194.

5. 13. Vsque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur cum lex non esset. 61 27. & 292. 4. & 481. 70 et 485. 84. et 536. 185. et 537. 186. et 541. 198. 199

5. 14. Regnavit mors ab Adam vsque ad Moysen in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ qui est forma futuri. 61. 27. et 62. 27 et 292. 4. et 536. 85. et seq et 545 204.

5. 15. Sed non sicut delictum ita et donatio. Si enim ob vnius delictum multi mortui sunt multò magis gratia Dei et donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in multos abundavit. 62. 27. et 293. 4. et 486. 85. & 498. 108. et 510. 134.

5. 16. Iudicium ex vno in condemnationem. 62. 27. et 293. 4. et 343. 23. et 434. 128. et 490. 98. et 497. 105. et 501. 115. et seq et 548. 211. 212.

Gratia autem ex multis delictis in iustificationem. 62. 27. & 293. 4. & 343. 23. & 490. 98. & 497. 105. & 498. 108. & 548. 211. 212.

5. 17. Si enim ob vnius delictum mors regnavit per vnũ; multo magis qui abundantiam gratiæ & iustitiæ accipiunt in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. 293. 4.

5. 18. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. 293. 4. & 344. 23. & 510. 134. & 518. 149.

5. 19. Per vnius obedientiam iusti constituentur multi. 344. 23. & 514. 144. & 518. 149.

5. 20. Lex subintraret vt abundavit delictum. Vbi autem abundavit peccatum superabundavit & gratia. 553. 217. & 554. 218.

5. 21. Vt sicut regnavit peccatum in mortem; ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum Dominum nostrum.

6. 13. Stipendium peccati mors: gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. 610. 8. & 621. 9.

6. 1. Quid ergò dicimus, permanebimus in peccato vt gratia abundet. 293. 4.

6. 2. Absit. Qui enim mortui sumus peccato quomodo adhuc vivemus in illo. 293. 4.

6. 3. Quicunque baptizati sumus in morte illius baptizati sumus. 97. 6. & 290. 3. & 296. 5 & 510. 135. & 558. 222.

6. 8. Qui enim mortuus est iustificatus est à peccato. 293. 4.

6. 9. Si autem mortui sumus cum Christo credimus quia simul vivemus cum Christo.

6. 10. Quod enim mortuus est peccato mortuus est semel. 293. & 570. 225.

6. 11. Sic & vos existimate vos mortuos esse peccato vivere autem Deo in Christo Iesu. 290. 3. & 570. 225.

6. 12 non regnet peccatum in mortali corpore vestro vt obediatis concupiscentijs eius 27. 31. & 572. 226. & 584. 6. & 593. 11.

6. 13. Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. 27. 31.

6. 18. Liberati à peccato servi facti estis iustitiæ. 419. 99.

6. 19. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ; sicut enim exhibuistis mẽbra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem. 584. 232.

6. 20. Cùm enim servi essetis peccati liberi fuistis iustitiæ. 413. 94. & 419. 99. & 426. 107.

6. 21. Quem ergo tunc fructum habuistis in quibus nunc erubescitis. 413. 94.

6. 22. Nunc autem liberati à peccato, servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem verò vitam æternam. 408. 86. & 413. 94.

7. 6. Vt serviamus in novitate spiritus, non in vetustate litteræ. 622. 10.

7. 14. Ego autem carnalis sum & venundatus sub peccato. 337. 23.

7. 15. Non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio 24. 27. & 390. 67.

7. 16. Si autem quod nolo illud facio consentio legi quoniam bona est.

7. 17. Nunc autem iam non ego operor illud, sed illud quod habitat in me peccatum. 24. 27. & 25. 29. & 390. 67.

7. 18. Scio enim quod non habitat in me hoc est in carne mea bonum. 17. 31. & 164. 33. & 184. 26. & 318. 15. & 337. 23.

7. 18. Nã velle adiacet mihi perficere autẽ bonum non invenio 25 19. & 184. 26. & 185. 26. & 187. 26. & 390. 67. & 593. 11.

7. 19. Non enim quod volo bonum hoc facio sed quod nolo malum hoc ago. 24. 27. & 26. 30. & 137. 18. & 184. 26. & 185. 26. & 390. 67.

7. 20. Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. 26. 30. & 184. 26.

7. 22. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem 26. 30. & 194. 2. & 390. 63.

7. 23. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis. 20. 22. & 26. 30. & 124. 5. & 184. 26. & 390. 67.

7. 24. Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius. 27. 31. & 117. 3. & 184. 26. & 337. 23. & 390. 67.

7. 25. Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. 27. 31. et 390. 67.

Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. 28. 31. et 186. 25.

8. 1. Nihil ergò damnationis est in iis qui sunt in Christo Iesu qui non secundum carnem ambulant. 28. 31.

8. 2. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu, liberavit me à lege peccati & mortis. 28. 31.

8. 3. Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati. 176. 15.

8. 10. Si Christus est in vobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter iustitiam. 416. 96.

8. 11. Si ergò spiritus eius qui suscitavit Iesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Iesum Christum à mortuis vivificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem spiritum in vobis. 416. 96.

8. 13. Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. 719. 11.

8. 15. Accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater. 685. 15.

8. 25.

8. 23. Adoptionem filiorum expectantes. 27. 31.

8. 26. Quid oremus sicut oportet nescimus. 783. 23.

8. 28. Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 667. 9.

9. 11. Cum enim nondum nati essent, aut aliquid boni fecissent aut mali (vt secundùm electionem propositum Dei maneret) 459. 133.

9. 12. Non ex operibus sed ex vocante dictum est ei. 436. 131. & 437. 131. & 728. 16.

9. 13. Quia maior seruiet minori sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. 446. 141.

9. 18. Ergo cuius vult miseretur, quem vult obdurat. 438. 133. & 447. 141. & 713. 8.

9. 19. Dicis itaque mihi quid adhuc conqueritur? Voluntati eius quis resistit. 447. 141.

9. 20. Nunquid dicet figmentum ei qui se finxit quidme feciſti sic? 435. 128. & 438. 133. & 447. 141.

9. 21. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? 435. 129. & 447. 141.

9. 22. Sic autem Deus volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem. 250. 3.

9. 23. Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam. 440. 134.

10. 3. Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. 523. 158. & 623. 12.

10. 9. Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. 719. 11.

11. 2. Non repulit Deus plebem suam quam præscivit. 772. 18.

11. 28. Secundum Evangelium quidem meum inimici propter vos; secundùm electionem autem dilecti propter Patres. 729. 16.

11. 29. Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei. 730. 16.

12. 2. Nolite conformari huic sæculo sed renovamini in novitate mentis vestræ. 583. 5.

14. 23. Omne quod non est ex fide peccatum est. 204. 3. & 206. 3.

Prima ad Corinthios.

2. 16. Interior homo noster profi:it de die in diem. 26. 30.

4. 7. Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis. 708. 4.

7. 4. Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir. &c. 15. 14. & 156. 4.

7. 5. Iterum ad idipsum estote ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram 15. 14. & 393. 68.

7 6. Hoc autem dico secundùm veniam non secundùm imperium. 15. 14. & 130. 7. & 166 16. & 231. 14.

7. 9. Qui se non continet nubat. 166. 15. & 191. 2.

2. 29. Hoc autem dico fratres tempus breve est, reliquum est vt qui habent vxores tanquam non habentes sint. 14. 13.

2. 30. Et qui flent tanquam non flentes & qui gaudent tanquam non gaudentes & qui emunt tanquam non possidentes. 14. 13.

7. 31. Et qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur; præterit enim figura huius mundi. 14. 13. & 281. 18.

732. Volo autem vos sine sollicitudine esse, qui sine vxore est cogitat ea quæ sunt Domini. 14. 13.

7. 33. Qui autem matrimonio iunctus est sollicitus est, ea quæ sunt mundi. 14. 13.

10. 33. Sicut ego omnibus per omnia placeo. 682. 14.

12. 9. Virtus in infirmitate perficitur. 195. 2.

12. 23. Et quæ putamus inhonorabilia esse membra corporis his honorem abundanter circumdamus, Et quæ verecunda sunt nostra maiorem honestatem habent. 237. 16. & 268. 9.

12. 24. Quæ autem sunt honesta nostra nullo egenti: sed Deus temperavit corpus ei cui dederat abundantiorem honorem. 237. 16.

15. 10. Non ego sed gratia Dei mecum. 616. 5.

1. 22. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. 344. 23. & 542. 97.

15. 36. Insipiens tu quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur. 50. 14.

16. 9. Ostium enim mihi apertum est magnum & evidens & adversarii multi. 736. 20.

Secunda ad Corinthios.

2. 13. Vale illis faciens ij in Macedoniam. 736. 20.

2. 14. Deo autem gratias qui semper triumphare nos facit in Christo, & odorem notitiæ suę per nos manifestat in omni loco. 736. 20.

2. 15. Quia Christi bonus odor sumus in his qui salvi fiunt & in his qui pereunt. 736. 20.

2. 16. Quibusdam quidem odor mortis in mortem, quibusdam odor vitæ in vitã. 736. 20

3. 5. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. 703. 2.

3. 6. Littera enim occidit spiritus autem vivificat. 415. 95.

5. 10. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis sui provt gessit sive bonum sive malum. 307. 10. & 721. 12.

5. 14. Quoniam vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est. 291. 4. 532. 175.

5. 19. Deus erat in Christo nundùm reconcilians sibi. 289. 2.

5. 21. Qui non noverat peccatum. 65

Ad Galatas.

4. 6. Misit spiritum filii sui clamantem Abba Pater. 685. 15. & 783. 23.

5. 16. Spiritu ambulate & concupiscentias carnis ne perfeceritis. 185. 26. & 186. 26.

5. 17. Caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem. 27. 31. & 185. 26.

5. 18. Si spiritu ducimini non adhuc estis sub lege. 185. 26.

Ad Ephesios.

1. 4. Sicut elegit nos ante constitutionem mundi. 732. 18. & 732. 19.

1. 4. Vt simus sancti & immaculati in conspectu eius 600 17.

2. 3. Fuimus enim & nos aliquandò naturâ filii iræ, sicut & cæteri 309. 10. & 573. 228.

2. 8 Gratia salvi estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus ne fortè quis extollatur. 620. 8.

4. 18. Alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis eorum. 163. 11.

5. 8. Fuistis aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino. 595. 11.

5. 25. Christus dilexit Ecclesiam & semet ipsum pro ea tradidit. 29. 33.

5. 26. Vt eam sanctificaret mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. 29. 33.

5. 27. Vt exhiberet sibi ipse gloriosam nõ habentem maculam aut rugam aut aliquid eiusmodi. 29. 33.

Ad Philippenses.

3. 9. Vt inveniar in illo non habens meã iustitiam, quæ ex lege est: sed iustitiam quæ ex fide, iustitiam ex Deo. 523. 158.

3. 15. Quotquot ergò perfecti, hoc sapiamus. 608. 1.

Ad Colossenses.

1. 13. Qui eruit nos de potestate tenebrarum. 19. 20.

2. 13. Et

2. 13 Et vos cùm essetis mortui in delictis & præputio carnis vestræ vivificavit vos cum illo. 291. 4.

3. 5. Mortificate membra vestra quæ sunt super terram; Fornicationem, libidinem, concupiscentiam malam. 314 14.

4. 2. Orationi instate vigilantes in ea in gratiarum actione. 735. 20.

4. 3. Orantes simul & pro nobis vt Deus aperiat nobis ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi. 735. 20. & 736.

4. 4. Vt manifestetur illud ita vt oportet me loqui. 735. 20.

Prima ad Thessalonicenses.

4. 3. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra abstinere vos à fornicatione 9. 7.

4. 4. Vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore. 9. 7. & 221. 10. & 106. 9.

4. 5. Non in passione desiderij sicut & gentes quæ ignorant Deum. 9. 7. & 221. 10. & 269. 9.

Prima ad Timotheum.

2. 4 Qui vult omnes homines salvos fieri 214 8. & seq & 682. & 683. 14. & 685. 15.

2. 5. Vnus enim Deus, vnus mediator Dei & hominum homó Christus Iesus. 433. 114.

5. 10. Peccantes coram omnibus corripe, vt cæteri timorem habeant. 686. 16.

Secunda ad Timotheum.

2. 21. Si ergò mundaverit quis semetipsum ab his, erit vas in honorem sanctificatũ, vtile Domino, ad omne opus bonum paratum. 440. 134.

2. 22. Iuvenilia desideria fuge. 575. 235.

Ad Philemonem.

1. 14. Vt non quasi ex voluntate tuum bonum esset voluntarium. 602. 10.

Ad Hebræos.

11. 6. Sine fide impossibile est placere Deo. 204. 3.

Epistola Iacobi.

1. 13. Deus autem neminem tentat. 746. 7.

1. 14. Vnusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. 746. 6.

2. 13. Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. 680. 13.

Prima Petri.

4. 18. Si iustus vix salvabitur. 513. 142.

Prima Ioannis.

1. 8. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est. 605. 21.

2. 16. Concupiscentia carnis quæ non ex patre sed ex mundo est. 175. 21. & 288. 2.

2. 19. Ex nobis exierunt sed non erant ex nobis. Quod si fuissent ex nobis permansissent vtique nobiscum. 665. 9. & 751. 9.

3. 9. Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit. quoniam semen ipsius in ipso manet & non potest peccare quoniam ex Deo natus est. 601. 18.

3. 6. Omnis qui peccat non vidit eum nec cognovit eum. 601. 18.

3. 21. Si cor nostrum nos non reprehendat fiduciam habemus ad Deum. 599. 15.

5. 3. Mandata eius gravia non sunt. 591. 10.

5. 16. Est peccatum ad mortem. 677. 12.

5. 19. Mundus totus in maligno positus est. 238. 2.

Apocalipsis.

3. 11. Tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam. 679. 13.

14. 5. In ore ipsorum non est inventum mendacium, sine macula enim sunt. 594. 12.

FINIS.

D. AVRELII
AVGVSTINI HIPPONENSIS
EPISCOPI
AD VALERIVM COMITEM
De nuptiis & concupiſcentia
Libri duo.

Ex libro 2. Retract. cap. 53.

CRIPSI duos libros ad illuſtrem virum Comitem Valerium, cùm audiſſem Pelagianos ei neſcio quid ſcripſiſſe de nobis, quod ſcilicet nuptias damnaremus aſſerendo originale peccatum: quorum librorum titulus eſt, De nuptiis & concupiſcentiâ. Bonitatem quippè defendimus nuptiarum, ne putaretur earum eſſe vitium concupiſcentia carnis, & lex in membris repugnans legi mentis, quo malo libidinis bene utitur ad filios procreandos pudicitia coniugalis. Vt autem duo libri eſſent, primus venit in Iuliani Pelagiani manus, & ſcripſit adverſus eum libros quatuor, ex quibus quidam nonnulla decerpſit, & Comiti Valerio miſit: ille verò ad nos. Quæ cùm accepiſſem alio libro ad eadem ipſa reſpondi. Huius operis primus liber ſic incipit, *Hæretici novi dilectiſsime fili Valeri.* Secundus autem ſic, *Inter militiæ tuæ curas.*

Rom. 7. 23.

EPISTOLA

Ad Valerium Comitem.

DOMINO illustri & meritò præstantissimo, atque in Christi dilectione charissimo filio Valerio, Augustinus in Domino salutem. Cùm diu molestè haberem quòd aliquotiens scripserim, & nulla tuæ sublimitatis rescripta meruerim, repentè Epistolas tres tuæ benignitatis accepi, Vnam non ad me solùm datam, per coepiscopum meum Vindemialem, & non longè post per compresbyterum Firmum duas, qui vir sanctus nobisque vt ab illo scire potuisti, familiarissimâ charitate coniunctus, multa nobiscum de tuâ excellentiâ colloquendo, & veraciter insinuando, qualem te in Christi visceribus noverit; non solùm eas quas memoratus Episcopus, vel quas ipse attulit, sed etiam illas quas non accepisse querebamur, literas vicit. Et ideò de te narratio eius suavior nobis erat, quia ea dicebat, quæ ipse non posses, ne quidem me inquirente rescribere, ne tuarum laudum, quod sancta scriptura prohibet, fieres prædicator: quanquam & ego verear *Prov. 27. 2* hæc ad te scribere, ne suspicionem adulantis incurram, Domine illustris & meritò præstantissime, atque in Christi dilectione charisime fili. Laudes itàque tuas in Christo, sive magis in te laudes Christi, vide quid mihi delectationis & lætitiæ fuit audire ab illo, qui nec fallere me posset propter fidem suam; & eas ignorare non posset, propter amicitiam tuam. Sed alia & ab aliis, etsi non tam multa vel certa, veruntamen audiuimus, fides tua quam sit sana & catholica, quàm pia expectatio futurorum, quæ Dei fratrumque dilectio, quàm *non superbè sapias* in excelsis honoribus, *nec speres in incerto divitiarum, sed in* DEO *vivo, & dives sis in operibus bonis*: quàm sit *1. Tim. 6. 17. & 18.* domus tua requies, solatiumque sanctorum, & terror impiorum: quanta tibi cura sit, ne quis insidietur membris Christi, coopertus velamine nominis Christi, sive in veteribus eius, sive in recentioribus inimicis: quàmque sis eorundem inimicorum providus saluti, infestus errori. Hæc atque huiusmodi, vt dixi, & ab aliis solemus audire, sed nunc ea per suprà dictum fratrem plura & testatiora cognovimus. Porrò autem de pudicitiâ coniugali, vt eam quoque in te laudare, & amare

Insidiatores sub velamine nominis Christi.

possi-

posſimus, nunquid audiremus, niſi ab aliquo interiore familiari tuo, qui vitam tuam, non in ſuperficie, ſed penitus noſſet? De hoc itaque tuo bono Dei dono, me quoque delectat familiariùs, & aliquantò diutiùs loqui tecum. Scio me non eſſe oneri tibi, ſi aliquid prolixum mitto, quod legendo diutiùs ſis nobiſcum. Nam & hoc comperi, quod inter tuas multas magnaſque curas, facilè ac libenter legas, noſtriſque opuſculis, etiam quæ ad alios conſcripſimus, ſiqua in manus tuas venire potuerunt, admodum delecteris: quantò magis quod ad te ſcribitur, vbi tanquam præſenti loquar, & advertere dignaberis attentiùs, & accipere gratiùs? Ab hâc ergò Epiſtolâ perge ad librum, quem ſimul miſi, qui Tuæ Reverentiæ & cur conſcriptus ſit, & cur ad te potiſsimum miſsus, ipſe ſuo principio commodiùs intimabit.

LIBRI PRIMI

De nuptiis & concupiſcentiâ

CAPVT I.

HÆRETICI novi dilectiſsime fili Valeri, qui medicinam Chriſti qua peccata ſanantur, carnaliter natis parvulis neceſsariam non eſſe contendunt, damnatores nos eſſe nuptiarum operiſque divini, quo ex maribus & fœminis Deus homines creat, invidioſiſsimè clamitant: quoniam dicimus eos, qui de tali commixtione naſcuntur, trahere originale peccatum, de quo Apoſtolus ait, *Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ità in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*: eoſque de parentibus qualibuſcunque naſcantur, non negamus adhuc eſſe ſub diabolo, niſi renaſcantur in Chriſto, & per eius gratiam *de poteſtate eruti tenebrarum, in regnum illius*, qui ex eadem ſexus vtriuſque commixtione naſci noluit, *transferantur*. Hoc ergò quia dicimus quod in antiquiſſimâ atque firmiſsimâ catholicæ fidei regulâ continetur, iſti novelli & perverſi dogmatis aſsertores, qui nihil peccati in parvulis eſse dicunt, quod *lavacro regenerationis* abluatur, tanquam damnemus nuptias & tanquam opus Dei,

Rom. 5. 12.

Col. 1. 13.

Tit. 3. 5.

hoc est, hominem, qui ex illis nascitur, opus diaboli esse dicamus, infideliter vel imperitè calumniantur. Nec advertunt quòd ità nuptiarum bonum malo originali, quod indè trahitur, non potest accusari: sicut adulteriorum & fornicationum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari. Nam sicut peccatum, sive hinc, sive inde à parvulis trahatur, opus est diaboli: sic homo, sive hinc, sive indè nascatur, opus est Dei. Intentio igitur huius libri hæc est, vt quantum nos Dominus adiuvare dignatur, carnalis concupiscentiæ malum, propter quod homo, qui per illam nascitur, trahit originale peccatum, discernamus à bonitate nuptiarum. Hæc enim quæ ab impudentibus impudenter laudatur, pudenda concupiscentia nulla esset, nisi homo antè peccasset; nuptiæ verò essent, etiamsi nemo peccasset: fieret quippe sine isto morbo seminatio filiorum in corpore vitæ illius, sine quo nunc fieri non potest in *corpore mortis huius*. † Non enim *corpus mortis huius* in paradiso tale fuit ante peccatum: propter quod diximus, in corpore vitæ illius, quæ ibi erat, sine isto morbo seminationem potuisse fieri filiorum, sine quo nunc in *corpore mortis huius* fieri non potest.

Libri huius argumentũ.

Ab impudẽtibus impudenter laudatur concupiscentia.

† *hæc seq. non sunt in Plantiniana editione.*

Rom. 7. 24.

CAPVT II.

Rationem reddit cur ad eum scripserit.

CVr autem ad te potissimum de hâc re scribere voluerim, tres maximæ causæ sunt, quas breviter intimabo. Vna est, quia donante Christo, magna tibi est observantia pudicitiæ coniugalis; Altera, quia prophanis istis novitatibus, quibus hic disputando restitimus, tu potestate curando & instando efficaciter restitisti. Tertia, quoniam quiddam literarum ab eis conscriptum in tuas manus venisse cognovi, quod licet fide robustissimâ irriseris; bonum est tamen, vt etiam noverimus defendendo adiuvare quod credimus: Apostolus enim Petrus, *paratos* nos esse præcipit *ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de fide & spe nostra*. Et Apostolus Paulus, *Sermo*, inquit, *vester in gratia conditus sit sale, vt sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere*. Ista sunt quæ me præcipuè compulerunt, vt in hoc volumine tecum haberem qualem Dominus dignaretur donare, sermonem. Nam mihi nunquam placuit cuiquam illustri viro, & tanta quanta es ipse sublimitate conspicuo, præsertim non ociosa dignitate

1. Pet. 3. 15.

Col. 4. 6.

Non solet Aug. militaribus viris

iam

iam fruenti, sed adhuc actibus publicis eisdemque militaribus occupato, aliquid meorum opusculorum legendum non à me petenti, non tam diligenter quàm impudenter impingere. Si quid ergò tale nunc feci propter eas quas commemoraui causas, dignanter ignosce, & benevolum animum ad ea quæ sequuntur, intende. *Opuscula sua intrudere.*

CAPVT III.

1. Cor. 7. 7. DOnum Dei esse etiam pudicitiam coniugalem, beatissimus Paulus ostendit, vbi de hâc re loquens ait: *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, sed unusquisque proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius verò sic.* Ecce & hoc *donum* esse dixit *à Deo*, etsi inferius quàm illa continentia, in qua *omnes volebat esse sicut seipsum*, tamen *donum à Deo*. Vndè intelligimus cùm hæc præcipiuntur vt fiant, nihil aliud ostendi, quàm inesse nobis oportere ad hæc accipienda & habenda, etiam propriam voluntatem. Cùm verò Dei dona esse monstrantur, à quo petenda sint, discitur, si non habentur, & cui sint agendæ gratiæ si habentur, nostrasque voluntates ad hæc expetenda, sumenda, retinenda parum valere, nisi diuinitus adiuuentur. Quid ergò dicimus, quando & in quibusdam impiis inuenitur pudicitia coniugalis? vtrùm eò peccare dicēdi sunt, quòd dono Dei malè vtātur, non id referētes ad cultum eius à quo acceperunt? an fortè nec dona Dei putanda sunt ista, quando hæc infideles agunt, secundùm Apo-
Rom. 14. 23. stoli sententiam dicentis, *Omne quod non est ex fide, peccatum est?* Quis audeat dicere donum Dei esse peccatum? Anima enim & corpus & quæcunque bona animæ & corporis naturaliter insita, etiam in peccatoribus dona Dei sunt, quoniam Deus, non ipsi ista fecerunt. De his autem quæ faciunt dictum est, *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Cùm igitur faciunt hæc homines sine fide, quæ videntur ad coniugalem pudicitiam pertinere, sive hominibus placere quærentes, vel sibi vel aliis, sive in his rebus quas vitiosè concupiscunt, humanas molestias devitantes, sive dæmonibus servientes, non peccata coercentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur. Abest ergò pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum, fidem connubii servat vxori.

Pudicitia coniugalis Dei donū est.

Præcepta demonstrant propriam voluntatem.

Donorū Dei commendatio ad quid?

Pudicitia impiorum & infidelium.

Pudicus quis.

CAPVT IV.

Bestialis vsus.

COpulatio itaque maris & fœminæ generandi causa, bonum est naturale nuptiarum: sed isto bono malè vtitur, qui bestialiter vtitur, vt sit eius intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis. Quamquam in nonnullis animalibus rationis expertibus, sicut in plerisque alitibus, & coniugiorum quasi quædam confœderatio custoditur, & socialis nidificandi solertia, vicissimque ovorum dispertita tempora fovendorum & nutriendorum opera alterna pullorum, magis eas videri faciunt agere, cùm coëunt, negocium substituendi generis, quàm explendæ libidinis. Quorum duorum illud est in pecore simile hominis, hoc est, in homine simile pecoris. Verùm quod dixi ad naturam pertinere nuptiarum, vt mas & fœmina generandi societate iungantur, & ità invicem non fraudent, sicut omnis societas fraudulentum socium naturaliter non vult: hoc tam evidens bonum cùm infideles habent, quia infideliter vtuntur, in malum peccatumque convertunt. Eo modo ergò & illam *concupiscentiam carnis*, qua *caro concupiscit adversus spiritum*, in vsum iustitiæ convertunt fidelium nuptiæ. Habent quippe intentionem generandi regenerandos: vt qui ex eis sæculi filij nascuntur, in Dei filios renascantur. Quapropter qui non hâc intentione, hâc voluntate, hoc fine generant filios, vt eos ex membris hominis primi, in membra transferant Christi; sed infideles parentes de infideli prole glorientur, etiamsi tanta sit observantia, vt secundùm matrimoniales tabulas non nisi liberorum procreandorum causa concumbant, non est in eis vera pudicitia coniugalis. Cùm enim virtus sit pudicitia, cui vitium contrarium est impudicitia, omnesque virtutes etiam quæ per corpus operantur, in animo habitent; quomodò verâ ratione pudicum corpus asseritur, quandò à vero Deo ipse animus fornicatur? Quam fornicationem sanctus ille psalmus accusat vbi dicit, *Ecce enim qui longè se faciunt à te, peribunt: perdidisti omnem qui fornicatur abs te.* Vera igitur pudicitia sive coniugalis, sive vidualis, sive virginalis dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur. Cùm enim recto iudicio præferatur nuptiis sacrata virginitas; quis non sobria mente Christianus etiam non vniviras Christianas catholicas nuptas,

Omnis societas naturaliter fraudulentum socium refugit.

Gal. 5. 17.

Coniugalis pudicitia qua vera sit, quid requirat.

Psal. 27. 27

Vera pudicitia.

nuptas, non solùm vestalibus, sed etiam hæreticis virginibus anteponat? tantum valet fides de quâ dicit Apostolus, *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Et de qua item scriptum est ad Hebræos, *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Rom. 14. 23.
Heb. 11. 6.

CAPVT V.

QVæ cùm ità sint, profectò errant, qui cùm vituperatur libido carnalis, damnari nuptias opinantur, quasi morbus iste de connubio sit, non de peccato. Nonne illi coniuges primi quorum nuptias benedixit Deus dicens, *Crescite & multiplicamini*; *nudi erant, & non confundebantur*? Cur ergò ex illis membris confusio post peccatum, nisi quia extitit illic indecens motus? quem, nisi homines peccassent, proculdubio nuptiæ non haberent. An fortè sicut quidam existimant, quia id quod legunt parum diligenter advertunt, cæci creati erant priùs homines sicut canes; & quod est absurdius, non sicut canes crescendo, sed peccando adepti sunt visum? Absit hoc credere. Sed vnde moventur qui hoc putant, illud est quod legitur, *Sumens de fructu eius, edit, & dedit viro suo secum, & ederunt, & aperti sunt oculi amborum, & agnoverunt quia nudi erant.* Hinc est quòd parum intelligentes, opinantur anteà fuisse illis oculos clausos, quod eos tunc apertos divina scriptura testatur. Sed nunquid & Agar ancilla Saræ quando sitiente & plorante filio *aperuit oculos suos & vidit puteum*, clausos prius oculos habuit? Aut illi duo discipuli post resurrectionem Domini in via cum illo clausis oculis ambulabant, de quibus Evangelium loquitur, quod *in fractione panis aperti sunt oculi eorum, & agnoverunt eum*? Quod ergò scriptum est de hominibus primis, *Aperti sunt oculi amborum*: intelligere debemus, attentos factos ad intuendum & agnoscendum, quod novum in eorum corpore acciderat, quod vtique corpus patentibus eorum oculis † & nudum quotidie subiacebat, & notum. Alioquin quomodo ad se adductis animalibus terrestribus & volatilibus omnibus, Adam clausis oculis nomina posset imponere, quod nisi discernendo non faceret, discernere autem nisi videndo non posset? Quomodo denique ipsa mulier ei demonstrata est, quando ait, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*? Postremò si vsqueadeò quisquam fuerit contentiosus, vt hæc eum dicat non cernendo, sed palpando

Gen. 1. 28.
Ibid. 2. 25.

Pudoris in corpore humano unde.

Adã & Eua non sũt cæci creati.

Gen. 3. 6. & 7.

Ibid. 21. 19.

Luc. 24. 31. & 35.

Apertio oculorum in primis parentibus quid.

† *al ad nutum.*

Gen. 2. 23.

pando potuisse cognoscere, quid dicturus est quod ibi legitur, *mulier lignum*, de quo fuerat cibum sumptura, prohibitum, *vidisse quàm esset speciosum oculis ad videndum?* *Erant* itaque *nudi, & non confundebantur*, non quia non videbant, sed quia nihil vnde confunderentur in membris senserant, quæ videbant. Non enim dictum est, *Erant ambo nudi & ignorabant*: sed, *non confundebantur*. Quia enim nihil præcesserat quod non liceret, nihil secutum fuerat quod puderet.

Ibid. 3. 6.

Primi parentes cur non cõfundebantur.

Ibid. 2. 25.

CAPVT VI.

IBi enim homo primitus Dei lege transgressa, *aliam legem repugnantem sua menti* habere cœpit *in membris*, & inobedientiæ suæ malum sensit, quando sibi retributam dignissimè inobedientiam suæ carnis invenit. Talem quippe etiam serpens oculorum apertionem seducendo promiserat, ad aliquid videlicet sciendum, quod meliùs nesciretur. Tunc in se quippe sensit homo quid fecit: tunc à bono malum, non carendo sed perpetiendo discrevit. Iniustum enim erat vt obtemperaretur à servo suo, id est, à corpore suo, ei, qui non obtemperaverat Domino suo. Nam quid est quòd oculi, labia, lingua, manus, pedes, inflexiones dorsi, cervicis & laterum vt ad opera sibi congrua moveantur, positum in potestate est, quando ab impedimentis corpus liberum habemus & sanum: vbi autem ventum fuerit vt filii seminentur, ad voluntatis nutum membra in hoc opus creata, non serviunt, sed expectatur vt ea velut sui iuris libido commoveat, & aliquando non facit animo volente, cùm aliquandò faciat & nolente? Hincne non erubesceret humani libertas arbitrii, quod contemnendo imperantem Deum, etiam in membra propria proprium perdidisset imperium? Vbi autem convenientiùs monstraretur inobedientiæ merito depravatam esse humanam naturam, quàm in his non obedientibus locis vnde per successionem subsistit ipsa natura? Nam ideò proprie istæ corporis partes, naturæ nomine nuncupantur. Hunc itaque motum ideò indecentem quia inobedientem, cùm illi primi homines in suâ carne sensissent, & in suâ nuditate erubuissent, foliis ficulneis eadem membra texerunt, vt saltem arbitrio verecundantium velaretur, quod non arbitrio volentium movebatur; & quoniam pudebat, quod indecenter libebat, operiendo fieret quod decebat.

Rom. 7. 23.

In carnis sua inobedientiam qua iustitia homo inciderit.

Scientia boni & mali.

Pudor vndè in pudendis.

Motus indecens quia inobediens.

Gen. 3. 7.

CAP.

CAPVT VII.

QVia ergò nec isto adiuncto malo perire potuit nuptiarum bonum, putant imprudentes hoc non esse malum, sed pertinere ad illud bonum. Discernitur autem non solùm ratione subtili, verumetiam vulgatissimo iudicio naturali, quod & in illis apparuit hominibus primis, hodieque tenetur ab hominibus coniugatis. Quod enim illi posteà propagatione fecerunt, hoc est connubii bonum: quod verò priùs confusione texerunt, hoc est concupiscentiæ malum, quod vitat vbique conspectum, & quærit pudendo secretum. Proindè nuptiæ quia etiam de illo malo aliquid boni faciunt, gloriantur: quia verò sine illo fieri non potest, erubescunt: tanquam si quispiam pede vitiato, ad aliquod bonum etiam claudicãdo perveniat, nec propter claudicationis malum mala est illa perventio, nec propter illius perventionis bonum, bona est claudicatio: ità nec propter libidinis malum, nuptias condemnare, nec propter nuptiarum bonum, libidinem laudare debemus.

Libido mala, sed excusata per nuptias.

Simile de claudicatione.

CAPVT VIII.

1. Thes. 3. 4. & 5. ISte quippe est morbus de quo Apostolus etiam coniugatis fidelibus loquens ait, *Hæc est enim voluntas* DEI, *sanctificatio vestra, abstinere vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrûm suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in morbo desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum.* Non solùm igitur coniugatus fidelis vase non vtatur alieno, quod faciunt à quibus vxores alienæ appetuntur; sed nec ipsum proprium in concupiscentiæ carnalis morbo possidendum sciat. Quod non sic accipiendũ est, tanquam prohibuerit Apostolus coniugalem, hoc est, licitum honestumque concubitum: sed vt iste sit concubitus, qui nihil morbidæ libidinis haberet adiunctum, si non præcedente peccato in eo perisset libertatis arbitrium; quod nunc habet adiunctum, vt non sit voluntatis sed necessitatis, sine qua tamen in procreandis filiis ad fructum pervenire non potest ipsius voluntatis; quæ voluntas in connubiis fidelium non eo fine determinatur, vt * transituri filii nascantur in sæculo isto, sed vt permansuri renascantur in Christo. Quod si provenerit, merces erit de coniugio plenæ felicitatis: si autem

Quæ fidelium coniugum in cõgressu debeat esse voluntas.

* al. transitorij.

non provenerit, pax erit coniugibus bonæ voluntatis. Hîc intentione cordis qui *suum vas possidet*, id est, coniugem suã; proculdubio *non possidet in morbo desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deum:* sed *in sanctificatione & honore*, sicut fideles, qui sperant in Deum. Illo quippe concupiscentiæ malo vtitur nemo, non vincitur, quando eam inordinatis atque indecoris motibus æstuantem frenat & cohibet, neque nisi propagini consulens, relaxat atque adhibet, vt spiritaliter regenerandos carnaliter gignat, non vt spiritum carni sordida seruitute subiiciat. Sic patres sanctos ex Abraham & ante Abraham, quibus Deus quod ei placuerint perhibet testimonium, vsos fuisse coniugibus, neminem oportet dubitare Christianum; quando quibusdam etiam singulis plures habere concessum est, vbi ratio fuit prolis multiplicandæ, non variandæ appetitio voluptatis.

Concupisc. ẽtia malo vtendum, non succũbendũ.

Sancti Patres quomodo olim cõiugibus vsi.

CAPVT IX.

NAm si Deo patrum nostrorum, qui etiam noster est, illa numerositas coniugum propterea non displicuisset, vt copiosius se libido iactaret, ità etiam sanctæ fœminæ seruissent pluribus singulæ: quod si aliqua faceret, quid eam nisi concupiscentiæ turpitudo compelleret, vt plures viros haberet, quandò ista licentia plures filios non haberet? Veruntamen magis pertinere ad nuptiarum bonum, non vnum & multas, sed vnum & vnam satis indicat ipsa prima diuinitus facta coniugum copula, vt indè connubia sumerent initium, vbi honestius attenderetur exemplum. Progrediente autem genere humano, iunctæ sunt quibusdam bonis viris bonæ fœminæ, singulis plures. Vnde apparet & illud dignitatis magis appetisse modestiam, & hoc fœcunditatis permisisse naturam. Nam & principatus magis naturaliter vnius in multos, quàm in vnum potest esse multorum. Nec dubitari potest naturali ordine viros potiùs fœminis, quam viris fœminas principari. Quod seruans Apostolus ait, *Caput mulieris vir: & mulieres subditæ estote viris vestris*, Et Apostolus Petrus, *Quomodo Sara*, inquit, *obsequebatur Abrahæ, Dominum illum vocans.* Quod licet ità sese habeat, vt natura principiorum amet singularitatem, faciliùs autem pluralitatem videamus in subditis, tamen plures fœminæ vni viro nunquam licitè iunge-

Cur vni plures vxores aliquãdo, nunquam autem plures habere permissum maritos.

Principatus vnius in multos naturalior.

Naturali ordine vir fœminæ imperat; non contra.

Naturæ principiorũ singularitatem amat,

1. Cor. 11. 3. Col. 3. 18. 1. Pet. 3. 6.

iungerentur, nisi ex hoc plures filij nascerentur. Vnde si vna concumbat cũ pluribus, quia non est ei hinc multiplicatio prolis, sed frequentatio libidinis, coniunx non potest esse, sed meretrix.

CAVT X.

QVoniam sanè non tantùm fœcunditas, cuius fructus in prole est; nec tantùm pudicitia, cuius vinculum est fides; verumetiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis, vndè dicit Apostolus, *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam*: huius proculdubio sacramenti res est, vt mas & fœmina connubio copulati, quamdiu vivunt inseparabiliter perseverent, nec liceat *excepta causa fornicationis*, à coniuge coniugem dirimi. Hoc enim custoditur *in Christo & Ecclesiâ*, vt vivens cum vivente in æternum nullo divortio separetur. Cuius Sacramenti tanta observatio est *in civitate Dei nostri, in monte sancto eius*, hoc est, in Ecclesiâ Christi, quibusque fidelibus coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, vt cum filiorum procreandorum causa vel nubant fœminæ, vel ducantur vxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt alia fœcunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege huius sæculi, vbi interveniente repudio, sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia: quod etiam Sanctum Moysen Dominus propter duritiam cordis illorum, Israëlitis permisisse testatur: sed lege Evangelij reus est adulterij; sicut etiam illa si alteri nupserit. Vlqueadeò manent inter viventes semel inita iura nuptiarum, vt potius sint inter se coniuges, qui ab alterutro separati sunt; quàm cum his, quibus aliis adhæserunt. Cum aliis quippè adulteri non essent, nisi ad alterutrum coniuges permanerent. Denique mortuo viro cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest cum quo prius adulterium fuit. Ita inter viventes manet quoddam vinculum coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis non ad vinculum fœderis: sicut apostatæ anima velut de coniugio Christi recedens etiã fide perditâ Sacramentum fidei non amittit, quod *lavacro regenerationis* accepit: redderetur enim proculdubio redeunti, si ami-

Matrimonij indissolubile & vnde.

Col. 3.19. Eph. 5.25. Mat. 5.32. Eph. 5.32. Psal. 47.2. Mat. 19.8. Deut. 24.1. Mat. 19.9.

si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui recesserit ad cumulum supplicij, non ad meritum præmii.

CAPVT XI.

Coniugium verum inter Ioseph & Mariam.

QVibus verò placuit ex consensu, ab vsu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit vt inter illos vinculum coniugale rumpatur: imò firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiusque servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Ioseph, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Mat. 1. 20. Coniux vocatur ex primâ fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax máserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat nec futura erat vlla carnis commixtio. Erat quippè illa virgo ideò & sanctius & mirabilius iocunda suo viro, quia etiam fœcũda sine viro, prole dispar, fide cõpar. Propter quod fidele coniugium, parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non

Ioseph quomodo pater Christi.

solùm illa mater, verumetiam ille pater eius, sicut cõiunx matris eius, vtrumque mente, non carne. Sive tamen ille pater solâ mente, sive illa mater & carne, parentes tamen ambo humilitatis eius, non sublimitatis: infirmitatis, non divinitatis. Neque enim mentitur Evangelium, vbi legitur, *Et erant pater eius & mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.* Luc. 2. 33. Et alio loco: *Et ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem.* Ibid. 41. Item paulò post, *Et dixit mater eius ad illum, Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego, dolentes quærebamus te.* Ibidem 48. At ille vt ostenderet habere se præter illos patrem, qui eum genuit præter matrem, respondit eis, *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Ibidem 48. Et rursum, ne hoc dicto parentes illos negasse putaretur, Evangelista secutus adiunxit, *Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad illos, & descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Ibid. 49. 50. & 51. Quibus *subditus*, nisi parentibus? Quis autem *subditus* nisi Iesus Christus, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis* Deo? Phil. 2. 6. Cur ergò illis *subditus*, qui longè infra *formam Dei* erant, nisi quia *semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, cuius formæ parentes erant. Sed cùm illo Ibidem 7. non seminante illa peperisset, profectò nec ipsius *forma servi* paren-

parentes ambo essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione coniuges essent. Vnde & series generationum cùm parentes Christi connexione successionis commemorantur, vsque ad Ioseph potius sicut factum est, fuerat perducenda; ne in illo coniugio, virili sexui vtique potiori fieret iniuria, cùm veritati nihil periret, quia ex semine David, ex quo venturus prædictus est Christus, & Ioseph erat & Maria. Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium.

Mat. 1. 16. Luc. 3. 23.

Series generationū Christi, cur ad Ioseph deducatur.

In matrimonio Mariæ & Ioseph omnia fuere cōiugij bona.

CAPVT XII.

SOlus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine illâ carnis pudendâ concupiscentiâ, quæ accidit ex peccato, sine quâ concipi voluit, qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed *in similitudine carnis peccati*: vt hinc etiam doceret omnem quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati; quandoquidem sola quæ non inde nata est, non fuit caro peccati. Quàmvis coniugalis concubitus qui fit intentione generandi, non sit ipse peccatum; quia bona voluntas animi, sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis voluptatem, nec humanum arbitrium trahitur subiugante peccato, cùm iustè redigitur in vsum generandi plaga peccati. Huius plagæ quidam pruritus in adulteriorum & fornicationum & quorumlibet stuprorum atque immunditiarum fœditatibus regnat; in connubiorum verò necessitudinibus servit. Ibi de domino tali turpitudo damnatur, hic de pedissequo tali honestas verecundatur. Non est igitur hæc libido nuptiarum bonum, sed obscœnitas peccantium, necessitas generantium, lasciviarum ardor, nuptiarum pudor. Cur ergò non coniuges maneant qui ex consensu concumbere desinunt, si manserunt coniuges Ioseph & Maria, qui concumbere nec cœperunt.

Rom. 8. 3.

Omnis quæ de cōcubitu ā nascitur, caro est peccati.

Coniugalis concubitus intentione generandi, non est peccatum.

CAPVT XIII.

Veteres patres etiam generando Christum prophetarunt.

HÆc enim propagatio filiorum, quæ in sanctis patribus propter generandum & conservandum populum Dei, in quo prophetiam Christi præcedere oportuit, officiosissima fuit; nunc iam non habet illam necessitatem. Patet quippe iam ex omnibus gentibus spiritaliter gignendorum, vndecumque carnaliter nati fuerint, copia filiorum. Et quod

Post Christi adventũ continẽtiæ tempus est.

scriptum est, *Tempus amplectendi, & tempus continendi ab amplexu*; per illud atque hoc tempus agnoscitur distributum. Illud quippe fuit amplectendi, hoc autem continendi ab amplexu. Itaque & Apostolus cùm hinc loqueretur, ait, *Hoc autem dico fratres, tempus breve est, reliquum est ut & qui habent uxores tanquam non habentes sint, & qui flent tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt tanquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur: præterit enim figura huius mundi. Volo vos sine sollicitudine esse.* Hæc omnia vt exponendo aliquid hinc breviter dicam, sic existimo intelligenda. *Hoc*, inquit, *dico fratres, tempus breve est*, non adhuc populus Dei propagandus est generatione carnaliter, sed iam regeneratione spiritaliter colligendus. *Reliquum est* ergo, *vt & qui habent uxores* non carnali concupiscentiæ subiugentur: *& qui flent* tristitia præsentis mali, gaudeant spe futuri boni: *& qui gaudent* propter temporale aliquod commodum, timeant æternum iudicium: *& qui emunt*, sic habendo possideant vt amando non hæreant: *& qui utuntur hoc mundo* transire se se cogitent, non manere: *Præterit enim figura huius mundi. Volo vos*, inquit, *sine sollicitudine esse:* hoc est, volo *sursum cor* in his quæ non prætereunt, vos *habere*. Dein subiungit & dicit; *Qui sine uxore est, cogitat ea quæ sunt Domini, quomodo placeat domino: Qui autem matrimonio iunctus est, cogitat ea quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.* Atque ita quodammodo exponit quod suprà dixerat, *Qui habent uxores tanquam non habentes sint.* Qui enim sic *habent uxores, ut cogitent ea quæ sunt Domini, quomodo placeant Domino*, nec in his *quæ sunt mundi cogitent placere uxoribus*; *tanquam non habentes sunt.* Quod facilius fit, quandò & uxores tales sunt, vt eis mariti non ideò placeãt, quia divites, quia sublimes, quia genere nobiles, quia carne amabiles: sed quia fideles, quia religiosi, quia pudici, quia viri boni sunt.

Eccl. 3. 5.

1. Cor. 7. 29 & seq.

Ibid. 32. & 33.

Qui habeãt uxores, tãquam non habentes.

CAP.

CAPVT XIV.

VErùm in coniugatis, vt hæc optanda atque laudanda, sic alia toleranda sunt, ne in damnabilia flagitia, id est, in fornicationes, vel adulteria corruatur. Propter quod vitandum malum, etiam illi concubitus coniugum, qui non fiunt causa generandi, sed victrici concupiscentiæ seruiunt, in quibus iubeatur non *fraudare invicem, ne tentet eos Sathanas propter intemperantiam suam; non quidem secundum imperium* præcipiuntur, tamen *secundum veniam* conceduntur. Sic enim scriptum est, *Vxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite invicem fraudare, nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum ad idipsum estote, ne tentet vos Satanas propter intemperantiam vestram. Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium.* Vbi ergò venia danda est, aliquid esse culpæ nullâ ratione negabitur. Cùm igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui propriè nuptiis imputandus est, quid *secundum veniam* concedit Apostolus, nisi quòd coniuges dùm se non continent, debitum ab alterutro carnis expoſcunt, non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc sunt laudabiles nuptiæ, quia & illud quod non pertinet ad se, ignoſci faciunt propter se. Neque enim etiam iste concubitus quo seruitur concupiscentiæ sic agitur, vt impediatur fœtus, quem postulant nuptiæ.

Intẽperãtiæ quædam in coniugibus toleranda.

1 Cor. 7. 3. & seq.

Quid secũdum veniã coniugibus concedat Apostolus.

CAPVT XV.

SEd tamen aliud est non concumbere, nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam, aliud carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non præter coniugem, quod venialem habet culpam. Quia etsi non causa propagandæ prolis concumbitur, nec tamen huius libidinis causa propagationi prolis obsistitur, sive voto malo, sive opere malo. Nam qui hoc faciunt quamvis vocentur coniuges, non sunt, nec vllam nuptiarum retinent veritatem, sed honestum nomen

Qui propagationi prolis obsistunt, sterilitatem vel abortum procurant, filios exponunt: cõiuges sunt nomine, non veritate.
** aliquo modo.*

men velandæ turpitudini obtendunt. Produntur autem quando eò vsque progrediuntur, vt exponant filios, qui nascuntur invitis. Oderunt enim nutrire vel habere, quos gignere metuebant. Itaque cùm in suos sævit quos nolens genuit tenebrosa iniquitas, clarâ iniquitate in lucem promitur, & occulta turpitudo manifestâ crudelitate convincitur. Aliquando eò vsque pervenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam sterilitatis venena procuret; & si nihil valuerit, conceptos fœtus * aliquando intra viscera extinguat ac fundat, volendo suam prolem priùs interire quàm vivere; aut si in vtero iam vivebat, occidi antequam nasci. Prorsus si ambo tales sunt, coniuges non sunt. Et si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potiùs convenerunt. Si autem non ambo sunt tales, audeo dicere, aut illa est quodammodo meretrix mariti, aut ille adulter vxoris.

CAPVT XVI.

Pudenda concupiscentia ante peccatũ in paradiso non fuit.

QVia igitur tales nuptiæ esse non possunt, quales primorum hominum, si peccatum non præcessisset, esse potuerunt; sint tales quales sanctorum patrum fuerunt, vt pudenda carnis concupiscentia, quæ in paradiso nec ante peccatum fuit, nec post peccatum esse permissa est; quia necesse est in *corpore mortis huius* vt sit; non ei serviatur, sed ipsa potiùs non nisi ad propagandam prolem servire cogatur. Aut quia hoc *tempus*, quod iam esse diximus *continendi ab amplexu*, non habet huius officij necessitatem, adiacente vndique in omnibus gentibus tanta fertilitate gignendorum spiritaliter filiorum; illud potiùs excellentis continentiæ bonum, *qui potest capere capiat*. Qui verò *id capere* non *potest*, *si acceperit vxorem, non peccat*: & fœmina si se non continet, nubat. *Bonum est* enim *homini mulierem non tangere*. Verùm quia *non omnes capiunt verbũ hoc, sed quibus datum est*, restat vt *propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque virum suum habeat*: ac sic infirmitas incontinentiæ, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipiatur honestate nuptiarum. Quod enim ait Apostolus de fœminis, *Volo igitur iuniores nubere*: hoc & de maribus dici potest, volo iuniores vxores ducere: vt ad vtrumque sexum pertineat, *filios procreare*, patres & *matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia*.

Eccles. 3. 5.
Mat 19. 20.
1. Cor. 7. Ibid. 1. 28.
Mat. 19. 11
1. Cor. 7. 2.
1. Tim. 5. 14.

CAP,

CAPVT XVII.

IN nuptiis tamen bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum. Sed proles non vt nascatur tantùm, verumetiam vt renascatur. Nascitur namque ad pœnam, nisi renascatur ad vitam. Fides autem non qualem habent inter se etiam infideles zelantes carnem. Quis enim vir quamlibet impius vult adulteram vxorem? Aut quæ mulier quamlibet impia vult adulterum virum? Hoc in connubio bonum naturale est quidem, carnale tamen. Sed membrum Christi coniugis adulterium coniugi debet timere, non sibi; & à Christo sperare fidei præmium quam exhibet coniugi. Sacramentum verò, quod nec separari nec adulterari admittunt coniuges, qui concorditer castèque custodiunt. Solum est enim quod etiam sterile coniugium tenet iure pietatis, iam fœcunditatis spe amissa propter quam fuerat copulatum. Hæc bona nuptialia laudet in nuptiis, qui laudare vult nuptias. Carnis autem concupiscentia non est nuptiis imputanda, sed toleranda. Non est enim ex naturali connubio veniens bonum, sed ex antiquo peccato accidens malum.

Quidin Nuptijs bonum & laudandum.

CAPVT XVIII.

PRopter hanc ergò fit vt etiam de iustis & legitimis nuptiis filiorum dei, non filij Dei, sed *filij sæculi generentur*: quia & ij qui generant, si iam regenerati sunt, non ex hoc generant quòd filij Dei sunt, sed ex quo quod adhuc *filij sæculi*. Dominica quippè sententia est, *Filij sæculi huius generant & generantur*. Ex quo itaque sumus adhuc *filij sæculi huius*, *exterior homo noster corrumpitur*, ex hoc & *filij huius sæculi generantur*, nec filij Dei nisi regenerentur fiunt: sed ex quo sumus filij Dei, *interior de die in diem renovatur*, quamvis & *ipse exterior per lavacrum regenerationis* sanctificatus sit, & spem futuræ incorruptionis acceperit, propter quod & templum Dei meritò dicitur. *Corpora vestra*, inquit Apostolus, *templum in vobis spiritus sancti, quem habetis à Deo, & non estis vestri: Empti enim estis pretio magno glorificate ergò & portate Deum in corpore vestro* Hoc totum non solùm propter præsentem sanctificationem, sed maximè propter illam spem dictum est, de qua idem alio loco dicit

Quare è sancto conjugio nascantur filiæ iræ.

Luc. 20. 34.
1 Cor. 4. 16.
Ibidem.
Tit. 3. 5. & 7.
1. Cor. 6. 19. & 20.

co dicit, *Sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi in nobis-* Rom. 8. 23.
metipsis ingemiscimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Si ergò *redemptio corporis nostri* secundùm Apostolum *expectatur*, profectò quod expectatur, adhuc speratur, nondum tenetur. Vnde adiungit & dicit, *Spe enim* Ibidem 24. & 25.
salvi facti sumus: Spes autem quæ videtur, non est spes, Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. Non itaque per hoc quod expectamus, sed per hoc quod toleramus, carnales filij propagantur. Absit ergò vt fidelis homo, cùm audit ab Apostolo, *diligite vxores* Col. 3. 19.
vestras: concupiscentiam carnis diligat in vxore, quam nec
Non est in vxore diligenda carnis concupiscentia. in seipso debet diligere, audiens alterum Apostolum, *Nolite* 1. Ioann. 2.
diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt, quisquis dilexerit mun- 15. 16. &
dum, non est charitas patris in illo: quia omnia quæ in mundo sunt, 17.
concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum; & ambitio saculi, quæ non est a patre, sed ex mundo est. Et mundus transibit & concupiscentia eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum: sicut & Deus manet in æternum.

CAPVT XIX.

EX hâc igitur *cõcupiscẽtia carnis* quod nascitur; vtiq; mundo, non Deo nascitur. Deo autẽ nascitur, cũ *ex aqua & Spiritu* Ioan. 3. 5.
S. renascitur. Huius cõcupiscẽtiæ reatũ regeneratio sola dimittit, quẽ generatio trahit Ergò quod generatũ est regeneretur:
Olea & oleastri exẽplo intelligi potest quomodo ex iustis parentibus filij nascantur peccatores. quia non potest effici aliter vt quod tractũ est, remittatur. Vt enim quod dimissum est in parente, trahatur in prolem miris quidem modis fit, sed tamen fit. Hæc inuisibilia & infidelibus incredibilia, sed tamen vera, vt haberent aliquod visibile exemplum, hoc in quibusdam arbustis divina providentia procuravit. Cur enim non credamus propter hoc esse institutum, vt ex oliva nascatur oleaster? An credendum non est in aliqua re quæ creata est ad vsus hominum, creatorem providisse & instituisse, quod ad generis humani valeret exemplum? mirum est ergò quemadmodum à peccati vinculo per gratiam liberati, gignant tamen eodem vinculo obstrictos, quos eodem modo oporteat liberari: Fatemur, mirum est. Sed quòd latent fœtus oleastrorum etiam in seminibus olearum, quandò & hoc crederetur, nisi experientia probaretur? Proindè sicut gignitur ex oleastri semine oleaster, & ex o-

In rebus procreandis vidit Deus quæ ad rerum spiritualium valeant institutionem.

leæ

leæ semine non nisi oleaster, cùm inter oleastrum & oleam plurimuùm distet: ita gignitur & de carnepeccatoris, & de carne iusti * vtrinque peccator quamvis inter peccatorem & iustum plurimùm distet. Gignitur autem peccator actu adhuc nullus, & ortu novus, sed reatu vetus: homo à creatore, captivus à deceptore, indigens redemptore. Sed quæritur quomodò trahi possit captivitas prolis etiam de parentibus iam redemptis. Et quia non facili ratione indagatur, nec sermone explicatur, ab infidelibus non creditur: quasi & illud quod de oleastro & de olea diximus, vt generis dissimilis sit fœtus similis, facilè aliqua inveniat ratio vel explicet sermo. Sed hoc ab eo qui experiri voluerit, cerni potest. Sit ergò in exemplo, vnde & illud credatur quod cerni non potest.

* al. vtrumque.

CAPVT XX.

NOn enim fides dubitat Christiana, quam novi hæretici oppugnare cœperunt, & eos qui *lavacro regenerationis* abluuntur, redimi de potestate diaboli; & eos qui nondum tali regeneratione redempti sunt, etiam parvulos filios redemptorum sub eiusdem diaboli esse potestate captivos, nisi & ipsi eadem Christi gratia redimantur. Ad omnes namque pertinere non dubitamus ætates, illud de quo Apostolus loquitur beneficium Dei: *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suæ.* Ab hâc igitur *potestate tenebrarum*, quarum est diabolus princeps, id est, à potestate diaboli & angelorum eius, quisquis erui cùm baptizantur negaverit parvulos, ipsorum Ecclesiæ Sacramentorum veritate convincitur, quæ nulla hæretica novitas in Ecclesia Christi auferre vel mutare permittitur, regente atque adiuvante capite totum corpus suum, *pusillos cum magnis.* In veritate itaque non in falsitate potestas diabolica exorcizatur in parvulis: eique renunciant, quia per sua non possunt, per corda & ora gestantium, vt *eruti à potestate tenebrarum in regnum* sui domini *transferantur.* Quid ergò in eis est per quod in potestate diaboli teneantur, donec eruantur indè per Sacramentum Baptismatis Christi, quid est, nisi peccatum? Non enim aliud invenit diabolus, vnde possit humanam suo iuri mancipare naturam, quam bonam bonus auctor instituit. Nullum autem peccatum parvuli in sua vita

Etiam infantes non baptizatos esse in potestate diaboli.

Col. 1. 13.

Exorcismus in parvulis.

commiserunt proprium. Remanet igitur originale peccatum, per quod sub diaboli potestate captivi sunt, nisi inde *lavacro regenerationis* & Christi sanguine redimantur, & transeant in regnum redemptoris sui, frustrata potestate captivatoris sui, & *data potestate* qua *fiant* ex *filijs huius seculi filij* Dei. Ioan. 1. 12.

In bonis coniugij non esse ortum peccatum.

CAPVT XXI.

IAm nunc si quodammodò interrogemus bona illa nuptialia, vnde ab eis potuerit peccatum in parvulos propagari; respondebit nobis operatio propagandæ prolis, Ego in paradiso magis felix essem, si peccatum non fuisset admissum. Ad me namque pertinet illa benedictio Dei. *Crescite & multiplicamini.* Ad hoc opus bonum diversi sexus diversa membra sunt condita, quæ quidem ante peccatum iam erant, sed pudenda non erant. Respondebit pudicitiæ fides. Si peccatum non fuisset, quid me in paradiso securius esse potuisset, vbi nec stimularet mea, nec alterius me libido tentaret. Respondebit etiam connubij sacramentum. De me ante peccatum dictum est in paradiso, *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Quod *magnum sacramentum* dicit Apostolus *in Christo & in Ecclesia.* Quod ergò est *in Christo & in Ecclesia magnum*, hoc in singulis quibusque viris atque vxoribus minimum, sed tamen coniunctionis inseparabilis sacramentum. Quid horum est in nuptiis vnde peccati vinculum transiret in posteros? Nempè nihil. Et certè his tribus bonis perfectè se haberet bonitas nuptiarum, quibus bonis etiam nunc bonæ sunt nuptiæ.

Gen. 1. 28.

Ante peccatum membra nō erant pudenda.

Gen. 2. 24.

Eph. 5. 32.

CAPVT XXII.

POrrò autem si interrogetur illa *carnis concupiscentia*, qua pudenda facta sunt quæ priùs pudenda non fuerant, nonnè respondebit se in membris hominis esse post peccatum cœpisse? Et ideò *legem peccati* verbis Apostolicis nuncupatam, quòd hominem sibi subditum fecerit, quia Deo suo subditus esse noluit: seque esse de qua & primi coniugati tunc erubuerunt, quando pudenda texerunt, & nunc omnes erubescunt, quandò ad concumbendum secreta conquirunt, neque huius operis testes audent habere vel filios, quos inde genuerunt,

Libido & pudor ex peccato.

Lex peccati quid?

Rom. 7. 23.

Gen. 3. 7.

nuerunt. Cui verecundiæ naturali Cynicorum error philosophorum mirabili impudentia reluctatus est, quandoquidem hoc quoniam licitum esset honestumque cum coniuge palam faciendum esse censebant. Vnde meritò immunditia huius impudentiæ caninum nomen accepit. Ex hoc quippè Cynici nuncupati sunt. *Impudentia Cynicorum.*

CAPVT XXIII.

HÆc omninò concupiscentia, hæc *lex peccati habitans in membris*, cui lex iustitiæ vetat obedire, dicente Apostolo, *Non ergò regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediẽdũ desiderijs eius, neq; exhibeatis mẽbra vestra arma iniquitatis peccato.* Hæc, inquam, concupiscentia, quæ solo sacramento regenerationis expiatur, profectò peccati vinculum generatione traiicit in posteros; & nisi ab illo & ipsi regeneratione solvantur (Nam ipsa quidem concupiscentia iam non est peccatũ in regeneratis, quandò illi ad illicita opera non consentitur atque vt ea perpetrent, à regina mente membra non dantur: vt si non fit quod scriptum est, *Non concupiscas*; fiat saltem quod alibi legitur, *Post concupiscentias tuas non eas.* Sed modo quodam loquendi peccatum vocatur, quòd peccato facta est; & peccatum si vicerit, facit) reatus eius valet in generato. Quem reatum Christi gratia per remissionem omnium peccatorum in regenerato, si ad mala opera ei quodammodo iubenti non obediat, valere non sinit. Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, cùm iam in regeneratis non sit ipsa peccatum; sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua; & manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemq; sic vocatur peccatum, quia peccatum si vincit facit; sicut vocatur frigus pigrum, non quod à pigris fiat, sed quod pigros faciat. Hoc generi humano inflictum vulnus à diabolo, quicquid per illud nascitur, cogit esse sub diabolo tanquàm de suo frutice fructum iure decerpat: non quod ab illo sit natura humana, quæ non est nisi ex Deo, sed vitium quod non est ex Deo. Non enim propter seipsam quæ laudabilis est, quia opus Dei est; sed propter damnabile vitium quo vitiata est, natura humana damnatur. Et propter quod damnatur, propter hoc & damnabili diabolo subiugatur; quia & ipse diabolus spiritus immundus est, & vtique bonum quòd spiritus, malum.

Concupiscẽtia in regeneratis quãdo non ei prabetur consẽsus, nõ est peccatum.

Peccatum quo sensu hæc concupiscentia vocatur.

Rom. 6.12. & 13.

Exod. 20. 17.

Eccl. 18. 30.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

malum quòd immundus; quoniã ſpiritus eſt natura, immundus eſt vitio. Quorũ duorũ illud à Deo eſt, hoc ab ipſo. Non itaq; tenet homines ſive maioris, ſive infantilis ætatis propter quod homines ſũt, ſed propter quod immundi ſunt. Qui ergò miratur quia creatura Dei ſubditur diabolo, non miretur: ſubditur enim creatura Dei creaturæ Dei, minor maiori quia homo angelo; nec tamen propter naturam, ſed propter vitium, quia immundus immundo. Hic eſt fructus eius ex antiqua immunditiæ ſtirpe, quam plantavit in homine, maiores quidem pœnas vltimo iudicio, quanto eſt immundior ipſe paſſurus: verumtamen & quibus in illa damnatione tolerabilius erit, huic ſunt ſubditi velut principi authoriq́ peccati, quia nulla erit damnationis cauſa, niſi peccatum.

Diabolus grauius quam homines puniendus.

CAPVT XXIV.

Tradux libidinis.

QVapropter natos non ex bono quo bonæ ſunt nuptiæ, ſed ex malo concupiſcentiæ, quo benè quidem vtuntur nuptiæ, de quo tamen erubeſcunt & nuptiæ; reos diabolus parvulos tenet. Quia cùm ſint ipſæ *honorabiles in omnibus* ad eas propriè pertinentibus bonis, etiamſi *thorum habeant immaculatum* non ſolùm à fornicationibus & adulteriis, quæ ſunt flagitia damnabilia, verumetiam ab illis exceſſibus concumbendi, qui non fiunt cauſa prolis voluntate dominante, ſed cauſa voluptatis vincente libidine, quæ ſunt in coniugibus peccata venialia: tamen cùm ventum fuerit ad opus generandi ipſe ille licitus honeſtuſq́ concubitus, non poteſt eſſe ſine ardore libidinis, vt peragi poſſit quod rationis eſt, non libidinis. Qui certè ardor ſive ſequatur, ſive præveniat voluntatem non tamen niſi ipſe quodam quaſi ſuo imperio movet membra, quæ moveri voluntate non poſſunt: atque ita ſe indicat non imperantis famulum, ſed inobedientis ſupplicium voluntatis; nec libero arbitrio, ſed illecebroſo aliquo ſtimulo commovendum, & ideò pudendum. Ex hac concupiſcentia carnis, quæ licet in regeneratis iam non deputetur in peccatum, tamen naturæ non accidit niſi de peccato: ex hac, inquam, concupiſcentia carnis tanquàm filiâ peccati, & quando illi ad turpia conſentitur, etiam peccatorum matre multorum; quæcunq́ naſcitur proles, originali eſt obligata peccato, niſi in illo renaſcatur, quem ſine iſta concupiſcentia virgo concepit: propterea quando naſci eſt in carne dignatus, ſine peccato ſolus eſt natus.

Effrenitas libidinis.

Concupiſcentia carnis non eſt in regeneratis non ei conſentientibus peccatum.

CAP.

CAPVT XXV.

Quomodò remissio per baptismum peccatorum, adhuc remaneat in fidelibus carnis concupiscentia.

SI autem quæritur quomodò ista concupiscentia carnis maneat in regenerato, in quo vniversorum facta est remissio peccatorum, quandoquidem per ipsam seminatur, & cum ipsa carnalis gignitur proles parentis etiam baptizati: aut certè si in parente baptizato potest & esse & peccatū non esse, cur eadem ipsa in prole peccatum sit, ad hæc respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur. Quamvis autem reatu suo iam soluto, manet tamen donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente *renovatione interioris hominis de die in diem*; cùm exterior *induerit incorruptionem*: non enim substantialiter manet sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis sicut languor. Non ergò aliquid remanet quod non remittatur; cùm *fit* sicut scriptum est, *propitius Dominus omnibus iniquitatibus nostris*: sed donec fiat & quod sequitur, *Qui sanat omnes languores tuos, qui redimit de corruptione vitam tuam*; manet in *corpore mortis huius* carnalis concupiscentia. Cuius vitiosis desideriis ad illicita perpetranda non obedire præcipimur, *ne regnet peccatum in nostro mortali corpore*: quæ tamen concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus & continentibus accedente autem senectute multò maximè; qui verò ei nequiter serviunt, tantas in eis vires accipit, vt plerumque iam ætate deficientibus membris, eisdemque partibus corporis ad illud opus iam moveri minùs valentibus, turpiùs & procaciùs insanire non desinat.

2. Cor. 4. 16.
1. Cor. 15. 53.
Psalm. 102. 3.
Ibidem 4.
Rom. 6. 12.

Concupiscentia remanet post baptismum, velut languor post sanatum morbum.

Concupiscentia in proficientibus magisque minuitur.

Quomodò accendatur in eis qui ei serviunt.

CPVT XXVI.

Reatus peccati.

IN eis ergò qui regenerantur in Christo, cùm remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum; vtique necesse est, vt reatus etiam huius licet adhuc manentis concupiscentiæ remittatur, vt in peccatum, sicut dixi, non imputetur. Nam sicut eorum peccatorum quæ manere non possunt, quoniam cùm fiunt, prætereunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur, in æternum manebit; sic illius concupiscentiæ quandò remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim, non habere peccatum, reum non esse peccati. Nam si quisquam verbi gratia, fecerit

Peccatum non habere, quid?

fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterij, donec reatus ipsius in fulgentia remittatur. Habet ergò peccatum, quàmvis illud quod admisit iam non sit, quia cum tempore quo factum est, præterijt. Nam si à peccando desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret vt hoc nos moneret scriptura, *Fili peccasti, non adijcias iterùm*: Non autem sufficit, sed addidit, *Et de pristinis deprecare, vt tibi remittantur.* Manèt ergò, nisi remittantur. Sed quomodò manent, si præterita sunt; nisi quia præterierunt actu, manent reatu.

Duobus modis manent & præterierunt peccata actu & reatu.

Eccl. 21. 1.
Ibidem.

CAPVT XXVII.

SIc itaque fieri è contrario potest, vt etiam illud maneat actu, prætereat reatu. Agit enim aliquid concupiscentia carnis, & quãdo non exhibetur ei vel cordis assẽsus, vbi regnet; vel mẽbra velut arma quibus impleatur quod iubet: agit autẽ, quid nisi ipsa desideria mala & turpia? Non enim si bona & licita essent, eis obedire prohiberet Apostolus, dicens, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desiderijs eius.* Non enim ait, ad habenda desideria eius: sed, *ad obediendum desiderijs eius*: vt quoniam sunt in aliis maiora, in aliis minora, prout quisque in hominis interioris novitate profecerit, in hoc agonem iustitiæ pudicitiæque servemus, nec illis obediamus: vt tamen nec ipsa sint desideria, velle debemus, *etiamsi* in *corpore mortis huius* id obtinere non possumus. Hinc enim & alio loco idem Apostolus loquens velut ex suæ personæ introductione nos instruit, dicens; *Non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio*: id est, concupisco: quia & hoc nollet facere, vt esset omni ex parte perfectus. *Si autem quod nolo*, inquit, *hoc facio, consentio legi quoniam bona est*, quia hoc & illa non vult quod & ego *nolo*. Non vult enim vt concupiscam, quæ dicit, *Non concupisces*: & ego nolo concupiscere. In hoc itaq; consentiunt, voluntas legis, & mea, Verùm quia concupiscere nolebat, & tamen concupiscebat, sed eidem concupiscentiæ nequaquam consentiendo serviebat, adiunxit atque ait, *Nunc autem iam non ego operor illud, sed id quod inhabitat in me peccatum.*

Desideria mala turpia, illicita, concupiscẽtia.

Rom. 6. 12.

Vt non sint velle debemus.

Non vult lex vt concupiscam.

Rom. 7. 15.
Ibidem.
Exod. 20. 17.
Rom. 7. 17.

CAP.

CAPVT XXVIII.

MVltùm autem fallitur homo qui consentiens concupiscentiæ carnis suæ, & quod illa desiderat decernens facere & statuens, putat sibi adhuc esse dicendum, *non ego operor illud*, etiam si oderit, quia consentit. Simul enim est vtrunque, & ipse odit, quia malum esse novit; & ipse facit, quia facere statuit. Iam verò si & illud addat quod scriptura prohibet dicens, *Neque exhibueritis membra vestra arma iniquitatis peccato*; vt quod facere statuit in corde, etiam corpore compleat, & ideò dicat, *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*: quia cùm id decernit & facit, displicet sibi: tantum errat, vt nec seipsum agnoscat; quando cum ex toto ipse sit & corde statuente & corpore implente, adhuc seipsum esse non putat.

Non ego operor illud.

Rom. 6. 13.

Rom. 7. 17.

CAPVT XXIX.

QVi ergò dicit, *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*: si tantummodo concupiscit, verum dicit; non si cordis consensione decernit, aut etiam corporis ministerio perficit. Deinde adiungit Apostolus, *Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum: velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio*: hoc ideò dictum est, quia tunc perficitur bonum, quando desideria mala nulla sunt, sicut tunc perficitur malum, quando malis desideriis obeditur. Quando autem sunt desideria, sed non eis obeditur; nec malum perficitur, quia non eis obeditur, nec bonum, quia sunt: sed fit ex aliquâ parte bonum, quia concupiscentiæ malæ non consentitur; & ex aliquâ parte remanet malum, quia vel concupiscitur: ideò ergo Apostolus non ait facere *bonum sibi non adiacere*, sed *perficere*. Multùm enim boni facit, qui facit quod scriptum est. *Post concupiscentias tuas non eas*: sed non perficit, quia non implet quod scriptum est, *Non concupiscas*. Ad hoc ergò dixit lex, *Non concupisces*: vt nos in hoc morbo facere infirmi venientes, medicinam gratiæ quæreremus; & in eo præcepto sciremus, & quò debeamus in hâc mortalitate proficiendo conari, & quò possit à nobis in illâ immortalitate beatissima perveniri: nisi enim quandoque perficiendum esset, nunquam iubendum esset.

Quis dicere possit, iam non ego operor illud?

Rom. 7. 18.

Bonũ quãdo perficiatur.

Eccl. 18. Exod. 20. 17.

Vsus legis, non concupiscere.

CAPVT XXX.

DEinde repetens Apostolus vt amplius commendet sententiam superiorem: *Non enim quod volo,* inquit, *facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo ego hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Et sequitur, *Invenio ergo legem mihi volenti facere bonum, quoniam malum mihi adiacet*; hoc est, *invenio mihi legem esse bonum volenti facere* quod lex vult: quoniam non ipsi legi quæ dicit, *Non concupisces*, sed *mihi adiacet malum quod nolo*, quia & nolens concupisco. *Condelector enim*, inquit, *legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis.* Ista *condelectatio legi Dei secundum interiorem hominem*, de magnâ nobis venit gratiâ Dei. In eâ quippè *interior homo noster renovatur de die in diem*, cùm in eâ proficit perseveranter. Non enim timor est * torquens, sed amor libens. Ibi sumus veraciter liberi, vbi non delectamur inviti. Verùm illud quod ait, *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ:* ipsa ista est de quâ loquimur concupiscentia, *lex peccati in carne peccati.* Quod autem dixit, *& captivantem me sub lege peccati:* hoc est, sub se ipsâ *quæ est in membris meis.* Aut *captivantem* dixit, captivare conantem, id est, ad consentiendum implendumque cogentem, aut potiùs, quod non habet controversiam, *captivantem* secundùm carnem, quam nisi teneret carnalis concupiscentia, quam *legem peccati* vocat, non vtique in eâ vllum illicitum desiderium, cui mens obedire non debeat, commoveret. Quod autem non ait, *captivantem* carnem meam: sed, *captivantem me*: hinc factum est, vt sensus hic alius quæreretur: & acciperemus *captivantem* velut dixisset, captivare conantem. Sed cur non diceret, *captivantem me*, vbi vellet intelligi carnem suam? an non dictum est de Domino Iesu, cùm in monumento non fuisset inventa caro eius, *Tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum?* Num ideò non rectè dictum est, quia non dictum est, carnem vel corpus Domini mei, sed *Dominum meum?*

Rom. 7. 19. & 20.

Ibid. 22. & 23.

1. Cor. 2. 16

* al. torpens.

Veraciter liberi.

Rom.

Cupiscentia quo modo dicatur captivare.

Lex peccati Apostolo quid.

Ioan. 20. 13.

CAP.

CAPVT XXXI.

QVanquam paulò superiùs, & ipse Apostolus Paulus quomodo rectè potuerit de carne sua dicere, *captivantem*
Rom.7.18. *me*, satis evidenter aperuit. Cùm enim dixisset, *Scio enim quia non habitat in me*, idipsum exponens adiunxit, & ait, *hoc est in carne meâ bonum*: hæc ergò *captivatur sub lege peccati*, in qua non *habitat bonum*, hoc est, caro. Carnem autem nunc appellavit, vbi est morbidus quidam carnis affectus, non ipsam corporis
Rom.6.13. conformationem, cuius *membra non adhibenda sunt arma peccato*, id est, eidem ipsi concupiscentiæ, quæ hoc carnale nostrũ captivum tenet. Nam quantum attinet ad ipsam corporalem substantiam atque naturam in viris fidelibus, sive coniugatis, sive continentibus, iam *templum Dei* est: attamen si omnino nihil carnis nostræ captivum teneretur, non quidem sub diabolo, quia & ibi facta est peccati remissio, vt peccatum non imputetur, quod propriè *lex peccati* vocatur; tamen sub ipsâ *lege peccati*, hoc est, sub concupiscentiâ suâ: nisi aliquantum teneretur caro nostra captiva, quomodo esset verum quod
Rom.8.23. ait idem Apostolus, *Adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri?* In tantum igitur adhuc *expectatur redemptio corporis nostri*, in quantum adhuc ex aliquâ parte captivum
Rom.7.24. & 25. est *sub lege peccati*. Vnde & hic exclamans ait, *Infælix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per*
Sap.9.15. *Iesum Christum Dominum nostrum*. Vbi quid intellecturi sumus, nisi *quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam?* Cùm ergò idipsum corpus iam incorruptibile recipietur, plena erit liberatio à *corpore mortis huius*, à quo non liberantur qui sunt ad pœnam resurrecturi. Ad *corpus* ergò *mortis huius* intelligitur pertinere, vt *alia lex in membris re-*
Gal.5.17 *pugnet* quidem *legi mentis*, dùm *caro concupiscit adversus spiritum*, etsi mentem non subiuget, quia & *spiritus concupiscit adversus carnem*: atque ità quamvis *lex* ipsa *peccati* captivum teneat aliquid carnis, vnde resistat *legi mentis*; *non* tamen
Rom.6.12. *regnat in nostro* licet *mortali corpore*, si non *obediatur desideriis eius*. Solent enim & hostes adversus quos dimicatur, & inferiores esse in certamine, & victi aliquid tenere captivum: quod in nostrâ carne quàmvis *sub peccati lege* teneatur, tamen

Caro, carnis affectus.

in spe redemptionis est, quia ipsa vitiosa concupiscentia nulla omninò remanebit, caro autem nostra ab eâ peste morboque sanata, & totâ immortalitate vestita, in æternâ beatitudine permanebit. Subiungit autem Apostolus & dicit, *Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Quod sic intelligendum est, *mente servio legi Dei*, non consentiendo *legi peccati*, *carne autem servio legi peccati*, habendo desideria peccati, quibus etsi non consentio, nondum tamen penitus careo. Denique quid post hæc intulerit, attendamus: *Nulla ergò*, inquit, *condemnatio est nunc his, qui sunt in Christo Iesu.* Etiam *nunc*, inquit, quando *lex in membris repugnat legi mentis*, & captivum aliquid tenet in *corpore mortis huius*, *nulla condemnatio est iis qui sunt in Christo Iesu.* Audi quare, *Lex enim spiritus vitæ*, inquit, *in Christo Iesu liberavit me à lege peccati & mortis. Liberavit*, quomodo? nisi quia eius reatum peccatorum omnium remissione dissolvit; vt quàmvis adhuc maneat, & *de die in diem*, magis magisque minuatur, in peccatum tamen non imputetur.

Rom. 7. 25.

Rom. 8. 1.

Ibid. 2.

CAPVT XXXII.

Lex peccati in parvulis.

HÆc itàque remissio peccatorum, quamdiu non fit in prole, sic ibi est *lex* ista *peccati*, vt etiam in peccatum imputetur, id est, vt etiam reatus eius cum illo sit, qui eum teneat æterni supplicii debitorem. Hoc enim traiicit parens in prolem carnalem, quòd & ipse carnaliter natus, non quod spiritaliter est renatus: quia idipsum quòd carnaliter natus est, quàmvis reatu soluto non impediat fructum eius, tamen tanquam in semine olivæ latet, etiamsi propter remissionem peccatorum nihil oleo nocet: ei scilicet vitæ qua secundùm Christum, qui est appellatus ab oleo, id est, chrismate, *iustus ex fide vivit.* Hoc autem quod in parente regenerato tanquam in oleæ semine sine vllo reatu, quia remissum est, tegitur, profectò in prole nondum regeneratâ velut in oleastro cum reatu habetur, donec illic etiam eâdem gratiâ remittatur. Ex quo enim Adam ex oleâ tali in quâ nec semen erat huiusmodi, vnde amaritudo nasceretur oleastri, in oleastrum peccando conversus est, quia tam magnum peccatum fuit vbi magna in deterius fieret mutatio naturæ; totum

Rom. 1. 17.

Magnum, Ada peccatum.

totum genus humanum fecit oleastrum: ità vt (quemadmodum nunc in ipsis videmus arboribus) si quid inde in oleam gratia divina convertit, ibi vitium primæ nativitatis, quod erat originale peccatum de carnali concupiscentia traductum & attractum remittatur, tegatur, non imputetur: vnde tamen oleaster nascatur, nisi & ipse in oleam eadem gratia renascatur.

CAPVT XXXIII.

Psal. 31. 1. & 2. BEata itaque olea cuius *remissæ sunt iniquitates, & cuius tectæ sunt peccata.* Beata *cui non imputavit Dominus peccatum:* sed illud quod *remissum & tectum est & non imputatur*, donec fiat in æternam immortalitatem plena mutatio, habet vim quandam occultam, vnde seminetur amarus oleaster, nisi & illic eadem Dei agricultura remittatur, tegatur, non imputetur. Non erit autem omnino aliquid vel in carnali semine vitiosum, cum eadem regeneratione quæ nunc fit per sacrum lavacrum, vsque in finem cuncta mala hominis purgante atq; sanante eadem caro per quam facta est anima carnalis, fiat etiam ipsa spiritalis, nullam *legi membris* resistentem concupiscentiam carnis habitura, nihil carnalis seminis emissura. Sic Eph. 5. 25. 26. 27. enim accipiendum est quod ait idem Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo, vt exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi.* Sic, inquam, accipiendum est, vt eodem *lavacro regenerationis* & *verbo* sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur; non solùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posteriùs humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur: non vt baptisma quotiens peccatur totiens repetatur; sed quia ipso quod semel datur, fit vt non solùm anteà, verumetiam posteà quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodesset vel ante baptismum pœnitentia nisi baptismus sequeretur; vel posteà, nisi præcederet? In ipsa quoque dominicâ oratione, quæ quotidiana est nostra mun- Mat. 6. 12. datio, quo fructu, quo effectu diceretur: *Dimitte nobis debita nostra:* nisi ab eis qui baptizati sunt, diceretur? Itemque

Baptismi beneficio omnis quæ posteà per alia præstatur remediis, peccatorum remissio, plenaq; in resurrectione sanatio, & ab omnibus malis liberatio, accepta referri debet.

eleemosynarum largitas & beneficentia quantalibet cui tandem ad dimittenda sua peccata prodesset, si baptizatus non esset? Postremò regni cælorum ipsa felicitas, vbi *non habebit Ecclesia maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi*, vbi nihil reprehensionis, nihil simulationis erit, vbi non solùm reatus, sed nec concupiscentia erit vlla peccati, quorum erit, nisi baptizatorum? Luc. 11. 41.

CAPVT XXXIIII.

Baptismus non solum peccata omnia, sed mala prorsus omnia tollit; non tamen statim, sed suo tempore. Ecclesia nondum caret omni macula.

AC per hoc non solùm omnia peccata, sed omnia prorsus hominum mala, Christiani *lavacri* sanctitate tolluntur, quo *mundat Ecclesiam suam Christus, vt exhibeat eam sibi; non in isto seculo, sed in futuro non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi.* Nam qui modò eam talem esse dicunt, & tamen in illâ sunt, quoniam & ipsi fatentur se habere peccata; si verum dicunt, profectò quoniam mundi non sunt à peccatis, *habet* in eis *Ecclesia maculam.* Si autem falsum dicunt, quia corde duplici loquuntur, *habet* in eis *Ecclesia rugam.* Si autem se dicunt habere ista, non ipsam, ergò se non esse membra eius, nec se ad corpus eius pertinere fateantur, vt etiam suâ confessione damnentur. Eph. 5. 26. & 27.

CAPVT XXXV.

Carnis concupiscentiã velut naturale hominis bonum laudabant Pelagiani. Augustinus à B. Ambrosio Mediolanensi baptizatus. Isa. 53. extat.

DE hâc autem concupiscentiâ carnis quam curavimus à nuptialibus bonis tam prolixâ disputatione distinguere, propter novos hæreticos qui cùm hæc reprehenditur, calumniantur, quasi nuptiæ reprehendantur: vt scilicet eam tanquam bonum naturale laudando, suum pestiferum dogma confirment, quo asserunt prolem quæ per illam nascitur, nullum trahere originale peccatum. De hâc ergò carnis concupiscentiâ, beatus Ambrosius Mediolanensis Episcopus, cuius sacerdotali ministerio *lavacrum regenerationis* accepi, sic breviter est locutus, cùm exponens Esaiam Prophetam, carnalem Christi nativitatem insinuaret. *Ideò*, inquit, *& quasi homo per vniversa tentatus est, & in similitudine hominum cunctà sustinuit sed, quasi de spiritu natus abstinuit à peccato:* Heb. 4. 15.

Omnis

Psal. 115. *Omnis enim homo mendax, & nemo sine peccato nisi vnus Deus. Seruatum est igitur vt ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem nemo videatur expers delicti esse. Qui autem expers delicti, expers est etiam huiusmodi conceptionis.* Nunquidnã & sanctus Ambrosius nuptiarum bonitatem, ac non potius istorum hæreticorum quamvis tunc nondum apparentium vanitatem, huius sententiæ veritate damnavit? Quod ideò commemorandum putavi, quia Pelagius sic laudat Ambrosium, vt dicat: *Beatus Ambrosius Episcopus, in cuius præcipuè libris Romana elucet fides: qui scriptorum inter Latinos flos quidam speciosus enituit: cuius fidem & purissimum in scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere.* Pœniteat ergo eum quod sensit adversus Ambrosium, ne pœniteat eum quod sic laudavit Ambrosium. Habes librum & molestia longitudinis, & difficultate quæstionis, quàm mihi fuit ad dictandum, tam tibi ad legendum negotiosum, quibus particulis temporum te invenire potuit aut potuerit otiosum. Quem profectò quantum me Dominus adiuuare dignatus est, elaboratum inter Ecclesiasticas curas meas, non tibi ingererem inter publicas tuas, nisi ab homine Dei qui te familiarius novit audissem, quod tam libenter legas, vt etiam nocturnas aliquas horas lectioni vigilanter impendas.

lib. 3. pro arbitrio. libero

B. Ambrosius etiam à Pelagio laudatus.

Studijs Valerij Comitis.

D. AV-

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI AD VALERIVM COMITEM De nuptiis & concupiſcentia

Liber ſecundus.

Apologiam continet capitis 1. *libri ſuperioris.*

CAPVT I.

INTER militiæ tuæ curas & illuſtris perſonæ quam pro meritis geſtas, actuſque rei publicæ neceſſarios, fili dilectiſsime & honorande Valeri, tanto ſtudio te adverſus hæreticos in eloquia divina flagrare ſatis dici non poteſt quanta mentis iocunditate delecter. Itaque poſteaquam legi literas ſublimitatis tuæ, quibus de libro quem ad te ſcripſi gratias agis, ſed & admones vt per fratrem & coepiſcopum meum Alipium audiam, quid de quibuſdam locis eiuſdem libri hæretici diſputationis aſſumant; ad hoc ſcribendum excitatus ſum. Et quia non tantum relatu memorati fratris mei id didici, verumetiam prolatas ab eo chartulas legi, quas poſt eius de Ravenna profectionem Romam mittere ipſe curaſti: vbi adverſariorum potui vaniloquia reperire, ad ea reſpondere adiuvante domino quanta poſſum veritate & ſcripturarum divinarum authoritate propoſui.

CAPVT II.

CHartula cui nunc respondeo hoc titulo prænotatur. *Capitula de libro Augustini quem scripsit, contra quæ de libris pauca decerpsi.* Hic video eum qui tuæ præstantiæ ista scripta direxit, de nescio quibus ea libris, causa quantum existimo celerioris responsionis, ne tuam differret instantiam, voluisse decerpere. Qui autem sint isti libri cùm cogitarem, eos esse arbitratus sum, quorum mentionem Iulianus facit in Epistola quam Romam misit, cujus exemplum simul ad me usque pervenit. Ibi quippe ait: *Dicunt etiam istas quæ modò aguntur, nuptias à Deo institutas non fuisse, quod in libro Augustini legitur, contra quem ego modo quatuor libellis respondi.* Credo ex his libellis ista decerpta sunt: unde melùs fortasse fuerat ut universo ipsi operi ejus quod quatuor voluminibus explicuit, redarguendo & refellendo nostra laboraret intentio; nisi & ego responsionem differre noluissem; sicut nec tu trãsmissionem scriptorum, quibus respondendum est, distulisti. Verba ergò de libro meo tibi à me misso tibique notissimo ista posuit quæ refutare conatus est. *Damnatores nos esse nuptiarum operisq; divini, quo ex maribus & fœminis Deus homines creat, invidiosissimè clamitant: quoniam dicimus eos qui de tali commixtione nascuntur, trahere originale peccatum, eosq; qui de parentibus qualibuscunque nascantur, non negamus adhuc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo.* In his verbis meis testimonium Apostoli quod interposui pertermisi, cujus se opprimi magnâ mole sentiebat. Ego enim cùm dixissem homines natos trahere originale peccatum mox hoc intuli quod Apostolus ait: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransyt, in quo omnes peccaverunt:* quo testimonio, ut diximus prætermisso cætera ille contexuit, quæ suprà memorata sunt. Novit enim quemadmodum soleant hæc verba Apostolica quæ prætermisit accipere Catholicorum corda fidelium; quæ verba tam recta & tantâ luce fulgentia tenebrosis & tortuosis interpretationibus novi hæretici obscurare & depravare moliuntur. Deinde alia verba mea subtexuit, ubi dixi: *Nec advertunt quòd ita nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari; sicut adulteriorum & fornicationum malum bono naturali quod inde nascatur, non potest excusari. Nam sicut peccatum sive hinc sive inde trahatur, opus*

Quæ hoc libro Augustinus refutat, decerpta fuerunt à quopiam ex primo librorum quatuor Iuliani Pelagiani, quos scripsit contra superiorem Augustini librum de Nuptijs & Concupiscentia.

Vide lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 5. Id fecit postea cum scripsit adversus Iulianum lib. 6.

Rom. 5. 12.

Verba Augustini ex lib 1. de nup. & concup. cap. 1. quæ à calumnijs è Iuliani libris excerptis sequens opus vindicatur expugnanda susceptis.

Ibidem.

est diaboli, sic homo sive hinc sive inde nascatur opus est Dei. Etiam hic ea prætermisit, in quibus aures catholicas timuit. Nam ut ad hæc verba veniretur, suprà dictum erat à nobis: *Hoc ergò quia dicimus quod antiquissima atque firmissima Catholica fidei regula continetur, isti novelli & perversi dogmatis assertores, qui nihil peccati esse in parvulis dicunt, quod lavacro regenerationis abluatur, tanquam damnemus nuptias, & tanquam opus Dei, hoc est, hominem, qui ex illis nascitur opus diaboli esse dicamus, infideliter vel imperitè calumniantur.* His ergò nostris prætermissis, sequuntur illa nostra quæ posuit, sicut suprà dictum est. In his itaque quæ prætermisit hoc timuit, quia cuncta Ecclesiæ Catholicæ pectora convenit, fidemque ipsam antiquitùs traditam atque fundatam, clarâ quodammodo voce compellat, & adversus eos vehementissimè permovet quod diximus, *quia nihil peccati esse in parvulis dicunt, quod lavacro regenerationis abluatur.* Omnes enim ad Ecclesiam non propter aliud cum parvulis currunt, nisi ut in eis originale peccatum generatione primæ nativitatis attractum, regeneratione secundæ nativitatis expietur. Deinde ad nostra superiora verba revertitur, quæ nescio cur repetat. *Eos autem qui de tali commixtione nascuntur, dicimus trahere originale peccatum; eosq; qui de parentibus quibuscunque nascantur, non negamus adhuc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo.* Hæc verba nostra, & paulò antè jam dixerat. Deinde subjungit, quod de Christo diximus, *qui de eadem sexus utriusque commixtione nasci noluit.* Sed etiam hic prætermisit quod ego posui, *ut per eius gratiam de potestate tenebrarum eruti, in regnum illius, qui ex eadem sexus utriusque commixtione nasci noluit, transferantur.* Vide obsecro te, quæ nostra verba vitavit tanquam inimicus omninò gratiæ Dei, quæ venit per IESVM Christum Dominum nostrum. Scit enim ab illa Apostoli sententia, qua dixit de Deo Patre: *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suæ*; improbissimè & impijssimè parvulos separari, ideò procul-dubio verba ista prætermittere quàm ponere maluit. Post-hæc illud nostrum posuit, ubi diximus: *Hæc enim quæ ab impudentibus impudenter laudatur pudenda concupiscentia, nulla esset, nisi homo antè peccasset; nuptiæ verò essent, etiam si nemo peccasset: fieret quippè sine isto morbo seminatio filiorum.* Hucusque verba mea ille posuit. Timuit enim quod adjunxi, *in corpore vitæ illius, sine quo nunc fieri non potest in corpore mortis huius.* Et hic ut meam sententiam non finiret, sed eam quodammodò detruncaret,

Rom. 7. 25.
Col. 1. 13.

Rom. 7. 24. & 25. caret, illud Apostoli testimonium formidavit, ubi ait: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per* IESVM *Christum Dominum nostrum.* Non enim erat *corpus mortis huius* in paradiso ante peccatum, propter quod diximus in corpore vitæ illius, quæ ibi erat, sine isto morbo seminationem fieri potuisse filiorum, sine quo nunc in *corpore mortis huius* fieri non potest. Vt autem ad istam commemorationem humanæ miseriæ & divinæ gratiæ veniret Apostolus, suprà dixerat: Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Post hæc autem verba exclamavit: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per* IESVM *Christum Dominum nostrum. In corpore* igitur *mortis huius*, quale in paradiso ante peccatum non fuit, profectò non erat *alia Lex in membris nostris repugnans legi mentis nostræ*: quia & quando nolumus, & quando non consentimus, nec ei membra nostra ut impleat quod appetit, exhibemus, habitat tamen in eis, & mentem resistentem repugnantemque sollicitat: ut ipse conflictus etiam si non sit damnabilis; quia non perficit iniquitatem, sit tamen miserabilis, quia non habet pacem. Satis igitur admonuerim, sic istum verba mea velut refellenda sibi proponere voluisse, ut alicubi medijs detractis, sententias interrumperet; alicubi extremis non additis decurtaret; & cur hoc fecerit, sufficienter ostenderim.

Concupiscentiæ dominatus.

Hæ sunt hæreticorum artes fraudesq;

CAPVT III.

NVnc ad ea quæ sicut voluit, nostra proposuit; quæ sua opposuerit, videamus. Sequuntur enim jam verba ejus; & sicut iste insinuavit, qui tibi chartulam misit, prius aliquid de præfatione conscripsit, procul-dubio librorum illorum, de quibus pauca decerpsit. Id autem ita sese habet: *Doctores*, inquit, *nostri temporis frater beatissime, & nefaria quæ adhuc fervet seditionis authores, ad hominum quorum sanctis studys uruntur, contumelias & exitium decreverunt per ruinam totius Ecclesiæ pervenire; non intelligentes quantum his contulerint honoris, quorum offenderunt gloriam nisi cum Catholica Religione non potuisse convelli. Nam si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Celestianus & Pelagianus vocatur. Ne igitur vocentur hæretici, fiunt Manichæi; & dum falsam verentur infamiam, verum*

Respondet verbis quibusdam decerptis ex libro rum Iuliani præfatione.

crimen incurrunt instar ferarum, quæ circumdantur pinnis, ut cogantur in retia. Quibus quoniam deest ratio, in verum exitium vana formidine contrudantur. Non est ita ut loqueris, quicunque ista dixisti, non est ita, multùm falleris, vel fallere meditaris, non liberum negamus arbitrium: sed, *Si vos filius liberaverit*, ait veritas, *tunc vere liberi eritis.* Hunc vos invidetis liberatorem, quibus captivis vanam tribuitis libertatem. *A quo enim quis devictus est*, sicut dicit Scriptura, *huic servus addictus est*: nec quisquam nisi per gratiam liberatoris isto solvitur vinculo servitutis à qua est hominum nullus immunis. *Per unum* quippe *hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Sic est ergo Deus nascentium conditor, ut omnes *ex uno* eant *in condemnationem*, quorum non fuerit renascentium liberator. Ipse quippe dictus est *figulus, ex eadem massa faciens aliud vas in honorem* secundùm misericordiam, *aliud in contumeliam* secundum judicium, cui cantat Ecclesia; *Misericordiam & judicium.* Non itaque sicut te atque alios fallens loqueris, *si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cœlestianus & Pelagianus vocatur*, ista quippe Catholica fides dicit. Sed si quis ad colendum rectè Deum, sine ipsius adjutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium; & quisquis ita dicit Deum nascentium conditorem, ut parvulorum neget à potestate diaboli redemptorem; ipse Cœlestianus & Pelagianus vocatur. Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem, utriq; dicimus, non hinc estis Cœlestiani & Pelagiani: liberum autem quenquam esse ad agendum bonum sine adjutorio Dei; & non *erui* parvulos *à potestate tenebrarum, & sic transferri in regnum Dei*, hoc vos dicitis; hinc estis Cœlestiani & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen, unde vobis inditum est nomen: atque ut nefario vocabulo terreas imperitos, dicis: *Ne igitur vocentur hæretici, fiunt Manichæi?* Audi ergò breviter quid in ista quæstione versetur. Catholici dicunt humanam naturam à creatore Deo bono conditam bonam, sed peccato vitiatam Christo medico indigere. Manichæi dicunt humanam naturam non à Deo conditam bonam peccatoque vitiatam, sed ab æternarum principe tenebrarum de commixtione duarum naturarum, quæ semper fuerunt, una bona & una mala, hominem creatum.

Ioan.8. 36.

2.Pet.2.19.

Rom.5. 12.

Rom.9. 21.

Psal.100.

Col.1.13.

Ostendit Catholicos originale peccatum asserentes; à Manichæo procul abesse.

Pelagia-

Pelagiani & Celeſtiani dicunt naturam humanam à bono Deo conditam bonam, ſed ita eſſe in naſcentibus parvulis ſanam, ut Chriſti non habeant neceſſariam in illa ætate medicinam. Agnoſce igitur in tuo dogmate nomen tuum, & Catholicis à quibus confutaris, deſine objicere & dogma & nomen alienum. Nam veritas utroſque redarguit, & Manichæos & vos. Manichæis enim dicit: *Non legiſtis, quia qui ab initio fecit hominem, maſculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una: itaque iam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Ita quippe oſtendit & hominum conditorem, & conjugum copulatorem Deum, adverſus Manichæos, qui utrumque horum negant. Vobis autem dicit: *Venit filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat.* Sed vos egregij Chriſtiani reſpondete Chriſto: *Si quod perierat quærere & ſalvare veniſti*, ad parvulos non veniſti: iſti nec perierant, & ſalvi nati ſunt: vade ad majores, de verbis tuis tibi præſcribimus: *Non eſt opus ſanis Medicus, ſed male habentibus.* Ita fit, ut Manichæus qui homini commixtam dicit eſſe naturam malam, velit inde ſaltem ſalvari à Chriſto animam bonam. Tu verò in parvulis, cùm ſalvi ſint corpore, nihil à Chriſto ſalvandum eſſe contendis. Ac per hoc Manichæus quidem naturam humanam deteſtabiliter vituperat, ſed tu crudeliter laudas. Quicunque enim tibi crediderit laudatori, infantes ſuos non offeret ſalvatori. Tam ſcelerata ſentienti, quid tibi prodeſt non metuere? Quin tibi ſit ſut ſalubriter metuas, & te hominem facis eſſe non beſtiam quæ circundatur pinnis ut cogatur in retia? Opus erat ut veritatem teneres ejuſque ſtudio non timeres: nunc verò ita non times, ut ſi timeres evaderes potius retia maligni, quàm incurreres. Mater Catholica ideò te terret, quia & tibi & alijs à te timet, & ſi per filios ſuos in aliqua poteſtate poſitos agit ut timeas, non id agit crudelitate, ſed charitate. Tu autem vir fortiſſimus timere homines ignavum putas; Deum ergò time, & noli antiqua fidei Catholicæ fundamenta conari tanta obſtinatione ſubvertere: quanquam iſte tuus animus animoſus utinam ſaltem in hac cauſa homines timeret, utinam inquam, ſaltem paveret ignavia potius, quàm periret audacia.

Matth. 19. 4. & 5. Gen. 1. 27. Gen. 2. 24. Eph. 5. 31.

Luc. 19. 10.

Matt. 9. 12.

Pelagiani crudeliter humanam naturam laudant.

Iam enim excommunicatus erat Cœleſtius cũ Pelagio: & legem contra eos Honorius Imperator tulerat.

CAPVT IV.

Refutat reliquas ex ordine calumnias

VIdeamus & cætera quæ connectit. Sed quid faciam, utrũ singula ejus proponam, quibus respondeam: an eis prætermissis, quæ Catholica fides continet, ea sola pertractem atque confutem, in quibus à tramite veritatis exorbitat, & hæresim Pelagianam tanquam venenosa virgulta, fruticibus catholicis conatur inserere. Hoc quidem certè brevius est, sed prospiciendum arbitror, ne quisquam libro meo lecto, & non lectis omnibus, quæ ab illo dicta sunt, existimet ea me proponere noluisse, ex quibus ista ejus pendent, & ex quibus quasi consequenter vera esse monstrantur, quæ falsa redarguo. Non itaque pigeat utraque huic opusculo nostro indita; & ea scilicet quæ illi dixit, & ea quæ ipsi respondeo, universa attendere & considerare lectorem. Quæ sequuntur ergo, ita prænotavit, qui tuæ dilectioni chartulam misit. *Contra eos*, inquit, *qui nuptias damnant, & fructus earum diabolo assignant.* Non igitur contra nos qui neque nuptias damnamus, quas etiam in ordine suo debitâ prædicatione laudamus: nec earum fructus diabolo assignamus; nuptiarum quippe fructus homines sunt, qui ordinatè inde generantur, non peccata cum quibus nascuntur. Nec ideo sunt homines sub diabolo, quia homines sunt, ubi sunt fructus nuptiarum, sed quia peccatores sunt, ubi est propago vitiorum; Diabolus enim culpæ author est, non naturæ. Attende cætera quibus se existimat adversus nos hoc præmisso titulo consonare. *Deus*, inquit, *qui Adam ex limo fuerat fabricatus, Evam construxit è costa, & dixit: Hæc vocabitur vita, quoniam mater est omnium viventium.* Non quidem ita scriptũ est; sed quid ad nos? Solet enim accidere ut memoria fallat in verbis, dum tamen sententia teneatur in libris: nec enim Evæ nomen ut appellaretur vita, Deus imposuit, sed maritus. Sic enim legitur: *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ vita, quoniam ipsa est mater omnium viventium.* Sed hoc ita fortassis intellexerit, ut Deus per Adam nomen illud Evæ imposuisse credatur, tanquam per Prophetam: Nam in hoc quòd appellata est *vita materq; viventium*, magnum est Ecclesiæ sacramentum, unde nunc differere longum est, & suscepto operi non necessarium. Nam & illud quod dixit Apostolus: *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia*: ipse Adam

Homo, nuptiarum est fructus.

Gen. 2, 22.

Quod Eva appellata sit vita, magnũ est Ecclesiæ Sacramentũ.

Gen. 3. 20.

Eph. 5 32.

Gen.2.24. Matt. 19. 4. & 5. Adam dixit: *Propter hoc relinquet homo matrem & patrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Quod tamen Dominus in Euangelio Deum dixisse commemorat, quia Deus utique per hominem dixit, quod homo prophetando prædixit. Ergo quæ sequuntur intuere: *Prima*, inquit *compellatione cui operi parata esset, ostendit & dixit: Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Quis enim nostrûm negat ad opus pariendi à Domino Deo creatore omnium bonorum bono præparatam fuisse mulierem? Adhuc vide quid adjungat: *Deus igitur*, inquit, *maris creator, & fœmina conuenientia generationibus membra formauit, & gigni corpora de corporibus ordinauit, quorum tamen efficientia potentia Dei operationis intervenit, omne quod est ea administrans virtute qua condidit.* Etiam hoc esse catholicum confitemur. Et quod deinde subjungit: *Si igitur*, inquit, *non nisi per sexum fœtus, non nisi per corpus sexus, non nisi per Deum corpus, quis ambigat fœcunditatem Deo iure reputari?* Post hæc quæ veraciter & catholicè dicta sunt, imò in divinis libris veraciter scripta, non autem ab isto catholicè dicta sunt, quia non intentione catholici pectoris dicta sunt, jam propter quod ea dixit, Pelagiana & Cælestiana hæresis incipit introduci. Namque attende quod sequitur: *Tu verò*, inquit, *qui dicis eos qui de parentibus qualibuscunque nascuntur, non negamus adhuc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo: ostende ergo nunc quid suum diabolus cognoscat in sexibus, per quod fructum eorum, ut dicis, iure possideat. Diversitatem sexuum? sed hæc in corporibus est, quæ Deus facit. Commixtionem? sed non minus benedictionis quàm institutionis privilegio vindicatur. Vox enim Dei est: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Vox Dei est: Crescite & multiplicamini, & replete terram. An fortè ipsam fœcunditatem? sed ipsa est instituti causa coniugij.*

Gen.2.24. Gen. 1. 28.

Quod catholicâ intentione non dicitur, catholicè non dicitur.

CAPVT V.

VIdes igitur quemadmodum nos interroget, quid suum diabolus cognoscat in sexibus, per quod sub illo sint, qui de parentibus qualibuscunque nascuntur, nisi renascantur in Christo: utrùm diversitatem sexuum dicamus ad diabolum pertinere, an commixtionem, an ipsam fœcunditatem. Respondemus itaque, nihil horum: quia & diversitas sexuum pertinet ad vasa gignentium; & utriusque commixtio ad semi-

nationem

nationem pertinet filiorum; & ipsa fœcunditas ad benedictionem pertinet nuptiarum. Hæc autem omnia ex Deo: sed iste in his omnibus noluit nominare *concupiscentiam carnis, quæ non est à patre, sed ex mundo est*, cujus mundi princeps dictus est diabolus: qui eam in domino non invenit quia dominus homo non per ipsam ad homines venit: unde dicit eam ipse: *Ecce venit princeps hujus mundi, & in me nihil inveniet*: nihil utique peccati, nec quod à nascente trahitur, nec quod à vivente additur. Hanc iste noluit nominare in his omnibus, quæ commemoravit naturalibus bonis, de qua etiam nuptiæ confunduntur, quæ de his bonis omnibus gloriantur. Nam quare illud opus conjugatorum subtrahitur & absconditur etiam oculis filiorum, nisi quia non possunt esse in laudanda commixtione, sine pudenda libidine? De hac erubuerunt etiam qui primi pudenda texerunt, quæ priùs pudenda non fuerunt, sed tanquam Dei opera prædicanda atque glorianda. Tunc ergò texerunt quando erubuerunt; tunc autem erubuerunt quando post inobedientiam suam inobedientia membra senserunt. De hac erubuit etiam iste laudator. Commemoravit enim sexuum diversitatem, commemoravit commixtionem, commemoravit fœcunditatem; illam verò commemorare verecundatus est. Nec mirum si pudet laudantes, quod videmus ipsos pudere generantes. Sed adjungit, & dicit: *Per quid igitur sub diabolo sunt, quos Deus fecit?* Sibique veluti ex nostra voce respondet: *Per peccatum*, inquit, *non per naturam.* Deinde nostræ responsioni suam referens: *Sed ut non potest*, inquit, *sine sexibus fœtus, ita nec sine voluntate esse delictum.* Ita verò, ita est. *Sicut enim per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransit, in quo omnes peccaverunt.* Per unius illius voluntatem malam, *omnes in eo peccaverunt*, quando omnes ille unus fuerunt, de quo propterea singuli peccatum originale traxerunt. *Dicis enim*, inquit, *ideo illos esse sub diabolo, quia de sexus utriusque commixtione nascuntur?* Dico planè propter delictum eos esse sub diabolo: ideo autem expertes non esse delicti, quia de illa commixtione sunt nati, quæ sine pudenda libidine non potest etiam quod honestum est operari. Dixit hoc etiam beatissimæ memoriæ Ambrosius Ecclesiæ Mediolanensis Episcopus, cùm Christi carnalem nativitatem ideò diceret expertem esse delicti, quia conceptus ejus utriusque sexus commixtionis est expers, nullũ autem

Priùs pudenda non fuerunt. — Gen. 3. 7.

1. Joan. 2. 16.

Joan. 14. 30.

Rom. 5. 12.

In Adam peccante omnes unus homo fuimus.

Causa transfusionis originalis peccati.

autem hominum esse sine delicto, qui de illâ commixtione
Esa. 53. conceptus est. Nam eius verba ista sunt: *Ideo*, inquit, *& quasi homo per vniversa tentatus est, & in similitudine hominum vncta*
Psal. 115. 2. *sustinuit; sed quasi de spiritu natus, abstinuit à peccato. Omnis enim homo mendax, & nemo sine peccato: nisi vnus Deus. Servatum est igitur*, inquit, *vt ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers delicti, expers est etiam huiusmodi conceptionis.* Nunquid etiam istũ ò Pelagiani & Cœlestiani audebitis dicere Manichæum quod eum dicebat esse Iovinianus hæreticus, contra cuius impietatem vir iste sanctus etiam post partum permanentem virginitatem sanctæ Mariæ defendebat? Si ergò illum Manichæũ dicere non audetis; nos cùm in eâdem causâ, eâdem sententiâ fidem catholicam defendamus, cur dicitis Manichæos aut si & illum fidelissimum virum hoc secundum Manichæos sapuisse iactatis; iactate, iactate, vt mensuram Loviniani perfectiùs impleatis: nos cum illo homine Dei patienter vestra maledicta & convitia sustinemus: & tamen hæresiarches vester Pelagius fidem & purissimum in scripturis sensum sic laudat Ambrosii, vt dicat ne inimicum quidem eum ausum esse reprehendere. Quò ergò progressi fueritis attendite, & vos ab ausibus Loviniani tandem aliquando cohibete, quàm vis ille nimis laudando nuptias, sanctæ illas virginitati adæquavit; & tamen nuptiarum fructibus ab vtero etiam recentibus Christum salvatorem, & de potestate diaboli redemptorem non negavit necessarium; quod vos negatis. Et quia vobis pro eorum salute, qui nondum pro se loqui possunt, & pro fidei catholicæ fundamentis reliquimus, Manichæos nos esse iactatis. Sed iam sequentia videamus.

Ambrosius in Esaiæ.

Ambrosium Iovinianus hæreticus Manichæũ ausus est appellare. Vide epistolam Ambrosii 81.

Iovinianus nuptias æquabat virginitati.

CAPVT VI.

RVrsus quippe interrogans dicit: *Quem igitur parvulorum confiteris authorem? Deum verumè* Respondet, *Deum verum.* Deinde ille subiungit: *Sed malum ille non fecit.* Ac rursus interrogat, *vtrùm diabolum parvulorum confiteamur authorem.* Rursusque respondet, *sed naturam hominis ipse non condidit.* Deindè quasi concludit atque infert: *Si mala commixtio deformis etiam conditio corporum; & ideò corpora quoque malo à te deputantur authori.* Cui respondeo, malo authori non deputo corpora, sed delicta, quorum causâ factum est, vt cùm in corporibus, hoc

est, in Dei operibus, totum placeret, acciderit tamen masculo & fœminæ quod puderet, vt non esset commixtio qualis esse potuit in corpore vitæ illius, sed qualem videmus erubescentes in *corpore mortis huius.* *Deus verò*, inquit, *diuisit in sexu, quod in operatione coniungeret. Ab ipso igitur commixtio corporum à quo est origo corporum.* Iam suprà respondimus hæc ex Deo esse, sed non delictũ, non membrorũ inobedientiã per *carnis concupiscentiã, quæ non est à patre.* Deindè dicit: *Tot ergo rerũ bonarum, id est, corporum, sexuum, coniunctionum malos fructus esse non posse, nec homines ob hoc à Deo fieri vt à diabolo, sicut dicis*, inquit, *legitimo iure teneantur.* Iam dictum est non eos ideo teneri, quia homines sunt, quod naturæ nomen est, cuius author diabolus non est, sed quia peccatores sunt, quod culpæ nomen est, cuius diabolus author est.

Pudor, ex peccato.

1. Ioan. 2. 16.

CAPVT VII.

SEd inter tot nomina bonarum rerum, id est, corporum, sexuum, coniunctionum, libidinem vel *concupiscentiam carnis* iste non nominat, Tacet, quia pudet: & mira (si dici potest) pudoris impudentia, quod nominare pudet, laudare non pudet. Denique vide quemadmodum magis eam circumloquendo maluerit significari, quam dicere. *Postquam autem vir*, inquit, *naturali appetitu cognouit vxorem*, ecce iterum dicere noluit, carnis concupiscentiã cognouit vxorem: sed *naturali*, inquit, *appetitu*: vbi adhuc possumus intelligere ipsam voluntatem iustam & honestam, quâ voluit filios procreare; non illam libidinem, de quâ iste sic erubescit, vt ambiguè nobis loqui malit, quàm perspicuè quod sentit exprimere. Quid est *naturali appetitu?* An non & velle esse salvuum, & velle ipsos suscipere, nutrire, erudire filios, naturalis est appetitus, idemque rationis est, non libidinis? Sed quia huius novimus intentionem, ideò non eum putamus his verbis, nisi libidinem membrorum genitalium significare voluisse: nònne tibi videntur hæc verba folia esse ficulnea, sub quibus latet quid aliud quàm id quod pudet? Ita quippè iste sibi circumlocutionis huius obstacula, sicut illi succinctoria consuerunt, contexit & dicit: *Postquàm autem vir naturali appetitu cognouit vxorem, dicit scriptura diuina: Concepit Eva, & peperit filium, & vocauit nomen eius Cain. Sed quid*, inquit, *dicit Adam, audiamus: Acquisiui hominem*

Gen. 3. 7.

Gen. 4. 1.

Cõcupiscẽtiã laudare Pelagianes non pudet, quãvis tamen nominare pudet.

Naturalis appetitus nõ omnis malus, nec inhonestus.

Naturalis appetitus nomine, cõcupiscentiã intelligit Iulianus.

per.

per Deum. Vnde constat opus Dei esse, quem per Deum acquisitum scriptura divina testatur. Quis hinc dubitet? quis hoc neget, maximè catholicus Christianus? opus Dei est homo. Sed *carnis concupiscentia*, sine quâ, si peccatum non præcessisset tranquillæ voluntati obedientibus sicuti cætera membra genitalibus, seminaretur homo, *non est à patre, sed ex mundo est.* Verùm nunc obsecrote, paulò attentius intuere, quod nomen novum invenerit quo rursus operiret, quod erubescit aperire. *Generat enim eum*, inquit, *Adam potentiâ membrorum, non diversitate meritorum.* Quid dixerit diversitatem meritorum, fateor, non intelligo: sed potentiam membrorum, credo, illud voluit dicere, quod pudet evidenter dicere; maluit enim dicere membrorũ potentiam, quâ *carnis concupiscentiã*. Planè etiã si non cogitavit, significavit aliquid quod ad rem pertinere videatur. Quid enim potentius membris hominis, quandò non serviunt voluntati hominis? Quæ tametsi frenentur temperantiâ vel continentiâ vius eorũ aliquantum, motus tamen eorum non est in hominis potestate. Genuit ergo Adam filios hâc, vt iste dicit, *membrorum suorum potentiâ*, de quâ priusquàm illos gigneret, erubuit post peccatum. Si autem non peccasset, non eos genuisset membrorum potentiâ, sed membrorum obedientiâ. Ipse quippè esset potens, vt eis subiectis voluntate imperaret, si potentiori & ipse subiectus eâdem voluntate serviret.

Sine carnis concupiscẽtiæ generatio fieret, si non præcessisset peccatum.

Effrenitas concupiscẽtiæ.

Ante peccatum Adam genuisset membrorũ obedientiâ.

CAPVT VIII.

Gen. 4. 25. POst aliquanta iterùm dicit scriptura divina, inquit: *Cognovit Adam Evam vxorem suam, & concepit & peperit filium, vocavitq; nomen eius Seth, dicens: Suscitavit mihi Dominus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Deinde addit & dicit, *ad documentum instituti coitus, ipsum semen divinitas dicitur excitasse.* Non intellexit homo iste quod scriptum est: putavit enim ad hoc esse dictum: *Suscitavit mihi Dominus semen aliud pro Abel*, vt crederetur Deus illi excitasse libidinem coëundi, cuius motu excitaretur semen, vt gremio fœminæ possit infundi. Nescit non esse ob aliud dictum, *excitavit mihi semen*: nisi, dedit mihi filium. Denique hoc Adam non dixit post coitum suum quo semen emisit, sed post coniugis partum, quo filium Deo donante suscepit. Nam quæ gratulatio est, nisi fortè libidinosorum & suum vas in morbo concupiscentiæ, quod vetat Apostolus, possidentium;

Semen pro filio.

si semen extremâ coëundi voluntate fundatur, nec sequatur conceptus aut partus, vbi nuptiarum verus est fructus? Neque hoc ideò dixerim, quod alius putandus sit præter summum & verum Deum vel humani seminis, vel ipsius hominis creator ex semine: sed hoc tranquillâ de homine obedientiâ membrorum ad nutum voluntatis exisset, si peccatum nõ præcessisset. Neque nunc agitur de naturâ seminis humani, sed de vitio. Illa quippè habet authorem Deum, ex isto autem trahitur originale peccatum. Nam si semen ipsum nullum habet vitiũ, quid est quod scriptũ est in libro Sapientiæ: *Nonignorans quoniam nequam est natio illorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum: semen enim illorum erat maledictum ab initio?* Nempè de quibuscunque dicat ista, de hominibus dicit: Quomodo est ergò cuiuslibet hominis *malitia naturalis & semen maledictum ab initio*; nisi ad illud respiciatur, quòd *per vnum hominem peccatum intravit mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt?* Cur autem hominis mala cogitatio non potest *in perpetuum mutari*; nisi quia per seipsam non potest, sed si gratia divina subveniat; qua non subveniẽte quid sunt homines, nisi quod ait Apostolus Petrus, *velut muta animalia procreata naturaliter in captivitate & interitu?* Vndè vno loco Paulus Apostolus vtrumque commemorans, & iram Dei cum quâ nascimur, & gratiam quâ liberamur: *Et nos omnes*, inquit, *aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & affectionum, & eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Deus autem qui dives est in misericordia propter propter multam dilectionem qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cuius gratiâ sumus salvi facti.* Quid est ergò *malitia naturalis* hominis, & *semen maledictum ab initio, & procreati naturaliter in captivitatẽ & interitum, & natura filij iræ*? Nunquid in Adam natura ista sic condita est? Absit. Sed quia in illo vitiata sic per omnes iam naturaliter cucurrit & currit, vt ab hac perditione non liberet, nisi *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.*

De vitiâ seminis trahitur originale peccatum.

Gratiâ non subveniente quid sint homines.

1. Thes. 4.

Sap. 12. 10. & 11.

Rom. 5. 12.

1. Pet. 2. 12.

Ephes. 2. 3. 4. & 5.

Rom. 7. 25.

CAPVT IX.

QVid est ergò quòd iste adiungit & dicit de Noe & filiis eius, quòd *similiter benedicti sint vt Adam & Eva, dicente Deo: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius*: quibus Dei verbis addit sua dicens: *Voluptas ergò ista,*

Gen. 9. 1. & 2.

quam

quam tu diabolicam vis videri, iamin suprà dictis coniugibus habebatur, quæ vt institutione bona, ita etiam benedictione permansit? Non enim dubitatur de hâc ad Noe & ad filios eius corporum commixtione dictum, cuius iam vsus inoleverat: Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Non opus est eadem multis verbis repetere. De vitio hic agitur, quo est depravata natura bona, cuius vitij author est diabolus, non de naturæ ipsius bonitate, cuius author est Deus: qui neque ab ipsâ vitiatâ depravatáque naturâ suam abstulit bonitatem, vt auferret hominum fœcunditatem, vivacitatem, sanitatem, ipsamque substantiam animi & corporis sensus atque rationem, alimenta, nutri-

Mat. 5. 45. menta, incrementa, : *qui etiam facit oriri solem suum super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*, & quicquid boni est naturæ hum anæ à Deo bono etiam in illis hominibus est, qui non liberabuntur à malo. Voluptatem tamen iste & hic dixit, quia potest voluptas & honesta esse; non dixit carnis concupiscentiam vel libidinem quæ pudenda est: sed in consequentibus aperuit verecundiam suam nec dissimulare potuit ab eo, quod violenter ipsa natura præscripsit. *Et illud*, inquit,

Gen. 2. 24. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vnâ.* Et post hæc verba Dei, sua ipse subiungens, *vt exprimeret*, inquit, *fidem operum, propheta prope periculum pudoris accessit.* O aperta prorsus & vi veritatis extorta confessio! Propheta ergò vt exprimeret fidem operum, prope periculum pudoris accessit, quia dixit: *Erunt duo in carne vnâ*; vbi commixtionem maris & fœminæ intelligi voluit. Dicatur causa, cur in exprimendis operibus Dei, propheta prope periculum pudoris accesserit. Itane verò humana opera pudenda esse non debent sed planè glorianda; & divina pudenda sunt? Itane verò in eloquendis & exprimendis operibus Dei, non honoratur Prophetæ vel amor vel labor, sed periclitatur pudor? Quid enim potuit Deus facere, quod eius prædicatorem pudeat dicere? Et quod est graviùs, pudeat hominem alicuius operis, quod non homo, sed Deus fecit in homine; cùm omnes opifices quanto possunt labore & industriâ id agent, ne de suis operibus erubescant? Sed profectò illud nos pudet, quod puduit primos illos homines quandò pudenda texerunt. Illa est pœna peccati, illa plaga vestigiumque peccati, illa illecebra fomesque peccati, illa *lex in membris repugnans legi mentis*, illa ex-

Voluptas honesta esse potest: concupiscentia & libido pudenda est.

Quid non pudeat.

nobisipsis adversus nosipsos inobedientia iustissimo reciprocatu inobedientibus reddita; huius nos pudet, & meritò pudet. Nam si hoc non esset, quid nobis esset ingratiùs, quid irreligiosius, si in membris nostris, non de vitio vel de pœnâ nostrâ, sed Dei confunderemur operibus?

CAPVT X.

Dicit etiam iste multa frustrà de Abraham & Sarâ, quomodo ex repromissione acceperint filium, & tandem concupiscentiam nominat: non tamen addit carnis, quia ipsa pudenda est. In concupiscentiæ autem nomine aliquandò gloriandum est, quia est & concupiscentia spiritus adversus carnem, est & concupiscentia sapientiæ. Ait ergò: *Certè hanc concupiscentiam, sine qua nulla fœcunditas est, malum naturaliter definisti; vnde ergo per donum cœleste in senibus excitatur? Astrue iam hoc si potes, ad opus diaboli pertinere, quod Deum vides conferre pro munere.* Ita hoc dicit, quasi concupiscentia carnis antè defuerit illis, & hanc eis donaverit Deus, quæ proculdubio inerat in *corpore mortis huius:* sed fœcunditas defuit, cuius author est Deus, & ipsa donata est quando voluit Deus. Absit autem vt dicamus, quod nos putavit esse dicturos, Isaac sine concubitus calore generatum.

Abraha & Sara non defuit concupiscentia carnis: sed fœcunditas.

Gal. 5. 17. Sap. 6. 23.

CAPVT XI.

Sed ipse iam dicat, quare interiret anima eius de genere suo, si circumcisus die non esset octavo; quid ipse peccasset, quid offendisset Deum, vt de alienâ in se negligentiâ tam severâ sententiâ puniretur, si nullum esset originale peccatum? De circumcidendis enim Deus sic mandavit infantibus: *Masculus qui non circumcidetur carne præputii sui octavo die, disperiet anima eius de genere suo, quia testamentum meum dissipavit.* Dicat iste, si potest, quomodo puer iste testamentum Dei dissipavit octo dierum, quantum ad ipsum propriè attinet innocens infans; & tamen nullo modo Deus vel scriptura sancta id mendaciter diceret? Tunc ergò dissipavit testamentum Dei non hoc de imperatâ circumcisione, sed illud de ligni prohibitione, quando *per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt:* & hoc in illo significabatur expiari

Gen. 17. 14.

Quodnam Dei testamentum infans recens natus dissipavit.

Rom. 5. 12.

ri cir-

ri circumcisione octavi diei, hoc est, sacramento *mediatoris* in carne venturi: quia per eandem fidem venturi in carne Christi, & morituri pro nobis, & tertio die, qui post septimum sabbathi fuerat futurus octavus, resurrecturi, etiam iussu salvabantur antiqui. *Traditus est* enim *propter delicta nostra, &* Rom. 4. 25. *resurrexit propter iustificationem nostram.* Ex quo enim instituta Ibid. 11. est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc *signaculum iustitiæ fidei*, ad significationem purgationis valebat & parvulis originalis veterisque peccati; sicut & baptismus ex illo valore cœpit ad innovationem hominis, ex quo est institutus. Non Rom 4. 10. & 11. quod ante circumcisionem iustitia fidei nulla erat. Nam cùm adhuc esset in præputio, ex fide iustificatus est ipse Abraham pater gentium, quæ fidem ipsius fuerant sectaturæ. Sed superioribus temporibus omnimodo latuit sacramentum iustificationis ex fide; eadem tamen fides *mediatoris* salvos iustos faciebat antiquos *pusillos cum magnis*, non vetus Testamentum Gal. 4. 24. quod *in servitutem generat*; non *lex* quæ *non sic est data, quæ* Gal. 3. 21. *posset vivificare*; sed *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Rom. 7. 25. Quia sicut credimus nos Christum in carne venisse, sic illi venturum. Sicut nos mortuum, ita illi moriturum. Sicut nos resurrexisse, ità illi resurrecturum. Et nos verò & illi ad iudicium mortuorum vivorumque venturum. Non ergò iste humanam malè defendendo impediat à salute naturam, quia omnes sub peccato nascimur, & per vnum solum, qui sine peccato natus est, liberamur.

Antiqui iustificati, per Christi fidem salvati.

Circumcisio ad quid valuerit.

Eadem quæ nos fide, veteres patres iustificati.

CAPVT XII.

ISta, inquit, *corporum commixtio cum calore, cum voluptate, cum semine à* DEO *facta, & pro suo modo laudabilis approbatur, qua aliquando etiam amplum efficitur munus piorum.* Dixit *cum calore*, dixit *cum voluptate*, dixit *cum semine*, non tamen dicere ausus est cum libidine: Quare? nisi quia nominare erubescis, quam laudare non erubescit? munus autem piorum propagatio est fœcunda filiorum, non commotio pudenda membrorum, quam non haberet in generandis filiis natura sana, nunc autem habet eam natura vitiata. Ac per hoc & qui inde nascitur indiget renasci, vt sit membrum Christi: & de quo nascitur si iam renatus est, indiget liberari ab eâ, quæ in *corpore mortis huius est, lege peccati.* Quæ cùm ità sint, quomodo adiungit & dicit:

Libido pudenda.

dicit: *Confitearis ergo necesse est, originale quod finxeras, interisse peccatum?* Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitùs: sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus hæreticus. Sub diabolo autem sunt iudicio Dei omnes cum peccato generati, si non fuerint in Christo regenerati.

CAPVT XIII.

SEd quia de Abraham loquebatur & Sarâ, subiunxit atq; ait: *Quod si dixeris, vsus in eis vigebat, & fœtus non erat. Respondebo, quem conditor promisit, conditor dedit; non concubitus, sed Dei opus est qui nascitur. Qui enim primum hominem fecit ex pulvere, omnes fabricatur ex semine. Sicut ergo tunc limus, qui assumptus est, materia, non author fuit hominis: ita nunc vis illa voluptatis confectrix, commixtrixque seminum, non explet operationis vicem, sed de thesauris naturæ offert Deo, vnde ille hominem dignetur operari.* Gen. 2. 7. Hæc omnia quæ dixit, excepto quod ait, à voluptate semina confici atq; misceri, rectè diceret si in eis catholicum sensum defendere niteretur. Quia verò scimus quid ex his moliatur efficere, profectò dicit etiam recta perversè. Illud itaque quo excepto cætera vera esse non abnuo, ideo non est verum, quia voluptas illa concupiscentiæ carnalis non conficit semina, sed ea quę iam sunt in corporibus à vero Deo condita; à quo ipsa conduntur & corpora, non fiunt à voluptate, sed excitantur & emittuntur cum voluptate. Vtrùm autem vtriusq; sexus semina in muliebri vtero cum voluptate misceantur, viderint fœminæ quid in secretis visceribus sentiant: nos non decet inaniter vsque ad ista esse curiosos. Libido tamen illa erubescenda, vnde pudenda ipsa appellata sunt membra, non fuit in corpore vitæ illius, quæ in paradiso fuit ante peccatum; sed cœpit esse in *corpore mortis huius* retributa inobedientia inobedientiæ post peccatum. Sine quâ libidine poterat opus fieri coniugum in generatione filiorum, sicut multa opera fiunt obedientiâ cæterorum sine ullo ardore membrorum, quæ voluntatis nutu moventur, non æstu libidinis concitantur. Attende cætera. *Hoc etiam*, inquit, *Apostoli confirmat authoritas. Cùm enim beatus Paulus de resurrectione mortuorum loqueretur, ait: Insipiens, tu quod seminas non vivificatur. Et infrà: Deus autem illi dat corpus prout vult, & vnicuique seminum proprium corpus. Si ergo Deus*, inquit, *humano semini, quod nemo negat vel pru-*

A libidine erubescendâ pudenda sũt appellata membra.

1. Cor. 15. 36. & 38.

prudentum vel piorum, proprium ſicut omnibus rebus corpus attribuit, vnde quemquam reum natum probabis? Tandem oro reſpicias quibus laqueis peccati naturalis ſuffocetur aſſertio. Verùm age, inquit, *tecum, precor, mitiùs: Mihi crede, etiam ſe Deus fecit; ſed quod faſtendum eſt, grauis error inſecit. Quid enim poteſt prophaniùs dici, quam quod Deus hominem aut non fecerit, aut vt dicis diabolo fecerit; aut*
Gen. 20. 2. *certè diabolus Dei ſit imaginem, hoc eſt, hominum fabricatus; quod*
Ibid. 3. *non minus ſtultum dignoſcitur eſſe, quam impium? Ergo tam inops,* inquit, *tam inverecundus Deus eſt, vt non habuerit, quod in præmium ſanctis hominibus daret, niſi quod deceptis diabolus infudit initio. Vis autē ſcire quod etiam in his, qui ſancti non ſunt, hanc generationum potentiam Deus tribuiſſe probetur? Eo igitur tempore cùm Abraham*
Ibid 4. & 5. *metu percuſſus gentis Barbaræ, Saram quæ vxor erat, ſororem ſuam dixit, refertur Abimelech Rex illius prouinciæ abduxiſſe eam in noctis*
Ibid. 16. & 14. *vſum. Sed Deus cui cura erat honor ſanctæ mulieris, in ſomnis Abimelech veniens regiam frenavit audaciam, comminatus interitum, ſi pergeret violare coniugium. Tunc Abimelech ait: Nunquid domine*
Ibid. *gentem ignorantem & iuſtam perdes? Nonne ipſi dixerunt ſe germanitate coniunctos? Surrexit ergo mane Abimelech, & accepit mille didrachmas argenti, & oves, & vitulos, & pueros, & ancillas, & dedit Abrahæ, atque a ſe mulierem remiſit intactam. Oravit vero Deum*
Ibid. 18. *Abraham pro Abimelech, & ſanavit Deus Abimelech, & vxorem, & ancillas eius.* Cur autem hæc tantâ prolixitate narraverit, accipe breviter in his quæ ſecutus adiunxit: *Deus* inquit, *orante Abraham curavit potentia diſpenſationis ſecreta, qua amota eſt verendis vilium fœminarum, quia clauſerat Deus à foris omnem vulvam in domo Abimelech. Vide ergo,* inquit, *vtrùm naturaliter malum dici poteſt, quod interdum aufert exaſperatus Deus, reddiſque placatus? Ipſe,* inquit, *facit & piorum filios & impiorum; quoniam quod fiunt parentes, ad naturam pertinet, quæ Deo gaudet authore: quod autem impij ſunt, ad ſtudiorum prauitatem, qua vnicuique de liberâ voluntate contingit.*

CAPVT XIIII.

HIs omnibus quæ tam multa dixit, reſpondemus: nihil divinis teſtimoniis, quæ interpoſuit, eſſe dictum de pudendâ libidine, quam dicimus non fuiſſe in corpore beatorū,
Gen. 2. 25. quando *nudi erant, & non confundebantur.* Nam primum illud Apoſtoli de feminibus dictum eſt frumentorum, quæ priùs

moriuntur vt vivificentur. Quam sententiam scilicet Apostolicam, quo consilio nescio, noluit iste complere: nam eam hucusque commemoravit: *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur.* Apostolus autem addidit: *nisi prius moriatur.* Sed iste quantum existimo, quod de frumentis dictum est, de humano semine accipi voluit ab eis qui hæc legunt, & Scripturas sanctas, vel nesciunt, vel non recordantur. Denique non solùm istam sententiam decurtavit, vt non adderet, *nisi prius moriatur*; verumetiam sequentia prætermisit, vbi aperuit Apostolus de quibus seminibus loqueretur. Ait enim Apostolus: *Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum † farris, tritici, aut alicuius caterorum.* His prætermissis iste contexuit, quod deindè dicit Apostolus: *Deus autem illi dat corpus prout vult, & vnicuique seminum proprium corpus*: tanquam de concumbente homine dixerit Apostolus: *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur*: vt intelligeremus non ab homine concubitu filios seminante, sed à Deo vivificari semen humanum. Sic enim fuerat prælocutus, *quia voluptas illa non explet operationis vicem, sed de thesauris naturæ offert Deo, vnde ille hominem dignetur operari.* Et subiunxit testimonium, quasi hoc dixerit Apostolus: *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur* hoc est, à te *non vivificatur*, sed Deus hominem de tuo semine operatur: tanquam ab Apostolo media illa quæ prætermisit iste, non dicta sint, atque ità se habeat eius sententia, velut de humano semine loqueretur: *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, Deus autem illi dat corpus prout vult, & vnicuique seminum proprium corpus.* Denique post hæc Apostoli verba sic infert sua: *Si ergò Deus*, inquit, *humano semini, quod nemo negat vel prudentium vel piorum, proprium sicut omnibus rebus corpus attribuit*, quasi Apostolus de humano semine in illo testimonio sit locutus. De quâ fraude quid adiuvaretur eius intentio cùm aliquantò attentiùs cogitarem, nihil potui reperire, nisi quia testem voluit adhibere Apostolum quo probaret Deum, quod & nos dicimus, de humanis seminibus hominem operari. Et cùm ei testimonium nullum occurreret, isto abusus est fraudulenter, timens vtique ne fortè si appareret Apostolum non de humanis seminibus, sed de frumentis illa dixisse, hinc admoneremur, vnde refutaretur non religiosæ voluntatis, sed libidinosæ voluptatis pudens nominator, & impudens prædicator. De ipsis quippe seminibus, quæ in agris agricolæ semi-

1. Cor. 15. 36.

Ibid. 37.

Ibid. 38.

nant,

nant, potest ipse redargui. Cur enim non credamus Deum potuisse in paradiso concedere homini beato de suo semine, quod concessum videmus agricolis de tritici semine: vt eo modo sereretur illud sine vllâ pudendâ libidine, ad voluntatis nutum membris obsequentibus genitalibus: sicut hoc seritur sine vllâ pudendâ libidine, ad voluntatis nutum agricolarum obsequentibus manibus, honestiore in parentibus gignendorum desiderio filiorum, quàm est in arantibus implendorum horreorum: ac deindè creator omnipotens: * incommutabili vbiq; præsentia & creatrice potentia de seminibus hominum provt vellet, quod & nunc facit, operaretur in fœminâ, sicut de seminibus frumentorum provt vult operatur in terrâ; beatis matribus sine libidinosâ voluptate concipientibus, sine ærumnoso gemitu parientibus: quandoquidem in illâ fœlicitate & in *corpore* nondum *mortis huius*, sed vitæ illius non esset fœminis in excipiendis seminibus quod puderet, sicut non esset in edendis fœtibus, quod doleret? Quisquis autem, non credit, vel credi non vult, hominibus ante omne peccatum in illâ paradisi fœlicitate versantibus hoc potuisse Dei voluntate & benignitate concedi, non optandæ fœcunditatis laudator, sed pudendæ voluptatis amator est.

Generatio filiorum ĩta peccatis nõ fuit pudendâ libidine.

* *Incõmutabili.*

CAPVT XV.

ITem aliud ex libro divino testimonium quod posuit de Abimelech, & Deo volente clausâ omni vulvâ in domo eius, ne mulieres eius parerent, atque apertâ rursus vt parerent quid ad rem pertinet? quid habet de illâ pudendâ libidine, de quâ nunc quæstio est? Nunquid ipsam Deus detraxit illis fœminis, reddiditque cùm voluit? Sed pœna fuit vt parere non possent, beneficium verò vt parere possent more huius corruptibilis carnis. Non enim tale beneficium Deus conferret *corpori mortis huius*, quale non haberet, nisi corpus vitæ illius in paradiso ante peccatum, vt & conceptus proveniret sine libidine pruriente, & partus sine dolore cruciante. Cur autem non intelligamus, quandoquidem dicit scriptura, *à foris omnem vulvam fuisse conclusam*, aliquo dolore factum esse, vt non possent fœminæ concubitum perpeti, qui dolor Deo succensente fuisset inflictus, miserante detractus? Nam si ad impedimentum serendæ prolis esset libido

Gen. 20. 18. & 17.

Vulvam cõclusã fuisse quo sensu scriptura dixerit.

bido detrahenda, viris esset detrahenda non fœminis: Fœmina enim posset voluntate concumbere, etiam desistente libidine quâ stimularetur: si viro non deesset, quâ excitaretur. Nisi fortè quia scriptum est, & ipsum *Abimelech fuisse sanatum*, virilem dicturus est ei libidinem redditam. Quam profectò si amiserat, quid opus fuit eum divinitùs admoneri, vt Abrahæ non miscereturvxori? Sed *sanatum* dicit, quia domus eius abillâ peste sanata est.

Frigiditas in viris tantùm.

CAPVT XVI.

IAm nunc illa tria videamus, quorum trium quodlibet dixerimus, nihil ait dici posse prophanius, *quod hominem Deus aut non fecerit, aut diabolo fecerit, aut certè diabolus Dei sit imaginem, hoc est, hominem fabricatus.* Horum trium primum & noviſſimum, non dici à nobis etiam ipse si non sit excors, aut nimium pervicax, confitetur. De illo quæstio est quod secundo medioque loco posuit; vbi sic fallitur, vt à nobis hoc existimet dici, *quod diabolo Deus hominem fecerit*, tanquàm in hominibus quos Deus ex hominibus parentibus creat, hoc intendat, hoc curet, hoc sui operis ratione provideat, vt habeat diabolus servos, quos ipse sibi facere non potest. Absit vt hoc qualiscunque vel puerilis pietas suspicetur. Bonitate suâ Deus facit homines, & primos sine peccato, & cæteros sub peccato, in vsus profundarum cogitationum suarum. Sicut enim de ipsius diaboli malitiâ novit ille quid agat, & quod agit iustum est & bonum, quàmvis sit de quo agit iniustus & malus, nec eum propterea creare noluit, quia malum futurum esse præscivit: ita de vniverso genere humano, quàmvis nullus hominum sine peccati sorde nascatur; bonum ille, qui summè bonus est, operatur, alios faciens tanquàm *vasa misericordiæ*, quos gratia discernat ab eis, qui *vasa* sunt *iræ*: alios tanquàm *vasa iræ*, *vt notas faciat divitias gloriæ* Rom. 9. 22. *suæ in vasa misericordiæ*. Eat iste nunc, & adversus Apostolum, & 23. cuius ista sententia est, argumentetur, imò adversus ipsum figulum, cui respondere prohibet Apostolus, dicens: *O homo* Ibidem 20. *tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se* & 21. *finxit, quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eâdem massâ facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Nunquid ergò iste negat *vasa iræ* esse sub diabolo? Aut quia sub diabolo sunt, alius ea quàm ille facit, qui *vasa misericordiæ* facit,

Cur creare pergat homines Deus quos novit sub peccato nascituros

cit? Aut aliunde & non *ex eâdem massâ facit*? Hic itaque dicat: Ergò Deus vasa diabolo facit quasi nesciat Deus sic eis vti ad opera sua iusta & bona, sicut ipso vtitur diabolo.

CAPVT XVII.

Mat. 25. 33. Mat. 5. 45. AN verò filios perditionis hædos sinistræ partis diabolo pascit, & diabolo nutrit & vestit, *qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*? Sic itaque creat malos, quomodò pascit & nutrit malos: quia quod eis creando tribuit, ad naturæ pertinet bonitatem; & quod eis pascendo & nutriendo dat incrementum, non vtique malitiæ eorum, sed eidem bonæ naturæ quam creavit bonus, bonum tribuit adiumentum. In quantum enim homines sunt, bonum est naturæ, cuius author est Deus: in quantum autem cum peccato nascuntur, perituri si non renascantur, ad

Sap. 12. 11. Rom. 9. 23. *semen* pertinent *maledictum ab initio*, illius antiquæ inobedientiæ vitio. Quo tamen benè vtitur factor etiam *vasorum iræ, vt notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*, ne meritis suis tribuat si ad eandem massam quisque pertinens gratiâ liberetur; sed *qui gloriatur, in Domino glorietur*. Ab hâc fide Apostolicâ atque Catholicâ veracissimâ atque fundatissimâ, cùm Pelagianis iste discedens, non vult nascentes esse sub diabolo, ne

2. Cor. 10. 17. Col. 1. 13. parvuli portentur ad Christum, vt *eruantur à potestate tenebrarum, & in regnum ipsius transferantur*.

CAPVT XVIII.

AC sic accusat Ecclesiâ toto orbe diffusam, in qua vbique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exufflantur, nisi vt ab eis *princeps mundi mittatur foras*, à quo necesse est *vasa iræ* possideantur, cùm ex Adam nascuntur si in Christo non renascantur, *& in eius regnum* per gratiam facta *vasa misericordiæ transferantur*. Contra istam fundatissimam veniens veritatem, ne vniversam Christi Ecclesiam oppugnare videatur, quasi me vnum alloquitur, & velut corripiens atq; admonens dicit: *Etiam te Deus fecit, sed quod est fatendum, grauiùs error infecit*. Sanè quod Deus me fecerit agnosco, & gratias ago: qui tamen cum *iræ vasis* periissem, si tantum ex Adam me fecisset, & in Christo non refecisset. Quod cùm pos-

Exufflatio in Baptismo.

Ioan. 12. 31.

nem vsque perdurat, non ipse sed Catholici videant qualis & quantus eum error non infecerit, sed planè interfecerit.

CAPVT XIX.

Respondet ad Iuliani argumenta.

ATtende sequentia: *Quod autem*, inquit, *filij ex coniugio suscepti naturaliter boni sint, Apostolo dicente discamus, qui ait de improbis: Relicto naturali vsu fœminæ exarserunt in desideria sua in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes. Ostendit ergò*, inquit, *vsum fœminæ & naturalem esse, & pro suo modo laudabilem: flagitium autem ex voluntate propriâ exerceri contra institutionis pudorem. Meritò itaque*, inquit, *& in benè vtentibus genus concupiscentiæ modusq; laudatur, & in turpibus excessus eius punitur. Denique eodem tempore Deus Abrahæ & Sarræ marcentia ævo membra vegetavit, quo in Sodomis ipsa igneo imbre punivit. Si igitur putas*, inquit, *accusandum membrorum vigorem, quoniam per ipsum Sodomitæ flagitijs obligati sunt; accusabis etiam creaturam panis & vini, quoniam hinc quoque eos peccasse scriptura divina significavit. Dicit enim Dominus per Ezechielem Prophetam: Veruntamen hæ iniquitates Sodomæ sororis tuæ: Superbia in saturitate panum & abundantia vini fluebant, ipsa & filiæ eius: & manum pauperis & egentis non adiuvabant. Eligeram*, inquit, *vtrùm mavis, aut reputa divino operi commixtionem corporum; aut creaturam panis & vini similiter malum esse desini. Quod si feceris, apertè Manichæus esse convinceris. Concupiscentia autem naturalis, qui modum tenet, benè vtitur bono; qui modum non tenet, bono malè vtitur. Quid dicis ergò*, inquit, *ita nuptiarum bonum malo originali, quod indè trahitur, non potest accusari sicut; adulteriorum malum bono naturali, quod indè nascitur, non potest excusari? His sermonibus*, inquit, *quod negaveras concessisti, quod concesseras sustulisti, & nihil magis laboras, quàm vt parum intelligaris. Ostende sine commixtione nuptias corporales: aut vnum aliquid huic operi nomen impone, & vel bonum, vel malum coniugium nuncupato. Spopondisti vtique bonæ te desinere coniugia. Si coniugium bonum, si homo fructus coniugij bonus, si hic fructus opus Dei malus esse non potest, qui per bonum ex bono nascitur; vbi igitur originale malum, quod tot præiudicijs interemptum est?*

Rom. 1. 27.

Gen. 21. 1. Gen. 19. 24. & 25.

Exech. 16. 49.

Supra lib. 3. cap. 1.

CAPVT XX.

AD hæc respondeo: non solùm filios ex coniugio, verum etiam ex adulterio bonum aliquod esse, secundum opus Dei quo creati sunt. Secundum autem originale peccatũ, in damnationem nasci ex Adam primo, non solùm si de adulterio,

terio, verũctiá si de coniugio generentur, nisi in Adã secundo qui est Christus, regenerentur. Quod autem ait Apostolus de improbis: *Relicto naturali vsu fœminæ exarserunt in desideria sua in invicem masculi in masculos turpitudinem operantes*: non dixit vsum coniugalem, sed naturalem, eum volens intelligi, qui fit membris ad hoc creatis, vt per ea possit ad generandum sexus vterque misceri. Ac per hoc cum eisdem membris etiam meretrici quisque miscetur, naturalis est vsus; nec tamen laudabilis, sed culpabilis. Ab ea verò parte corporis, quæ non ad generandum est instituta; si & coniuge quisque vtatur, contra naturam est & flagitiosum. Denique prius idem Apostolus de fœminis dixit: *nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem vsum, in eum qui est contra naturam*: deindè *masculis in masculos turpitudinem operantibus, relicto vsu fœmineo naturali*. Non ergò isto nomine, id est, *vsu naturali*, coniugalis est laudata commixtio, sed immundiora & sceleratiora flagitia denotata sunt; quàm si illicitè & fœminis, sed tamen & naturaliter vterentur.

Rom. 1, 27.

Coniugis vsus quis naturalis.

Quis cõtra naturam.

Ibidem, 26.

CAPVT XXI.

PAnem verò & vinum sic non reprehendimus propter luxuriosos & ebriosos, quomodo nec aurum propter cupidos & auaros. Quocirca commixtionem quoque honestam coniugum non reprehendimus propter pudendam corporum libidinem. Illa enim posset esse nulla præcedente perpetratione peccati, de quá non erubescerent coniugati. Hæc autem exorta est post peccatum, quam coacti sunt velare confusi. Vnde remansit posterioribus coniugatis, quamvis hoc malo benè & licitè vtentibus, in eiusmodi opere humanum vitare conspectum, atque ità confiteri quod pudendum est, cùm debeat neminem pudere quod bonum est. Sic insinuantur hæc duo, & bonum laudandæ coniunctionis, vndè filij generentur; & malum pudendæ libidinis, vnde qui generantur, regenerandi sunt, ne damnentur. Proindè pudendâ libidine, qui licitè concumbit, malo benè vtitur: qui autem illicitè, malo malè vtitur. Rectius enim accepit nomen mali quam boni, quod erubescunt & mali & boni. Meliusq; credimus ei qui dicit: *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne meâ bonum*: quàm huic qui dicit hoc bonum: vnde si confunditur, confite tur malum:

Gen. 3. 7.

Libido, an bona, an verò mala dicenda sit?

Rom. 7. 18.

si autem non confunditur, addit impudentiam, peius malum. Rectè igitur diximus: *Ità nuptiarum bonum malo originali quod inde trahitur non potest accusari, sicut adulteriorum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari:* quoniam natura humana quæ nascitur, vel de coniugio, vel de adulterio, Dei opus est. Quæ si malum esset, non esset generanda: si malum non haberet, non esset regeneranda. Atque vt ad vnum verbum vtrumq; concludam, natura humana si malum esset, salvanda non esset: si ei mali nihil ineset, * salvanda non esset. Qui ergò dicit eam bonum non esse, bonum negat conditæ creatorem. Qui verò negat ei malum ineſſe, misericordem vitiatæ invidet salvatorem. Quapropter in hominibus nascẽtibus neque excusanda sunt adulteria per bonum, quod indè à conditore bono creatum est; nec accusanda coniugia per malum, quod ibi à misericorde salvatore sanandum est.

Sup. l. 17. c. 1.

** fortè sananda.*

CAPVT XXII.

OSTENDE, inquit, *sine commixtione nuptias corporales.* Non ostendo ego nuptias corporales sine commixtione; sed nec ipse ostendit eandem commixtionem sine confusione. In paradiso autem si peccatum non præcessisset, non esset quidem sine vtriusq; sexus commixtione generatio, sed esset sine confusione commixtio. Esset quippe in coëundo tranquilla mẽbrorum obedientia, non pudenda *carnis concupiscentia.* Proindè coniugium bonum est, vnde ordinatè seminatus nascitur homo; & fructus coniugij bonus est, quod est ipse qui ità nascitur homo; sed peccatum malum est, cum quo nascitur omnis homo. Deus quippè fecit, & facit hominem, sed *per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ità in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Ante peccatũ esset sine confusione commixtio.

Rom. 5. 12.

CAPVT XXIII.

NOVO, inquit, *genere differendi & catholicum te profiteris, & Manichæo patrocinaris, dicendo nuptias & magnum bonum & magnum malum.* Prorsus quid loquatur, ignorat, sive ignorare se simulat. Aut enim non intelligit, aut non vult intelligere quid dicamus. Sed si non intelligit, præoccupatione impeditur erroris. Si autem non vult quid dicamus intelligere, pervicatiæ

Erroris præoccupatio impedit veritatis intelligentiam.

vicatiæ vitium est, quo suum defendit errorem. Et Iovinianus qui paucos ante annos novellam conatus est hæresim condere, Manichæis patrocinari dicebat catholicos, quòd adversus eum sanctam virginitatem nuptiis præferebant. Sed respondsurus est iste, non se quod Iovinianus de indifferentiâ nuptiarum virginumque sentire. Nec ego id dico, quod isti hoc sentiant, verumtamen per Iovinianum catholicis Manichæos obiicientem non esse hoc novum, novi hæretici recognoscant. Nos itaque nuptias bonum dicimus esse, non malum. Sed sicuti Arriani Sabellianos nos esse criminantur, quàmvis non dicamus, vnum eundemque esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum, quod Sabelliani dicunt: sed dicamus vnam eandemque esse naturam Patris & Filij & Spiritus sancti, quod catholici dicunt: ita Pelagiani nobis Manichæos obiiciunt, quàmvis non dicamus malum esse nuptias, quod dicunt Manichæi: sed dicamus malum primis hominibus, id est, primis coniugibus accidisse, & inde in omnes homines pertransisse, quod dicunt catholici. Sed sicut Arriani dum Sabellianos fugiunt, in peius aliquid inciderunt, quia trinitatis ausi sunt non personas discernere, sed naturas: ità Pelagiani dum Manichæorum pestem in perversum vitare conantur, de nuptiarum fructu, ipsis Manichæis convincuntur pernicioſiora sentire, credendo parvulos Christo medico non egere.

Iovinianus catholicos olim Manichæos appellabat.

Arriani catholicos olim Sabellianos appellabant.

CAPVT XXIV.

DEfinis, inquit, *hominem, si de fornicatione nascatur reum non esse: si de coniugio, innocentem non esse. Huc enim pervenit quod dixisti, bonum naturale de adulteris posse subsistere, malum originale etiam de coniugio trahi.* Frustrà omninò conatur apud intelligentem lectorem, quæ sunt recta pervertere. Absit enim vt dicamus hominem si de fornicatione nascatur, reum non esse. Sed dicimus hominem, sive de coniugio, sive de fornicatione nascatur, bonum aliquid esse, propter authorem naturæ Deũ: malum aliquod trahere, propter originale peccatum. Quod ergò dicimus, *bonum naturale etiam de adulteris posse subsistere, malum autem originale etiam de coniugio trahi*, non huc pervenit quò ille conatur adducere, non nasci reum de adulteris, nec innocentem de nuptiis: sed ex vtroq; reum generatione factũ, propter originale delictum; & vtrumque regeneratione absolvendum, propter naturæ bonum.

CAPVT XXV.

VNum ex his, inquit, *verum est, alterum falsum.* Huic eâdem brevitate respondeo, imò vtrumque verum est, neutrũ falsum. *Verum est*, inquit, *quod adulteriorum culpam homo qui inde nascitur, non potest excusare; quia quod adulteri fecerunt, ad vitium pertinet voluntatis; quod autem genuerunt, ad laudem spectat fœcunditatis; quia si quis furtivum triticum serat, non nascitur messis obnoxia. Vitupero itaq;*, inquit, *furem, sed laudo segetem: innocentem pronuncio, qui nascitur ex generositate seminum dicente Apostolo: Deus illi dat corpus prout vult, & vnicuiq; seminum proprium corpus: condẽno verò flagitiosum, qui ex propositi perversitate peccavit.* 1. Cor. 15. 38.

CAPVT XXVI.

AD hæc adiungit & dicit: *Prorsus autem si malum de nuptiis trahitur, accusari possunt, excusari non possunt. Et in diaboli iure opus earum fructumque constituis; quia omnis causa mali, expers boni est. Homo autem*, inquit, *qui de nuptiis nascitur, non criminibus, sed seminibus imputatur. Seminum verò causam in conditione corporum est, quibus corporibus qui malè vtitur, boni meritum non genus sanciat. Liquidò igitur*, inquit, *claret bonum non esse causam mali. Si ergò*, inquit, *trahitur & de nuptiis originale malum, causa mali est conventio nuptiarum. Et necesse est malum esse per quod & ex quo malus fructus apparuit, dicente Domino in Evangelio: Ex fructibus suis arbor cognoscitur. Quomodo*, inquit, *tu audiendus putaris, qui dicis bonum esse coniugium, de quo nihil aliud quam malum prodire definis? Constat igitur mala esse coniugia, si peccatum inde originale deducitur; nec posse defendi, nisi fructus eorum innocens approbetur. Defenduntur autem & bona pronunciantur, fructus ergò approbatur innocuus.* Ad hæc respondeturus, priùs volo esse intentum lectorem, nihil agere istum, nisi vt salvator non sit parvulis necessarius, quos peccata prorsus à quibus salventur negat habere. Hæc tanta perversitas & tantæ inimica *gratiæ Dei*, quæ data est *per Iesum Christum Dominum nostrum*, qui *venit quærere & salvare quod perierat*, insinuare se nititur cordibus parum intelligentium, laude operum divinorum, hoc est, laude naturæ humanæ, laude seminis, laude nuptiarum, laude vtriusque sexus commixtionis, laude fœcunditatis, quæ omnia bona sunt. Nolo enim dicere laude libidinis, quia eam & ipse nomi-

Matt. 7.

Luc. 19.

Laude operum divinorum originale peccatum Pelagiani auferre conantur.

nominare confunditur, vt aliud aliquid, non ipſam laudare videatur: Ac per hoc mala quæ acciderunt naturæ, non diſcernendo ab ipſius bonitate naturæ, non eam quia falſum eſt, oſtendit ſanam, ſed ſanari non permittit ægrotam. Et ideò illud quod diximus, quòd ad vlteriorum culpam, bonum quod inde naſcitur, id eſt, homo non poteſt excuſare, verum eſſe concedit & hoc, vnde nulla inter nos quæſtio eſt, etiam ſimilitudine furis furtivum triticum ſeminantis, de quo vtique bona meſsis naſcitur, aſtruit & confirmat vt poteſt. Illud autem alterum quod diximus, *nuptiarum bonum malo originali quod inde trahitur, non poteſt accuſari*, non vult conſentire quòd verum ſit, quia ſi conſenſerit, non Pelagianus hæreticus, ſed Chriſtianus catholicus erit. *Prorſus*, inquit, *ſi malum de nuptiis trahitur, accuſari poſſunt, excuſari non poſſunt: & in diaboli iure opus earum fructuumq; conſtituis, quia omnis cauſa mali, expers boni eſt.* Et ad hoc cætera attexit, vt probet cauſam mali bonum eſſe non poſſe, & ideò nuptias quia bonum ſunt, cauſam mali non eſſe, ac per hoc de illis peccatorem, qui neceſſarium habeat ſalvatorem, naſci omninò non poſſe: quaſi nos nuptias cauſam dicamus eſſe peccati, quàmvis homo qui ex illis naſcitur, non naſcatur ſine peccato. Nuptiæ quidem inſtitutæ ſunt causâ generandi, non peccandi, propter quod illa à domino eſt benedictio nuptiarum? *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Peccatum autem quod inde à naſcentibus trahitur, non ad nuptias pertinet, ſed ad malum quod accidit hominibus, quorum coniunctione ſunt nuptiæ. Nam malum pudendæ libidinis, & poteſt eſſe ſine nuptiis, & potuerunt eſſe nuptiæ ſine illo: ad conditionem autem *corporis* pertinet, non vitæ illius, ſed *mortis huius*, vt nunc nuptiæ non poſſint eſſe ſine illo, quàmvis ipſum poſsit eſſe ſine illis. Nam vtique ſine nuptiis eſt pudenda *carnis concupiſcentia*, quando adulteria & quæq; ſtupra atq; immunda committit, longè contraria pudicitiæ nuptiarum: aut quando nulla iſta committit, quia homo nullâ conſenſione permittit, & tamen ſurgit & movetur & movet, & plerumque in ſomnis ad ipſius operis ſimilitudinẽ & ſuæ motionis pervenit finem. Hoc ergò malũ nec in ipſis nuptiis malũ eſt nuptiarum: ſed habent illud in *corpore mortis huius* paratum, etiã ſi nolint, ſine quo non poſſunt implere quod volunt. Non igitur ab earũ inſtitutione, quæ benedicta eſt, ad eas venit: ſed ab eo quod *ex vno homine*

Laude operis divinorum originale peccatũ Pelagiani auferre conantur.

Pelagiani mala naturæ non diſcernunt ab eius bonitate.

Nuptiæ non ſunt cauſa peccati.

Gen. 2. 23.

Rom. 5. 12.

ne peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Rom. 5. 12. Quid eſt ergò quod ait: *Ex fructibus ſuis arbor cognoſcitur*, quia hoc in Evangelio dixiſſe Dominum legimus: nunquid indè Dominus loquebatur, & non potiùs de duabus volũtatibus hominum, bonâ ſcilicet & malâ, iſtam bonam, illam malam arborem dicens: quia de bonâ voluntate bona opera naſcuntur, & malâ de malâ? Quòd ſi nuptias tanquam arborem bonam ſecundùm iſtam quam commemoravit Evangelicam ſimilitudinẽ poſuerimus, profectò ex contrario fornicationem poſituri ſumus arborem malam. Quamobrem ſi homo ita dicitur fructus nuptiarum, tanquam bonus ex arbore bonâ, proculdubiò naſci homo de fornicatione non debuit. *Mala* quippè *arbor bonos fructus non facit.* Mat. 7. 18. Porrò ſi dixerit, non illic arboris loco ponendum eſſe adulterium, ſed naturã potiùs humanam, de quâ naſcitur homo: ita etiam hic non erit arbor connubium, ſed natura humana, de quâ naſcitur homo. Nihil proindè valet ad iſtam quæſtionem ſimilitudo illa Evangelica, quia non ſunt nuptiæ cauſa peccati, quod trahitur à naſcente, & expiatur in renaſcente; ſed voluntarium peccatum hominis primi originalis eſt cauſa peccati. *Dicis iterùm*, inquit, *Nam ſicut peccatum, ſive hinc, ſive indè à parvulis trahatur, opus eſt diaboli: ſic homo, ſive hinc, ſive inde naſcatur, opus Dei eſt.* Et dixi hoc, & veriſſimè dixi: Et ſi non Pelagianus, ſed Catholicus eſſet, nihil aliud & ipſe in catholica diceret.

Bona & mala arbor in Evangelio. Mat. 7.

Voluntariũ primi hominis peccatũ, originalis eſt cauſa peccati.

CAPVT XXVII.

QVid eſt ergò quod quærit à nobis, *per quid peccatum inveniatur in parvulo; vtrùm per voluntatem, an per nuptias, an per parentes?* Sic enim loquitur, & tanquã ad omnia iſta reſpondet, & à peccato quaſi cuncta iſta purgando, nihil vult remanere vndè peccatum inveniatur in parvulo. Verba denique iam ipſa eius attende. *Per quid igitur*, inquit, *peccatum invenitur in parvulo? Per voluntatem? Nulla in eo fuit. Per nuptias? Sed hæ pertinent ad opus parentum, quos in hoc actu non peccaſſe præmiſeras; ſed quantum ex conſequentibus apparet, non hoc verè conceſſeras. Ipſæ ſunt igitur execrandæ nuptiæ*, inquit, *quæ cauſam fecerunt mali; ſed illæ ſolæ opus indicant perſonarum. Parentes igitur qui conventu ſuo cauſam fecere peccato, iure damnabiles ſunt. Ambigi ergò*, inquit, *tam non poteſt, ſi tuam ſequamur ſententiam, conjuges æterno ſupplicio mancipa-*

mancipari, quorum labore actum est, vt ad dominatum exercendum in homines diabolus perueniret. Et vbi est quod paulò antè hominem opus dxeras Dei, quia si per originem malum in homin bus, per malum ius diaboli in homines, diabolum dicis authorem esse hominum; à quo est origo nascentium? Si autem credis à Deo hominem fieri, & esse coniuges innocentes; vide quàm stare non possit trahi ex his originale peccatum Ad omnia ista huic respondit Apostolus, qui neque voluntatem arguit parvuli, quæ propria nondum est in illo ad peccandum: neq; nuptias in quantum nuptiæ sunt, quæ habent à Deo non solùm institutionem, verùmetiam benedictionem: neq; parentes, inquantum parentes sunt, invicem licitè atq; legitimè ad procreandos filios coniugatos. Sed *per vnum hominem*, inquit, *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quod isti si catholicis auribus mentibusque perciperent, adversus fidem gratiamque Christi rebelles animos non haberent, neq; conarentur inaniter ad suum proprium & hæreticum sensum, hæc Apostolica verba tàm dilucida & tàm manifesta convertere: asserentes hoc ideò dictũ esse, quòd Adam peccaverit primum, in quo de cætero quisquis peccare voluit, peccandi invenit exemplum: vt peccatum scilicet non generatione ab illo vno *in omnes homines*, sed illius vnius imitatione *transiret.* Cùm profectò si Apostolus imitationem hic intelligi voluisset, non *per vnum hominem*, sed per diabolum potiùs *in hunc mundum peccatum intrasse, & per omnes homines pertransisse* dixisset. De diabolo quippè scriptum: *Imitantur autem eum qui sunt ex parte ipsius.* Sed ideò *per vnum hominem* dixit, à quo generatio, vtique hominum cœpit, vt per generationem doceret isse per omnes originale peccatum. Quid autem aliud indicant etiam sequentia verba Apostolica? Cùm enim hoc dixisset, adiunxit: *Vsque enim ad legem peccatum in mundo fuit*, id est, quia nec lex potuit auferre peccatum. *Peccatum autem*, inquit, *non deputabatur, cùm lex non esset. Erat* ergò, sed *non deputabatur*, quia non ostendebatur quod deputaretur. Sicut enim alibi dicit, *per legem cognitio peccati: sed regnavit*, inquit, *mors ab Adam vsque ad Moysen*: hoc est quod suprà dixerat, *vsque ad legem*: non vt à Moyse deinceps non esset peccatum, sed quia nec per Moysen lex data regnum potuit mortis auferre, quæ non regnat vtique nisi per peccatum. Regnum porrò eius est, vt hominẽ mortalem in secundam etiam quæ sempiterna

Rom. 5. 12. Sap. 2. 25. Rom. 5. 13. Rom. 3. 20. Rom. 5. 14. Regnum mortis quid.

est, præcipitet mortem. *Regnavit* autem: In quibus? *Et in his*, inquit, *qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.* Cuius *futuri*, nisi Christi? Et qualis *forma*, nisi à contrario? Quod etiam alibi breviter dicit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Sicut in illo illud, ita & in isto istud. Ipsa est forma, sed hæc forma non omni ex parte conformis est, vnde hic Apostolus sequutus adiunxit: *Sed non sicut delictum, ita & donatio. Si enim ob vnius delictum multi mortui sunt, multò magis gratiâ Dei, & donum in gratiâ vnius hominis Iesu Christi, in multos abundavit.* Quid est, *multò magis abundavit*: nisi quia omnes qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam moriuntur: propter ipsum autem Christum sine fine victuri sunt? *Et non*, inquit, *sicut per vnum peccantem, ita est & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem multis delictis in iustificationem. Ex vno* ergò quid, nisi *delicto*? quia sequitur, *gratia autem ex multis delictis.* Dicant isti quomodò *ex vno delicto in condemnationem*, nisi quia sufficit ad condemnationem etiam vnum originale peccatum, quod *in omnes homines pertransiit? Gratia* verò ideò *ex multis delictis in iustificationem*, , quia non solùm illud vnum solvit, quod originaliter trahitur, sed etiam cætera, quæ in vno quoque homine motu propriæ voluntatis adduntur. *Si enim ob vnius delictum mors regnavit per vnum, multò magis qui abundantiam gratiæ & iustitiæ accipiunt, in vitâ regnabunt per vnum Iesum Christũ. Itaq; sicut per vnius delictũ in omnes homines ad condemnationem, ita & per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ.* Adhuc permaneant in vanitate mentis suæ, & dicant vnum hominem non propaginem traiecisse, sed exemplum præbuisse peccati. Quomodò ergò *per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem*, & non potiùs per multa suâ cuiusq; delicta: nisi quia etiam si illud vnum sit tantùm, idoneum est perducere *ad condemnationem*, etiam nullis additis cæteris, sicut perducit parvulos morientes qui ex Adam nascuntur, nisi in Christo renascantur? Quid ergò à nobis quærit iste, qui non vult ab Apostolo audire, *per quid peccatum inveniatur in parvulo; vtrùm per voluntatem, an per nuptias, an per parentes*? Ecce audiat per quid, audiat & taceat, per quid peccatum inveniatur in parvulo, *Per vnius delictum*, inquit Apostolus, *in omnes homines ad condemnationem. Omnes* autẽ dixit *ad cõdemnationem* per Adã, & *omnes ad iustificationem*

Forma futuri, Adam quomodò

Ibidem.

1. Cor. 15. 22.

Rom. 5. 15.

Ibidem 16.

Ibidem 17. & 18.

tionem per Christum : cùm vtique non omnes eos qui moriuntur in Adam, transferat Christus ad vitam : sed *omnes* dixit atque *omnes*, quia sicut sine Adam nullus ad mortem, ita sine Christo nullus ad vitam, sicut dicimus de litterarum, magistro, si in civitate solus est : omnes iste hic litteras docet : non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi abipso. Denique autem quos *omnes* dixerat, *multos* postea dixit, eosdem ipsos tamen *omnes multosque significans. Sicut enim*, inquit, *per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi*, Adhuc quærat *per quid peccatum inveniatur in parvulo.* Respondeant ei paginæ sanctæ, *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Ob vnius delictum multi mortui sunt, iudicium ex vno in condemnationem : ob vnius delictum mors regnavit per vnũ, & per vnius delictum in omnes homines in condemnationem : per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Ecce per quid delictum invenitur in parvulo. Iam credat originale peccatum, *sinas venire parvulos* vt salventur, *ad Christum*.

Rom. 5. 19.

Rom. 5. 12. 15. & seq.

Mar. 10. 14.

Simile. De naturâ & gratiâ contra Pelagianos. Cap. 41.

CAPVT XXVIII.

QVid est quod dicit, *Non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat iste qui condidit ; per quas rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum ?* Quid quærit latentem rimam, cùm habeat apertissimam ianuam? *Per vnum hominem* ait Apostolus, *per vnius delictum* ait Apostolus, *per inobedientiam vnius hominis* ait Apostolus, Quid quærit ampliùs ? Quid quærit apertiùs ? quid quærit inculcatiùs ? *Si peccatum*, inquit, *ex voluntate est, mala est voluntas qua peccatum facit, si ex naturâ mala natura.* Citò respondeo, Ex voluntate peccatum est. Quærit fortè, vtrùm & originale peccatum ? Respondeo, prorsus & originale peccatum, quia & hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, vt & in illo esset, & in omnes transiret. Sed quod secutus adiunxit, *Si ex naturâ, mala natura* : quæro ab illo vt si potest, respondeat, Sicut manifestum est, ex voluntate malâ tanquàm ex arbore malâ, fructus eius fieri omnia opera mala : sic ipsam voluntatẽ malã, id est, fructuũ malorũ, arborẽ malã vnde dicat exortam ? Si ex Angelo, quid erat ipse Angelus, nisi bonum opus Dei ? Si ex homine, quid erat ipse homo, nisi bonum opus

Rom. 5.

Originale peccatum ex malâ voluntate Adæ ortum.

pus Dei? Imò quia voluntas mala angeli ex angelo, ex homine homini orta est, quid erant hæc duo antequam in eis ista orirentur, nisi bonum opus Dei, & bona atque laudanda natura? Ecce ergò ex bono oritur malum, nec fuit omninò vndè oriri posset, nisi ex bono: ipsam dico voluntatem malam; quam nullum præcessit malum, non opera mala, quæ non sūt: nisi ex voluntate malâ, tanquam ex arbore malâ: nec ideò tamen potuit ex bono oriri voluntas mala, quia bonum factum est à Deo bono, sed quia de nihilo factum est, non de Deo. Quid ergò est quod dicit, *si natura opus est Dei, per opus Dei opus diaboli transire non sinitur?* Nònne opus diaboli, quando primum in angelo, qui diabolus factus est, ortum est, in opere Dei ortum est? Quapropter si malum quod omninò nusquam erat, in Dei opere oriri potuit cur malum quod alicubi iam erat, per opus Dei transire non potuit, præsertim cùm ipso verbo vtatur Apostolus, dicens, *Et ità in omnes homines pertransiit?* Nunquid homines non sunt opus Dei? Pertransiit ergò peccatum per homines, hoc est, opus diaboli per opus Dei. Atq; vt alio modo idipsum dicam, quia diaboli opus, id est, peccatum per ipsum diabolum exortum, qui factura vel opus est Dei, per aliud opus Dei, id est, hominem pertransiit opus operis Dei per opus Dei. Et ideo Deus est solus immutabilis & potentissimæ bonitatis: quia & antequam esset vllum malum, bona opera fecit omnia; & de malis quæ in bonis ab eo factis orta sunt, bene operatur per omnia.

Malum non nisi ex bono naturæ ortū.

Mala voluntas vnde orta.

Rom. 5. 12.

CAPVT XXIX.

IN *vno*, inquit, *homine iure vituperatur intentio, & origo laudatur; quia duo sunt quæ contrarijs applicentur: in parvulo autem vnum est, natura tantum, quia voluntas non est. Illud ergò vnum*, inquit, *aut Deo asscribitur, aut dæmoni. Si natura*, inquit, *per Deum est, non potest in ea esse originale malum. Si à Diabolo, nihil erit per quod homo diuino operi vindicetur. Perfectè ità q; Manichæus est, qui malū originale defendit.* Audiat potiùs adversum ista quod verū In vno homine iure vituperatur intentio, & natura laudatur, quia duo sunt quæ contrariis applicentur: sed etiā in parvulo, non vnum est tantùm, id est, natura, in quâ creatus est hòmo à Deo bono: habet enim & vitiū quod *per vnū in omnes homines pertransiit*, sicut sapit Apostolus, non sicut desipit Pelagius, vel Celestius, vel eorū quicūq; discipulus. Horū itaq; duorū quæ in parvulo esse diximus, vnū asscribitur Deo, alterum diabolo.

Rom. 5. 12.

Et

Et quod vtrunque propter vnum horum, id est, propter vitium subijcitur potestati diaboli, ideo non est incongruum, quia non fit ipsius diaboli potestate, sed Dei. Subijcitur autem vitium vitio, natura naturæ, quia & in diabolo vtrunque est, vt cùm dilecti & electi *de potestate tenebrarum eruuntur*, cui iure subduntur, appareat quid donetur iustificatis bonis à Deo, bona bene operante de malis. Quod autem iste sibi quasi religiosè dicere visus est, *Si natura per Deum est, non potest in eâ esse originale malum*: nónne religiosius sibi alius videretur dicere, si natura per Deum est, non potest in ea oriri vllum malum: & tamen falsum est, Hoc enim Manichæi asserere voluerunt, & non creaturam Dei factam de nihilo, sed ipsam naturam Dei malis omnibus implere conati sunt. Non enim ortum est malum nisi in bono, nec tamen summo & immutabili quod est natura Dei, sed facto de nihilo per sapientiam Dei. Est itaque per quod homo diuino operi vendicetur, quia non esset homo, nisi diuino opere crearetur: malum autem non esset in paruulis, nisi voluntate primi hominis peccaretur, & ex origine vitiatâ, peccatum originale traheretur. Non ergo sicut iste ait, *perfectè Manichæus est, qui malum originale defendit*: sed perfectè Pelagianus est, qui malum originale non credit. Neque enim ex quo esse cœpit Manichæi pestilentiosa doctrina, ex illo cœperunt in Ecclesia Dei, paruuli baptizandi exorcizari & exufflari, vt ipsis mysterijs ostenderetur non *eos in regnum Christi* nisi *erutos à tenebrarum potestate transferri*. Aut quando in libris Manichæi legitur, quòd *venerit filius hominis quærere & saluare quod perierat*? Aut quod *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit*: & cætera ad eandem sententiam pertinentia, quæ suprà commemorauimus? Aut quod *reddat Deus peccata patrum in filios*: aut quod in Psalmo scriptum est, *Ego in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis mater mea in vtero me aluit*: aut, *Homo vanitati similis factus est, dies eius velut vmbra pertranseunt*: aut, *Ecce veteres posuisti dies meos, & substantia mea quasi nihilum ante te est: veruntamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens*: aut quod Apostolus dicit, *Omnis creatura vanitati subiecta est*? Aut in libro Ecclesiastæ, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas: quæ abundantia est homini in omni labore suo, quem ipse laborat sub sole*? Aut in libro Ecclesiastico, *Iugum graue super filios Adam à die exitus de vtero matris eorum, vsque in diem sepultura in matrem*

Ioloss. 1. 3.

Mali ortus & origo.

Col. 1. 13

Luc. 19. 10.

Rom. 5. 12.

Exod. 20. 5.

Psal. 50. 7.

Psal. 143 4.

Psal. 38. 6.

Rom. 8. 20.

Eccl. 1. 2. 3.

Eccl. 40. 1.

Exorcismi & exufflationes vetustissima cæremonia.

trem omnium? Aut quod dicit Apostolus, *in Adam omnes moriuntur*: Aut quod dicit sanctus Iob, vbi de peccatis suis loquitur, *Homo enim natus ex muliere, breuis vitæ & plenus iracundiæ, sicut flos fœni decidit, fugit autem sicut vmbra, & non stabit: nónne & huius curam fecisti, & hunc fecisti intrare in conspectu tuo in iudicium? Quis enim erit mundus à sordibus? ne vnus quidem, etiam si vnius diei fuerit vita eius super terram?* Quas enim dixerat sordes, quia peccata intelligi voluit: ipsa lectio indicat, vbi prorsus vnde loquatur apparet. Vnde est & illud apud Prophetam Zachariam vbi auferitur à sacerdote vestis sordida, & dicitur ei, *Ecce abstuli peccata tua.* Puto quòd ista omnia & cætera huiusmodi, quæ indicant omnem hominem sub peccato & maledicto nasci, non leguntur in tenebris Manichæorum, sed in luce Catholicorum. Quid autem dicam de ipsis diuinarum scripturarum tractatoribus, qui in Catholicâ Ecclesiâ floruerunt? Quomodo hæc non in alios sensus conati sunt vertere, quoniam stabiles erant in antiquissimâ & robustissima fide, non autem nouitio mouebantur errore. Quos si colligere & eorum testimonijs vti velim, & nimis longum erit, & de Canonicis authoritatibus, à quibus non debemus auerti, minus fortasse videbor præsumpsisse quàm debui. Veruntamen vt omittam beatissimum Ambrosium cui Pelagius, sicut iam commemoraui, tam magnum integritatis in fide perhibuit testimonium, qui tamen Ambrosius nihil aliud defendit in paruulis, vt haberent necessarium medicum Christum, nisi originale peccatum. Nunquid & gloriosissimæ coronæ Cyprianus dicetur ab aliquo, non solùm fuisse, sed vel esse potuisse Manichæus, cùm priùs iste sit passus, quàm illa in orbe Romano pestis apparuit, & tamen in libro de baptismate parvulorum, ita defendit originale peccatum, vt propterea dicat, & ante octauum diem si necesse sit, parvulum baptizari oportere, ne pereat anima eius. Quem tanto vult intelligi ad indulgentiam baptismi faciliùs peruenire, quanto magis ei dimittuntur non propria, sed aliena peccata. Hos iste audeat dicere Manichæos, & antiquissimam Ecclesiæ traditionem isto nephario crimine aspergat, quâ exorcizantur, & vt dixi, exufflantur parvuli, vt *in regnum Christi à potestate tenebrarum*, hoc est, diaboli & angelorum eius *eruti transferantur*. Nos autem paratiores sumus cum istis viris, & cum Ecclesiâ Christi in huius fidei antiquitate firmata quæli-

1. Cor. 15. 22.
Iob. 14. 1. 2. 3. 4. iuxta 70.
Zach. 3. 4.
1. Ioan. 3. 13.
Coloss. 1.

Sordes, pro peccatis ponuntur.

Supra li. 1. c. vltimo, & de gratia Christi cap. 43.

Ambrosius in Esai. citatur supra lib. 1 cap 35.

Cyprianus lib. 3 epist. 8.

Exorcismi & exufflationes antiquissima Ecclesiæ traditio.

quælibet maledicta & contumelias perpeti, quam † Pelagiani cuiuslibet eloquij prædicatione laudari. *Alij cum Pelagianis.*

CAPVT XXX.

Sap. 6. 21. *Aís iterum*, inquit, *& dicis, Nulla esset concupiscentia, nisi homo antè peccasset; nuptiæ verò essent etiam si nemo peccasset.* Non dixi, *nulla esset concupiscentia*, quia est & gloriandæ concupiscentia spiritalis, quâ concupiscitur sapientia, sed dixi: nulla esset pudenda concupiscentia. Relegantur verba mea quæ etiam ipse posuit, vt quantâ ab illo fraude commemorentur appareat. *Gen. 3. 7.* Sed quo voluerit nomine eam appellet. Illa dixi quòd non esset nisi homo antè peccasset, de quâ erubuerunt in paradiso, qui pudenda texerunt; quam nemo negat, quoniam peccatum inobedientiæ præcesserat, ideo subsecutam. Qui autem vult intelligere quid senserint, debet considerare quid texerint. Succinctoria quippe sibi de foliis ficulneis, non vestimenta fecerunt, quæ succinctoria Græcè περισώματα vocantur. Quid autem cooperiant perizomata, omnibus notum est, quæ nonnulli Latini campestria sunt interpretati. Quis autem ignorat qui campestrantur, quas partes corporis contegant? Has enim tegebant Romani iuuenes, quando nudi exercebantur in campo vnde hoc genus tegminis tale nomen accepit. *Supra li. 1. cap. 1.* *Pudenda concupiscentia, ex peccato.* *Succinctoria, seu Perizomata* *Campestria vnde dicta.*

CAPVT XXXI.

Illa ergo nuptiæ, inquit, *quæ sine concupiscentiâ, sine motu corporum, sine necessitate sexuum, vt dicis, esse potuerunt, à te pronunciantur laudabiles. Ista verò coniugia quæ nunc aguntur, à diabolo definita inuenta. Illa itaque*, inquit, *quæ instituit potuisse somnias, bona deliberas: Ista verò de quibus dicit diuina Scriptura, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vnâ: profiteris mala d. abolica, morbum postremò d. bere, non coniugium nuncupari.* *Gen. 2. 24.* Non est mirum si Pelagiani dicta nostra in sensus quos volunt detorquere conantur; quando & de scripturis sanctis, non vbi obscurè aliquid dictum est, sed vbi clara & aperta sunt testimonia, id facere consueuerunt, more quidem hæreticorum etiam cæterorum. Quis enim diceret, *sine motu corporum, sine necessitate sexuum nuptias esse potuisse*? *Gen. 1. 27.* Deus enim fecit sexus; quia *masculum & fœminam fecit eos*, sicut scriptum est. Vnde autem fieri posset, vt qui fue- *Augustin.*

rant coniungendi, & ipsâ coniunctione generaturi, sua corpora non mouerent: quandoquidem nullus fit hominis ad hominem corporalis accessus, si desit corporis motus? Non ergo hic quæstio est de motu corporum, sine quo non possent omnino misceri; sed depudendo motu genitalium, qui profectò non esset, & tamen seminatrix commixtio non deesset, si genitalia non libidini, sed voluntati sicut cætera membra seruirent. An non etiam nunc in *corpore mortis huius* imperatur pedi, brachio, digito, labro, linguæ, & ad nutum nostrum continuò porriguntur? Humori denique quod est mirabilius, in vesicâ intus posito, qui & quando eius copiâ nos vrgemur, imperatur vt profluat, & obtemperat. Imò ipsis abditis visceribus & neruis, quibus idem humor continetur, imperatur vt eum propellant, exprimant, eijciant, & si sanitas adest, sine difficultate seruiunt voluntati. Quanto ergo facilius atque tranquillius obedientibus genitalibus corporis partibus & ipsum membrum porrigeretur, vt homo seminaretur, nisi hominibus illis inobedientibus, membrorum istorum inobedientia iusto supplicio redderetur? Quod supplicium casti sentiunt, qui proculdubio mallent si possent, iubente voluntate quàm pruriente voluptate filios seminare. Immundi autem qui propter istum morbum, non solùm meretrices, verum etiam coniuges amant, de hoc supplicio carnis, grauiore supplicio mentis exultent.

Pudendus motus genitalium.

Differentia inter castos & immundos.

CAPVT XXXII.

ABsit ergo vt dicamus quod nos dicere iste confingit, *ista coniugia quæ nunc aguntur à diabolo inuenta.* Prorsus ipsæ sunt nuptiæ, quas ab initio Deus instituit. Hoc enim bonum suum ad hominum generationem institutum etiam damnatis hominibus non detraxit, quibus non detraxit etiam sensus carnis & membra, proculdubio munera sua, quamuis iam debitâ damnatione moritura. Istæ, inquam, sunt nuptiæ de quibus dictum est, excepto quod hic figuratum est magno illo Christi & Ecclesiæ sacramento: *Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vnâ.* Hoc enim ante peccatum dictum est; & si nemo peccasset, sine pudendâ libidine posset fieri. Et nunc quamuis sine illâ non fiat in *corpore mortis huius*, ipsum est tamen quod non cessat fieri, vt *adhæreat homo vxori suæ, & sint duo*

Gen. 2. 24.

duo in carne vnâ. Quamobrem etsi dicitur nunc alias esse nuptias, alias verò si nemo peccasset esse potuisse, non secundum earum naturam sed secundum quandam in deterius mutatam dicitur qualitatem. Sicut alius dicitur, quàmuis idem ipse sit homo, qui mutauerit vitam siue in melius, siue in deterius. Aliud est enim iustus, aliud peccator, quàmuis idem ipse sit homo. Sic aliæ nuptiæ sine pudendâ libidine, aliæ cum pudendâ libidine: cùm tamen secundum constitutionem suam, qua legitimè coniungitur mulier viro, & fides carnalis debiti ab adulteriorum peccato seruatur immunis, & hoc more legitimo filij seminantur, eædem ipsæ sunt nuptiæ quas Deus instituit, quàmuis diabolus non ipsas, sed homines ex quibus nuptiæ fiunt, antiquâ peccati persuasione sauciauerit, inobedientiæ persuadendo peccatum cui per diuinum iudicium inobedientia membrorum reciproca redderetur, in quâ coniugati, quàmuis erubuerint nuditatem suam, nuptiarum tamen à Deo institutam non omnimodo potuerunt amittere bonitatem.

Quomodo aliæ aut nunc aliæ esse nuptiæ.

CAPVT XXXIII.

HInc iste pergit ab eis qui coniunguntur, ad eos qui gignuntur, propter quos in hâc quæstione tantis aduersus nouos hæreticos disputationibus laboramus: & occulto Dei compulsus instinctu dicit aliquid, vbi totum istum nodum suâ confessione dissoluit: volens enim nobis maiorem inuidiam commouere, quia dicimus etiam de legitimis nuptijs sub peccato paruulos nasci. *Illos ergo,* inquit, *qui nunquam nati sunt, bonos potuisse esse dicis: istos verò qui mundum impleuerunt, pro quibus Christus mortuus est, diaboli opus, & de morbo natos, & ab exordio reos desinis. Probasti itaque,* inquit, *nihil te aliud agere, quàm vt Deum neges bonum, qui sunt, hominum conditorem.* Ego quidem conditorem hominum omnium, quàmuis omnes sub peccato nascantur, & pereant nisi renascantur, non dico nisi Deum. Vitium quippe inseminatum est persuasione diaboli, per quod sub peccato nati sunt, non natura condita quâ homines sunt. Libido autem pudenda non moueat membra, nisi quando volumus; & non est morbus. Non de illâ erubescat etiam licitus & honestus coniugatorum concubitus, vitando conspectum & appetendo secretum; & non est morbus. Non prohibeat Apostolus in hoc morbo possideri vxo-

Libido cur sit morbus.

1. *Thes.* 4. 5.

Passio desiderij. Passionis vox vsu Ecclesiastico fere non nisi in malo intelligitur.

res; & non est morbus. Quod enim Græcus habet, ἐν πάθει ἐπιθυμίας, alij Latinè interpretati sunt, in morbo desiderij vel concupiscentiæ, alij verò in passione concupiscentiæ, vel si quo alio modo in alijs atque alijs codicibus inuenitur: sed passio in linguâ Latinâ, maximè vsu loquendi ecclesiastico, non nisi ad vituperationem consueuit intelligi. Quodlibet autem de pudendâ *concupiscentiâ carnis* iste sentiat, de parvulis, pro quibus laboramus, vt saluatore indigere credantur, ne sine salute moriantur, attende quid dixerit. Verba eius repeto: *Illos ergo*, inquit, *qui nunquam nati sunt, bonos potuisse esse dicis: istos verò qui mundum impleuerunt, pro quibus Christus mortuus est, diaboli opus & de morbo natos, & ab exordio reos definis.* O si nodum soluat etiam contentionis, quomodo nodum soluit istius quæstionis. Nunquid enim se modo de maioribus ista locutum esse dicturus est? De paruulis agitur, de nascentibus agitur, de his † nobis, quia rei ab exordio definiuntur à nobis, ab illo inuidia commouetur, quia eos dicimus reos, pro quibus Christus mortuus est. Cur ergo pro illis Christus mortuus est, si non sunt rei? Inde prorsus, inde obtinebimus causam, vnde excitandam putauit inuidiam. Ipse dicit, *quomodo rei sunt parvuli, pro quibus Christus mortuus est?* Nos respondemus, imò paruuli quomodo rei non sunt, pro quibus Christus mortuus est? Ista controuersia iudicem quærit. Iudicet ergo Christus, & cui rei mors eius profecerit, ipse dicat: *Hic est*, inquit, *sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Iudicet cum illo & Apost. quia & in Apostolo ipse loquitur Christus: clamat & dicit de Deo patre, *Quia proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Puto quòd ita dicat Christum traditum pro omnibus nobis, vt in hâc causâ paruuli non separentur à nobis. Sed quid opus est hinc satagere vnde nec iam iste contendit, quandoquidem non solùm confitetur mortuum fuisse etiam pro paruulis Christum, verum etiam inde nos arguit, quòd eosdem paruulos reos dicimus pro quibus mortuus est Christus? Iam itaque Apostolus qui dixit, *pro nobis omnibus traditum Christum*; dicat etiam quare sit *pro nobis traditus Christus. Traditus est*, inquit, *propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Si igitur, sicut iste confitetur & profitetur, & dicit & obijcit, in eis sunt & paruuli pro quibus *traditus est Christus; & propter delicta nostra traditus*

† *Al. nobis.*

Iulianus suo se gladio iugulat.

Matt. 26 28.

Rom. 8. 32.

Rom. 4. 25.

est

est Christus, habent profectò & paruuli delicta originalia, pro quibus *traditus est Christus*. Habet quod in eis sanet, qui, sicut ipse ait, *non est opus sanis medicus, sed malè habentibus*. Habet cur eos saluos faciat, qui *venit in mundum*, sicut dicit apost. Paulus, *peccatores saluos facere*. Habet quod in eis remittat, qui *sanguinem* se fudisse testatur *in remissionem peccatorum*. Habet quod in eis soluat *filius Dei*, qui *propterea venit*, sicut dicit Apostolus Ioannes, *vt soluat opera diaboli*. Habet propter quod eos quærat, *qui venit*, vt dicit, *quærere & saluum facere quod perierat*. Huic ergo paruulorum saluti inimicus est, qui eorum sic asserit innocentiam, vt sauciatis, & vulneratis neget necessariam medicinam.

Matt. 9. 12.

1. Tim. 1. 15.

1. Ioan. 3 8.

Luc. 19. 10.

CAPVT XXXIV.

IAm quod sequitur & adiungit, attende. *Si ante peccatum*, inquit, *per Deum creatum est, vnde homines nascerentur, per diabolum autem vnde parentes commouerentur; adscribitur sine dubio sanctitas nascentibus, & culpa generantibus. Quod quia manifestissimè nuptias damnat, amoueto hunc sensum precor de Ecclesiarum medio, & verè credito quia per Iesum Christum facta sunt omnia, & sine ipso factum est nihil.* Ita hoc dicit quasi nos dicamus, per diabolum aliquid substantiæ creatum in hominibus. Persuasit malum diabolus tamquam peccatum, non creauit tanquam naturam. Sed planè naturæ persuasit, quia homo natura est, & ideo eam persuadendo vitiauit. Qui enim vulnerat, non creat membra, sed vexat. Sed vulnera quæ corporibus infliguntur, membra faciunt claudicare, vel ægrè moueri, non eam virtutem quâ iustus est homo: vulnus autem, quod peccatum vocatur, ipsam vitam vulnerat, qua rectè viuebatur. Hoc autem tunc maius atque altiùs diabolus inflixit, quàm sunt ista hominibus nota peccata. Vnde illo magno peccato primi hominis, natura ibi nostra in deterius commutata, non solùm facta est peccatrix, verùmetiam genuit peccatores: & tamen ipse languor quo bene viuendi virtus periit, non est vtique natura, sed vitium: sicut certè mala in corpore valetudo, non est vlla substantia vel natura, sed vitium: & licet non semper, tamen plerunque malæ valetudines parentum ingenerantur quodammodo, & apparent in corporibus filiorum. Hoc autem peccatum quod ipsum hominem in paradiso in peius mutauit, quia multò est grandius

Ioan. 1

Magnū peccatū primi hominis.

Peccatū in paradiso commissum

grauius est, quam possumus iudicare.

dius quàm iudicare nos possumus, ab omni nascente trahitur, nec nisi in renascente remittitur, ita vt etiam de parentibus iam renatis, in quibus remissum atque rectum est, trahatur in reatum nascentium filiorum, nisi & ipsos quos prima carnalis natiuitas obligauit, secunda spiritalis absoluat. Cuius rei mirabilis, mirabile creator in oliuâ & oleastro produxit exemplum, vbi non solum ex oleastri, verumetiam ex oliuæ semine non nisi oleaster exoritur. Quapropter quàmuis & in omnibus natura generatis, gratiâ regeneratis, sit ista carnalis concupiscentia repugnans legi mentis: tamen quia remissa est in remissione peccatorum, non iam illis in peccatum reputatur, nec nocet aliquid, nisi eius motibus ad illicita consentiatur. Proles verò eorum quia non per spiritalem, sed per carnalem concupiscentiam seminatur, velut ex illâ oliuâ quidam nostri generis oleaster, sic inde reatum nascendo trahit, vt nisi renascendo liberari ab illâ peste non possit. Quomodo ergo affirmat iste nos ascribere sanctitatem nascentibus, & culpam generantibus: cùm potiùs veritas monstret, etsi fuerit sanctitas in generantibus originalem culpam inesse nascentibus, quæ non aboleatur nisi in renascentibus.

Oliua & oleastri exemplum.

Concupiscentia manet quãdo baptizatis in peccatũ reputatur.

CAPVT XXXV.

QVæ cùm ita sint, de ista carnis concupiscentiâ & de libidine imperiosa impudicis, domandâ pudicis, pudendâ tamen & pudicis & impudicis, sentiat iste quod libet, quia ei sicut video multùm placet, non eam laudare cunctetur, quam nominare confunditur, appellet eam sicut appellauit membrorum vigorem, nec castarum aurium reuereatur horrorem; appellet membrorum potentiam, nec caueat impudentiam. Dicat si non erubescit, in paradiso si nemo peccasset, hunc ibi vigorem velut florem virere potuisse, nec opus fuisse vt tegeretur, quod ita moueretur, vt inde nemo confunderetur, sed parata coniuge semper exerceretur, nunquam reprimeretur, ne aliquando voluntas tanta, tantæ fœlicitati negaretur. Absit enim vt beatitudo illa posset aut in loco illo non habere quod vellet, aut in suo corpore vel animo sentire quod nollet, ac per hoc si motus libidinis voluntatem hominum præueniret, voluntas continuò sequeretur, vxorque propter hoc nunquam absens esse debebat, sed siue conceptura, siue iam grauida illico admoueretur: & aut proles

Exagitat aduersarium super quæstione de concupiscentia.

semi-

seminaretur, aut voluptas naturalis & laudabilis expleretur, & periret semen hominis, ne appetitus tam bonæ concupiscentiæ fraudaretur: tantùm non se conuerterent coniuges in eum vsum, qui est contra naturam, sed quotiens delectaret, membris ad hoc creatis & genitalibus vterentur. Veruntamen quid si & ille vsus contra naturam forsitan delectaret, quid si & in hanc voluptatem laudabilis illa libido adhinniret; vtrùm sequerentur eam quoniam suauis esset, an repugnarent, quoniam turpis esset? Si sequerentur, vbi est cogitatio qualiscunque honestatis? Si repugnarent, vbi est pax tantæ fœlicitatis? Hinc si fortè erubuerit & dixerit tantam pacem fœlicitatis illius, tantumque ordinem in his rebus esse potuisse, vt nunquam carnis concupiscentia voluntatem illorum hominum præueniret; sed cùm ipsi vellent, tunc illa consurgeret: tunc autem vellent, quando ad seminandos filios opus esset, ita vt nullis seminis esset irritus iactus, nullus fieret concubitus, quem non sequeretur conceptus & partus ad nutum seruiente carne, ad nutum seruiente libidine. Hoc si dicit, saltem consideret nunc in hominibus non esse quod dicit. Et si non vult concedere vitium esse libidinem, dicat saltem per illorum hominum inobedientiam etiam ipsam vitiatam: vt illa quæ obedienter & ordinatè moueretur, nunc inobedienter inordinatèque moueatur, ita vt ipsis quoque pudicis ad nutum non obtemperet coniugatis; sed & quando non est necessaria moueatur, & quando necessaria est aliquando citiùs, aliquando tardiùs, non eorum sequatur nutus, sed suos exerat motus. Hanc ergo eius inobedientiam inobedientes illi tunc homines receperunt, & in nos propagine transfuderunt. Neque enim ad eorum nutum, sed vtique inordinatè mouebatur; quando membra prius glorianda, tunc iam pudenda texerunt. Sed vt dixi, sentiat de istâ libidine iste quod libet, prædicet vt libet, laudet quantum libet, (sicut enim multis locis significat multum libet) vt eius si non vsibus, saltem laudibus Pelagiani oblectentur, quicumque eorum proposito continentiæ † carnali coniugio non fruuntur, tantum paruulis parcat, vt non eos laudet inutiliter, defendatque crudeliter, saluos esse non dicat, non ad laudatorem Pelagium, sed ad saluatorem Christum venire permittat. Nam vt iam liber iste claudatur, quoniam ita sermo illius terminatus est, qui in chartulâ quam misisti, scriptus est, vt

† Al. carne coniugum.

diceret, *vere credito, quia per Iesum facta sunt omnia, & sine ipso Ioan. 1.*
factum est nihil: concedat Iesum etiam paruulis esse Iesum: &
vt per eum facta omnia fatetur per id quod est verbum Deus;
ita etiam paruulos ab eo saluos fieri fateatur per id quod est
Iesus, si vult esse Catholicus Christianus. Sic enim scriptum
est in Euangelio, *Et vocabunt nomen eius Iesum: ipse enim sal-* *Matt. 1.*
vum faciet populum suum à peccatis eorum. Ideo ergo *Iesum*, quo-
niam Iesus latinè Saluator est: *ipse enim saluum faciet populum*
suum, in quo populo sunt vtique & parvuli: *Saluum* autem
faciet à peccatis eorum. Sunt ergo & in paruulis peccata origi-
nalia, propter quæ *Iesus*, id est, Saluator, possit esse & ip-
sorum.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI CONTRA IVLIANVM PELAGIANVM, LIBRI VI.

Ex Lib. 2. Retract. Cap. 62.

NTEREA libri quatuor Iuliani Pelagiani quos suprà commemoraui, venerunt etiam in manus meas, in quibus comperi illa quæ ex eis decerpserat, qui ea comiti Valerio miserat, non omnia eo modo quo à Iuliano dicta sunt, ad eundem comitem scripta, sed nonnulla eorum aliquantum fuisse mutata. Scripsi ergo sex libros aduersus illos quatuor: sed in eorum duobus primis testimonijs sanctorum qui fidem Catholicam post Apostolos defenderunt, Iuliani impudentia redarguitur; qui tanquam Manichæorum dogma nobis obijciendum putauit, quia ex Adam trahi dicimus originale peccatum, quod per lauacrum regenerationis non solùm in maioribus, verumetiam in parvulis soluitur. Quantum autem ipse Iulianus quibusdam sententijs suis adiuuet Manichæos, in primi libri mei parte posteriore monstraui. Cæteri autem nostri quatuor libris reddunturillius singulis singuli. Verùm in huius, tanti tamque elaborati operis quinto volumine, vbi commemoraui deformem maritum coniugi suæ ne deformes pareret, proponere in concubitu formosam solere picturam, nomen hominis qui hoc facere solebat quasi certum posui, cùm sit incertum, quia memoria me fefellit. Hoc autem Soranus medicinæ artis magister scripsit regem Cyprium facere solere, sed nomen eius proprium non expressit. Hoc opus sic incipit, Contumelias tuas.

Lib. 2. Retract. cap. 53.

Cap. 8. Cap. 9.

B. AVGVSTINI EPISTOLA.

AD CLAVDIVM EPISCOPVM.

BEATISSIMO fratri & coepiſcopo Claudio Auguſtinus in domino ſalutem. Quoniam mihi fraterno excitatus affectu Iuliani quatuor libros, quos aduerſus vnum meum ſcripſit, priuſquam peterem, ipſe miſiſti; nihil conuenientius putaui eſſe faciendum, quàm vt ea quæ reſpondeo potiſſimùm tu legens iudices, vtrùm rectè congruenterque reſponderim. Nam de his quatuor libris nonnulla decerpta ſcripſerat neſcio quis, ad Illuſtrem & religioſum virum, comitem Valerium, aduerſus eundem librum meum, quem me ad illum ſcripſiſſe cognouerat: quæ cùm in manus meas eodem ſublimi viro curante veniſſent, illi primo non diſtuli ſecundum volumen adiungere, in quo illa omnia ſicut potui refutaui. Sed nunc cùm eoſdem libros diligentiùs inſpicerem, comperi illum qui nonnulla inde ſelegerat, non omnia ita poſuiſſe, vt in his libris leguntur. Vnde videri poterit Iuliano, vel cuilibet illorum, me potiùs fuiſſe mentitum, quia non vtique ſicut hi quatuor libri, ita illa quæ de his excerpta, & memorato comiti miſſa ſunt, innoteſcere potuerunt. Quiſquis ergo & illum ſecundum librum meum ad comitem identidem Valerium ſicut primum conſcriptum legit, nouerit me in quibuſdam non reſpondiſſe Iuliano, ſed ei potius qui de libris eius illa ſelegit, & non ita poſuit vt inuenit, ſed aliquantum putauit eſſe mutanda, fortaſſe vt eo modo quaſi ſua faceret, quæ aliena eſſe conſtaret. Nunc autem veriora credens exemplaria, quæ tua ſanctitas miſit, ipſi authori video reſpondendum, qui vnum meum quatuor libris ſuis refelliſſe ſe iactat, & vſquequaque ſpargere fidei venena non ceſſat. Aggreſſus ſum igitur hoc opus in adiutorio ſaluatoris puſillorum atque magnorum, & ſcio te vt id implerem oraſſe pro me, & pro ijs quibus huiuſcemodi labores noſtros profuturos credimus & optamus. Attende ergo iam reſponſionem meam, cuius principium hanc epiſtolam ſubſequetur. Vale in Domino memor noſtri beatiſſime frater.

Libri de nuptijs & concupiſcentia

LIBRI

LIBRI PRIMI
CONTRA
IVLIANVM.

CAPVT I.

CONTVMELIAS tuas & verba maledica, Iuliane, quæ ardens iracundiâ libris quatuor anhelasti, si me contemnere dixero, mentiar. Quomodo enim possum ista contemnere, vbi testimonium conscientiæ meæ cogitans, vel gaudere me video debere pro me, vel dolere pro te, & pro eis qui decipiuntur abs te? Quis autem contemnat siue exultationis suæ materiam, siue mœroris? Nam vnde partim lætamur, partim contristamur, nullâ ratione contemnimus. Meorum quippe causa gaudiorum est promissio Domini dicentis: *Cùm dicunt omne malum aduersum vos mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis.* Et rursus mei causa mœroris est Apostoli affectus vbi lego: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Sed hæc pro tuo dogmate, quod veritatem putas, etiam tu potes dicere: Auferamus itaque de medio, si placet, ista communia, quæ dici ex vtrâque parte possunt, quâmuis veraciter ex vtrâque parte dici non possunt: Primùm abs te quæro, cur libro meo saltem specietenus te respondisse glorieris, cum tuis libris quatuor vnius mei partem nec quartam reprehendendo tetigeris, eosque saltus in prætereundis meis disputationibus feceris, quasi omnino desperares vtriusque operis, & mei scilicet & tui quenquam esse posse lectorem, qui ista deprehenderet? Denique etiam pauca ipsa, in quibus vix est, vt dixi, quarta pars voluminis mei, quæ velut infirmiora existimans, quatuor tuorum grandiorum voluminum strepitu, quasi quadrigarum impetu prosternere & conculcare molitus es; consideratione multò plurium cæterorum, quæ attingere timuisti, inconcussa manere monstrantur. Quod ostendere penè superfluum est. Admonendi enim sunt potiùs, qui hoc nosse desiderant: vt non eos pigeat vtrumque legere, & quod

Matt. 5. 11. & 12.

2. Cor. 11. 29.

Reprehendimus exordia communia.

scripsi, & quod respondere voluisti: Ita enim se res ipsa declarat atque indicat, vt nimium tardi sint, qui hoc à nobis postulent demonstrari. Nunc ergo quia video te à veritate desertum, ad maledicta esse conuersum, ita distribuam disputationem meam, vt ostendam priùs quantis, & qualibus ecclesiæ Catholicæ doctoribus nomine Manichæorum intolerabilem facere non cunctaris iniuriam, & cùm me appetis, in quos tela sacrilega iaculeris. Deinde monstrabo, quòd tu ipse sic adiuuas Manichæorum damnabilem & nefandæ impietatis errorem, vt nullum talem patronum nec in suis dilectoribus valeant inuenire. Tertio loco quantum breuiter potuero sententijs non meis, sed eorum qui fuerunt ante nos, & aduersus impios fidem catholicam defenderunt, inanes argutias tuas & elaborata argumenta conuincam. Postremò quoniam si te non correxeris, necesse tibi erit etiam illos ecclesiæ Catholicæ oppugnare doctores, atque contendere, nec ipsos in hac quæstione Catholicam tenuisse veritatem, defendam contra te Deo adiuuante, & ipsorum & nostram fidem: vbi etiam id poterit apparere, non solùm tu verbis tuis, quod secundo loco me demonstraturum esse promisi, sed ipsum dogma Pelagianum, quod commune est omnibus vobis, quantum adiuuet Manichæos.

Distributio operis.

CAPVT II.

Controuersia inter Augustinum & Iulianum.

PRimam itaque partem distributionis meæ, quemadmodum exequar, parumper aduerte. Nempe inter nos, quantum attinet ad intentionem libri mei, cui te respondisse quatuor tuis iactas, ista vertitur quæstio, quòd ego dico sic nuptias esse laudandas, vt nullo modo ad earum culpam vituperationemque pertineat, quòd omnes homines primorum illorum hominum peccato nascantur obnoxij. Hoc enim qui negat, ipsa Christianæ fidei subuertere firmamenta conatur. Hinc quippe factum est, vt de nuptijs & concupiscentiâ librum scriberem: nuptiarum scilicet bonum discernens ab eo malo vnde trahitur originale peccatum. Tu autem dicis *nuptias sine dubitatione damnari, nisi quod ex eis nascitur, ab omni sit liberum obligatione peccati*: propter quod libris quatuor te vnum meum refutasse gloriaris. In quibus libris volens homines auertere à fide

Catho-

Catholicâ fundatissimâ, & ad nouitatem vestri erroris adducere, sæpe incutis legentium sensibus Manichææ pestis errorem: quasi malum naturale cum Manichæis sapiat, qui dicit infantes secundùm Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ primâ natiuitate contrahere; & ob hoc secundâ indigere, vt per *lauacrum regenerationis* priùs peccati originalis remissione purgentur, & in Dei filios adoptati in regnum vnigeniti transferantur. Hoc de Manichæorum nomine & crimine faciebat etiam Iouinianus; negans Mariæ sanctæ virginitatem, quæ fuerat dum conciperet, permansisse dum pareret, tanquam Christum cum Manichæis phantasma crederemus, si matris incorruptâ virginitate diceremus exortum. Sed in adiutorio ipsius saluatoris, sicut spreuerunt catholici velut acutissimum quod Iouinianus exeruerat argumentum, & nec sanctam Mariam pariendo fuisse corruptam, nec dominum phantasma fuisse crediderunt, sed & illam virginem mansisse post partum, & ex illâ tamen verum Christi corpus exortum: sic spernunt vestra calumniosa vaniloquia, vt neque cum Manichæis affruant mali naturale principium, & secundum antiquam & veram catholicam fidem nullo modo dubitent Christum in euacuando chirographo paterni debiti liberatorem credere paruulorum.

Iulianus ob originalis peccati assertionem Manichaismi notam catholicis impingit

Idem olim Iouinianus, ob assertam beatæ Mariæ perpetuam virginitatem lib. 2. de nupt. & concupis. cap. 5.

Col. 2. 14

CAPVT III.

SEd tu qui tam crebrò nobis Manichæorum nomen opponis, quos & quales viros & quantos fidei catholicæ defensores tam execrabili criminatione appetere audeas, si euigilas, intuere. Non quidem omnium de hac re sententias, nec omnes eorum, quos commemorabo, me congregaturum esse polliceor, quia nimis longum est & necesse esse non arbitror: sed ponam pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere & cedere, si vllus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum peruicaciæ superauerit. Irenæus Lugdunensis Episcopus, non longè à temporibus Apostolorum fuit: Iste ait, *non aliter saluari homines ob antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundùm similitudinem carnis peccati in ligno martyrij exaltatus à terra, & omnia traxit ad se, & viuificauit mortuos.* Item idem ipse: *Quemadmodum astrictum est*, inquit, *morti genus humanum per virginem, saluatur per virginem æqua lance dispositâ*

Recusat veteres patres qui originale peccatum asseuerunt, quos nomine Manichæos audire appellare.

Num. 21. 9.
Ioan. 3. 14.
Ioan. 12. 32.

B. Irenæus lib. 4. cap. 5.

Lib. 5. cap. 18.

dispositâ, virginali inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccato per correptionem primogeniti emendationem accipiente, serpentis prudentia denicta per simplicitatem columbæ, vinculis illis resoluti sumus, per quæ alligati eramus morti. Vidésne antiquum hominem Dei, quid de antiquâ serpentis plagâ sentiat? Quid de *similitudine carnis peccati*, per quam sanatur plaga serpentis in *carne peccati*? Quid de protoplasti peccato, per quod alligati fueramus? Multò autem apertiùs de eâdem fide beatissimus martyr & Epis-

Cyprian. lib. 3. E. pist. 8. ad fidum.

copus Cyprianus: *Si homines*, inquit, *impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos & prouectos & maiores natu possent impedire peccata grauiora. Porrò autem si grauissimis delictoribus & in Deum multò antè peccantibus, cùm postea crediderint, remissa peccatorum datur, & à baptismo atque gratiâ nemo prohibetur: quantò magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quod secundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ, primâ natiuitate contraxit. Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quòd illi remittuntur, non propria, sed aliena peccata.* Reticius ab Augustoduno Episcopum magnæ fuisse

Reticius Episcopus.

authoritatis in Ecclesiâ tempore Episcopatus sui, gesta illa Ecclesiastica nobis indicant, quando in vrbe Romanâ Melchiade Apstolicæ sedis Episcopo præsidente, cum alijs iudex interfuit, Donatumque damnauit, qui prior author Donatistarum schismatis fuit, & Cæcilianum Episcopum Ecclesiæ Carthaginensis absoluit. Is cùm de baptismo ageret, ita locu-

Non extat hoc scriptum

tus est: *Hanc igitur esse principalem in Ecclesiâ indulgentiam neminem præterit, in quâ antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ nostræ facinora prisca delemus, vbi & veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus.* Audis *antiqui criminis pondus*, audis *prisca facinora*, audis *cum sceleribus ingenitis hominem veterem*, & audes aduersus hæc ruinosam construere noui-

Olympius episcopus, nec huius quicquã extat.

tatem? Olympius Hispanus Episcopus, vir magnæ in Ecclesiâ & in Christo gloriæ, in quodam sermone Ecclesiastico: *Si fides*, inquit, *vnquam in terris incorrupta mansisset, ac vestigia defixa tenuisset, qua signata deseruit, nunquàm protoplasti mortiferâ transgressione vitium sparsisset in germine, vt peccatum cum homine nasceretur.* Habésne aliquid quod aduersus nos tibi dicere videaris, quod non etiam in istum dicere compellaris, vel potius in

istos?

istos? Vna est enim omnium catholica fides, qui *per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, in quo omnes peccaverunt,* vno corde credunt, ore vno fatentur, & vestras novitias præsumptiones catholicâ antiquitate subvertunt. Audi adhuc quod te possit amplius commovere, atque turbare, & vtinam in melius commutare. Ecclesiæ catholicæ adversus hæreticos acerrimum defensorem venerandum quis ignorat Hilarium Episcopum Gallum? Qui cùm de Christi carne ageret, attende quid dixerit: *Ergo cùm missus est,* inquit, *in similitudine carnis peccati, non sicut carnem habuit, ita habuit & peccatum. Sed quia ex peccato omnis caro est, à peccato scilicet Adam parente deducta, in similitudinem peccati carnis est missus, existente in eo non peccato, sed peccati carnis similitudine.* Rursùs idem ipse in expositione centesimi duodevigesimi Psalmi, cùm ad id veniisset quod scriptum est: *Vivet anima mea, & laudabit te: vivere se,* inquit, *in hac vitâ non reputat, quippe qui dixerat: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Scit sub peccati origine, & sub peccati lege esse se natum.* Sentisne quid audias? Quærisne qnid dicas? Hunc virum tantâ in Episcopis catholicis laude præclarum, tantâ notitiâ famâque conspicuum, de peccato originali aude, si quid tibi frontis est, criminari. Sed adhuc audi alium excellentem Dei dispensatorem, quem veneror vt patrem: *in Christo enim Iesu per Evangelium ipse me genuit,* & eo Christi ministro *lavacrum regenerationis* accepi: beatum loquor Ambrosium, cuius pro catholicâ fide gratiam, constantiam, labores, pericula, sive operibus, sive sermonibus & ipse sum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus. Hic vir cùm secundùm Lucam exponeret evangelium, *Iordanis,* inquit, *conversus est retrorsum: significavit salutaris lavacri futura mysteria, per quæ in primordia naturæ suæ, qui baptizati fuerint parvuli à malitiâ reformantur.* Rursus idem ipse in eodem opere *Non enim virilis coitus,* inquit, *vulvæ virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero spiritus sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de fœminâ sanctus dominus Iesus, qui terrena contagia corruptelæ immaculati partus novitate non senserit, & cœlesti majestate depulerit.* Idemque in eodem ipso: *Omnes,* inquit, *in Adam morimur; quia per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Illius igitur culpa, mors omnium est.* Item loco alio in eodem evangelio: *Cave ergo,* inquit,

Rom. 5. 12. — Rom. 8. 3. — Psal. 118. 175. — Psal. 50. 7. — 1. Cor. 4. 15. — Psal. 113. 3. — Rom. 5. 12.

Hilarius Episcopus.

Augustinus ab Ambrosio & conversus & baptizatus.

Ambrosius ad illud Luc. 1. Inspiritu & virtute Helia.

Ad illud c. 2. omne masculinum ad aperiendum vulvam.

In 4. c. Luc. de damoniaco & socru Petri sanata.

inquit, *ne antè nuderis, sicut Adam nudatus est, mãdati cælestis custodiâ destitutus, & exutus fidei vestimento, & sic letale vulnus accepit, in quo omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus ille descendens vulnera eius acerba curasset.* Rursùs in opere ipso, alio loco: *Fuit*, inquit, *Adam, & in illo fuimus omnes. Periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Rursùs idem ipse in apologiâ prophetæ Davidis: *Antequam nascimur*, inquit, *maculamur contagio, & ante vsuram lucis, originis ipsius excipimus iniuriam, & in iniquitate concipimur. Non expressit*, inquit, *vtrùm parentum an nostrâ. Et in delictis vnumquemq; generat mater sua.* Nec hic declaravit, *vtrùm in delictis suis mater pariat, an iam sint aliqua delicta nascentis. Sed vide ne vtrumque intelligendum sit. Nec conceptus exors iniquitatis est, quoniam & parentes non carent lapsu. Etsi nec vnius diei infans sine peccato, multò magis nec illi materni conceptus dies sine peccato sunt. Concipimur ergo in peccato parentum, & in delictis eorum nascimur. Sed & ipse partus habet contagia sua, nec vnum tantum modo habet ipsa natura contagium.* Idem ipse in expositione libri Tobiæ: *Quis*, inquit, *iste peccati est fœnerator nisi diabolus à quo Eva mutuata peccatum, obnoxiæ successionis vsuris omne genus defœneravit humanum?* Rursùs in eodem, *Diabolus*, inquit, *Evam decepit, vt supplantaret virum, obligaret hæreditatem.* Idem ipse in expositione psalmi quadragesimioctavi: *Alia est*, inquit, *iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, vt omnes illo vulnere claudicemus.*

Ad illud c. 10. de homine qui in latrones incíderat.

In 5. cap. de filio prodigo.

Lib. apologiæ David cap. 11.

Psal. 50. 7.

Iob. 14.

Lib. de Tobia. cap. 9.

Ibid. c. 23.

In illud Psal. 48. Iniquitas calcanei mei circundabit me.

CAPVT IIII.

INunc & mihi obiice originale peccatum, dissimula ab istis, finge te nescire quid dicant; & sanctæ Ecclesiæ tot tantosque Doctores, qui vitâ optimè gestâ, debellatisque suorum temporum erroribus, glorioſissimè de hoc sæculo, antequàm vos ebullíretis exierunt, velut eis non visis, in me impetum faciens, & velut nesciens, quòd illi sub meo nomine lacerentur, tanquàm securus insulta. Crederem te, fateor, quid mali facias ignorare, nec impudentiæ, sed imprudentiæ tuæ tribuerem, quod hæc lumina civitatis Dei audes hostiliter insectari, quæ sectari fideliter debuisti: Crederem te, inquam, hoc tantum nefas committere nescientem, nisi in eo libro cui te respondisse vel existimas, vel existimari cupis, apertissimum testimoni-

stimonium de Sancti Ambrosij disputatione posuissem. An ibi non legisti, quòd cùm Christi nativitatem de Virginis partu supradictus insinuaret Episcopus: *Ideò, inquit, & quasi homo per vniversa tentatus est, & in similitudine hominum cuncta sustinuit, sed quasi de spiritu natus abstinuit à peccato. Omnis enim homo mendax, & nemo sine peccato nisi vnus Deus. Servatum est igitur vt ex viro & muliere, id est, per illam eorporum commixtionem nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers delicti, expers etiam huiusmodi conceptionis.* Si hæc ibi verba venerandi Ambrosij nõ legisti, quomodò redarguendum librum, in quo ea sunt posita, suscepisti? Si autem legisti, quid adversus me furis, & illum in me primitus carpis? Quid nomen dilaniare niteris meum, & Ambrosium facis tacito eius nomine Manichæum? Cernis nempè cum quibus tua maledicta sustineam, cernis cum quibus mihi sit causa communis, quam nullâ consideratione sobriâ pulsare calumniis & expugnare conaris? Cernis quàm tibi pernicioſum sit, tàm horribile crimen obiicere talibus; & quàm mihi glorioſum sit, quodlibet crimen audire cum talibus? Si cernis, cerne, & tandem tace Pelagianam linguam tot linguis catholicis deprime, tot venerandis oribus proterva ora submitte. Si scholam Xenocratis sicut Polemo ex antelucano convivio temulentus intrasses, non tantâ quanta in isto cœtu tot sanctorum, deberes verecundiâ coërceri. Hic enim certè tanto maior debet esse verecundia, quanto verior adscitur sapientia. Tanto amplius reverendi sunt tot memorabilium Episcoporum, quàm vnius Xenocratis vultus, quantò Platone Xenocratis Doctore, Doctor istorum maior est Christus. Ego certè beatæ memoriæ Memoris patris tui non immemor, qui mecum non parvam inierat amicitiam colloquio literarum, teque ipsum mihi charissimum fecerat, cùm te viderem in libris tuis non antelucano convivio temulentum, sed insano convitio turbulentum introduxi te sedandum atque sanandum, non in alicuius philosophi adiutorium, sed in sanctorum patrum pacificum honorandumque conventum. Sit operæ pretium obsecro te, aspice illos quodammodo aspicientes te, & mansuetè ac leniter dicentes tibi: Itanè nos, fili Iuliane, Manichæi sumus? Rogp quid respondebis? Quibus eos oculis intueberis? Quæ tibi argumenta succurrent? Quæ Aristotelis cathegoriæ, quibus vt in nos velut artifex disputator insilias, videri appetis elimatus? Quæ

Psal. 115. 2.

Lib. 1. de nupt. & concup. cap. 35. Ex commentario in Esaiam, quæ hodie interciderunt.

Polemo in luxuriosâ adolescentiâ insignis factus philosophus. Iulianum Augustinus ob Memoris patris ipsius familiaritatem, charissimum aliquando habuit.

Vide Aug. Epist. 136.

tuorum argumentorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in illorum conspectu exeri audebunt? Quæ abs te arma non fugient nudumque destituent? An fortè dicturus es neminem illorum te in isto crimine nominasse? Et quid facies cum tibi dixerint, tolerabiliùs dente maledico nomina concideres nostra, quam fidem nostram, cuius merito *in cœlo nomina scripta sunt nostra*? An fortè dices eis, nec fidem vestram vllo tali crimine violavi? Sed quâ confidentiâ id dicere audebis homo, qui dicis Manichæum esse sensum, confiteri ex Adam trahere nascentes originale peccatum, quod isti confessi atque professi sunt; quod in Christi Ecclesiâ suorum rudimentorum tempore didicerunt, quod Christi Ecclesiam suorum honorum tempore docuerunt; qui per spiritum sanctum tàm multa peccata omnibus, quos baptizare potuerunt, tam multis parvulis sola originalia remiserunt? Iterùm te admoneo, iterùm rogo, aspice tot ac tales Ecclesiæ Catholicæ defensores atque rectores; vide quibus tam gravem, tamque nefariam irrogaris iniuriam. An ideò contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec vllus in eis est commemoratus à nobis Orientis Episcopus? Quid ergò faciemus, cùm illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere in quâ primum Apostolorum suorum voluit Dominus glorioso testimonio martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses iam tunc periculosam iuventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Aphricanis respondere conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia? & tamen eius successorem crimine prævaricationis accusas, quia doctrinæ Apostolicæ & sui decessoris sententiæ noluit refragari. Sed de hoc interim taceo, ne animum tuum, quem sanare potiùs cupio quàm irritare, laudibus tui damnatoris exulcerem. Sancto Innocentio vide quid respondeas, qui nihil aliud de hâc re sapit, quàm quod isti in quorum te conventum, si tamen prodest aliquid, introduxi: cum his etiam ipse confidet, etsi posterior tempore, prior loco. De miseris parvulis ab originali malo, quod trahitur ex Adam, per Christi gratiam liberandis, vnam cum eis tenet Christianam veramque sententiam. Qui omne præteritum vitium, primi scilicet hominis, qui libero arbitrio est in profunda demersus,

B Petrus Apostolorũ primus.

Laudat epistolas Innocentij Papæ ad Carthaginense & Melevitanũ concilia.

Iulianus Zosimum Pontificem crimine prævaricationis accusare ausus.

Romanus Pontifex reliquis Episcopis loco prior.

Innocentius Papa 1. epist. apud Aug. 91.

Christum

Christum dixit sui lavacro purgasse baptismatis. Qui denique
Ioan.6.54. parvulos definivit, *nisi manducaverint carnem filij hominis*, vitam prorsus habere non posse. Huic respondeo, imò ipsi Domino, cuius ille antistes vsus est testimonio, & dic vndè imago Dei tàm capitali supplicio puniatur, vt vitâ privetur, si peccatum à nascentibus originale non trahitur. Sed quid dicas, aut quid respondeas; qui etiam si beatum audeas Innocentium, non audebis tamen Christum dicere Manichæum. Non est ergò cur provoces ad Orientis antistites, quia & ipsi vtique Christiani sunt, & vtriusque partis terrarum fides ista vna est: quia & fides ista Christiana est & te certè Occidentalis terra generavit, Occidentalis regeneravit Ecclesia. Quid ei quæris inferre, quod in eâ non inveniſti, quando in eius membra veniſti? Imò quid ei quæris auferre, quod in eâ tu quoque accepisti? Nam peccatum originale quod in aliorum perniciem parvulorum negas, quâcunque ætate sis baptizatus, aut ipsum tibi remissum est, aut & ipsum. Sed si verum est, quod audivimus te infantulum baptizatum, etiam tu quamvis à tuis propriis peccatis innocens: tamen quia ex Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ primâ nativitate
Col.1.13. traxisti & in iniquitate conceptus es: profectò exorcizatus & exuflatus es, vt *à potestate erutus tenebrarum transferreris in regnum Christi*. O fili malè ex Adam nate, sed benè in Christo renate, sacramenta quibus te peperit, tuæ matri conaris auferre. Nunquid Manichæa fuit quandò isto modo te peperit, quomodò iam non vis vt pariat, & ingeris ei nativitatis opprobria, vt in eâ cæteris claudas, ex quibus ipse natus es, viscera pietatis? dividis etnomen viri sui, vt ad regenerandos parvulos tantummodò Christus sit: ad maiores autem, Christus Iesus, quia Iesus Salvator interpretatur. Quod eum parvulis esse non vultis, quia nihil eos habere, vnde illos salvos faciat, prædicatis.

Idem Ep. 93.

Iulianus ad Orientales provocabat Episcopos.

CAPVT V.

SEd non tibi deerit magni nominis & famâ celeberrimâ illustris Episcopus etiam de partibus Orientis, cuius eloquia ingentis merito gratiæ, etiam in linguam Latinam trãslata vsque quaque claruerunt. Sedeat ergò cum istis patribus etiam sanctus Gregorius, & cum eis tuæ criminationis inanem patiatur invidiam, dùm tamen cum eis contrà novitiam

Etiam Orientis Episcopos in originali peccato asserendo Occidentalibus consentire.

pestem vestram, medicinalem proferat & ipse sententiam. Audi ergò quid dicat: *Imago*, inquit, *Dei, labem corporeæ mundationis expurget, & coniunctam sibi carnem verbi Dei sublevet pennis. Et quamvis melius fuisset nec egere quidem huiusce modi expurgatione, sed in illâ prima dignitate permansisse, ad quam & refestinamus post præsentem emendationem, & melius fuisset non excidere à ligno vitæ gustu amarissimo peccati: tamen in secundo loco expedit emendari & corrigi post lapsum, quam in nequitiis permanere.* Item eádem idem ipse: *Sicut in Adam omnes*, inquit, *mortui sumus, ità & in Christo omnes vivificemur. Cum Christo ergo nascamur, & cum Christo crucifigamur, & consepeliamur ei in mortem, vt cum ipso etiã resurgamus ad vitam. Necesse est enim nos perpeti vtilem hanc & necessariam vicissitudinem: vt si ut ex bonis ad tristia devoluti sumus, ita ex tristibus ad meliora reparemur. Vbi enim abundavit peccatum, superabundavit gratia. Vt quos gustus ligni vetiti condemnavit, Christi crux gratiâ largiore iustificet.* Idem rursùs: *Venerare*, inquit, *nativitatem, per quam terrena nativitatis vinculis liberatus es. Honora Bethleem pusillam & minimam, per quam tibi regressus ad paradisum patefactus est.* Itemque alibi de baptismo loquens: *Persuadeat*, inquit, *tibi de hoc quoque sermo Christi dicentis, neminem posse introire in regnum cœlorum, nisi renatus fuerit ex aquâ & spiritu. Per hunc primæ nativitatis maculæ purgantur, per quas in iniquitatibus concipimur, & in delictis genuerunt nos matres nostræ.* Nunquid & istum Manichæi sapere vel iacere venena dicturus es? Audis omnes vno corde, vno ore, vnâ fide idipsum dicere, & hanc esse catholicam fidem non dissonante contestatione firmatam. An tibi parva in vno Gregorio episcoporum orientalium videtur authoritas? Est quidem tanta persona: vt neque ille hæc nisi ex fide Christianâ omnibus notissimâ diceret; nec illi eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi hæc ab illo dicta ex regulâ notissimæ veritatis agnoscerent. Sed si vis addimus huic & sanctum Basilium, imò velis nolis addendus est, maximè quia & tu de libro eius, quem scripsit adversus Manichæos, in quarto volumine huius operis tui aliquid putasti esse ponendum, quod ad causam peccati originalis *per vnum intrantis in mundum, & per omnes homines transeuntis* omninò non pertinet. Ibi quippè agit, ne malum substantiale credatur, habens suam quandam materiam, sicut sapiunt Manichæi. Dicit ergò *non esse substantiam, sed conversationem, quæ de solâ voluntate contingat*; non his, qui con-

Gregorius Nazianzenus.

Oratione in natalem Christi, paulo post initium.

1. Cor. 15. 22.

Ibidem sub finem.

Rom. 5. 20.

Ioan. 3. 5.

Respondet ad locum Basilii à Iuliano pro se producturn.

Basilius libro scripsit contra Manichæos.

Rom. 5. 12.

contagium mortis antiquæ primâ nativitate traxerunt, sed *iis qui ægritudinem conversationis de voluntate propriâ collegerunt*, id est, iam maioribus ratione vtentibus & arbitrio voluntatis. *Hanc conversationem ex accidenti venientem facillimè dicit posse ab ægrotantium voluntate separari.* Dicit etiam, *si evenisset malum, ità vt non valeret vlterius à voluntate removeri, id est, quàmvis accidisset, si ità accidisset vt separari vlteriùs à voluntate non valeret; meritò dici posset substantiale quidem malum non esse, sed ipsam substantiam sine malitiâ quæ accidit, iam esse non posse. Si autem accessit,* inquit, *& principium accessionis non substantiam habuit, sed voluntatem, facilè potest malum à substantiâ separari, vt & subiecta voluntati substantia, munda possit per omnia possideri, ità vt nullius mali vel signa remaneant.* Ista ità rectè dixit sanctus Basilius, vt Rom. 5. 12. etiam de ipso malo, quod *per* Adam *intravit in mundum, & per omnes homines pertransiit*, benè possit intelligi; quia & ipsum accessit naturæ humanæ. Non enim sic est primitus condita, & principium accessionis non substantiam habuit, sed voluntatem, sive mulieris, quæ à serpente seducta est, sive viri eius, qui seductæ ad peccandum consensit vxori. Sed quod ait, *facile posse malum a voluntate, vel a substantiâ separari:* non humanæ facilè est voluntati, sed misericordiæ Dei. Quod adversùs Manichæos vtique sufficit, qui putant esse impossibile mutari in bonum naturam mali. Ideò non ait Basilius, ipsam voluntatem hominis, sive substantiam, vel naturam, malum à se posse facile separare: sed *ab eâ posse facilè separari:* sic verba sua librans, vt & Manichæos, contra quos agebat refelleret; & contra divinam gratiam humanam superbiam non extolleret. Ille quippe omnipotens cui secundùm evangelium facile est, Matt. 19. 26. quod hominibus impossibile est, malum quod nobis accidit, vel ex primi hominis, vel ex nostrâ insuper voluntate, ità suæ gratiæ largitate consumet, *vt subiecta substantia voluntati*, quemadmodũ commemorasti dixisse Basilium, *munda possit per omnia possideri*, sic omnino, *vt nullius mali vel signa remaneant.* Fiet hoc, & ipsa spes est indubitata fidelium. Sed quando perficiatur, in promptu est catholicæ fidei. Tunc enim dicetur noviss- 1. Cor. 15. mæ inimicæ morti: *Vbi est contentio tua, vbi est aculeus tuus?* Item 55. quod commemoras dixisse Basilium, *si castitas virtus est, corpus verò substantialiter malum esset, impossibile erat castum corpus inveniri; quia corpus turpitudinis, virtutis non fieret corpus: cùm autem sanctificatur, virtutis efficitur, & ità communicat virtus corpori, corpusque*

Respondet ad alterum locum ex eodẽ Basilii libro petitũ.

corpusque virtuti per quam, & templum efficitur Dei. *Vnde si omne corpus fornicationis esset, impossibile vtique erat castitatem in corporibus inveniri; tumque demum naturæ corporum possemus malum substantiale deputare. Si verò eousque corporis merita processerunt, tantoque honore decoratum est, ac tale indumentum pudicitiæ susceperit, vt domus sui factoris esse mereretur, ac fieret thalamus filij Dei, vt venientes pater & filius habitationem corporum eligere dignarentur: quomodò non execrabilis & ridendus Manichæi sermo convincitur?* Quid potuit dici veriùs & Catholicæ regulæ convenientiùs? Dictum est enim adversus Manichæos, putantes, atque affirmantes de gente tenebrarum, quam malam naturam dicunt, Deo bono coæternam habere originem corpora, & esse etiam ipsa immutabilia mala: non adversus eos, qui tenentes veram & verè Christianam fidem, nunc quidem *corruptibile esse corpus & aggravare animam* confitentur; sed nec tale primitus conditum, atque in paradiso constitutum, nec tale semper futurum: sed incorruptione atque immortalitate mutandum, & nunc iam esse incipere templum Dei, coniugali vel viduali, vel etiam virginali pudicitiâ decoratum. Quando etsi *caro concupiscit adversus spiritum, sic tamen spiritus concupiscit adversus carnem*, vt nec ipsius *corporis membra exhibeat iniquitatis arma peccato.* Sed audi quod ad rem præsentem spectat, quid de peccato primi hominis ad nos etiam pertinente dicat ille sanctus sine vllâ ambiguitate Basilius. Quod etsi reperi interpretatum, tamen propter diligentiorem veri fidem, verbum è verbo malui transferre de Græco. In sermone de ieiunio: *Ieiunium*, inquit, *in paradiso lege constitutum est. Primum enim mandatum accepit Adam: A ligno sciendi bonum & malum non manducabis. Non manducabis autem, ieiunium est, & legis constitutionis initium. Si ieiunasset à ligno Eva, non isto indigeremus ieiunio. Non enim opus habent valentes medico, sed malè habentes. Ægrotavimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam. Pœnitentia verò sine ieiunio vacua est. Maledicta terra spinas & tribulos pariet: Contristari ordinatus es, nunquid deliciari?* Et poulò post in eodem sermone, idem ipse: *Quia non ieiunavimus*, inquit, *decidimus de paradiso. Ieiunemus ergò vt ad eum redeamus.* Hæc atque huiusmodi alia Sancti Basilij si legisses, vel si lecta fideliter considerare voluisses, nunquàm profecto de literis eius ad offundendas nebulas ignorantibus ea, quæ nihil ad quæstionem, quæ inter nos vertitur, pertinent, in his tuis libris, nescio quâ mente posuis-

Manichæorum error de corporibus

Sap. 9. 15. 1. Cor. 15. 53.

Gal. 5. 19. Rom. 6. 13.

Basilij magni testimonium pro peccato originali. Serm. 1.

Gen. 2. 17.

Mat. 9. 12.

Gen. 3. 18.

posuisses. Audis quòd *isto non indigeremus ieiunio, si homo ieiunij legem non fuisset in paradisi felicitate transgressus*; & negas peccato illorum hominum obnoxios cæteros nasci? Audis adiunctum: *Non enim sani indigent medico*: & negas nos sanitatem, in quâ nos creati sumus, peccato illorum hominum perdidisse? Audis sententiam, quæ prolata est in primum hominem peccatorem: *Spinas & tribulos terra pariet tibi*: ad nos etiã pertinere; & negas obnoxios esse peccato, quos eidem cernis obnoxios esse sententiæ. Audis *ad paradisum nos vnde decidimus, redire debere*; & negas ad nos eorum peccatum, qui soli tunc homines in paradiso fuerant, in quibus & nos fuimus, pertinere. Quid hinc plura? Vide iam vtrùm sufficiant tibi ex Orientis partibus duo isti tàm insignes viri, & tàm clarâ præditi sanctitate, & sicut fertur etiam carne germani. Sed idic non sufficere. Habemus alios Orientales Episcopos quatuordecim, Eulogium, Ioannem, Ammonianum, Porphyrium, Eutonium, Porphyrium, Fidum, Zosimum, Zoboenum, Nymphidium,, Chromatium, Iovinum, Eleutherium, Clematium, quos vno loco simul inventos in istum consensum introducere valeamus, illos ipsos qui Pelagio iudices præsiderunt, eumque vt homines nullo ex alterâ parte vrgente adversario putantes catholicum, tanquàm catholicum pronunciarunt. Nisi enim in eorum conspectu audituque damnasset eos, *qui dicunt quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum, & quòd infantes nuper nati in eo statu sint, in quo Adam fuit ante peccatum, & infantes etiam si non baptizentur, habere vitam æternam*, nullo modo inde nisi damnatus exisset. Quid enim vobis prodest, quòd nescio quas ansas atque vncos, arte nescio cuius perplexitatis inseritis, ne simplicia pateant, & clara luceant? Quis enim non videat, quomodò ista illi iudices accipere potuerunt, scilicet secundùm Catholicam fidem, quæ vbiq; parvulos exorcizando & exufflando *de potestate* eruit *tenebrarũ*, non sicut exponũtur, vel potiùs componuntur à vobis? Et tamen dicere potuistis, Adæ peccatum non propagatione, sed imitatione læsisse genus humanum, & infantes nuper natos non in eo statu esse, in quo fuit Adam ante peccatum, quòd ille præcepti capax fuerit, isti adhuc non sint. His nebulis illud iudicium se putat illusisse Pelagius, vosq; ad hoc nefas toto capite annuitis, & tot ab illo Episcopos irrisos esse ridetis. Sed nunquid infantes etiam si non bap-

Gen. 3. 18.

Basilius & Gregorius germani fratres, sed Mysenus, non Nazianzenus: in quo fallitur Augustinus.

Episcopi Palestinæ concilij, coram quibus causam dixit Pelagius & obiectos sibi errores anathematizavit. Lib. de Gest. Pelagij cap. 11. & 33. & 35.

Quomodò Pelagius concilium Palestinum eluserit.

tizentur, habere vitam æternam vllâ calliditate in aliud detorquere, vel vllis folijs ficulneis operire potuistis? Eos enim qui hoc dicunt, non potuit apud Catholicos iudices nisi damnare Pelagius. Et quod sentiebat, damnavit coram hominibus, damnari metuens ab hominibus. Nam si hoc non sentitis, nobis vtique consentitis: Sed quia nobis non consentitis, illud sine dubitatione sentitis. Ac per hoc Orientales vos iudices damnent, à quibus Pelagius damnari timens, eos qui sentiunt ista damnavit, cum eis quos damnavit profectò damnandus, quia id quod negavit ore, corde servavit. Nam quod verbis eius anathematizatur, in literis eius invenitur. Sed nunc cum illo non ago: Tu quid dicis, cum quo mihi nunc res est? Ecce adsunt tot iudices Orientales, leguntur gesta Ecclesiastica, quæ apud eos sunt habita. Legitur obiectum esse Pelagio, quòd dicat *infantes etiam non baptizatos habere vitam æternam.* Legitur Pelagius eos damnasse, qui hoc dicunt. Neque enim illos iudices aliter potuisset evadere. Nunc ipse quid dicis? Habebunt vitam æternam parvuli etiamsi non baptizati ex hâc vitâ emigraverint, an non habebunt? Si dixeris, habebunt: Pelagij tui te verba damnabunt, & illi omnes à quibus timuit ipse damnari. Si autem dixeris, non habebunt: quæro quâ causâ innocens imago Dei vitæ privatione punietur, si nullum peccatum ex humanâ propagatione contrahitur? si verò contrahitur, cur Manichæi dicuntur, qui hoc sentiunt, à quibus Pelagius damnatus fuisset, nisi hoc se sentire finxisset? Tu interim habes in conspectu, non solùm Occidentis, verumetiam Orientis Episcopos. Nam qui nobis deesse videbantur, plures Orientes invenimus. Omnes vno eodemque modo credunt, *per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertransisse, in quo omnes peccaverunt.* Qui modus hic est? Vt peccato illius primi hominis omnes nasci credantur obnoxij. Si hoc qui dicit, Manichæus abs te dicitur, istos aspice, istos erubesce, istis parce, vel tibi potiùs, ne rector & * habitator illorum tibi fortè non parcat. Si autem istos Manichæos esse non dicis, nec me poteris invenire cur dicas. Neque enim me ob aliud esse dicis, nisi quia de peccato primi hominis, cui omnes carnalis nativitas obligavit, nec inde quemquam nisi spiritalis nativitas solvit; quod credunt, credo; quod tenent, teneo; quod docent, doceo; quod prædicant, prædico. Istis cede, & me non cædes. Acquiesce istis &

Gesta concilij Palestini in causâ Pelagij.

Cap. 11. & 33. & 35.

Rom. 5. 12.

* *al.* arbiter.

quiescis à me. Postremò si mihi per eos amicus fieri non vis, saltem peto, ne per me illorum efficiaris inimicus. Sed quomodò non efficieris, si in isto errore permanseris? Quantò ergò melius vt his accedas, ab illo recedas. Tantùmne apud te possunt Pelagius & Celestius, vt à solis ortu vsque ad occasum tot ac tantos Catholicæ fidei Doctores & defensores, antiquos & nostræ ætati contiguos, dormientes & manentes, non solùm deserere, verùmetiam Manichæos audeas appellare? Miror si hoc aliquandò ex tuo poterit ore procedere, quod te tamen clamare pravitas tui compellit erroris. Sed mirum si in facie hominis tantum intervallum est inter frontem & linguam, vt in hâc causâ frons non comprimat linguam.

CAPVT VI.

Respondet ad Chrysostomi locum contra originis peccatum à Iuliano productum.

SEd quid musites, novi. Dic iam dic, audiamus, in extremo tui operis, de quo nunc agimus, id est, in quarti libri parte novissimâ est: *Sanctus Ioannes*, inquis, *Constantinopolitanus negat esse in parvulis originale peccatum. In ea quippe homilia, quam de baptizatis habuit: Benedictus*, inquit, DEVS, *qui fecit mirabilia* Psal. 71. 18. *solus, qui fecit vniversa, & convertit vniversa. Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captivi, & cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore, & iustitia in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed & sancti: non tantùm sancti, sed & iusti: non solùm iusti, sed & filii: non solùm filij, sed & hæredes: non solùm hæredes, sed & fratres* Rom. 8. 17. *Christi: nec tantùm fratres Christi, sed & cohæredes: non solùm cohæredes, sed & membra: non tantùm membra, sed & templum: non tantùm templum, sed & organa spiritus. Vides quot sunt baptismatis largitates, & nonnulli deputant cœlestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere. Nos autem honores computavimus decem. Hac de causa etiam infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, vt eis detur vel addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, vt eius membra sint.* Itàne ista verba sancti Ioannis Episcopi audes tanquam econtrario tot taliumque sententiis collegarum eius opponere, eumque ab illorum concordissimâ societate seiungere, & eis adversarium constituere? Absit, absit hoc malum de tanto viro credere aut dicere. Absit, inquam, vt Constantinopolitanus Ioannes

Homilia ad Neophytos, est tom. 5.

de baptismate parvulorum, eorumque à paterni chirographi liberatione per Christum, tot ac tantis Coepiscopis suis, maximèque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio. Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ catholicæ defensores, salvâ fidei compage non consonant, & alius alio de vnâ re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem vnde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Quisquis in Christianâ fide vult labefactare, quod scriptum est: *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes vivificabuntur*; totum quod in Christum credimus auferre molitur. Omninò & parvulorum salvator est Christus; Omnino, nisi ab illo redimantur peribunt, quoniam sine carne eius, & sanguine vitam habere non possunt. Hoc sensit, hoc credidit, hoc didicit, hoc docuit & Ioannes. Sed tu eius verba in vestrum dogma convertis. Peccata dixit parvulos non habere, sed propria. Vnde illos innocentes meritò nuncupamus, secundum id quod ait Apostolus. *Nondum natos nihil egisse boni sive mali,* non secundum id quod ait, *Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Poterat etiam noster Cyprianus hoc dicere de parvulis quod Ioannes, quandoquidem ait, *quod infans natus nihil peccaverit, & quod ei remittantur non propria, sed aliena peccata.* Comparans ergò eos Ioannes maioribus, quorum propria peccata dimittuntur in baptismo, dixit illos non habere peccata, non sicut verba eius ipse posuisti, *non coinquinatos esse peccato*, dum vis vtique intelligi, non eos peccato primi hominis inquinatos. Verùm hoc non tibi tribuerim, sed interpreti, quamquam in aliis codicibus eandem interpretationem habentibus, non peccato, sed peccatis legatur. Vnde miror si non aliquis ex numero vestro singularem maluit numerum scribere, vt illud acciperetur vnum, vnde dicit Apostolus. *Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Ibi quippe vnum, non nisi vnum delictum vult intelligi: quo nolentes credi parvulos inquinatos, non eos peccata non habere quod ait Ioannes, ne intelligerentur propria: vel peccatis, sicut habet in aliis codicibus eadem interpretatio, sed *peccato non inquinatos* dicere maluistis, vt vnum primi hominis peccatum veniret in mentem.

1. Cor. 15. 21. & 22.

Rom. 9. 11.

Rom. 5. 19.

Rom. 5. 16.

Peccata non habere parvulos quo sensu dixerit Chrysostomus. Lib. 3. ep. 8.

tem. Sed suspitionibus non agamus, & hic vel scriptoris error, vel varietas putetur interpretis. Ego ipsa verba Græca quæ à Ioanne dicta sunt ponam, διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καίτοι μὴ ἁμαρτήματα μὴ ἔχοντα. Quod est latinè, *Ideo & infantes baptizamus, quàmvis peccata non habentes.* Vides certè non ab eo dictum esse *parvulos non coinquinatos esse peccato*, sive peccatis, sed non habere peccata, intellige propria, & nulla contentio est. At inquies, Cur non ipse adiidit propria? Cur putamus, nisi quia disputans in catholicâ Ecclesiâ, non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondùm litigantibus securius loquebatur. Nam vis audire quid etiam ipse de hâc re apertissimè dixerit? Ecce etiam ipsum numero illi adiungo sanctorum, Ecce inter meos testes, vel inter nostros constituo iudices, quem putasti patronum tuum, Ecce & ipsum dicturus es Manichæum. Ingredere sancte Ioannes, ingredere, & conside cum fratribus tuis, à quibus nulla ratio, nulla tentatio te separavit. Opus est & tuâ, & maximè tuâ sententiâ, quoniam in tuis literis iste iuuenis invenisse se putat, vnde tot tantorum Coepiscoporum tuorum se arbitratur percellere & evacuare sententias. Quòd si verè tale aliquid invenisset, & quod ipse sentit, te sentire claruisset, numquam te vnum, pace tuâ dixerim, tot & talibus præferre in eâ causâ possemus, de quâ nunquam fides Christiana & Ecclesia catholica variavit. Sed absit vt tu aliud saperes, & in eâ tam præcipuus emineres. Dic ergo & tu aliquid, vndè iste iuuenis confundatur & revereatur, qui quærit maculam meam; & ignosce mihi, quia cùm illi de hâc re quid sentias demonstravero, quæsiturus est & tuam. Dicit enim sensum esse Manichæum, credere parvulos indigentes esse Christi liberatoris auxilio, vt à damnatione liberentur, quia ex peccato primi hominis obligati sunt. Ac per hoc cùm te hoc sentire cognoverit, aut ipse se corriget ab errore Pelagii, aut & tibi crimen obiiciet Manichæi. Sed vt conferamus ei verum beneficium, falsum eius non curemus oppropriuim. Audi iam Iuliane quid etiam Ioannes cum cæteris catholicis doctoribus dicat, ad Olympiam scribens, *Quando enim Adam peccavit*, inquit, *illud grave peccatum & omne genus hominum in commune damnavit, de mœrore pœnas luebat.* Item de resuscitatione Lazari, *Flebat Christus*, inquit, *cur vsque ad hoc mortalitas deliquisset, vt excussa de perennitatibus inferos adamaret. Flebat*

Authypophora.

Iulianus, iuuenis.

Ioannis Chrysostomi pro peccatorigenali testimonio.

Ioan. 11. 35

Extat hæc homilia 11. 3. titulo de Lazaro resuscitato.

Christus, quod eos qui immortales esse potuerunt, diabolus fecit esse mortales. Quid dici posset expressius? Quid ad ista respondes? Si Adam *grandi peccato suo omne genus humanum in commune damnavit*, nunquid nisi damnatus parvulus nascitur? Et per quem, nisi per Christum, ab istâ damnatione liberatur? Si & in Lazaro dicitur *excussa de perennitatibus mortalitas inferos adamasse*, quis mortalium non ad istam culpam casumque pertineat, quo cecidit primus homo de vitæ perennitate, quam si non peccaret, acceperat? Si *diabolus omnes, qui immortales esse poterant, fecit esse mortales*, vnde etiam parvuli moriuntur, si obnoxii peccato primi illius hominis non sunt? Nunquid ergò, nisi per eum in quo omnes vivificabuntur, etiam parvuli de regno mortis eruuntur? Tractat idem Ioannes in sermone quodam huiusmodi quæstionem, cur bestiæ vel lædant homines, vel interimant; cùm sententia Domini manifesta sit, quâ eas homini subdidit, vt earum habeat potestatem? Quam quæstionem sic solvit, vt dicat, ante peccatum omnes bestias homini fuisse subiectas, quòd autem nunc hominibus nocent, pœnam primi esse peccati. Prolixa tractatio est, ideò huic operi non à me inseritur, sed tamen aliquid inde oportet vt ponam. *Timemus*, inquit, *bestias & pavemus, non contradico. Et à principatu decidimus, & hoc dico ipse etiam. Sed non hoc ostendit legem* Dei *esse mendacem. Ab initio enim non ita res erant à sposita, sed timebant, & tremebant, & subiiciebantur* Domino. *Et quoniam à fiduciâ decidimus, profectò & ab honore. Vnde hoc manifestum? Adduxit bestias ad Adam videre quid eas vocaret, & non resiluit Adam tanquam timens.* Et paulò post *Hoc vnum*, inquit, *signum, quod non fuerint homini ab initio terribiles bestiæ, secundum aliud isto manifestius, quæ fuit ad mulierem per serpentem disputatio. Si enim essent terribiles hominibus bestiæ, non vtique mulier viso serpente mansisset, non accepisset consilium, non ei cum tantâ sermocinaretur fiduciâ, sed statim ad ipsum & expavisset & resiluisset aspectum. Nunc autem & disputat & non timet. Nondum enim erat timor iste, sed quia peccatum ingressum est, ablata sunt ea quæ honoris erant.* Itemque post paululum, *Quamdiu quidem*, inquit, *habebat ad* Deum *fiduciam, terribilis bestius erat, sed quia offendit, extremos etiam conservorum suorum iam pavet. Quod si hoc non est*, inquit, *tu mihi ostende ante peccatum, quòd terribiles erant hominibus bestiæ, sed non habebis. Si autem post tanta ingressus est timor, tutela* Domini *est. Si enim mandato quod datum est, moto ab homine, & soluto, honor*

Homilia 9. in Genesim.

Gen. 1. 28.

Gen. 2. 19.

Gen. 3. 1. & seq.

qui

qui ei datus erat à Deo, manſiſset immobilis, non facile reſurrexiſſet. Nempe manifeſtũ eſt S. Ioannẽ hâc diſputatione mõſtraſſe illud quod per vnũ hominẽ peccatũ ingreſsũ eſt, cõmune omnibus hominibus factũ eſſe peccatũ, quãdoquidẽ in omnibus terror cõmunis eſt beſtiarũ, quæ vtiq; nec infantibus parcunt. Quos profectò ſecundùm iſtum tractatum Ioannis, nullo modo læderent, ſive terrerent, niſi eſſent veteris illius peccati obligatione conſtricti. Dic Iuliane, dic etiam iſtum, quid enim iam dubitas dicere, Manichæum, qui tantam naturæ cuius innocentiam defenditis, fecit iniuriam, & propagationem damnationis aſſeruit. Imò verò cohibe te ipſum, ſi quid tibi eſt ſanabilis mentis, & corrige, & aliquandò intellige, quomodò potuerit dicere Ioannes parvulos non habere peccata. Non quòd peccato primorum hominum non teneantur obſtricti, ſed quòd ſua nulla commiſerint. Et hoc quidem in eâdem ipsâ homiliâ ſi totam legiſſes, invenire potuiſti. Aut ſi legiſti, neſcio quemadmodum te potuit præterire. Aut ſi præterire non potuit, miror cur te non correxerit, ſi tamen aliquid apud te valet Ioannis authoritas. Aut ſi illo ſermone perlecto, eoque loco eius quem commemoraturus ſum, cognito atque perſpecto in opinione tuâ manendum putaſti; vt quid inde verba quælibet inſeruiſti operi tuo? An fortè vt nos tecum legere commoneres, & invenire vndè tuas deprehenderemus & convinceremus inſidias? Quid enim apertiùs, quàm id quod ibi dixit, *Venit ſemel Chriſtus, & paternis nos cautionibus invenit aſtrictos, quas conſcripſit Adam. Ille initium obligationis oſtendit, peccatis noſtris fœnus accrevit.* Audiſne hominem in fide Catholicâ & eruditum & erudientem, diſtinguentem debitum paterni chirographi, quod hæreditarium nobis inhæſit, ab eis debitis, quorum per noſtra peccata fœnus accrevit? Audis quid parvulis relaxetur in baptiſmo, qui nondum propria debita contraxerunt, nec tamen à paterno chirographo immunes eſſe potuerunt? Verba quippè eius non interpretata ſic leguntur in Græco ἔρχεται ἅπαξ ὁ χριστὸς, εὗρεν ἡμῶν χειρόγραφον πατρῶον, ὅτι ἔγραψεν ὁ ἀδὰμ, ἐκεῖνος τὴν ἀρχὴν ἐπήγαγεν τῷ χρεΐῳ, ἡμεῖς τὸν διανεισμὸν ηὐξήσαμεν ταῖς μεταγενεστέραις ἁμαρτίαις. Quæ verba è verbo interpretata ſic ſe habent, *Venit ſemel Chriſtus, invenit noſtrum chirographũ paternũ, quod ſcripſit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus poſterioribus peccatis.* Nunquid contentus fuit dicere, paternum chirographum

Homilia ad Neophytos, tom. 5.

tem ex multis delictis in iustificationem. Et post paululum ait: *Primò enim dixit, quoniam si vnius peccatum interfecit omnes, multò magis & vnius gratia poterit salvare. Post hæc autem ostendit*, inquit, *quoniam non illud solum interfectum est peccatum per gratiam, sed etiam omnia reliqua. Et non solùm peccata interfecta sunt, sed etiam & tributa iustitia est. Et non tantùm solum profuit Christus, quantum nocuit Adam, sed multò amplius atque magis.* Post hæc in eodem cùm de baptismo ageret, interposuit verba Apostoli dicentis, *An ignoratis*, inquit, *fratres, quoniam quicunque in Christo baptizati sumus, in morte eius baptizati sumus? Consepulti ergò sumus illi per baptismum in morte: Quid est, in morte illius baptizati sumus? Vt & ipsi moriamur sicut & ille. Crux enim est baptisma. Quod ergò crux Christo & sepulchrum hoc nobis baptisma factum est, tametsi non in eisdem ipsis. Ipse namque carne & mortuus est & sepultus, nos autem peccato in vtroque, quapropter non dixit, Complantati morti: sed, similitudini mortis. Mors namque & hoc & illud, sed non eidem ipsi subiacet. Sed hæc quidem carnis Christi, nostra autem peccati. Quemadmodum ergò illa vera, & hæc.* Nunquid dubitare iam poteris Sanctum Ioannem tàm longè esse à sensu vestro, quàm non recedit à sensu Catholico? Nunquid in eius disputatione quâ exponit Apostoli locum huic quæstioni, quæ inter hos vertitur pernecessarium, vbi scriptum est, *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum*, & cætera quæ connexa sunt, alicui redolet, quod vos dicitis, *propter imitationem hoc esse dictum, non propter carnalem nativitatem*? Nònne illo vno peccato contaminata dicit esse omnia, & sic illud distinguit à cæteris postea commissis introductisque peccatis, quæ vos dicitis ad imitationem, non ad propaginem pertinere, vt non illa tantùm, sed hoc & illa per gratiam Christi dicat interfici? Nonne de baptismate Apostoli verba, vbi ait, *Quicunque baptizati sumus in Christo, in morte illius baptizati sumus:* sic exponit, vt dicat ita eum peccato mori, qui baptizatur in Christo, sicut carne mortuus est Christus; quia in morte Christi baptizari, nihil est aliud quàm peccato mori? cui ergò peccato parvulus moritur, si originale non traxit? An fortè non in Christi morte parvuli baptizantur, cùm Apostolus non dixerit quidam, sed *quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus?* An quandò baptizantur baptismate Chri-

Ibidem.

Rom. 6. 3. & 4.

Rom. 5. 12.

Rom. 6. 3.

Quid sit in morte Christi baptizari?

stiano,

ſtiano, dicturi eſtis, quòd non baptizentur in Chriſto: ne vos Epiſcopus Ioannes ſuâ diffinitione ſuffocet, qui dicit hoc eſſe baptiſmum eis, qui baptizantur in Chriſto, *quod crux & ſepulchrum fuit Chriſto*, vt quemadmodum ille mortuus eſt carne, ſic & iſtos intelligamus mortuos eſſe peccato? Ecce cui viro quàm magno Chriſtianæ fidei, atque huius Catholici dogmatis defenſori, voluiſti veſtrum dogma ſupponere, quaſi dixerit, parvulos primi hominis non inquinatos eſſe peccato, cùm dixerit *eos non habere peccata*: quæ non eum intelligi, niſi propria voluiſſe, eius tàm multa teſtimonia tamque manifeſta declarant.

CAPVT VII.

QVid te igitur adiuvit, quod Ioannis Conſtantinopolitani tanquam tibi ſuffragetur, teſtimonium poſuiſti? An vt vnum verbum quaſi ab eo prætermiſſum, velut acutâ calliditate captares, & tot verborum eius quibus obrueris, tam ingentem tibi aggerem commoveres? intantum improvidus & incautus, vt nec in ipsâ homiliâ, vbi vix vnum de quo malè intellecto decepti deciperetis, teſtimonium reperire potuiſtis, adverteres ſanctum Ioannem Conſtantinopolitanum ſatis evidenter expreſsiſſe, omnes homines exceptis debitis propriis paterni eſſe chirographi debitores: & tamen poſteà quàm verba eius interpoſuiſti, quibus intentionem tuam putaſti aliquid adiuvari, ſequeris & dicis. *Cùm igitur liquidò clareat hanc ſanam & veram eſſe ſententiam, quam primo loco ratio, deinde ſcripturarum munivit authoritas, & quam ſanctorum virorum ſemper celebravit eruditio, qui tamen veritati authoritatem non ſuo tribuêre conſenſu, ſed teſtimonium & gloriam de eius ſuſcepêre conſortio, nullum prudentum conturbet conſpiratio perditorum.* Hæc verba tua quò proficiunt, niſi vt appareat, vel quomodo de hâc causâ ſcire neglexeris catholicorum ſententias ſermoneſque doctorum, vel ſi eos noſſe curaſti, quâ fraude coneris circumvenire neſcientes? Nam de ratione, & ſanctarum ſcripturarum authoritate vt nunc interim taceam, hanccine ſententiam, quâ negatis peccato primi hominis obnoxios, parvulos naſci, ſanctorum virorum ſemper celebravit eruditio? Non hoc iſtis tot tantorumque ſanctorum & eruditorum,

quæ

quæ commemoravi, testimoniis indicatur: imò è contrario puto, quod iam videas quantum te opinio ista fefellerit, si tamen non dolo agis atque id antè iam noveras. Sed vt melius de te credam, si nunc primùm ista cognoscis, si de peccato primi hominis, quod eo sint obligati, qui carnaliter generantur infantes, nec eo nisi spiritali regeneratione solvuntur; nunc primùm perspicis hoc didicisse & docuisse tot sanctos, quod & nos didicimus & docemus: muta iam istam mentem, obliviscere huius erroris, & propemodum furoris, quo in tot ac tales patres Manichæum iacularis opprobrium. Si nesciens hoc feciſti, cur non miseram respuis imperitiam? Si sciens cur non sacrilegam deponis audaciam? Convinceris vndique, luce clariora sunt testimonia tanta sanctorum. In quorum conventum te introduxerim conspice. Hic est Mediolanensis Ambrosius, quem magister tuus Pelagius tantâ prædicatione laudavit, vt diceret *in libris eius præcipuè fidem lucere Romanam, qui scriptorum inter latinos flos quidam speciosus emtuit, ita vt eius fidem & purissimum in scripturis sensum reprehendere nec inimicus auderet.* Hic est & Constantinopolitanus Ioannes, quem tu in numero eruditorum ac sanctorum excellentissimum, in hâc ipsâ tuâ, cui respondeo, disputatione posuisti. Hic est Basilius, cuius te verbis ad id quod nunc agitur non pertinentibus, putasti aliquid adiuvari. Hic sunt & cæteri quorum te movere debet tanta consensio. Non est ista, sicut stylo maledico scribis, *conspiratio perditorum.* In Ecclesiâ catholicâ doctrinæ sanæ studiis claruerunt; spiritalibus armis muniti & accincti, strenua contra hæreticos bella gesserunt, perfuncti fideliter suæ dispensationis laboribus in pacis gremio dormierunt. *Vnum* dicis *egregium*, meipsum significans, *qui in se summam prælii sitam optat intelligi.* Ecce non ego vnus, sed tot ac tanti sancti, eruditique doctores, tibi pro me vel mecum proque omnium nostrum & tuâ ipsius, si sapis, salute respondent. Non tibi sicut calumniaris *solum populi murmur opponimus*, quanquam & ipse populus adversus vos propterea murmuret, quia non est talis quæstio, quæ possit etiam cognitionem fugere popularem. Divites & pauperes, excelsi atque infimi, docti atque indocti, mares & fœminæ noverunt, quid cuique ætati in baptismate remittatur. Vnde etiam matres quotidie toto orbe terrarum non ad Christum tantùm, id est, ad vnctum; sed ad Christum Iesum, id est, etiam

De B. Ambrosio Pelagii elogium, lib. 1. de nupt. & concup. c. vlt.

Infra lib. 3. c. 1. & lib. 6. cap. 7.

salvatorem cum parvulis currunt. Sed ecce quò te introduxi, conventus sanctorum istorum non est multitudo popularis, non solùm filij, sed & patres Ecclesiæ sunt. Ex illo numero sunt, de quibus prædictum est, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij; constitues eos principes super terram.* Ex quâ filii regenerati sunt, vt hæc discerent; eius patres facti sunt, vt docerent. Quid est quod vos gaudere iactas, quòd ista veritas, quam tu errorem putas, vel putari cupis, *de tantâ multitudine assertorem non potest invenire*: quasi parva sit eius assertio, quòd in hoc fidei firmissimo & antiquissimo fundamento ipsa toto orbe diffusa non à se discrepat multitudo? Si autem assertores eo flagitas, quorum aliquid etiam literarum inveniri potest, illustrisque doctrina est: en adest assertorum eius memorabilis & venerabilis consessus. Sanctus Irenæus dicit, *antiquam serpentis plagam fide Christi & cruce sanari, & quòd protoplasti peccato fuimus tanquam vinculis alligati.* Sanctus Cyprianus dicit, *pertre parvulum, nisi fuerit baptizatus, quamvis ei non propria dimittantur, sed aliena peccata.* Sanctus Reticius dicit, *veteris hominis quo per lavacrum regenerationis exuimur, non tantùm vetera, sed ingenita esse peccata.* Sanctus Olympius dicit, *vitium de protoplasto in germine sparsum, vt peccatum cum homine nasceretur.* Sanctus Hilarius dicit, *ex peccato esse omnem carnem, præter illius, qui venit in similitudine carnis peccati sine peccato.* Dicit *sub peccati origine, & sub peccati lege natum esse, cuius vox est, Ego in iniquitate conceptus sum.* Sanctus Ambrosius dicit *eos, qui baptizati fuerint, parvulos in primordia naturæ suæ à malitia reformari.* Dicit *solum ex natis de saminâ sanctum dominum Iesum, nulla terrena contagia corruptela immaculati partus novitate sensisse.* Dicit quòd *in Adam omnes morimur, quia per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & illius culpa mors omnium est.* Dicit quòd *in eius vulnere omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus ille descendens vulnera eius acerba curasset.* Dicit *fuisse Adam, & in illo fuisse omnes; perisse Adam, & in illo perisse omnes.* Dicit *nos contagio maculari antequam nascimur, nec humanum conceptum esse iniquitatis exortem; quia concipimur*, inquit, *in peccato parentum, & in delictis eorum nascimur. Sed & ipse partus habet contagia sua, nec vnum tantummodo habet ipsa natura contagium.* Dicit *diabolum faneratorem, à quo Eva maculata obnoxia successionis vsuris, omne genus desœne-*

Iulianus negabat sentẽtiam de peccato originali, vllum de tantâ veterum multitudine assertorem habere.

Summatim colligit superiorum Patrum de originali peccato sententiam.

Lib. 4 c. 5.
lib. 1. c. 9.
lib 3 ep. 8.
Tract. de baptis.
Serm. quodã
In Psal. 118.
In 1. c.
Luca..
In cap. 2.
In cap. 4.
In 10. cap.
In 15. cap.
Lib. Apolo.
David c. 11.
Lib. de Tobia cap. 9.
Ibid. c. 25.

Psal. 44. 17.

Psal. 50. 7.

Rom. 5. 12.

Luc. 10. 33. & 34.

ravit

ravit humanum. Dicit *à diabolo Evam deceptam, vt supplantaret virum. obligaret hæreditatem.* Dicit *Adam ità morsu vitiatum esse serpentis, vt omnes illo vulnere claudicemus.* Dicit *per corporum viri & fœminæ commixtionem neminem expertem esse delicti. Qui autem expers delicti est, id est, dominus Christus, etiam huiusmodi esse conceptionis expertem.* Dicit Sanctus Innocentius, *lavacro regenerationis præteritum vitium omne purgari, quod per illum accidit, qui libero arbitrio cadens in profunda demersus est.* Dicit, *nisi manducaverint carnem Domini, & sanguinem biberint, vitam parvulos habere non posse.* Sanctus Gregorius dicit, *melius fuisse non excidere à ligno vitæ gustu amarissimo peccati, sed emendari nos debere post lapsum.* Dicit, *nos ex bonis ad tristia devolutos, & vult à tristibus ad meliora reparari; vt quos gustus ligni vetitus condemnavit, Christi crux gratia largiore iustificet.* Dicit *venerandam esse nativitatem, per quam terrenæ nativitatis vinculis liberamur.* Dicit *regenerationem ex aquâ & spiritu purgari maculas primæ nativitatis, per quas in iniquitatibus concipimur.* Dicit tibi Sanctus Basilius, *nos agritudinem contraxisse peccati, quoniam Eva noluit à ligno prohibito temperare.* Dicit postremò *nos de paradiso decidisse, quia non ieiunavimus, atque vt illò redeamus, præcipit vt ieiunemus.* Dicunt tibi ore vno tot sancti Episcopi, Eulogius, Ioannes, Ammonianus, Porphyrius, Eutonius, Fidus, Zosimus, Zoboenus, Nimphidius, Chromatius, Iovinus, Eleutherius, Clematius. *Nos Pelagiũ non absolvimus, nisi quia damnavit eos, qui dicunt parvulos etiam si non baptizentur habere vitam æternam.* Iam tu respondes, vtrùm Deus iustus nulli obnoxiam peccato imaginem suam privare vitâ possit æternâ? Postremò sanctus Episcopus Ioannes dicit, quem tu honorabiliter commemorasti, quem tu sicut sanctum eruditumque laudasti, quem tu testimonium & gloriam de consortio veritatis suscepisse dixisti: etiam ipse dixit, *Adam sic peccasse illud grave peccatum, vt omne genus humanum in commune damnaret.* Dixit *in Lazari morte ideò flevisse Christum, quia de perennitatibus excussa mortalitas inferos adamavit; & quia eos qui immortales esse poterant, diabolus fecit esse mortales.* Dicit *ante peccatum primi hominis omnimodò bestias homini fuisse subiectas, postea quàm verò peccatum illud intravit, cœpisse à nobis bestias formidari.* Vsqueadeò peccatum illud primi homi-

In Psal. 48.

In Esaiam.

Epist. 91.

Oratione in nathalem Christi.

Ibidem.

Serm. 1. de ieiunio.

Ibidem.

Porphyrius.

Lib. de Gest. Pelagij c. 11. 33. & 35.

Epist. ad Olym. lib. 3.

Ioan. 11. 35.

Homilia de Lazaro resuscitato 2.

Homilia in Genes.

nis intelligi voluit ad omnes homines pertinere. Vbi quis non videat esse consequens, vt nulla bestiarum parvulos læderet, nisi & ipsos illius peccati vinculo nativitas carnalis obstringeret? Dicit in eodem sermone, ex quo tu incautus obrepere voluisti, quòd *nos Christus invenerit, & paterno chirographo nostro quod scripsit Adam, & posterioribus propriis debitis obligatos.* Exponit Apostoli locum in quo tota ista causa consistit, vbi scriptum est, *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum*, & cætera huic sententiæ cohærentia. Nec in tàm prolixâ suâ disputatione quod dicitis, dicit: *non propagatione generis hoc peccatum in omnes homines, sed imitatione transisse*: imò è contrario quàm se res aliter habeat in coepiscoporum suorum sententiis non dissentiendo demonstrat. Dicit enim *omnia peccato primi hominis esse contaminata*: & ne hoc non generatione carnali, sed imitatione mortali factum putetur; dicit *Adam propterea dictum formam futuri, quia sicut ille ex semetipso nascentibus, quamvis non manducaverint de ligno, factus est causa mortis, qua per cibum inducta est: ita & Christus iis, qui ex ipso sunt, tametsi nihil iustè egerint, factus est provisor iustitiæ, quam per crucem nobis omnibus condonavit.* Dicit, *Iudæum negantem virtute vnius Christi, mundum posse salvari, de ipsius primi hominis peccato refutandum, quo vno inobediente damnatus est mundus.* Dicit, *non valdè videri habere rationem, vt alius pro alio damnetur, & tamen factum esse per Adam.* Vnde magis persuadet esse credendum, quod decentius & rationabilius apparet, salvari alium pro alio, quod impletur in Christo. Quis autem non videat si peccatum primi hominis non propagatione, sed imitatione per omnes homines pertransiit, neminem pro alio, sed suo damnari vnumquemq; peccato, quod non alius in eo generando transmisit, sed ipse imitando suâ voluntate commisit? Dicit *per gratiam non illud vnum tantummodò primi hominis, sed etiam post illud introeuntia interfecta esse peccata.* Vbi satis vtique distinguit peccata posteriora, quæ dici possunt imitatione commissa, ab illo vno, quod propagatione pertransiit: & ostendit vtraque interfecta esse per gratiam, vt secundùm Apostoli intentionẽ plus appareat profuisse regeneratio, quàm nocuerat generatio. Sic enim exponit quod dictum est, *Et non sicut delictum, ità est & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Quâ sententiâ imitatio illa

Homilia ad Neophytos, tom. 5.

Homilia 10 in epist. ad Rom.

Rom. 5. 12.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Rom. 5. 16.

illa vestra, quod est novitium Pelagiani erroris machinamentum, Paulo Apostolo scribente, & Ioanne Episcopo exponente subvertitur. Dicit etiam de ipso baptismo, exponens quod ait Apostolus, *Quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus, nihil esse aliud in morte Christi baptizari, quam peccato mori, sicut ille mortuus est carne.* Vnde necesse est, vt parvuli aut in Christo non baptizentur, aut si baptizantur, in morte eius baptizentur, ac sic peccato ipsi quoque moriantur, & quia non habent proprium, ab alieni illius, id est, originalis, quod omnium commune factum est, contaminatione mundentur. His tot ac tantis molibus virorum sanctorum doctorumque vallatus, adhuc *causam nostram putabis nullum asserturem de tantâ multitudine invenire potuisse?* An tantam consensionem sacerdotum catholicorum, *conspirationem* dicturus es *perditorum?* Nec sanctum Hieronymum, quia presbyter fuit, contemnendum arbitreris, qui Græco & Latino insuper & Hebræo eruditus eloquio, ex Occidentali ad Orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis atque in literis sacris, vsque ad decrepitam vixit ætatem; cuius nobis eloquium ab Oriente vsque ad Occidentem adinstar lampadis resplenduit. Hic omnes vel pænè omnes qui ante illum ex vtrâque parte orbis de doctrinâ Ecclesiasticâ scripserant, legit, nec aliam de hâc re tenuit prompsitque sententiam. Qui cùm exponeret Ionam Prophetam, apertissimè dixit; quòd *etiam parvuli peccato offendentis Adam tenentur obnoxii.* Ità ne tuũ sic amabis errorem, in quem iuvenili confidentiâ & humano lapsu incautius decidisti, vt ab istis catholicæ vnitatis & veritatis sacerdotibus, ex diversis orbis terrarum partibus tantâ inter se fidei concordiâ congruentibus, in tam magnâ causâ, vbi Christianæ religionis summa consistit, non solùm dissentire, sed eos audeas Manichæos insuper nuncupare? Quod si hoc non facis, nec mihi hoc iustè facis, quem cernis in eâdem causâ disputationibus meis, quibus adversus me ferociter irritaris, illorum secutum fuisse vestigia. Si autem me solùm tali aspergis opprobrio, non ob aliud, nisi quia de peccato primi hominis quod sentiunt, sentio: quod tenent, teneo: quod prædicant, prædico: quis te non videat in me apertum iactare convitium, de illis occultum quidem, sed tamen simile habere iudicium? Et tamen consideratis, vt alia taceam, vel

Rom. 6. 3.

Ibidem.

D. Hieronimus testimonium pro peccato originali.

In 3. c. Ionæ ad illud, vestiti sunt saccis, &c.

Ioannis

Ioannis Episcopi verbis *de nostro paterno chirographo, quod scripsit Adam*, quæ verba in eo sermone, vnde quod voluisti, protulisti, inveniſſe te credo: vel Episcopi Ambrosii, *quòd de commixtione maris & fœminæ nullus possit expers esse peccati:* quæ in meo libro legisti, sed in tuis attingere timuisti, etsi coram hominibus sit dura frons tua, erubescit coram Deo mens tua. Ego quidem pro dilectione quæ mihi est ergà te, quam Deo propitio quibuslibet convitiis abſit vt de medullis mei cordis extirpes, mallem fili Iuliane, vt iuventute meliore atque fortiore te vinceres, & animositatem quid aliud quam humanam, quâ cupis tuam, qualiscunque sit, quoniam tua iam facta est, prævalere sententiam, potentiore pietate superares. Et sicut Polemo luxuriæ coronis sensim capite detractis, eisq; abiectis, manum pallio subdidit, os & vultum formavit ad verecundiam, ad extremum totum se illi, ad quem deridendũ venerat, discipulum tradidit: sic & tu loquentibus tibi tot venerabilibus viris, maximèque Episcopo Ambrosio integritate catholicę fidei, etiam tui mali doctoris & deceptoris ore laudato, & Episcopis Basilio & Ioanne, quos tu quoque in sanctis eruditis veridicâ attestatione posuisti, tanquàm coronas ebriosorum abiiceres laudes Pelagianorum, quibus tanquàm magnus eorum defensor extolleris: & stylum, vt mitius dixerim, contumèliosum non tanquàm pallio pudoris absconderes, sed tanquàm manu emendatiore confringeres: tuumque pectus veritate complendum, non Platonico Xenocrati, sed istis sacerdotibus Christianis, vel potiùs in eisipsi Domino Christo, non velut qui nunc primum veneris, traderes, sed velut qui recesseras, redderes. Quod si tibi consiliũ meum displicet, age vt placet. Ego enim etsi correctus fueris, in quo maiora vota mea sunt abundantiùs cumulatiùsque gaudebo: & si, quod abominor, in hâc pravitate permanseris, ex opprobriis tuis fructuosum habebo, & pro me cœlestis mercedis augmentum, & de te misericordis doloris aculeum.

Iulianus iuvenis.

Polemo Xenocratis oratione ad frugem honestatemque conversus.

CAPVT VIII.

Exequitur secundâ huius operis partem, quâ ostendit quantum Iulianus.

Sed quoniam iam ostendi quot & quales & quantos viros fidei Catholicæ defensores atque doctores falsos facias Manichæos, audi iam parumper, inerudita temeritate quantum veros adiuves Manichæos. Hoc enim me secundo loco disputationis meæ demonstraturum esse promisi. Manichæi,

chæi, quod etiam te satis nosse indicasti, duas naturas, vnam boni, alteram mali ex diversis atque inter se adversis coæternisque principiis, vanitate sacrilegâ nephandi erroris inducunt. Contra quos catholica fides Dei tantummodò sine initio naturam prædicat, summi scilicet atq; incommutabilis boni, hoc est, illius ineffabilis trinitatis: à quo summo, vt dictum est, atque incommutabili bono vniversam conditam dicit esse creaturam: naturasque omnes bonas, quamvis impares creatori, quia ex nihilo creatas, ideoque mutabiles: ità vt omninò nulla natura sit, quæ non aut ipse sit, aut ab ipso facta sit; vt quantacunq; aut qualiscunq; natura sit, & in quantum natura est, bonum sit. Quæruntitaque à nobis, vndè sit malum, Respondemus ex bono, sed non summo & incommutabili bono. Ex bonis igitur inferioribus atque mutabilibus orta sunt mala. Quæ mala licet intelligamus non esse naturas, sed vitia naturarum; tamen simul intelligimus ea, nisi ex aliquibus & in aliquibus naturis esse non posse; nec aliquid esse malum, nisi à bonitate esse defectum. Sed cuius defectum, nisi alicuius sine dubitatione naturæ? Quia & ipsa voluntas mala, non nisi alicuius voluntas est profectò naturæ. Et angelus quippè & homo naturæ sunt. Non enim potest esse nullius voluntas, quando est voluntas. Et tantùm valent eædem voluntates, vt earum naturarum, quarum sunt, faciant qualitates. Nam si quæratur, qualis sit angelus vel homo malæ voluntatis, rectissimè respondetur malus; magis accipiens qualitatis nomen ex voluntate malâ, quàm ex naturâ bonâ: Quoniam natura est ipsa substantia & bonitatis & malitiæ capax. Bonitatis capax est, participatione boni à quo facta est: Malitiam verò capit non participatione mali, sed privatione boni, id est, non commiscetur naturæ, quæ aliquid malum est, quia nulla natura inquantum natura est, malum est; sed quia deficit à naturâ, quæ summum atque incommutabile est bonum; propterea quia non de illâ, sed de nihilo facta est. Alioquin nec malam voluntatem habere posset, nisi mutabilis esset. Mutabilis porrò natura non esset, si de Deo esset, non ab illo de nihilo facta esset. Quapropter bonorum author est Deus, dùm author est naturarum: Quarũ spontaneus defectus à bono, non indicat à quo factæ sunt, sed vndè factæ sunt. Et hoc non est aliquid, quoniam penitùs nihil est & ideo non potest authorem habere quod nihil

negato peccato originali adiuvat causam Manichæorum.

Malũ vndè ortum.

Malum nihil aliud quã à bono defectus.

Creaturæ omnes mutabiles & defectibiles non quia à Deo, sed quia de nihilo factæ.

est. Quapropter sicut aduersatur catholicæ fidei Manichæus, hoc est fidei veritatis, veræq; pietatis, qui bonum & malum sic inter se dicit esse contraria; vt non naturam, cùm deficit à bono, dicat fieri malam, ipsumq; defectum eius, esse malum eius; sed potiùs ipsum malum dicat esse naturam; & quod est insaniùs, sine initio sempiternam, eamq; appellat corpus & spiritũ: corpus videlicet, vnde spiritus operetur, spiritum verò, qui operetur ex corpore: ità hũc aduersarũ fide dici non potest quãtũ adiuuet, qui mala ex bonis oriri negat, & in eũdẽ sensũ accipit quod ait Dñs, *Arbor bona fructus malos non facit:* cùm ille magister Deus, non vtiq; naturam constituat arborem, ex quâ fructus de quâ loquebatur, existat; sed voluntatem seu bonam seu malam; fructus autem opera, quæ nec bona voluntatis malæ, nec mala possunt esse voluntatis bonæ. Hoc est enim quod ait, *Arbor mala fructus bonos non facit, & arbor bona fructus malos non facit:* tanquam diceret. Nec opera bona voluntas mala, nec mala opera facit voluntas bona. Nam ipsarum arborum, id est, ipsarum voluntatum si quærantur origines, quæ occurrunt nisi naturæ, quas bonas Deus condidit? Ac per hoc ex bonis orta sunt mala, non ex bonis voluntatibus opera mala; sed ex bonis naturis voluntates malæ. Quid ergò sic optat audire Manichæus, nisi ex bonis mala esse non posse; vt quoniam negari non potest esse mala, nihil restet nisi vt ex malo sint, si ex bonis naturis esse non possunt? Ac sic sine initio habeant originem suam mala naturam mali, quæ sine initio semper fuerit, & sint duæ naturæ, vna boni, altera mali. Necesse est enim vt aut nulla sint mala, aut ex bonis naturis sint, aut ex malis. Si dixerimus nulla esse mala, frustrà dicimus Deo, *Libera nos à malo.* Si autem dixerimus non oriri mala nisi ex malis, Manichæa pestilentia triumphabit, totumq; vastabit, & ipsius Dei tanquam mutabilem naturam malæ naturæ commixtione violabit. Relinquitur ergò, vt mala ex bonis esse fateamur; quia si hoc negaverimus, ex malis erunt, & Manichæis vtiq; suffragabimur. Tu ità que vbi dicis, *cùm secundum sententiam Euangely, ex fructibus suis arbor debeat cognosci; hic audiendus putetur, qui dicit bonum esse coniugium, de quo nihil aliud, quam malum prodire desinit.* Vis vtique arborem bonam coniugium deputari, de quâ velut fructum malum nasci non vis, hominem contagio peccati originalis obstrictum: nec vides necesse tibi esse adulterium constituere arborem malam, si coniugium est arbor bona.

Arbor bona vel mala, voluntas est.

Mat. 7. 18.

Mala, ex bonis.

Mat. 6. 13.

Lib. 2. de nup. & cõc. cap. 26.

Ac per hoc si de coniugio qui nascitur, coniugii fructus est, & ideò debet esse sine vitio, ne fructus malus nascatur ex arbore bonâ: sequitur, vt qui de adulterio nascitur, non debeat nasci sine vitio, ne fructus bonus nascatur ex arbore malâ, quoniã Dominus nec à bonâ arbore fieri fructus malos, nec à malâ bonos, diuinâ authoritate definit. Vt ergò hinc exeas, quia nec de adulterio dicis hominem nasci posse cum vitio, negabis adulterium esse arborem malam, ne ille qui secundùm te sine vitio de adulterio nascitur, contrà definitionem Domini, bonus fructus nasci de malâ arbore videatur. Nega ergò etiam coniugium esse arborem bonam, & errasse te vt hoc diceres, confitere. Sed dicturus es; non de adulterio nasci hominem, qui per adulterinum concubitum gignitur. Vndè igitur? De *naturâ*, inquis, *humanâ quæ in adulteris quoque Dei opus est, non ipsorum.* Cur ergò eodem modo non intelligis, nec de coniugio nasci hominem, qui per concubitum gignitur coniugalem, sed de naturâ similiter humanâ, quæ in coniugibus quoque Dei opus est, non ipsorum: atque ità bonitati non tribui nuptiarum, quod malum nascentes trahunt de vitio naturæ; sicut non tribuitur iniquitati adulterorum, quod bonum nascentes trahunt de institutione naturæ? Tu autem intelligis arborem bonam, non quam Christus intelligi voluit, id est hominis voluntatem bonam; sed ipsum opus Dei, id est, hominum, vel nuptias, vel naturam. Et quia bona sunt hæc opera Dei, malum inde non posse dicis existere, quia malum fructum bona arbor non potest facere. Ac sic adversus te ratiocinationem suam concludit pro suo dogmate Manichæus, quem verbis istis tuis sic adiuvas, vt nihil magis oportet audire, quàm mala ex bonis esse non posse: hoc enim accepto, infert & dicit tibi, Si malum esse non potest ex bono, vnde erit, nisi ex malo? Neque enim mala per seipsa repentè authore nullo existere potuerunt. Tu autem dicis malum ex bono esse non posse, ne contrà Evangelii sententiam, arbor bona faciat fructus malos. Remanet, inquit, vt mali natura fuerit sempiterna, quæ potuerit mala generare, quia ex bonis ea non posse fateris existere. Placetnè tibi iam mutare sententiam, quam non Manichæis favendo, sed quid loquaris nesciendo, ad adiuvandam Manichæorum pestilentiam protulisti? Quomodò enim diceret Christus, *Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius*

Occupatio lib. 2. de nupt. & concup. c. 25

Mat. 7. 18.

Mat. 12. 33

eius malum: (quandoquidem hoc dicebat hominibus, quos ipse creauerat) si ex eius opere bono quod est homo, malum non posset existere; sicut tu sapis, arborem bonam constituens bonum opus Dei, id est, nuptias hominum, vel naturam; & ideò dicens malum inde nasci non posse, quia si ex bono malum nasci dixerimus, resistemus, vt putas, ei qui dixit, *Arbor bona fructus malos non facit*: cùm scias ex angeli & hominis naturis bonis, quas nulli parentes mali genuerant, sed Deus summè bonus de nullis parentibus fecerat; non fructus malos, sed ipsas malas arbores extitisse, ex quibus fructus nascerentur mali? Dominus autem Iesus & Manichæos vincit, quia vnus homo, hoc est, vna natura potest vtramque arborem facere; & te vincit, quia ex naturâ bonâ potest mala arbor existere. Ex quo falsum esse monstratur, quòd in Manichæorum suffragiũ dicis, *mala ex bonis esse non posse*, vt nisi ex naturâ mali, quam nefarius illorum error inducit, non putentur mala esse potuisse. Neque enim vno tantùm loco, vbi ex Euangelio arborem bonam commemorandam putasti, sed aliis etiam locis disputationis tuæ, istâ perversitate suffragatus es Manichæis; sicuti est illud, vbi rursus dixisti, *trahi peccatum per naturam non potest, quia per opus Dei opus diaboli transire non finitur*. Ad quod tibi ego respondeo; quomodo in opere Dei opus diaboli manere finitur, si per opus Dei transire non finitur? Quis enim putet prius esse vt illic maneat, quàm vt illinc transeat? Quæris fortasse, quomodò opus diaboli maneat in opere Dei. Noli alibi quærere, ipsum diabolum recole opus Dei esse, natura vtique angelica: Invidia verò opus est ipsius Diaboli, quod opus & processit ex illo, & manet in illo. Vanum est igitur quod dixisti, *opus diaboli per opus Dei non transire*, vbi perspicis & manere. Manichæus autem quantas tibi gratias agat, itàne nondum respicis? nondum expergisceris? Laborat enim Manichæus, vt ostendat ex bono Dei opere malum oriri non posse, vt quod ipse vult, malum nisi ex malo esse non posse credatur. Hic tu mirabilis eius adiutor, *per opus*, inquis, *Dei malum transire non finitur*: vt ille totâ facilitate concludat, multò minùs inde oriri posse, per quod nec transire permittitur.

Mat. 7.18.

Primum Angelorum peccatum non fuit malorum arborum fructus, sed arbores malas constituit, ex quibus mali deinceps fructus nascerentur.

CAP.

CAPVT IX.

AVdi tale aliud, imò gravius, vbi Manicæis identidem suffragaris. *Evanuit*, inquis, *originale peccatum; quia non potest malis radix in eo quod donum Dei vocas, locari.* Quod ego vide quàm manifestâ veritate convincam. Nònne sensus hominis donum Dei est? Et tamen ibi locavit inimicus ille semina-
Gen. 6. tor radicem mali, quandò peccatum homini serpentinâ fraude persuasit. Nisi enim radicem mali humanus tunc reciperet sensus, nullo modo malè suadenti accomodaretur assensus. Quid dicam de radice omnium malorum avaritiâ? Et vbi est hæc nisi in hominis animâ? Et quid est hominis animâ, nisi domum Dei? Quomodò ergò tu dicis, nisi non considerando quid dicas, *radicem mali locari non posse in dono Dei*? Sed Manichæus cui per istas inconsideratas sententias tuas plurimùm suffragaris, quid tibi dicat attende. Si esse rationalem creaturam, Dei donum est; & dicis *locari non posse radicem mali in dono dei*, quantò probabiliùs dicitur, oriri non posse radicem mali ex dono Dei? Ac sic te suffragatore introducit Manichæus, radicé mali ex illâ quàm non à Deo creatam, sed Deo coæternam fingit naturam mali. Quoniam si dixeris ex libero arbitrio naturæ bonæ à Deo creatæ, ortam mali radicem (quod catholica veritas dicit) illis verbis tuis te facillimè superat, vbi ais, *radicem mali locari non posse in dono Dei*, quia & liberum arbitrium proculdubiò est donum Dei. Ac per hoc cùm *mali radicem in dono Dei locari non posse* dixisti, Manichæo quid contra te diceret, tu dedisti. Quia si non potest in bono locari malum, quod tu dicis mihi: multò minùs potest oriri ex bono malum, quod ille dicit tibi. Ac si concludet, non esse malum nisi ex malo: vbi victor videbitur sibi; & erit profectò, nisi & illi resistatur & tibi. Veritas ergò fidei catholicæ in his verbis vestris ideò vincit Manichæum, quia vincit & teipsum. Nam si te non vinceret dicentem, *Non posse in dono Dei locari radicem mali*, multò minùs Manichæum posset vincere dicentem, non posse ex dono Dei oriri radicem mali. Sed vt vincat ambos, nec aliunde oriri, nec alicubi esse posse dicit radicem mali, nisi ex naturâ & in naturâ rationali, cui esse naturam rationalem, non est nisi donum Dei. Sed quoniam à summo atque incõmutabili bono de nihilo facta est; vt esset quàm vis mutabile,

tamen bonum; deficere à bono, à quo facta est: hæc est ex illâ, vel in illâ radix mali, quia nihil est aliud malum, nisi privatio boni. Iam porrò vbi dicis *rerum ratio non sinit, vt de bono malum, & de iusto iniquum aliquid proferatur*, prorsus Manichæorum verba dicis; hoc enim asserunt, non posse malum proferri nisi de malo, & ibi tota eorum nefanda secta consistit, quia priùs contendunt malum proferri non posse de bono. Quod si eis te authore concesserimus, nihil nobis penitùs remanebit, vnde illorum nefaria dogmata redarguere valeamus. Hoc est autem iniquum de iusto, quod est malum de bono. Catholica igitur fides, vt & tibi & illis resistat, hoc dicit, non prolatum esse malum nisi de bono, & iniquum nisi de iusto: quia priùs Angelus & homo, de quibus ista prolata sunt, boni erant vtique & iusti. Non igitur resistimus Manichæis, nisi obtineamus, non esse mala orta, nisi ex bonis: nec ea mala substantias esse, sed substantiarum vitia creatarum, quibus deficiunt à bono quoniam mutabiles sunt, eò quòd ex nihilo factæ sunt. Hæc est doctrinæ catholicæ sanitas, quâ Manichææ pestilentiæ virus expellitur. Vnde ille doctor meus, tui etiam mali doctoris ore laudatus Ambrosius, in eo lib. quem de Isaac & anima scripsit: *Quid ergò est*, inquit, *malitia nisi boni indigentia?* Et iterùm ait, *Ex bonis igitur mala orta sunt. Non enim sunt mala, nisi quæ privantur bonis; per mala tamen factum est, vt bona eminerent. Ergò indigentia boni, radix malitiæ est.* Vides quàm verâ catholicæ fidei ratione redarguit Beatus Ambrosius Manichæos. Vides quemadmodum eos, quàmvis in eâdem disputatione non nominaverit, tamẽ istâ sententiarum veritate ac brevitate convicerit? Ecce cui homini Dei propter originale peccatum, quod catholicus catolicè asseruit, obiicis nomine Manichæorum instinctu maledici furoris opprobrium, qui contra suffragium, quod eis tu præstas, tàm invictum ad eos debellandos catholicis disputationibus præbet auxilium. Ille quippè adversus Manichæos clamat, *Ex bonis mala orta sunt*: & adversus eum pro Manichæis tu reclamas, *Necesse est malum esse, ex quo & per quod malus fructus apparuit: & per opus Dei opus diaboli transire non sinitur, & in dono Dei radix mali lotari non potest, & rerum ratio non sinit vt de bono malum, ac de iusto iniquum proferatur.* Hæc clamas pro Manichæis contra vocem catholicæ veritatis per sacerdotem Dei prolatam, vt si tu audiaris, Manichæi vincant

Malum nihil aliud quàm boni privatio.

Diabolus bonus & iustus creatus fuit.

Ambrosius in lib. de Isaac & animâ c. 7.

vincant, dicẽtes & vt alia taceam, Si rerũ ratio non ſinit, vt de bono malum aliquid proferatur, non ergò ex bonis ſicut dicit Ambroſius, ſed ſicut nos dicimus, ex mali naturâ orta ſunt mala. Ecce in quantam voraginem decidiſti malè intelligendo Dominum dicentem, *Arbor bona fructus malos non facit:* Mat. 7. 18. cùm hoc non ſit dictum de naturâ, vel de nuptiis, quas inſtituit Deus, ſed de voluntate hominis bonâ, à quâ non ſiunt opera mala. Sed ne fortè, vel tu, vel quiſpiam dicat: quomodò de arbore quam facit homo, id eſt, voluntate bonâ non fiunt fructus mali; & de naturâ, quam facit Deus, ipſa quæ faciat fructus malos, naſcitur mala: quaſi aliquid melius faciat homo, vndè non poſſit malus fructus exiſtere, quàm eſt illud quod facit Deus, vnde poſſit mala arbor exiſtere? Ne quis ergò ſic erret, audiat diligenter Ambroſium dicentem, *Quid eſt malitia, niſi boni indigentia? Non enim ſunt mala niſi quæ privantur bonis, quia indigentia boni vadix malitiæ eſt.* Et hinc intelligat ideo eſſe arborem malam, voluntatem malam; quia defectus eſt à ſummo bono, vbi bonum creatum bono creante privatur; vt ſit in eo radix mali, nil aliud quàm indigentia boni. Arbor autem bona ideò eſt voluntas bona, quia per ipſam convertitur homo ad ſummũ atque incommutabile bonum, & impletur bono, vt faciat fructum bonum. Ac per hoc Deus author eſt omnium bonorum, hoc eſt & naturæ bonæ, & voluntatis bonæ, quam niſi Deus in illo operetur, non facit homo, quia *præparatur voluntas à Domino.* Sed iam ordinem diſpoſitionis meæ video poProv. 8. ſecundum 70. ſtulare, vt faciam Deo donante, quod tertio loco me facturũ eſſe promiſi; hoc eſt, vt catholicorum, qui fuerunt ante nos Epiſcoporum ſententiis, quaſcunque rebus de quibus agitur, congruentes potero reperire, vitreas argutias tuas, & fragilia, quibus tibi multum videris acutus & nitidus, argumenta confringam. Quod ab alio aggrediemur exordio; hic iſtius libri prolixitate concluſa.

Supra.

Arbor bona voluntas bona.

Prov. 8. ſecundum 70.

Tranſitio ad librum ſequentem.

DIVI

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI

Contra Iulianum

IBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Aggreditur partẽ tertiã huius voluminis, quâ Pelagianorũ contra originale peccata argumenta ex verbis veterum Patrũ refutat.

NVNC iam mihi aggrediendum est, quod tertio loco posui disputationis meæ, vt sententiis Episcoporum, qui scripturas sanctas ingenti gloriâ tractaverunt, tua Iuliane, domino adiuvante, machinamenta subvertam. Non vt eos ostendam secundùm catholicam fidem de originali sensisse peccato, hoc enim iam primis huius operis partibus feci, vt inde monstrarem, quot & quantis viris Ecclesiæ, sanctis clarisque doctoribus, Manichæorum crimen impingas: & cùm me cupis apud imperitorum decolorare iudicia, eos qui catholicam fidem contra hæreticos defenderunt, hæresis nefariæ nomine accuses. Sed nunc argumenta ipsa vestra quibus agitis, ne hominum prima nativitas originali peccato credatur obstricta, eloquiis sunt redarguenda sanctorum. Quos oportet, vt populi Christiani, vestris prophanis novitatibus anteponant, eisque potiùs eligant adhærere quàm vobis. Hæc sunt certè velut capita argumentorum, quasi formidanda vestrorum, quibus terretis infirmos, & minùs quam contra vos expedit, sacris literis eruditos. Dicitis enim *nos asserendo originale peccatum, diabolum dicere hominum nascentium conditorem, damnare nuptias, negare in baptismo dimitti vniversa peccata: Deum crimine iniquitatis arguere, desperationem perfectionis ingerere.*

Capita obiectionũ Pelagianicarũ contra originale peccatum.

Hæc

Hæc quippe omnia consequentia esse contenditis, si credamus nasci parvulos, peccato primi hominis obligatos, & ob hoc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo. *Diabolus enim creat*, dicitis, *si ex hoc vulnere creantur, quod diabolus naturæ, quæ primùm condita est, inflixit humanæ: & damnantur nuptiæ, si aliquid, unde damnabiles generantur, habere credantur: nec omnia peccata dimittuntur in Baptismo, si aliquod in baptizatis coniugibus remanet malum, ex quo generentur mali. Quemadmodum autem non est iniquus Deus, qui cùm baptizatis dimittat peccata propria, parvulum damnat, quia cùm ab illo crearetur, nesciens nec volens etiam ex illis parentibus, quibus remissa fuerant, traxit aliena? Nec virtus, cui vitiositas intelligitur esse contraria, posse creditur perfici; quia ingenerata vitia incredibile est posse consumi, quæ iam nec vitia deputanda sunt. Non enim peccat qui non potest aliud esse, quàm creatus est.* Hęc si fideli diligentia quæreretis, nec ea quæ Catholicę fidei veritate atque antiquitate fundata sunt, infideli oppugnaretis audaciâ, in ea quæ *abscondita sunt sapientibus & prudentibus, & revelata sunt parvulis*, nutriti Christi gratiâ veniretis. *Multa* enim *multitudo dulcedinis Domini*, quam profectò non invidit, & tamen *abscondit timentibus eum, perfecit* autem *sperantibus*, non in se-ipsos, sed *in eum*. Nos ergò dicimus, quòd ea fides habet, de qua scriptum est, *nisi crediderit is, non intelliget*: nec diabolum, sed Deum verum & verè bonum esse hominum conditorem, munda etiam de immundis ineffabiliter operantem, quamvis hominum nemo mundus nascatur, & ideò donec mundetur Spiritu Sancto, sub spiritu immundo esse cogatur. Nec quantamcumque immunditiam naturarum, ullum crimen esse nuptiarum: bonum quippe discernitur proprium nuptiarum, à quolibet vitio naturarum. Nec ullius reatum remanere peccati, qui non ea, quæ in Christo fit, regeneratione solvatur; quamvis infirmitas restet, contra quam in se-ipso constitutam, regeneratus si proficit pugnet. Nec iniquus est Deus, cum peccatis sive originalibus sive proprijs digna retribuit; magisque iniquus aut infirmus ostenditur, si *iugum grave super filios Adam, à die* sicut scriptura est, *nativitatis eorum usque in diem sepulturæ, in matre omnium*, sub quo jugo imago ejus atteritur; aut ipse nullo vel originali vel proprio præcedente peccato, aut quilibet alius ipso imponit invito. Nec perfectio est desperanda virtutis, per ejus gratiam, qui ex origine vitiatam mutare potest & sanare naturam.

Matth. 11. 25.

Psal. 30 20.

Isa. 7. 9.

Ecclesi. 40. 1.

Catholicorũ sententia.

Non est desperanda virtutis perfectio.

CAPVT II.

AGgrediar igitur implere pollicitationem meam, nec iſta quinque argumenta veſtra, ex quibus cuncta connectitis, quæ in hac quæſtione adverſus Catholicam fidem multipliciter diſputatis, ſingillatim teſtimonijs Sanctorum refutanda ſuſcipiam, ſed quantum potuerit eorum percuti & deijci, etiam cùm à me de literis Catholicorum Epiſcoporum ſingula proferentur, tantùm percutietur atque deijcietur, ſive unum eorum, ſive duo, ſive plura, ſive omnia, ſicut valuerit quod profertur. Veluti eſt illud in libro quem de Arca Noë conſcripſit beatus Ambroſius: *Per unum*, inquit, *Dominum* IESVM *ſalus ventura nationibus declaratur, qui ſolus potuit iuſtus eſſe, cùm generatio omnis erraret, niſi natus ex Virgine generationis obnoxiæ privilegio minimè teneretur. Ecce*, inquit, *in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea: dicit is qui iuſtus præ cæteris putabatur. Quem igitur iam iuſtum dixerim, niſi horum liberum vinculorum, quem naturæ communis vincula non teneant? Omnes ſub peccato ab Adam, in omnes regnabat mors. Veniat ſolus iuſtus in conſpectu Dei, de quo iam non cum exceptione dicatur, non peccavit in labijs ſuis, ſed peccatum non fecit.* Huic dic ſi audes, quod diabolum fecerit hominum conditorem, qui utriuſque ſexus commixtione naſcuntur, quandoquidem ſolùm Chriſtum quia ſit natus ex Virgine, à vinculis obnoxiæ generationis excepit, omnibus cæteris ex Adam ſub peccati obligatione naſcentibus; quod utique peccatum diabolus ſeminavit. Hunc damnatorem redargue nuptiarum, qui ſine peccato natum ſolum dicit Virginis filium: iſtum negatorem percipiendæ criminare virtutis, qui aſſerit ingenerari vitia generi humano in ipſo conceptionis exordio: & dic ei quod adverſus me in primo tuo volumine videris tibi ſatis aptè acuteque dixiſſe, *nec peccare eos omninò, qui peccare dicuntur. Siquidem à quocunque creati ſunt; ſecundum id quod creati ſunt, neceſſe habent vivere, nec ſuæ repugnare naturæ.* Hæc omnia dic Ambroſio, ſive de Ambroſio, quæ mihi tam ſuperbè, tam contumeliosè, tam procaciter & petulanter objectas. Nam his verbis ſuis infamare etiam Baptiſmatis Sacramentum, quod in eo plena non fiat remiſſio peccatorum; & iniquum Deum facere, qui peccata in filijs damnat aliena, quæ in parentibus relaxavit; fortaſſe non

Ambroſ. de Arca Noe.

Pſal. 50. 7.

Rom. 5. 14. Iob. 1. 22. & 2. 10. 1. Pet. 2. 22.

non poteſt dici, quoniam cùm hæc loqueretur, non de baptizatorum propagine loquebatur. Porrò ſi ſanctus Ambroſius non ex his erat, qui diabolum faciunt hominum creatorem, vel nuptias damnant, vel incapacem virtutis naturam opinantur humanam: ſed ex his potiùs qui Deum ſummum ac ſumme bonum totius hominis, id eſt, totius animæ, totius corporis agnoſcunt & confitentur authorem, & honorant in ſui gradus bonitate conjugia, nec hominem perfectè juſtificari poſſe deſperant: hæc interim tria veſtra argumenta tantâ illius viri authoritate ſubverſa ſunt, nec ulteriùs objicienda ſunt nobis, qui de originali peccato ea dicimus, quæ dixit ille, qui neque hominis creationem diabolo attribuit, neque nuptias condemnavit, neque juſtitiæ perfectionem in natura hominis deſperavit.

CAPVT III.

DE duobus verò reſiduis argumentis veſtris, quæ ad Baptiſmum pertinent, mox videbimus quid ille vir ſenſerit, & quomodo vox ingenti mole authoritatis obtriverit. Dicit enim in lib. contra Novatianos: *Omnes homines ſub peccato naſcimur, quorum ipſe ortus in vitio eſt, ſicut habes lictum dicente David: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Ideo Pauli caro corpus mortis erat, ſicut ipſe ait, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Chriſti autem caro damnavit peccatum, quod naſcendo non ſenſit, quod moriendo crucifixit, ut in carne noſtra eſſet juſtificatio per gratiam, ubi erat ante colluvio per culpam.* Hîc ſanè omnia ſimul veſtra argumenta ſubverſa ſunt. Si enim *omnes homines ſub peccato naſcimur, quorum ipſe ortus in vitio eſt*; cur mihi ex hoc objicis, quòd dicam diabolum hominum creatorem: cùm hoc me dicere videas quod ille dixit, qui hominum creatorem diabolum eſſe non dixit? Si quoniam *hominis ortus in vitio eſt*, ideo dicit David: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea*: nec accuſat vox iſta nuptiale conſortium, ſed originale peccatum; cur me damnatorem dicis eſſe nuptiarum, quod dicere non audebis Ambroſium? Si quoniam *omnes homines ſub peccato naſcimur, & ipſe ortus noſter in vitio eſt, ideo Pauli caro corpus mortis erat, ſicut ipſe ait: Quis me liberabit de corpore mortis huius?* jam tandem perſpicis etiam ſeipſum in his ſuis verbis voluiſſe

Lib. de pœnit. cap. 2. *Pſal. 50. 7.* *Rom. 7. 24.* *Rom. 8. 3.*

intelligi Apostolum. Ipsius ergò *interior homo* cùm *condelectaretur lege Dei, videbat aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ*, & propterea carnem suam *corpus mortis* esse dicebat. *In ipsius* ergo *carne non habitabat bonum*, propter quod *non quod volebat, faciebat bonum; sed malum quod oderat, hoc agebat.* En tota vestra causa impulsa, prostrata, contrita, & *sicut pulvis quem proiecit ventus à facie terræ*, sic à cordibus eorum quos decipere cœperatis, si hæc voluerint deposito studio contentionis cogitare, projecta est. Nunquid enim Paulus Apostolus non erat baptizatus? aut aliquid ei vel originalium, vel propriorum, vel ignorantiæ, vel scientiæ remissum non fuerat peccatorum? Vnde ergò talia loquebatur, nisi quia id quod dixi in libro meo, cui te respondisse gloriaris, omnino verum est? *Lex* quippe ista *peccati, quæ in membris est corporis mortis huius*, & remissa est regeneratione spiritali, & manet in carne mortali. Remissa scilicet, quia reatus solutus est Sacramento, quo renascuntur fideles; manet autem, quia operatur desideria, contra quæ dimicant & fideles. Hoc est omninò quod funditus subruit hæresim vestram Quod usque adeò videtis & timetis, ut non aliter ex his Apostolicis vocibus exire conemini, nisi quanta potestis contentione asseveretis, non illic ipsius Apostoli accipiendam esse personam, sed adhuc sub lege, nondum sub gratia positi cujuspiam Iudæi, contra quem suæ malæ conversationis consuetudo pugnaret: quasi vis ipsa consuetudinis deponatur in Baptismo, & non adversus eam confligant etiam baptizati, tantò fortius atque vehementius, quantò magis placere student oculis eius, cujus gratiâ adjuvantur, ne in tali certamine superentur. Quod si attentè sine pervicacia considerare voluisses, profectò in ipsa etiam vi consuetudinis invenires, quomodo concupiscentia remittatur in reatu, & maneat in actu. Neque enim nihil in homine agitur, quando concupiscentiarum suarum, etiam quibus non consentit, stimulis inquietatur. Sed tamen non propter vim consuetudinis appellabat carnem suam *corpus mortis* Apostolus; sed propter quod rectissimè intellexit Ambrosius, quia *omnes sub peccato nascimur*, & *ipse ortus in vitio est*; hujus vitij reatum, jam sibi in Baptismate fuisse dimissum dubitare non poterat; sed contra ejus inquietudinem pugnans, primùm ab eo vinci subjugaríque metuebat: Deinde licet invictè non diu pugnare, sed hostem non habere malebat.

Rom. 7. 22. & 23.

Ibidem 18. & 19.

Psal. 1. 4.

Lex peccati quomodo remissa, & quomodo maneat?

Lib. de gratia Christi cap. 39. & infrà cap. 8.

Concupiscentia remanet in actu, remittitur in reatu.

Caro, cur corpus mortis?

Rom.7.24. & 25. lebat, quando dicebat: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratiâ Dei per* IESVM *Christum Dominum nostrum.* Sciens ejus gratia nos sanari ab isto concupiscentiali motu, qui nos ab ejus originali reatu, spiritali regeneratione sanavit. Hoc bellum quod in nobis-ipsis adversum nos-ipsos gerendum suscipimus, experiuntur in se, neque negare possunt libidinis acerrimi expugnatores, non impudentissimi laudatores. Denique dicit etiam victoriosissimus Cyprianus in

Matt.6.10. Epistola de oratione Dominica: *Fieri autem petimus voluntatem Dei in cœlo & in terra, quod utrumque ad consummationem nostræ incolumitatis pertinet & salutis. Nam cùm corpus è terra, & spiritum posideamus è cœlo, ipsi terra & cœlum sumus, & in utroque, id est, in corpore & spiritu, ut Dei voluntas fiat, oramus. Est enim inter carnem & spiritum colluctatio, & discordantibus adversus se invicem, quotidiana congressio, ut non ea quæ volumus ipsa faciamus, dum spiritus cœlestia & divina quærit, caro terrena & secularia concupiscit. Et ideò petimus inter duo ista, ope & auxilio Dei concordiam fieri, ut dum & in spiritu & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata est anima servetur.* Cyprianus in Epist. de Oratione dominica.

Gal.5.17. *Quod apertè atque manifestè Apostolus Paulus suâ voce declarat. Caro, inquit, concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Hæc enim invicem adversantur sibi, ut non ea quæ vultis, illa faciatis.* Vide quemadmodum instruat baptizatum populum Doctor egregius: quod ad baptizatum enim pertineat Oratio Dominica, quis Christianus ignorat: ut humanam incolumitatem, salutemque naturæ in hoc esse intelligant constitutam, non ut caro & spiritus, tanquam inter se naturaliter inimica, sicut Manichæus desipit, separentur; sed potiùs tanquam ex vitio discordiæ sanata, concordent. Hoc est enim *liberari è corpore mortis huius*, ut vitæ fiat, quod modò *corpus est mortis*; ipsa in ea morte moriente, fine discordiæ, non naturæ. Vnde dicitur etiam illud: *Vbi est mors contentio tua?* quod non in hac vita perfici, idem quoque testis est Martyr in Epistola de mortalitate, ubi *Apostolum Paulum propterea dicit concupiscere dissolvi, & esse cum Christo, ut nullis iam fieret peccatis & vitijs carnis obnoxius.* Quàm verò vigilanter adversus illud dogma vestrũ, quo in vestra virtute confiditis, hoc in Oratione Dominica exponit? Sic enim docet: *Petendum id potiùs à Domino quàm de propriis viribus præsumendum, ut inter carnem & spiritum non humana virtus, sed gratia faciat divina concordiam:* consonans omninò Apostolo dicenti: *Quis me liberabit*

Liberari è corpore mortis huius.

1.Cor.15.55.

Phil.p.1.23.

Lib. seu Epist. de mortalitate.

Rom.7.24. & 25.

Lib. seu Epist. de Oratione Dominica.

rabit de corpore mortis huius? *Gratia Dei per* IESVM *Christum Dominum nostrum.* His & sanctus Gregorius attestatur dicens: *Anima namque cùm in laboribus fuerit, & in angustijs cùm hostiliter urgetur à carne, tunc ad Deum refugit & cognoscit unde debeat auxilium poscere.* Ac ne quisquam in his verbis Episcopi Gregorij hostiliter urgeri carnem tanquam ex contraria natura mali, secundum Manichæorum insaniam suspicetur, etiam ipse vide, quemadmodum suis fratribus & condoctoribus concinat, docens non ob aliud adversus carnem spiritum concupiscere, nisi ut suo utrumque revocetur authori, post gravissimum in hac vita rei utriusque conflictum, in quo laborat omnium vita Sanctorum. In libro quippe Apologetico, *Illorum verò,* inquit, *verborum nondum facio mentionem, quibus intra nos-met-ipsos proprijs vitijs ac passionibus impugnamur, & die noctuq; ignitis stimulis corporis humilitatis huius, & corporis mortis urgemur, nunc latenter, nunc etiam palam provocantibus ubique & irritantibus rerum visibilium illecebris, luto huius fecis, cui inhæsimus cœni sui fœtorem venis capacioribus exhalante, sed in lege peccati, quæ est in membris nostris repugnante legi spiritus, dum imaginem regiam, quæ intra nos est, captivam ducere studet: ut spolys eius cedat, quicquid illud est, quod in nos beneficio divinæ ac primæ illius conditionis influxit: unde vix aliquis fortassè longa se & districta regens Philosophia, & paulatim nobilitatem animæ suæ recolens, naturam lucis quæ in se est humili huic & tenebroso luto coniuncta, revocet ac deflectat ad Deum: vel si certè propitio Deo agat, utrumque pariter revocabit, si tamen longâ & assiduâ meditatione insuescat sursum semper aspicere, & deorsum malè trahentem ac degravantem materiam sibi-met astrictam, frenis arctioribus sublevare.* Agnosce fili Iuliane consonas catholicas voces, & ab eis desine dissonare. Cùm dicit beatus Gregorius: *Intra nos-metipsos proprijs vitijs ac passionibus impugnamur, & die noctuq; ignitis stimulis corporis humilitatis huius, & corporis mortis urgemur:* baptizatus loquitur, de baptizato loquitur. Cùm dicit, *lege peccati quæ est in membris nostris legi spiritus repugnante:* baptizatus loquitur, de baptizatis loquitur: Christianorum est ista pugna fidelium, non infidelium Iudæorum. Crede, si non pugnas; agnosce si pugnas, & in ista pugna rebellem quoque superbiam Pelagiani erroris expugna. Iamné discernis, jamné perspicis, jamné resipiscis, & in Baptismate fieri omnium remissionem peccatorum, & cum baptizatis quasi civile bellum interiorum remanere vitio-

Gregorius Nazianzenus.

Ob quid spiritus adversus carnem concupiscat?

Idem in Apologetico primo de sua fuga.

vitiorum? Non enim talia sunt vitia, quæ jam peccata di-
Iacob. 1. 15. cenda sint, si ad illicita opera spiritum concupiscentia non trahat, & concipiat pariatque peccatum. Nec tamen extra nos sunt, quibus vincendis, cùm in hoc certamine proficienter laboramus, instandum est; nostra sunt, passiones sunt, vitia sunt, frenanda, cohibenda, sananda sunt, sed dum curantur infesta sunt. Et si nobis ad meliora proficientibus, magis, magisque minuuntur, tamen dum hic vivitur, esse non desinunt. Discedente hinc anima pia peribunt, in resurgente corpore non redibunt.

Concupiscentia motus, an, & quando peccata?

Peribunt in morte piorũ pravi omnes affectus & motus.

CAPVT IV.

Rom. 7. 24. ERgo ad beatum redeamus Ambrosium. *Etiam Pauli caro,* inquit, *corpus mortis erat, sicut ipse ait: Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ita intellexit Ambrosius, ita Cyprianus, ita Gregorius, ut de alijs interim taceam simili præditis authoritate doctoribus. Huic morti dicetur in fine, *Vbi est mors*
1. Cor. 15. 55. *contentio tua?* Sed regeneratorum est hæc gratia, non generatorum. *Christi enim caro* quod adjungit Ambrosius, *damnavit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit:* nascendo non sensit in se, moriendo crucifixit in nobis. *Lex* itaque *peccati repugnans legi mentis*, quæ in tanti quoque Apostoli membris erat, remittitur in Baptismate, non finitur. Ex hac lege carnis repugnante legi mentis, nihil Christi corpus attraxit, quia non ex illa Virgo concepit. Ex hac lege carnis repugnante legi mentis, eandem legem primâ nativitate nemo non traxit, quia nisi ex illa mulier nulla concepit. Et ideo venerandus Hilarius, *ex peccato esse omnem carnem* non cunctatus est dicere. Sed nunquid ideò negavit ex Deo? Quomodo dicimus, & ex carne carnem, & ex homine carnem; nunquid etiam sic negamus, generamur ex Deo? Ergo & ex Deo, quia creat; & ex homine, quia generat; & ex peccato, quia vitiat. Sed Deus qui genuit filium sibi coæternum, quod *In*
Ioan. 1. *principio erat verbum*, per quod creavit omne quod non erat, etiam ipsum creavit hominem sine vitio, non ex semine hominis per Virginem natum, in quo regenerat hominem generatum, sanatque vitiatum, à reatu statim, ab infirmitate paulatim. Contra quam regeneratus si jam ratione utitur, illo

Ambros. lib. 1. de pœnit. cap. 2.

Hilarius sub l. 1. c. 3.

illo ſpectante atque adjuvante velut in agone confligit : quia *virtus in infirmitate perficitur*, dum contra hoc noſtrum quod à juſtitia deficit, illo noſtro, quod ad juſtitiam proficit, dimicatur : ut vincente profectu, totum ſurgat in melius, non vincente defectu, totum vergat in pejus. Parvulus verò in quo adhuc rationis nullus eſt uſus, voluntate quidem propriâ nec in bono eſt, nec in malo, quia nulla in alterutro cogitatione verſatur : ſed utrumque in illo conſopitum vacat, & bonum naturale rationis, & malum originale peccati. Sed annis accedentibus, evigilante ratione, venit mandatum, & reviviſcit peccatum : quod adverſus creſcentem cùm pugnare cœperit, tunc apparebit, quid in infante latuerit, & aut vincit & dominabitur ; aut vincitur & ſanabitur. Non tamen ideo malum hoc nihil nocuiſſet, etiamſi priuſquam in illo apparere cœpiſſet parvulus hac è vita exiſſet : quia reatus ejuſdem mali, non quo reum malum eſt, ſed quo reum facit in quo eſt, ſicut generatione contrahitur, ita niſi regeneratione non ſolvitur. Hoc eſt propter quod parvuli baptizantur, ut non ſolùm regni Chriſti fruantur bono, verùm & à malo regni mortis eruantur. Neque hoc fieri poteſt, niſi per eum, *qui peccatum in ſua carne damnavit, quod naſcendo non ſenſit, quod moriendo crucifixit ; ut in carne noſtra eſſet juſtificatio per gratiam, ubi erat antè colluvio per culpam.* His itaque beati Ambroſij verbis, nec diabolus bonitate hominem creavit, ſed hominem malignitate vitiavit : nec concupiſcentiæ malum nuptiarum abſtulit bonum ; nec in Baptiſmatis Sacramento peccati alicujus reatus relinquitur inſolutus : nec injuſtus eſt Deus, qui eum damnat lege juſtitiæ, qui peccati lege ſit reus, etiam ſi ex illa natus eſt, quæ parentem ejus propterea jam reum facere non poteſt, quia renatus eſt. *Virtus* porrò quæ *in infirmitate perficitur*, quare, ſi hæc vera ſunt, deſperanda eſt ; cùm per carnem Chriſti, quæ *damnat peccatum quod naſcendo non ſenſit, quod moriendo crucifixit, fiat etiam in ea carne noſtra juſtificatio per gratiam, in qua erat antè colluvio per culpam?* Ac per hoc quinque iſta veſtra, in quibus maximè terretis homines, argumenta, nec alios poterunt perturbare, nec vos, ſi credatis Ambroſio, Cypriano, Gregorio, alijſque catholicis Sanctis, clariſque Doctoribus, imò verò etiam vobis-ipſis, *legem peccati quæ ineſt hominis membris, repugnans legi mentis*, quâ *caro concupiſcit adverſum ſpiritum*, etiam baptizatis Sanctis inge-

1. Cor. 12. 9

Rom. 8. 3.

Ambroſ. de pœnit. lib. 1. cap. 2.

Virtus non eſt deſperanda.

Concupiſcentia mala.

Rom. 7. 23. Gal. 5. 17.

ingerere pugnandi necessitatem; contra quid? nisi contra malum, non substantiam, sed substantiæ vitium, Dei gratiâ nos regenerante non imputandum, Dei gratiâ juvante frenandum, Dei gratiâ remunerante sanandum?

CAPVT V.

SEd ne fortè dicas, *contra hoc potiùs pugnare baptizatos, quod sibi-ipsi priorìs vitæ malâ consuetudine fecerunt, non contra id cum quo nati sunt.* Quamquam si hoc dicis, jam procul-dubio cernis atque concedis, esse in homine aliquid mali, quod non ipsum, sed reatus qui ex illo contractus fuerat, auferatur in Baptismo. Tamen quia parum est ad hujus quæstionis absolutionem, nisi nobis ex peccato primi hominis ingeneratum esse monstretur, audi quid inde in alio loco expressiùs dicat sanctus Ambrosius in expositione Euangelij secundum Lucam, cùm diversis modis ab una tamen regula fidei non abhorrentibus, tractaret illum locum, ubi Luc. 12. 52. Dominus ait, *in una domo dividi tres adversus duos, & duos adversus tres. Possunt etiam videri*, inquit, *caro atque anima ab odore, tactu, gustuq, luxuriæ separatæ in una domo, se adversùs incursantia vitia dividentes, subjicientes se legi Dei, removentes se à lege peccati: quorum licet dissentio per prævaricationem primi hominis se in naturam verterit, ut nequaquam sibi paribus ad virtutem studijs convenirent: tamen per crucem Domini salvatoris, tam inimicitijs quàm etiam mandatorum lege vacuatis, in societatis concordiam congruerunt, posteà quàm Christus è cœlo pax nostra descendens fecit utraque unum.* Ephes. 2. 14. Rursus in eodem opere, cùm de spiritali atque incorruptibili loqueretur cibo: *Etenim ratio cibus mentis est*, inquit, *præclaraque alimonia suavitatis, quæ membra non oneret, neque in naturæ pudenda, sed ornamenta convertat, cùm libidinum voluptatum commutatur in Dei templum diversoriumque vitiorum, sacrarium incipit esse virtutum. Quod utique tunc facit, cùm caro in naturam regressa vigoris sui agnoscit altricem, atque ausu deposito contumaciæ, moderantis animæ coniugatur arbitrio: qualis fuit cùm inhabitanda paradisi secreta suscepit, antequam veneno pestiferi serpentis infecta, sacrilegam famem sciret, divinorumq; memoriam præceptorum animæ sensibus inhærentem, edacitatis*

Occupatio.

Ambros. lib. 7. in 12. c. Luce.

Ibidem paulò post.

citatis studio præteriret. Hinc peccatum manasse proditur, tanquam corpore animáq; genitoribus, dum corporis natura tentatur, anima malè sana compatitur. Quæ si appetentiam corporis refrenasset, in ipso ortu esset extincta origo peccati; quam velut virili infusa corporis motu malè fœta anima, etiam sui vigore corrupto, alienis gravis oneribus parturivit. Hic certè apertissimè, atque satiatissimè, ille tam excellenter tui Doctoris ore laudatus Doctor Ambrosius declaravit, & quid esset, & unde esset originale peccatum, & unde contigerit illa prima confusio, quæ inobedientia carnis fuit dissentientis ab anima, quam discordiam sanat *Dei gratia per* IESVM *Christum Dominum nostrum.* Vides unde *caro concupiscit adversus spiritum*, vides unde sit *lex in membris repugnans legi mentis.* Vides vertisse se in naturam, animæ carnisque discordiam, & per has inimicitias nobis abundare miserias, non nisi Dei misericordia finiendas. Noli mihi jam adversari. Nam si adhuc facis, cui vel quibus simul adverseris, advertis. *Me* nempe dixisti *nihil magis laborare, quàm ut non intelligar.* Et in quibusdam locis sensus meos ad tuum potius interpretaris arbitrium, abutens tardiusculis cordibus hominum, qui te non intelligunt tacere potius noluisse, quàm respondere potuisse uni meo, quatuor voluminibus tuis. Ecce fundit eloquentiæ lucidum ac perspicuum flumen Ambrosius. Non est ubi hæreat lector, ubi caliget auditor. Manifestissimè dicit Apostolum ideo dixisse. *Quis me liberabit de corpore mortis huius, quia omnes sub peccato nascimur, & ipse ortus in vitio est.* Manifestissimè dicit, *Dominum Christum propterea fuisse sine peccato, quòd natus ex Virgine, vinculis obnoxiæ generationis naturaque communis minimè teneretur, & damnasse peccatum, quod nascendo non sensit.* Apertissimè dicit, *quòd dissensio carnis & animæ per prævaricationem primi hominis in naturam se verterit.* Apertissimè dicit, *carnem libidinum volutabrum diversoriumq; vitiorum ita mutari in Dei templum, sacrariumq; virtutum; cùm in naturam regressa vigoris sui agnoscit altricem, atque ausu depositò contumaciæ, moderantis animæ coniugatur arbitrio: qualis fuit cùm inhabitanda paradisi secreta suscepit, antequam esset veneno pestiferi serpentis infecta.* Quid adhuc quod adversus meos libros moliaris, inquiris? illum aspice, adversus illum aliquid aude, qui hæresis vestræ venenis antequam nascerentur occurrit, & unde possunt expelli, hæc antidota

Rom.7.25. Gal.5.17. Rom.7.23.

Anima carnisq; discordia, in naturam versa.

Lib. 2. de nupt. & concupisc. c. 29.

Breviter contrahit Ambrosij sententias.

antidota præparavit. Quæ si satis non sunt, adhuc audi. In libro de Isaac & anima idem dicit. *Bonus ergo rector malos equos restringit & revocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. Mali equi, iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas.* Nunquid ait, Bonus rector bonos equos habet, malos non habet? Sed ait, *bonos incitat, malos restringit & revocat.* Vnde isti sunt equi? Nempe si eos substantias dicimus vel putamus, Manichæorum favemus vel hæremus insaniæ: quod ut absit à nobis, catholicè istos equos intelligimus vitia nostra, quæ legi mentis ex lege peccati resistunt. Non à nobis hæc vitia separata, alicubi alibi erunt, sed in nobis sanata nusquam erunt. Veruntamen quare non in Baptismate perierunt? An nondum fateberis quòd reatus eorum perierit, infirmitas manserit, non reatus quo ipsa rea fuerant, sed quo nos reos fecerant in malis operibus, quo nos traxerant? Nec ita eorum mansit infirmitas, quasi aliqua sint animalia, quæ infirmantur, sed nostra infirmitas ipsa sunt. Nec in his equis malis iniquitatem nominasse putandus est illam, quæ deletur in Baptismo. Illa namque peccatorum quæ fecimus, fuit, quæ cuncta remissa sunt, atque omninò jam non sunt, quorum reatus manebat, quando ipsa fiebant atque transibant. Istam verò legem peccati, cujus manentis reatus in sacro fonte remissus est, propterea vocavit iniquitatem, quia iniquum est ut caro concupiscat adversus spiritum: quamvis aßit in nostrâ renovatione justitia; quia justum est, ut adversus carnem spiritus concupiscat, ut spiritu ambulemus, & concupiscentias carnis non perficiamus. Hanc quippe justitiam nostram inter bonos equos invenimus nominatam. Audi adhuc quid dicat in libro quem scripsit de paradiso: *Fortasse*, inquit, *ideo dixit Paulus, qua non licet hominis loqui: quia erat adhuc in corpore constitutus, hoc est, videbat istius corporis passiones, videbat legem carnis sua repugnantem legi mentis suæ.* Itemque in eodem. *Cum dicit*, inquit, *sapientiorem serpentem, intelligis quem loquatur, id est, illum adversarium nostrum, qui tamen habet huius sapientiam mundi. Sed & voluptas & delectatio bene sapiens dicitur, quia & carnis appellatur sapientia, sicut habes, quia sapientia huius carnis inimica est Deo. Et ad exquirenda delectationum genera astuti sunt, qui appetentes sunt voluptatum. Sive ergo*, inquit, *delectationem intelligas, quadam*

Ambros. in lib. de Isaac & anima c. 8.

Perit in Baptismo reatus, manet infirmitas.

Concupiscentiam post Baptismum remanentem quo sensu iniquitatem vocarit Ambros.

2. Cor. 12. 4.

In lib. de parad. c. 11.

Ibid. c. 12.

Rom. 8. 7.

est divino adversa mandato, & inimica sensibus nostris. Vnde sanctus Paulus ait: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. Rom.7. 23. Qualem voluptatem dicat hoc loco iste Doctor, in promptu est, quia ut intelligeremus adhibuit Apostoli testimonium dicentis: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Rom.7. 23. Hæc est voluptas illa susceptæ tuæ, quamvis & tu reprehendas ejus excessum. Vbi qualis sit planè fateris, sed tantis verborum ornamentis eam moderatam defendis & laudas, quasi istum modum sibi ipsa constituerit, & non spiritus qui adversus ejus impetum concupiscit. Adversus quem fortiter stabat ille, qui clamabat: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Ibid. Iste repugnantis impetus si laxetur, in quæ declinabit immunda? in quæ non pertrahet & præcipitabit abrupta? Verùm nunc quod potiùs instat, ecce non secundum vos quicunque Iudæus, sed secundùm beatissimum Ambrosium de seipso Paulus Apostolus dicit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Ibid. Rursus in eodem opere alio loco, Doctor idem: *Impugnatur*, inquit, *Paulus, & videt legem carnis suæ repugnantem legi mentis suæ, & captivantem se in lege peccati, nec de conscientia sua præsumit, sed per Christi gratiam confidit se à mortis corpore liberandum: & tu quemquam opinaris scientem non posse peccare. Paulus dicit: Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago: & tu arbitraris homini prodesse scientiam, quæ delicti augeat invidiam.* Ibid. 19. Itemq; in ipso opere, idem ipse Episcopus ad omnes nos referens eloquium, causamque communem sedulò agens: *Repugnat enim lex carnis*, inquit, *legi mentis, & laborandum nobis est ac desudandum, ut castigemus corpus & servituti redigamus, & quæ sunt spiritalia seminemus.* Ibid. c. 15. In alio quoq; libro suo De Sacramento regenerationis, vel de Philosophia quem scripsit, ita loquitur: *Beata igitur mors quæ nos peccato eripit, ut reformet Deo. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Nunquid naturæ sine iustificatur à peccato aliquis? Non vtique, quoniam qui peccator moritur, in peccato manet: Ille autem iustificatur à peccato, cui per Baptismum peccata remittuntur omnia.* 1. Cor. 9. 27. Ibid. 11. Rom. 6. 7. Habes ad ista quæ dicas? Vides ne quemadmodum expresserit vir venerabilis, in Baptismo fieri hominis mortem beatam, ubi remittuntur

Concupiscentia, quomodo moderata.

In lib. De Paradiso c. 12. in fine.

Ibid. c. 15.

Ambrosij liber De Sacramento regenerationis seu de Philosophia, sed non extat.

tur

tur peccata omnia? Sed attende aliud, attende quod non vis. *Advertimus*, inquit, *cuiusmodi sit mors mystica; nunc consideremus cuiusmodi sepultura esse debeat. Non ergo satis est ut moriantur vitia, nisi marcescat corporis luxus, & omnium vinculorum carnalium compago solvatur, omnis nodus corporeis laxetur usus. Nemo sibi blandiatur, quod aliam figuram induerit, mystica præcepta acceperit, ad continentiæ disciplinam applicuerit animum: Non quod volumus hoc agimus, sed quod odio habemus hoc facimus. Multa operatur in nobis peccatum: Nobis reluctantibus redivivæ plerumque voluptates resurgunt. Luctandum nobis adversus carnem* Rom. 7. 23. *est, luctatus est adversus eam Paulus, denique ait: Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. Nunquid tu*, inquit, *fortior Paulo? Nec tanquam sedulæ carni tuæ confidas, & te ei credas, cùm Paulus* Ibid. 18, 19. *clamet: Scio enim quia non habitat in me, id est, in carne mea bo-* & 20. *num. Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo facio bonum: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo hoc ago, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Quantalibet feraris animi obstinatione Iuliane, quantalibet adversus nos pervicacia pro Pelagiano errore consistas, tanta per beatum Ambrosium circumvallaris rerum evidentia, tanta verborum ejus manifestatione contunderis; ut profectò si nulla te ratio, cogitatio, consideratio religionis, pietatis, humanitatis, atque in te ipso advertendæ veritatis à pertinaci intentione revocaverit, ostendas quantùm in malis humanis valeat, eò quemquam fuisse progressum, ubi manere non libeat, unde jam redire pudeat. Sic enim te credo affici, cùm ista legeris. Sed ô si pax Christi in tuo corde vincat, & bona pœnitentia de mala verecundia palmam ferat.

Ibidem.

CAPVT VI.

SEd jam nunc parumper attende, quomodo ex ista *lege peccati*, cujus motum mortalitas etiam continentium cogitur ferre, cui modum castitas nuptiarum laborat imponere, ubi concupiscentia carnis voluptasque quam laudas, contra propositum voluntatis agit suos impetus, cùm excitatur, etiamsi actus non peragit, cùm frenatur. Attende ergò pauliſper, quomodo ex hac *lege peccati* omnem generari hominem, & ideò trahere originale peccatum, ſanctus eloquatur Ambroſius in eo ipſo de Sacramento regenerationis, ſive de Philoſophia libro ſuo: *Eſt*, inquit, *domus quam ſapientia ædificat, & menſa cœleſtibus referta Sacramentis, in qua juſtus cibum divinæ voluptatis epulatur, ſuavem gratiæ potum bibens, ſi perpetuorum meritorum uberi poſteritate lætetur. Hos filios generans David partus illos corporeæ commixtionis horrebat, & ideò mundari ſacri fontis irriguo deſiderabat, ut carnalem ac terrenam labem gratia ſpiritalis ablueret: Ecce*, inquit, *in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Male Eva parturivit, ut partus relinqueret mulieribus hæreditatem, atque unuſquiſque concupiſcentiæ voluptate concretus, & genitalibus viſceribus infuſus, & coagulatus in ſanguine, in pannis involutus, prius ſubiret delictorum contagium, quàm vitalis ſpiritus munus hauriret.* Si te non deſeruit qualiſcunque ſaltem ſenſus humanus, vides quid de *concupiſcentia voluptate* hac ipſa, cui præbes impudentiſſimum patrocinium, pronunciaverit, tui quod ſæpè dicendum eſt Doctoris teſtimonio prædicatus tam memorabilis Doctor Ambroſius: quod ea *quiſque concretus*, ea *genitalibus viſceribus infuſus*, *& coagulatus in ſanguine*, *& in pannis*, non utique laneis, aut lineis, aut hujuſcemodi talibus, qualibus jam nati obvolvuntur infantes, ſed pannis vitiatæ originis tanquam hæreditarijs *involutus*, *prius ſubeat contagium delictorum*, *quam vitalis hujus aëris auram ſpirando percipiat*: in quem veluti immenſum fontem communis & non deſiſtentis alimenti, poſt occulta ſpiramenta viſcerum maternorum, qui naſcitur, funditur, in ortu ploraturus reatum, quem contraxit ante ortum. Ergò ne ex hujus concupiſcentiæ motu illi non erubeſcerent homines primi, quo & ipſi apparebant noxij, & eorum filij peccato parentum pronunciabantur obnoxij?

Ibidem.

Pſal. 50. 7.

Hæreditarium eſt originalis peccati malum.

Ploratus parvulorum.

Vtinam

Vtinam sicut illi erubuerunt eas partes corporis, in quibus libidinis inobedientiam sentiebant, nudas relinquere; ita tu Fidei Catholicæ obediens erubescens erubescenda laudare. Quid autem etiam de ipso siculneorum tegmine foliorum in libro de Paradiso idem ipse scripsit Doctor advertc. *Quod ergo gravius est*, inquit, *hac se Adam interpretatione succinxit eo loco, ubi fructu magis castitatis se succingere debuisset. In lumbis enim quibus præcingimur, quædam semina generationis esse dicuntur: Et ideò malè ibi succinctus est Adam foliis inutilibus, ubi futuræ generationis non fructum futurum, sed quædam peccata signaret.* Hic certè frustravit iste vir sanctus tam elaboratam disputationem tuam nimisque sollicitam, ne post peccatum Adam & Eva oculis apertis lumbos præcinxisse credantur. Vt enim tantâ ibi loquacitate laborares, contra sensus veniebas omnium, & eos multiloquij strepitu perstringere cupiebas. Quid enim tam in promptu est, quàm succinctorijs, vel præcinctorijs, quæ Græcè περιζώματα nuncupantur, lumbos hominum contegi vel præcingi, quas vulgus etiam munituras vocat? Neque hoc ille homo Dei, cujus te urgemus eloquio, tanquam obscurum esset expositurus: sed quod omnes intelligebant, quid significaret ostendit. *In lumbis enim quibus præcingimur*, ait, *quædam semina generationis esse dicuntur, & ideò male ibi succinctus est Adam foliis inutilibus.* Quare malè? Sequitur & dicit. *ubi futuræ generationis, non fructum futurum, sed quædam peccata signaret.* Habes ne ad ista quod dicas? Ecce unde illa confusio, ecce unde contextio & succinctio foliorum, ecce unde in posteris originale peccatum. Sanctus verò Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, quantum verecundia permittere potuit, totum illud primorum hominum erubiscentium factum, duobus verbis evidenter expressit dicens: *Foliis autem ficus erant cooperti, tegentes speciem peccati.* Cui non apparet, quæ vel qualis peccati species à confusis tegenda fuerat in regione lumborum, qui de sui corporis nuditate non confundebantur ante peccatum? Obsecro intelligite, imò verò permittite homines, quod vobiscum intelligunt intelligere, & nolite nos cogere de pudendis penè impudenter diutiùs disputare. Meritò idem beatus Ioannes, etiam ipse sicut Martyr Cyprianus, circumcisionem carnis, in signo præceptam commendat esse Baptismatis. *Et vide quomodo Iudæus*, inquit, *circum-*

De paradiso cap. 13.

Perizomata quibus se Adam & Eva succinxerunt, quæ sint.

Ioannes Chrysost.

Cyprianus lib. 3. c. 8.

Circumcisio carnis præcepta in signo baptismatis.

Verba hæc apud Basilium leguntur homilia 13. quæ exhortatio est ad baptismum.

circumcisionem non differt propter comminationem, quia omnis anima, quacunque non fuerit circumcisa die octavâ, exterminabitur de populo suo. Tu autem, inquit, *non manufactam circumcisionem differs, quæ in expoliatione carnis in corpore perficitur, ipsum Dominum audiens: Amen amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, non introibit in regnum cœlorum.* Cernis quemadmodum circumcisionem circumcisioni, comminationem comminationi vir ecclesiasticâ doctrinâ præditus comparavit. Quod ergò est *octavo die non circumcidi*, hoc est in Christo non baptizari. Et quod est, *perire de populo suo*, hoc est, *non intrare in regnum cœlorum.* Et tamen vos in Baptismate parvulorum *expoliationem carnis*, hoc est, *circumcisionem non manufactam*, celebrari negatis, cùm nihil eos, quo expoliari debeant, habere contenditis: Non enim eos fatemini mortuos in præputio carnis suæ, quo peccatum significatur, maximè quod originaliter trahitur; per hoc enim est corpus nostrum corpus peccati, quod evacuari dicit Apostolus per Crucem Christi.

Circumcisio & baptismus comparantur

Præputium carnis.

Per quid sit corpus peccati.

Gen. 17. 14.

Coloss. 2. 11.

Ioan. 3. 5.

Rom. 6. 6.

CAPVT VII.

SEd nunc sententijs Episcoporum qui fuerunt ante nos, & hæc divina eloquia fideliter & memorabiliter tractaverunt, urgere te instituì. Proinde ad Episcopum Ambrosium revertamur: Qui cùm homines, id est, & animas & corpora hominum, opus Dei esse non dubitet, & nuptias honoret, & in Baptismo Christi prædicet omnia peccata dimitti, & Deum noverit esse justum, & capacem virtutis atque perfectionis per Dei gratiam humanam non neget esse naturam: quæ vestra quinque facitis argumenta; contendentes nullum istorum quinque verum esse posse, nisi falsum sit trahere nascentes originale peccatum: tamen hoc ipsum, quod his quinque argumentis auferre conamini, sic ille ubi opus est, in suis sermonibus ponit, ut cuivis satis eluceat, quid catholica veritas soleat prædicare, quid prophana novitas conetur evertere. An fortè ipsum quoq; Ambrosium sciisse ac docuisse dubitabis, Deum esse hominum conditorẽ & animæ & corporis? Audi ergò quid dicat in lib. De Philosophia contra Platonẽ Philosophũ, qui hominũ animas revolvi in bestias asseverat, & ani-

I. Deum & animæ & corporis esse conditorem. Plato solas animas à Deo conditas putat, easq; in bestias revolvi asserit.

& animarum tantummodo Deum opinatur authorem; corpora autem dijs minoribus facienda decernit. Ergo sanctus Ambrosius: *Miror*, inquit, *tantum Philosophum quomodo animam, cui potestatem conferendæ immortalitatis attribuit, in noctuis includat aut ranulis, feritate quoque induat bestiarum, cùm in Timæo tam Dei opus esse memorauerit, inter immortalia à Deo factam: corpus autem non videri opus summi Dei asserit, quia natura carnis humanæ, nihil à natura corporis bestialis differt. Si ergo digna est quæ Dei opus esse credatur, quomodo indigna est quæ Dei opere vestiatur?* Ecce non solùm animam, quod & illi dicunt, verumetiam corpus, quod illi negant, contra Platonicos Dei opus esse defendit Ambrosius. An dicturus es, quòd nuptijs ingerat crimen, quia *& inde quod nascitur concupiscentiæ voluptate concretum, dicit subire contagium delictorum?* Audi ergo de nuptijs Ambrosij sententiam in Apologia sancti Dauid: *Bonum*, inquit, *coniugium, sancta copula. Sed tamen qui habent vxores, ita sint ac si non habentes: Ipse est thorus incoinquinatus, & nemo alterum fraudare debet eo, nisi fortè ad tempus, vt vacent orationi. Tamen secundum Apostolum, non vacat orationi, qui eo tempore vsum corporeæ illius conuentionis exercet.* Audi & alteram in libro. De Philosophia: *Bona*, inquit, *continentia quædam velut crepido pietatis. Namque in præcipitijs vitæ huius labentium, statuit vestigia speculatrix sedula, ne quid obrepat illicitum. Mater autem vitiorum omnium incontinentia, quæ etiam licita vertat in vitium: Ideoq; Apostolus non solùm à fornicatione nos retrahit, verumetiam in ipsis coniugijs modum quendam docet, & tempora præscribit orandi: Intemperans enim in coniugio, quid aliud nisi quidam adulter vxoris est?* Cernis quemadmodum velit etiam inter se ipsa vera & honesta esse coniugia? Vides quemadmodum dicat incontinentiam etiam licita vertere in vitium vbi & licitum demonstrat esse connubium, & in ipso non vult incontinentia fœdari quod licitum est? Aduertis quomodo intelligere nobiscum debeas, *in* quo *morbo desiderij* noluerit Apostolus *vnumquemque vas suum possidere, sicut gentes quæ ignorant Deum?* Tibi autem libido non nisi præter vxorem, videtur esse culpabilis. Quid ergo de Ambrosio iudicabis, qui intemperantem in coniugio, adulterum quendam appellat vxoris? Túne melius nuptias honoras, in quibus libidini licentiosissimum spatium præbuistine: fortassis offensa defensorem sibi alium prouideret? Neque enim, quod ego com-

Ambrosius in li. De philosophia contra platonem.

II. Bonas honorabiles esse nuptias.

1. Cor. 7 29. *Ibidem 5.*

In Apologia Dauid. ca. 12

Lib. de philosophia.

1. Cor. 7.

Maritus intemperans vxorij adulter est.

1. Thes. 4 4 & 5.

Quam libidinem culpent Pelagiani.

memoraui, secundùm veniam coniugibus concedere Apostolum (vbi proculdubio notatur, etsi ignoscitur culpa) saltem verbotenus attingere voluisti: aut quòd ab illo opere, vt orationi vacent, cessare coniuges admonentur, quod ego totum commemoraui, ausus es in tuâ responsione refricare: credo, formidans, ne tua videretur præuaricata defensio, si & te consitente appareret, quòd per libidinem, cui te patrocinari non pudet, etiam coniugum impediretur oratio. Ita cùm mihi pro illâ respondere cuperes, sed Apostolo resistere non auderes, nec in aliam sententiam, sicut soletis, ipsum apostolicum testimonium detorquere potuisses, omnino inde tacere maluisti. Tu ergo meliùs honoras nuptias, quarum dignitatem tanquam omnino irreprehensibili volutabro carnalis concupiscentiæ decoloras; an ille qui cùm dicat, non solùm licitum, sed etiam bonum coniugium, sanctamque copulam, tamen cessante libidinis voluptate, tempora orandi ab Apostolo præscripta commemorat: atque ita non vult illi morbo esse deditos coniuges, vnde trahitur originale peccatum, vt eos *qui habent vxores*, secundum eundem Apostolum, ita esse velit, *ac si non habentes*. Nec vocare dubitat etiam vxoris adulterum, intemperantem maritum: omne connubij bonum pensans non cupiditate carnis, sed fide potiùs castitatis: non morbo passionis, sed fœdere coniunctionis: non voluptate libidinis, sed voluntate propaginis. Nam mulierem viro non nisi generandi causa perhibet institutam, vnde tamdiu frustra, quasi quisquam hoc nostrum negaret, disputandum putasti. Hæc enim sunt de hâc re verbâ eius in libro de Paradiso: *Si igitur viro*, inquit, *culpæ author est mulier, quemadmodum pro bono videtur adiecta? Verùm si consideres, quia Deo vniuersitatis cura est, inuenies plus placere domino debuisse id, in quo esset causa vniuersitatis, quàm condemnandum fuisse illud, in quo esset causa peccati. Ideo quia ex viro solo non poterat humani esse generis propagatio, pronunciauit dominus, non esse bonum solum hominem esse. Maluit enim Deus plures esse, quos saluos facere posset, quibus donaret peccatum; quàm vnum solum Adam, qui liber esset à culpâ. Denique quia idem*, inquit, *vtriusque author est operis, venit in hunc mundum, vt saluos faceret peccatores. Postremò nec Cain parricidij reum priusquam generaret filios, passus est interire. Ergo*, inquit, *propter generationem successionis humanæ, debuit mulier adiici viro.* Habes ecce Ambrosium doctorem meum, & à tuo mirabiliter

1. Cor. 7. 6.

ibidem 5.

Libidini patrocinatur Iulianus.

Connubij bonum vnde æstimandum

Ibidem 29.

Lib. de paradiso cap. 10.

ter prædicatum, & opus Dei esse omnem hominem atque hominis carnem, & bonas esse nuptias, in quantum sunt nuptiæ, non solum fatentem, verùmetiam defendentem. Iam verò quòd per originale peccatum sacro baptismati nihil deroget, superiùs demonstraui, quando eius posui verba, vbi dicit *illum iustificari à peccato, cui per baptismum peccata remittuntur omnia.* Iustum porrò ille Deum vbi non prædicat, aut quis de hoc potest catholicus dubitare Christianus, quod penè & omnes impij confiteutur?

III. Baptismo peccata omnia remitti. § Ex lib. de sacramento noui generationis.

IV. Iustũ esse Deũ.

CAPVT VIII.

QVintum illud restat, vtrum videatur Ambrosio humanam capacem iustificationis & perfectionis esse naturam; nec ab hâc sententiâ propterea reuocetur, quia sæpe ac multis modis dicit *omnem hominem sub peccato nasci, & esse ipsum ortum eius in vitio.* Verum & hoc iam suprà docui, vbi eum loco ipso paulò post dixisse memoraui, *à Christi carne* Rom. 8. 3 *damnatum esse peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit, vt in carne nostrâ esset iustificatio per gratiam, vbi erat antè colluvio per culpam.* Ibi enim naturam demonstrauit humanam etiam istam, quæ sub peccato nascitur, & cuius ortus in vitio est, esse iustificationis capacem: sed sanè per gratiam quod inimicum est vobis, eidem gratiæ crudelibus inimicis. Verum si hoc parum est: rursus quid dicat, attende in expositione Esaiæ Prophetæ: *Videamus*, inquit, *ne qua sit* Matt. 19 28. *post huius vitæ curriculum nostra regeneratio, de qua dictum est: In regeneratione cum sederit filius hominis in throno gloriæ suæ. Sicut enim regeneratio lauacri dicitur, per quam detersa collatione peccatorum renouamur: ita regeneratio dici videtur, per quam ab omni corporeæ concretionis purificati labe, mundo animæ sensu in vitam regeneramur aternam.* Nempe distinxit vir sanctus & verax, iustificationem vitæ huius, quæ fit per *lauacrum regenerationis*; & illius perfectionem, cum & nostra corpora fuerint immortalitate renouata. Non itaque fuit Ambrosio, qui àmuis fateretur nascentis originis vitium, iustificationis desperata perfectio. Quia sicut est humana natura creatori Deo formabilis, ita sanabilis redemptori. Sed vos festinatis, & præsumptionem vestram festinando præcipitatis. Hic enim vultis hominem perfici, atque vtinam Dei dono, & non libero, vel potius seruo propriæ voluntatis arbitrio. A quâ perfe-

Cap. 3 ex lib. 1. de cœnit cap. 2.

V. Humanam naturam virtutis perfectionisq; capacem.

Pelagiani crudeles inimici gratiæ in Isaiã cap. 1.

Regeneratio duplex.

ctione quidem longè vos esse sentitis. Sed *dolus est in ore vestro* siue peccatores vos esse dicatis, & iustos credi velitis; siue profiteamini profectionem iustitiæ, quam profectò in vobis non esse sentitis. Iustificatio porrò in hac vita, nobis secundum tria ista confertur. Priùs *lauacro regenerationis*, quo remittuntur cuncta peccata; deinde congressione cum vitijs, à quorum reatu absoluti sumus; Tertiò dum nostra exauditur oratio, qua dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*: Quoniam quàmlibet fortiter contra vitia dimicemus, homines sumus; Dei autem gratia sic nos in hoc corruptibili corpore adiuuat dimicantes, vt non desit, propter quod exaudiat veniam postulantes. Istam super nos Dei misericordiam, vobis necessariam non putatis, quoniam ex eo numero estis, de quibus in Psalmo dictum est: *qui confidunt in virtute sua*. Sed quantò melius audimus Ambrosium, in libro de fuga seculi dicentem: *Frequens nobis de effugiendo isto seculo est sermo: atque vtinam quàm facilis sermo, tam cautus & solicitus affectus. Sed quod pessimum est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, vt quod studeas vitare, hoc cogites, animoq; volvas. Quod cauere difficile est homini, exuere autem impossibile. Denique votis magis eam esse rem quàm effectus, testatur Propheta dicendo: Declina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes, quæ improuiso offusæ, mentem animumq; confundunt, atque aliò trahunt quàm tu proposueris, ad secularia reuocant, mundana inserunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoq; in tempore quo eleuare mentem paramus, insertis inanibus cogitationibus, ad terrena plerunque deijcimur.* Hæc si vos non patimini, ignoscite, non vobis credimus, & in his potiùs sancti Ambrosij verbis quoddam speculum, & hoc si proficimus, communis humanæ infirmitatis agnoscimus. Vobis autem etiam si credamus & dicamus, orate pro nobis, vt nec nos ista patiamur; ita vos inuenimus elatos & alta sapientes, vt respondeatis nobis, non solùm ista vos non pati, verumetiam in hominis esse potestate, ne ista patiatur, nec esse causam cur ad hoc Dei poscatur auxilium. Quantò ergo melius identidem audimus Ambrosium Dei gratiam confitentem, nec de sua virtute confidentem, qui cùm hæc dixisset adiecit: *Quis autem tam beatus, qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine auxilio diuino qui fieri potest? Nullo profectò modo. Denique*, inquit,

Vitæ huius iustificatio tribus peragitur.

Psal. 31. 4.

Matt. 6. 12.

De fuga seculi cap. 1.

Psal. 48. 7.

Speculũ humanæ infirmitatis.

Psal. 118 36.

supra

Psal. 83. 6. *suprà eadem scriptura dicit: Beatus vir cuius est auxilium eius abs te domine, ascensus in corde eius.* Itemque idem ipse in libro de sacramento regenerationis: *Quis igitur est, inquit, qui carne vtitur ad operandum, nisi anima? Ergo Princeps & domina carnis naturaliter anima est, quæ domare carnem debet & regere. Ideoq; spiritus sancti fulta præsidio, dicit in Psalmo: Non timebo quid faciat mihi caro. Ipsa eadem dicit in Paulo: Sed castigo corpus meum, & seruituti redigo. Castigat ergo Paulus quod ipsius est, non quod ipse est. Aliud est enim quod ipsius est: aliud quod ipse est. Castigat quod ipsius est, vt mortem in se lasciua corporalis iustus operetur.* Nunquid sanctus Ambrosius quando ista dicebat, non cum vitijs confligebat? non vitia vincebat? Non exercitum quendam variarum cupiditatum intra semetipsum tanquam Christi miles egregius debellabat? Non corpus proprium castigabat? Nunquid non superatis & oppugnatis diaboli operibus, opus Dei cum opere Dei, hoc est anima cum carne pacem iustitiæ requirebat, vt non in sua virtute confi-

Lib. de sacramento regenerationis.

Quid castigabat Ambrosius?

Psal. 55. 5. 2. Cor. 12. 9. dens, sed sicut ait: *spiritus sancti fulta præsidio diceret: Non timebo quid faciat mihi caro?* Ecce quomodo natura humana capax iustificationis ostenditur: Ecce quomodo *virtus in infirmitate perficitur.* Sed audiamus de hac re etiam victoriosissimum martyrem Cyprianum in Epistola de mortalitate. *Cum auaritia nobis, inquit, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est cum carnalibus vitijs, cum illecebris secularibus assidua & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, & vndique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio. Si ambitio contempta est, ira exasperat, † inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit: Cogeris maledicere, quod diuina lex prohibet; compelleris iurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidiè patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter diaboli gladios diu stare, cùm magis concupiscendum sit, & optandum, ad Christum subueniente velocius morte properare.* Absit autem vt sanctum Cyprianum, aut auarum existimemus fuisse, quia cum auaritia; aut impudicum, quia cum impudicitia; aut iræ subditum, quia cum ira; aut ambitiosum, quia cum ambitione; aut carnalem quia cum carnalibus vitijs; aut seculi huius amatorem, quia cum illecebris secularibus; aut libidinosum, quia cum libidine; aut superbum, quia cum superbia; aut vino-

Cyprian. lib. de mortalitate, Assidua hominis luctatio.

† Al. inflat.

lentum, quia cum vinolentiâ; aut inuidum, quia cum inuidiâ confligebat. Imò verò ideo nihil eorum erat, quia his malis moribus partim de origine, partim de consuetudine, venientibus fortiter resistebat, non acquiescens esse, quod eum esse cogebant. Nec ideo tamen in tam periculoso laboriosóq́ certamine nullo telo feriebatur hostili, cùm dicat in Epistolâ sua de eleemosynis: *Ne quisquam sic sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, vt innocentiâ suâ fretus, medicinam non putet adhibendam esse vulneribus, cum scriptum sit: Quis gloriabitur castum se habere cor? Aut quis gloriabitur mundum se esse à peccatu? Et iterum in Epistola sua Ioannes ponat & dicat: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem nemo esse sine peccato potest, & quisquis se inculpatum esse dixerit, aut superbus, aut stultus est; quàm necessaria, quàm benigna est diuina clementia, quæ cùm sciat non deesse sanatis quædam post modum vulnera, dedit curandis dennò sanandisq́ vulneribus remedia salutaria.* O doctor præclarissime, & testis gloriosissime, sic docuisti, sic monuisti, sic te audiendum imitandumque præbuisti. Meritò finitis alijs omnium cupiditatum certaminibus, sanatisq́ue vulneribus, cum extrema & omnium maximâ vitæ huius cupiditate, pro Christi veritate pugnasti, & eius in te gratiæ largitate vicisti. Secura est corona tua, victoriosa est doctrina tua, in quâ & ipsos vincis *qui confidunt in virtute suâ*: ipsi enim clamant: Perfectio nobis virtutis à nobis est: tu autem reclamas: *Nemo sui viribus fortis est sed Dei indulgentiâ & misericordiâ tutus est.* Alium & beatissimum Hilarium, vbi sperret hominis perfectionem. Cùm enim loqueretur de pace Euangelicâ, vbi dominus ait: *Pacem meam do vobis*: *Quia lex*, inquit, *vmbra est futurorum bonorum, idcirco per hanc præfiguratam significationem docuit nos in hoc terreni & mortalis corporis habitaculo mundos esse non posse, nisi per ablutionem cœlestis misericordiæ emundationem consequamur post acmutationem resurrectionis terreni corporis nostri, efficiâ gloriosiore naturâ.* Rursus in eodem sermone: *Ipsis*, inquit, *Apostolis verbo licet iam fidei emundatis atque sanctificatis, non deesse tamen malitiam, per conditionem communis nobis originis, docuit dicens: Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris.* Vides quemadmodum venerabilis Catholicus obiurgator, nec in hâc vitâ mundationem nostram neget; & tamen humanam perfectionem speret, id est perfectioris mundationis

Lib. de opere & eleemosyna.

Prov. 20. 9. 1. Ioan. 1

Hilarius in illud Psal. 118 *Vnifica me, vt videam testimonia tua, & confessionem bonorum meorum.*

Psal. 48. 7.

Ioan. 14. 27.

Ibidem, ad illud, peccatore à me manda iustificationes tuas. Bona data mea.

Heb. 10. 1.

Matt. 7. 11.

dationis in vltimâ resurrectione naturam. In quâdam verò homilia de libro sancti Iob, attende quid dicat, quemadmodum ipsius diaboli aduersus nos indesinens bellum ex hoc fieri asserat, cum ea mala quæ in nobis sunt, excitat contra nos, quod in nostram fieri vtilitatem vult docere, conuertente scilicet diuinâ misericordiâ malitiam diaboli ad purgationem nostram. *Tanta enim & tam admirabilis*, inquit, *in nos misericordia Dei bonitas est, vt per quem in Adæ offensa genus ipsa-tem prima & beatæ illius creationis amisimus, per eum rursum id quod amisimus, obtinere mereamur: tunc enim diabolus inuidens nocuit, nunc autem cùm nocere nititur, vincitur. Monet enim per infirmitatem carnis nostræ omnia potestatis suæ tela, cum ad lasciuiam accendit, cùm ad ebrietatem illicit, cum ad odia stimulat, cum ad auaritiam prouocat, cùm ad cædes instruit, cum ad mala dicta exacerbat: Sed cum per firmitatem animi, horum omnium serpentia incentiua reprimuntur, emundamur à peccato per huius victoriæ gloriam.* Iob. 25. 4. *Dictum enim ita est: Aut quomodo se emundabit natus ex muliere? Quia non extante hoste, non erit bellum; cessante deinde bello, victoria deerit. Collidentium autem aduersus nos vitiorum victoriâ non adeptâ, non erit emundatio vlla vitiorum, quia his quidys corporis nostri piratâ victo, colluctantium aduersus nos passionum concertatione purgamur. Memores igitur*, inquit, *& conscij, illa ipsa corpora nostra omnium vitiorum esse materiem, pro qua polluti & sordidi nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus; gaudeamus nobis esse hostem, in cuius concertatione, quodam concertationis nostræ bello dimicemus.* In expositione autem primi Psalmi idem doctor non dubitat dicere, naturam nostram vtique istam, quæ de morbo morbum trahit, ad peccandum ferri, ac sic ne peccemus, aduersus eam nos quodammodo fidei religione pugnare. *Plures enim sunt*, inquit, *qui cum per confessionem Dei ab impietate discreti sint, non tamen a peccato penitus liberi sunt, Ecclesiæ disciplinam non tenentes, vt auari, ebriosi, tumultuosi, procaces, superbi, 4 amulatores, mendaces, & rapaces. Et ad hæc quidem nos vitia naturæ*, inquit, *nostræ propellit instinctus; sed vtile est nos a viâ hâc ad quam ferimur, abscedere, neque consistere illic, adhibito decedendi ex eâ non moroso recursu. Et id-* Psal. 1. 1. *circo: Beatus vir qui in via peccatorum non stetit: naturâ quidem viam hanc ferente, sed ex via hâc fidei religione referente.* Numquidnam istum putabimus accusatorem fuisse naturæ quam condidit Deus? Non vtique. Non enim dubitabat homo Catholicus

Hom. 1. in Iob. sed non extat.

In illud Psal. 1. In via peccatorum non stetit.

Al. simulatores.

tholicus humanam Dei opus esse naturam; sed profectò vitia, cum quibus nascimur, accusauit, Apostolicum illud tenens: *Fuimus enim & nos natura filij iræ, sicut & cæteri.* Veruntamen hæc verba, quæ de sermone sancti Hilarij posui, si mea essent, quanta in me diceres, Manichæorumque nomen & crimen, quanto buccarum strepitu ventilares? Nunc ergo ne tui stomachi follis indigestâ maledictorum cruditate rumpatur; in hunc euome, si audes, calumniosas tuas vanitates, & insanias mendaces. *Ad hæc*, inquit, *nos vitia, natura nostra propellit instinctus.* Quæ ista natura est? Nunquid gens tenebrarum, quam Manichæorum fabula inducit? Absit. Catholicus loquitur, insignis Ecclesiarum doctor loquitur. Hilarius loquitur. Nostra ergo natura est primi hominis præuaricatione vitiata, non ab alia natura vlla diuisione separanda, sed ipsa sananda: cui diabolum à nobis constitui calumniaris authorem, dum tu ei Christum inuides saluatorem; & eius hic vitam, ita vt sine vllo sit omnino peccato, perfectam duci possе contendis. Sed audi quid etiam hinc te admoneat beatus Hilarius. Cùm enim exponeret Psalmum quinquagesimumprimum: *Spes*, inquit, *in misericordia Dei, in seculum & in seculum seculi est. Non enim ipsa illa iustitiæ opera sufficient ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac iustitiæ voluntate, humanarum demutationum & motuum non reperiet vitia. Hinc illud Prophetæ dictum est: Melior misericordia tua super vitam.* Videsne hominem Dei, ex illo numero esse beatorum, de quibus prædictum: *Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum, neque est in ore eius dolus*? Confitetur enim etiam peccata iustorum, magis eos asserens in Dei misericordia spem ponere, quàm de iustitia sua fidere: & ideo *non est in ore eius dolus*, imò in ore illorum omnium, in quibus huius veracis humilitatis, vel humilis veritatis perhibet testimonium. Qui dolus abundat in ore vestro. Vbi enim virtus non est, & tanta iactantia est, hypocrisis est: Et vbi hyprocrisis, vtique dolus: prorsus quantum sancti de misericordia Dei, quæ magna est, tantum vos de vestra, quæ nulla est virtute præsumitis. Et quantum ipsi aduersus ingenerata vitia bellum gerunt, adiuti per Dei gratiam; tantum vos bellum geritis aduersus ipsam Dei gratiam. Sed vtinam sicut vos vincit in suis; ita suos faciens, vos quoque ipsos vincat in vobis.

Ephes. 2. 3.

Psal. 39. 5.

Perfectio vitæ, non est absque omni omnino peccato.

Hilarius in Psal. 51. sub finem.

Psal. 51. 10.

Psal. 62. 4.

Psal. 31. 2.

Dolus Pelagianorum.

vobis. Itâne in corde vestro dicere audetis, quòd cùm vos audiunt, accenduntur homines ad virtutem; cum autem istos audiunt tantos ac tales viros, Cyprianum, Hilarium, Gregorium, Ambrosium, cæterosque sacerdotes domini, desperatione franguntur, ac renunciant studijs perfectionis? Luc. 24. 38. Hæccine monstra cogitationum ascendunt in cor vestrum, & non elidunt frontem vestram? Ergóne vos honoratis sanctos Dei Patriarchas, Prophetas, Apostolos laude naturæ, & decolorant eos ista lumina Ecclesiæ vituperatione naturæ: quia eos dicunt in *corpore mortis huius*, vt tenerent castitatis bonum, dimicasse contra ingenitum concupiscentiæ malum, per Dei gratiam priùs conflictatione vincendum, postea nouissimâ regeneratione sanandum? Tu Rom. 7. 19. intelligis Iudæum esse qui dicit: *Non enim quod volo bonum hoc ago*: & hoc præclaro intellectu, nec conuersationis sordes in naturæ refundis inuidiam, nec earum obstœnitates Apostolorum & Sanctorum omnium consolaris iniurijs: & hæc mala quæ non tu facis, faciebat Ambrosius cum collegis suis eadem sentientibus, qui beatum Apostolum de seipso dixisse intelligit: *Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago*: Et, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*: & cætera huiusmodi. Isti ergo sancti talia docendo *suffodiunt*, sicut mihi obijcis, *murum pudoris, & vos ob perfectionis prædicationem patimini inuidiam? Sed te*, vt scribis, *plurimum consolaris, quoniam laudis genus est ei displicuisse, qui Apostolis non pepercit.* Si ergo Apostolis dicendo talia non peperci, ergo nec Ambrosius pepercit Apostolis; nec coepiscopi eius eadem sentientes. Si autem illi & ex Apostolis ista didicerunt, & secundum Apostolos ista docuerunt, quid me vnum appetis? Ipsos aspice, ipsos etiam atque etiam deposito paulisper tumore ceruicis intuere. Itâne tandem iuuenis confidentissime, consolari te debes, quia talibus displices, an lugere? Ibidem & 23. *Iulianus inuenis confidentissimus.*

CAPVT IX.

SEd iam quid egerimus per totum istum librum, in summam, sicut possumus, breuiter colligamus. Proposuimus hic authoritatis mole sanctorum, qui Episcopi ante nos, non solùm sermone, cùm hic viuerent, verum- *Epilogus libri huius secundi.*

etiam scriptis, quæ posteritati relinquerent, fidem Catholicam strenuè defenderunt; vestra argumenta confringere, quibus dicitis: *Si Deus homines creat, non possunt cum aliquo malo nasci: Si nuptiæ bonum sunt, nihil ex eis oritur mali: Si in baptismate peccata omnia remittuntur, non possunt nati de renatis trahere originale peccatum: Si iustus est Deus, non potest in filijs parentum damnare peccata, cum ipsis parentibus damnata & propria: Si perfectæ iustitiæ capax est humana natura, habere non potest vitia naturalia.* Adhæc nos dicimus, & Deum esse hominum creatorem, hoc est, & animæ & corporis; & bonum esse nuptias; & per baptismum Christi omnia peccata dimitti; & iustum esse Deum; & perfectæ iustitiæ capacem humanam esse naturam: & tamen cùm hæc omnia vera sint, obnoxios nasci homines origini vitiatæ, quæ trahitur ex homine primo, & ideo ire in damnationem, nisi renascantur in Christo. Hoc autem probauimus Catholicorum authoritate sanctorum, qui & hoc asserunt, quod de originali peccato dicimus, & illa quinque esse vera omnia confitentur. Ac per hoc non est consequens, vt hoc falsum sit, quia vera sunt illa. Tales quippe ac tanti viri secundùm Catholicam fidem, quæ † vbique toto orbe diffunditur, & hoc, & illa vera esse confirmant; vt vestra fragilis, & quasi argutula nouita, solâ authoritate conteratur illorum, præterquàm quòd ea dicunt, vt se per eos loqui veritas ipsa testetur. Sed nunc authoritate primitus eorum, vestra est contumacia comprimenda, vt à præsumptionis impetu repercussi, & quodammodo sauciati, dum tales homines Dei sic in fide Catholica errare potuisse non creditis, vt aliquid dicerent, vnde esset consequens, Deum non esse hominum creatorem, nuptias esse damnandas, in baptismo non omnium remissionem fieri peccatorum, Deum esse iniustum, nullam spem nobis remansisse virtutis perficiendæ, quæ omnia vel aliquid eorum nefas est opinari: ausus præcipites refrenetis, & tanquam ex furore resipiscentes, incipiatis in qua nutriti estis, recolere & aduertere & resumere veritatem. Dicit B. Ambrosius, *vnum solùm hominem mediatorem Dei & hominum, eo quòd sit natus ex virgine, nec senserit nascendo peccatum, generationis obnoxia vinculis non teneri. Omnes autem homines sub peccato nasci, quorum ipse ortus in vitio est: quia concupiscentiæ voluptate concreti, prius subirent con-*

Quinq; argumenta Pelagianorũ.

† Al. antiquitus.

Ambrosius lib. de pœnit. cap. 2.

1. Tim. 2. 5.

tagia

tagia delectorum, quàm vitalem de hoc ære spiritum ducerent: ipsamq́; concupiscentiam tanquàm legem peccati in corpore mortis huius, legi mentis vsque adeò repugnare, vt aduersus eam, non solum quicunque boni fideles, sed Apostolica etiam virtutis magnitudo pugnauerit; ad hoc vt per Christi gratiam caro anima subiugata, in concordiam reuocetur. Quorum duorum quæ primitus sine peccato creata sunt, ex primi hominis transgressione facta discordia est. Et quis hæc dicit? Homo Dei Catholicus, & Catholicæ veritatis aduersus hæreticos vsque ad periculum sanguinis defensor acerrimus, sic tui doctoris testimonio prædicatus, vt diceret, *quòd eius fidem & in scripturis purissimum sensum, ne inimicus quidem ausus est reprehendere:* qui creatorem Deum non solum animarum, verumetiam corporum, aduersus Platonicorum Philosophorum asseuerauit errorem: qui nuptiarum bonum & causa propagandi generis humani diuinitus institutum, & pudicitia coniugali sanctam eius copulam prædicauit. Qui neminem dixit iustificari à peccato, nisi cui fuerint per baptismum dimissa omnia peccata. Qui coluit iustè iustum Deum: Qui perfectionem hominis in virtute atque iustitia absit vt impediat desperando; sed eam tamen perfectionem, cui nihil adijciendum sit, in alia vita sperat, quæ implebitur resurrectione mortuorum. In hac autem vita humanam iustitiam in quadam militia belloque constituit, non solum aduersus æmulas aëreas potestates; sed aduersus ipsas nostras cupiditates, per quas & illi exteriores inimici nos deijcere, vel penetrare moliuntur. In hoc bello & ipsam carnem aduersariam grauem dicit, cuius vtique natura sicut primitus condita est, nobiscum concordissima permaneret, nisi primi hominis præuaricatione vitiata, suo nobiscum languore confligeret. In hoc bello ille vir sanctus monet nos seculum effugere, & in ea fuga quanta sit difficultas, imò impossibilitas, nisi Dei gratia opituletur, ostendit. Dicit mortua quidem vitia per remissionem in baptismate omnium peccatorum, sed eorum nos curare debere quodammodo sepulturam. Et in hoc ipso opere talem describit cum vitijs mortuis nos habere conflictum, vt non quod volumus agamus, sed quod odio habemus, hoc faciamus. Multa in nobis peccatum nobis reluctantibus operari, rediuiuas plerunque resurgere voluptates, luctandum nobis esse aduersus carnem, aduersus quam*

Lib. de sacramento regenerationis. Lib. de paradiso ca. 12. & lib. de sacra. regenerationis. Lib. 7. in 12. cap. Luc. Pelagij def. Ambros. elogium Lib. de fide & generatione seu de philosophia. In apol. Dauid. cap 11. Lib. de sacram. regenerationis. In 1. cap. Esaiæ lib. de fuga seculi, cap. 1. Lib. 7. in 12. cap. Luce Natura carnis iuxta primam conditionem cum spiritu concordissima. Lib. de fuga seculi cap. 1.

Lib. de sacram. regenr.

luctatus est Paulus quando dicebat: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Præcipit ne carni nostræ confidamus, ne nos ei credamus, cùm Apostolus clamet, *Scio quia non habitat in me, id est, in carne mea bonum: Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Ecce quantam nos pugnam cum mortuis habere peccatis, ille strenuus Christi miles, & Ecclesiæ fidelis doctor ostendit. Quomodo enim peccatum mortuum est, cùm multa operetur in nobis, reluctantibus nobis. Quæ *multa?* nisi *desideria stulta & noxia, quæ* consentientes *mergunt in interitum & perditionem:* quæ vtique perpeti, eisque non consentire, certamen est, conflictus est, pugna est. Quorum pugna? nisi boni & mali, non naturæ aduersus naturam; sed naturæ aduersus vitium iam mortuum, sed adhuc sepeliendum, id est, omnino sanandum. Quomodo ergo mortuum dicimus hoc peccatum in baptismate, sicut etiam iste vir dicit, & quomodo habitare in membris fatemur, & multa operari desideria reluctantibus nobis, quibus non consentiendo resistimus, sicut etiam hic vir fatetur; nisi quia mortuum est in eo reatu, quo nos tenebat, & donec sepulturæ perfectione sanetur, rebellat & mortuum? Quàmuis iam non eo modo appelletur peccatum, quo facit reum; sed quòd sit reatu primi hominis factum, & quod rebellando nos trahere nititur ad reatum, nisi adiuuet nos *gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum, ne* sic etiam mortuum *peccatum* rebellet, vt vincendo reuiuiscat & *regnet.*

Rom. 7. 23.

Pugna cum mortuis peccatis.

Ibidem 18.

1. Tim. 6. 9.

Vitia sepeliendas quomodo concupiscentia post baptismum remanens mortua dicatur, cum existat in nobis tot mala desideria.

Concupiscentia in reatu quomodo peccatum dicatur.

Rom. 7. 25.

Rom. 6. 12.

CAPVT X.

Motus concupiscentiæ citra consensum non sunt peccata propriè dicta.

IN hoc bello laborantes, quamdiu *vita humana tentatio est super terram*, non ideo sine peccato non sumus, quia hoc quod eo modo peccatum dicitur, operatur in membris repugnans legi mentis, etiam non sibi ad illicita consentientibus nobis. Quantum enim ad nos attinet, sine peccato semper essemus, donec sanaretur hoc malum, si ei nunquam consentiremus ad malum. Sed quibus ab illo rebellante, etsi non letaliter, sed venialiter, tamen vincimur, in his contrahimus vnde quotidie dicamus, *Dimitte nobis debita nostra.* Sicut coniuges quando modum generationi necessarium, causâ solius voluptatis excedunt: sicut continentes, quando in talibus cogitationibus cum aliqua delectatione

Iob. 7. 1.

Venialiter concupiscentia lapsus.

Matt. 6. 12.

lectatione remorantur, non quidem decernentes flagitium, sed intentionem mentis, non sicut oportet, ne illò incidat, inde auertentes, aut si inciderit inde rapientes. De hac *lege peccati*, quæ alio modo etiam peccatum vocatur, quæ *repugnant legi mentis*, de qua & multa beatus Ambrosius dixit; attestantur etiam sancti Cyprianus, Hilarius, Gregorius, alijque quam plurimi. Qui ergo generatur in Adam, regenerandus in Christo, mortuus in Adam, viuificandus in Christo, ideo peccato est obstrictus originis, quia de malo nascitur, quo *caro concupiscit aduersus spiritum*; non de bono, quo *spiritus concupiscit aduersus carnem*. Quid ergo mirum est, si renasci debet homo ex illo malo natus, contra quod pugnat homo renatus, quo reus & ipse teneretur, nisi renascendo liberaretur? Non est hoc malum materies Dei creantis, sed vulnus diaboli eandem materiam vitiantis. Non est hoc malum nuptiarum, sed primorum hominum peccatum, in posteros propagatione traiectum. Etiam huius mali reatus, baptismi sanctificatione remittitur. Deus autem iustus, si tanta paruulis mala, quanta nunc dicere non sufficio, nihil peccati trahentibus irrogaret, magis appareret iniustus. Iustitiæ verò perfecta capacitas hominis non negatur, quia nec vitiorum omnium plenissima sanitas sub omnipotenti medico desperatur. Propter quam Catholicam veritatem sancti ac beati, & in diuinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes, Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Ioannes, Basilius, quibus addo presbyterum, velis, nolis, Hieronymum, vt omittam eos qui nondum dormierunt, aduersus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam, vnde nemo eruit, nisi quem sine *lege peccati repugnante legi mentis*, virgo concepit. Quid est quod exultas, & mihi quasi victor insultas, *tanquam non inuenirem quid facerem, quò confugerem, si iudicum premeret potestate, si in medio eruditorum consisterem tecum, si vera* quam dicis *rationis tuba*, à te scilicet magno tubicine *inflata, si auditorum arma circumstantium* & tibi fauentium *concrepa-rent*? Ita enim tibi ponis ante oculos nostrum in disputatione certamen, & te argumentante, me quid respondeam non habentem, fingis vt placet. Sic tecum vana & insana cui cor-

1. Cor. 15 22.

Gal. 5. 17.

An Deus paruulis innocentibus tanta mala irrogaret?

Rom. 7. 23.

dis imaginatio fabulatur, quasi me ante Pelagianos iudices tecum constituas, quibus plaudentibus tibi liceat *exaltare tanquam tubam vocem tuam*, & prædicare contra catholicam fidem, & contra gratiam Christi, qua *pusilli cum magnis* liberantur à malo, communem tibi & illis nouitiæ huius impietatis errorem. Tales iudices in Ecclesia Dei, nec sine aduersario ex parte altera stante potuit eruditor vester Pelagius inuenire. De quo iudicio, ipse quidem, quantum ad homiuum conspectum attinet, velut absolutus; vestro tamen palàm damnato dogmate egressus est. At ego vbicunque sis, vbicunque legere ista potueris, te ante istos iudices intus in tuo corde constituo; quos non amicos meos & inimicos tuos, aliqua in meam partem gratia propendentes, aliquo abs te meritò tuæ offensionis auersos, & ob hoc tibi aduersos, in hac nostra disceptatione constitui cognitores. Nec eos qui nunquam fuerunt, aut non sunt, aut quorum sententiæ de hoc quod inter nos disputatur. incertæ sunt, inani cogitatione confinxi; sed sanctos, & in sancta Ecclesia illustres antistites Dei, non Platonicis & Aristotelicis & Zenonicis alijsque huiscemodi, vel græcis vel latinis, quanquam & istis aliquos eorum, verum omnes sacris literis eruditos nominatim, sicut oportebat expressi: eorumque sententias, quantum sufficere videbatur, sine vlla editas ambiguitate digessi, vt in eis timeas non ipsos; sed illum qui sibi eos vtilia vasa formauit, & sancta templa construxit, qui tunc de ista causa iudicauerunt, quando eos nemo potest dicere perperam cuiquam vel aduersari vel fauere potuisse. Nondum enim extiteratis, contra quos susciperemus de hac quæstione conflictum. Nondum eratis qui diceretis quod in libris tuis ponis, *quia de vobis multitudini mentiti fuerimus, & quòd Celestianorum, vel Pelagianorum nomine homines terreamus, & quòd terrore ab omnibus extorqueamus assensum.* Certe ipse dixisti, *quòd omnes iudices ab odio, inimicitia, amicitia, ita vacuos esse deceat:* pauci tales potuerunt inueniri. Sed Ambrosium aliosque collegas eius, quos cum illo commemoraui, tales fuisse credendum est. Verùm etsi tales non fuerunt in his causis, quas ad se delatas & inter partes cognitas, cùm hic viuerent, suo iudicio finierunt; ad hanc tamen causam tales erant, quando de illa sententias protulerunt; nullas nobiscum, vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt: neque

Isa. 58. 1.

Quomodo absolutus Pelagius.

que nobis neque vobis irati sunt; neque nos neque vos miserati sunt. Quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos iudices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa nostra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus; & eorum pro nobis latas contra vos sententias recitamus; nondum vobiscum certabamus, & eis pronunciantibus vincimus. Dicis *mesi sub potestate iudicium premerer*, quales tibi ipsi componis, *non habiturum fuisse quid facerem, quò confugerem, cum tuis argumentationibus vnde occurrerem, reperire non possem.* Ego planè haberem quod facerem, haberem quò confugerem, à Pelagianis enim tenebris adhæc tam clara catholica lumina prouocarem, quod & nunc iam facio. Tu ergo respondè, quid facias, dic quò confugias. Ego à Pelagianis ad istos, tu ab istis ad quos? At quia *non numerandas, sed ponderandas* censes *esse sententias*, & addis, *quod quidem & ego verum esse consentio, ad aliquid inueniendum multitudinem nihil prodesse cæcorum*, etiam istos cæcos dicere audebis? Et vsqueadeo permiscuit imis summa longus dies, vsqueadeo tenebræ lux, & lux tenebræ esse dicuntur, vt videant Pelagius, Celestius, Iulianus; & cæci sint Hilarius, Gregorius, Ambrosius? Sed qualiscunque homo sis, tamen quia homo es, videre mihi videor verecundiam tuam, si tamen non in te spes est omnis emortua sanitatis; & quodammodo audio vocem tuam? Respondes, absit vt audeam cæcos istos viros, vel cogitare, vel dicere. Eorum ergo appende sententias. Nolo esse plures, vt eas te pigeat numerare. Sed non sunt leues, vt eas dedigneris appendere: imò tam sunt graues, vt te videam sub earum onere laborare. Nunquid & de istis dicturus es, *me imbellem tibi opinionem consortio opponere, & velut consternatum metu, conscios nominare?* Dicis, *in causa iudicandi amoto strepitu turbarum de omni ordine conuersationis hominum, siue sacerdotum, siue administrantium, siue præfectorum, ad discussionem talium rerum non sola nomina, sed eligendam esse prudentiam, & honorandam esse paucitatem, quam ratio, eruditio, libertasq; sublimat.* Ita verò est, vt dicis. Sed nec ego te vllius multitudinis numerositate perturbo; quàmuis propitio Deo, de hac fide, cui contradicitis, Catholica sanum sapiat etiam multitudo. In qua vsquequaque plurimi vbi possunt, quomodo possunt, sicut diuinitus adiuuantur, vana

Doctrina Ecclesiæ à Christo per manus traditionis & perpetua successio.

Idem contra hæreticos vel simè diuersis.

Supra li. 1. cap. 2. & infra lib. 3. ca. 1

vana vestra argumenta confutant. Vnde abſit à me iſta, quam mihi obijcis arrogantia, *vt me iſtam cauſam contra vos, vnum pro omnibus agere polliceret.* Quod cùm tu inter Pelagianos facis, non erubeſcens dicere & ſcribere, *maioris tibi eſſe apud Deum gloriæ, deſtitutam veritatem tueri*: multùm abiecti & verè deſtituti ſunt, multumque abs te pendent, ſi hanc intolerabilem arrogantiam eſſe non iudicant, quâ te etiam ipſis Pelagio ſcilicet & Celeſtio, veſtrum omnium doctoribus anteponis; quaſi & illi iam ceſſerint, & tu remanſeris, qui deſtitutam tuearis, quam veritatem putatis. Verùm quia te delectat, non numerare multitudinem, ſed appendere paucitatem, exceptis iudicibus Palæſtinis, qui hæreſim veſtram in abſoluto Pelagio damnauerunt, quem timore compreſſum Pelagiana ipſa dogmata damnare coëgerunt, decem Epiſcopos iam defunctos, & vnum presbyterum tibi huius cauſæ oppoſui iudices, qui de illa cùm hic viuerent, iudicauerunt. Si veſtra conſideretur paucitas, multi ſunt; ſi multitudo Catholicorum Epiſcoporum, perpauci ſunt. Ex quibus Papam Innocentium, & presbyterum Hieronymum retrahere fortaſſe tentabis: iſtum, quia Pelagium Celeſtiumque damnauit: illum, quia in Oriente contra Pelagium Catholicam fidem pia intentione defendit. Sed lege quæ dicat in laudem beatiſſimi Papæ Innocentij Pelagius, & vide vtrùm tales facilè poſſis indices inuenire. De illo autem ſancto presbytero, qui ſecundùm gratiam quæ data eſt ei, ſic in Eccleſia laborauit, vt eruditionem Catholicam multùm in latina lingua, multis & neceſſarijs literis adiuuaret, non ſolet Pelagius iactitare, niſi *quòd ei tanquam æmulo inuiderit.* Sed nolo ex hoc tibi videatur de iſtorum iudicum numero retrahendus. Non enim eius ſententiam poſui, quam tempore inimicitiarum contra veſtrum tenuit & defendit errorem: ſed quam poſuit in ſcriptis ſuis, liber ab omni ſtudio partium, antequam veſtra damnabilia dogmata pullularent. De reliquis ſanè non habes omnino quod dicas. Nunquid Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Gregorius, Baſilius, Ambroſius, & Ioannes *de plebeia fece ſellulariorum*, ſicut Tullianè iocaris, *in veſtram inuidiam concitati ſunt?* Nunquid *milites*, nunquid *ſcholaſtici auditoriales?* Nunquid *nauta, tabernarij, cetarij, coqui, lanij?* Nunquid *adoleſcentes ex monachis diſſoluti?* Nunquid poſtremò *de qualiumcumque*

Hæreſis Pelagiana damnata in concilio Palæſtino.

Hieronymi laus.

Pelagius de Hier. quæſtus, quod ei tanquam æmulo inuiderit.

Mos Hæreticis lacerandi & conuitia iactare.

clerico-

clericorum turba isti sunt, quos vrbana exagitatos dicacitate, vel potiùs vanitate contemnis, *quia non possunt secundum categorias Aristotelis de dogmatibus iudicare?* Quasi tu, qui maximè quereris *examen vobis & episcopale iudicium denegari*, Peripateticorum possis invenire consilium, vbi de subiecto & his quæ sunt in subiecto contra originalè peccatum dialectica sententia proferatur. Isti Episcopi sunt docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quæ tria bona iudici tribuisti, non potest invenire quod spernas. Si Episcopalis synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facilè tot sedere, quia nec isti vno tempore fuerunt. Sed fideles, & multi excellentiores, paucos dispensatores suos Deus per diversas ætates, temporum, locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire iudicat, ipse dispensat. Hos itàque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus ab Oriente & Occidente congregatos vides, non in locum quò navigare cogantur homines, sed in librum qui navigare possit ad homines. Quantò tibi essent isti iudices optabiliores, si teneres catholicam fidem, tantò tibi sunt terribiliores, quia oppugnas catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cuius lac & cibum parvis magnisque ministraverunt, quam contra inimicos etiam vos tunc nondum natos, vnde nunc revelamini, apertissimè ac fortissimè defenderunt. Talibus post apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit. Ideò prophanas voces vestræ novitatis expavit; & cauta ac sobria ex admonitione apostolicâ, *ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua*, sic & *mens eius corrumperetur à castitate, quæ est in Christo*; catholicæ fidei virginitati insidias vestri dogmatis surrepentis exhorruit, & tanquam caput colubri calcavit, obtrivit, abiecit. His igitur eloquiis & tantâ authoritate sanctorum, profectò aut sanaberis Dei misericordia donante, quod quàntum tibi optem, videt qui faciat: aut si quod abominor, in eâdem quæ tibi videtur sapientia (& est magna stultitia) perduraveris; non tu iudices quæsiturus es, vbi causam tuam purges; sed vbi tot sanctos doctores egregios atque memorabiles catholicæ veritatis accuses, Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Gregorium, Ambrosium, Basilium, Ioannem, Innocentium, Hieronymum, cæterosque

Iulianus post Aphricana concilia post Rō. pontificum sententias, quæritur Episcopale sibi examen & iudicium denegari. Qua immodestia?

2. Cor. 11. 3

sociosac participes eorum, insuper & vniversam Christi Ecclesiam, cui divinæ familiæ dominica cibaria fideliter ministrantes, ingenti in domino gloria claruerunt. Adversus hanc autem miserabilem quam Deus à te avertat insaniam, sic respondendum esse video libris tuis, vt fides quoque adversus te defendatur istorum; sicut contra impios & Christi professos inimicos, etiam ipsum defenditur Evangelium.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

Contra Iulianum,

LIBER III.

CAPVT I.

Aggreditur tertiam partem institutæ distributionis quâ respondet Iuliani argumentis, singulis eius singulos suos opponens.

IAM nunc quia sine dubio tot tantorumque sanctorum & in sacris literis eruditorum, & in Ecclesiæ regimine tàm clara memoria & laude pollentium authoritati si non cesseris, nec acquieveris, sive contumeliosissimè sicut me, sive illos verecundiùs & mitiùs cum aliquâ personarum acceptione tractaveris; tamen etiam ipsos erasse dicturus es: ita tibi dilecte fili Iuliane, Domino donante, respondere debeo, & sic tuos libros atque argumenta refellere, vt si possis, intelligas malè tibi fuisse persuasum, quod aliis persuadere moliris: teque salubriter pœniteat incautè ac temerariæ iuvenilis progressionis & prolapsionis tuæ, non tantùm tibi tuâ correctione, verùmetiam pluribus profuturâ, cognoscentibus vobis atq; fatentibus quàm non inaniter, quamq; veraciter tot & tanti Christianorum rectores doctoresque populorum, hoc in Ecclesiâ

Iuliani iuvenilis prolapsio.

cleſiâ Dei didicerint & docuerint, quod veriſimili novitate decepti, cupiebatis evertere. Si autem, quod abſte Dominus avertat, vel ſic tenebratum cor habueris, vt intelligere iſta non poſſis; vel ex eo numero fueris, quos in ſanctis pſalmis veritas notat dicens: *Noluit intelligere vt benè ageret*: vel ex eo, de qualibus item ſcriptum eſt, *Verbis non emendabitur ſervus durus; ſi enim & intellexerit, non obaudiet*; nec ſic erit iſte infructuoſus labor, vel meus, vel aliorum fratrum, qui per Chriſti gratiam contra hunc errorem, Catholicam defendunt fidem. Multò ampliùs enim erunt quos antiqua veritas vel inſtaurat defenſa; vel corrigat, ſi non defuerunt quos irrepens error inſolutus aut ſubverteret, aut moveret. Ac ne longum faciam, non omnia verba tua ponam, ſed ſi Dominus adiuverit, tuarum velut acutarum argumentationum nihil non ſolutum deſtructumque dimittam. De iudicibus, *apud quos propterea* dicis *non potuiſſe vos agere cauſam veſtram; quia nemo de rebus dubijs benè conſultat, niſi qui ab odio, ira & amicitia, vacuum pectus attulerit; quales non fuiſſe* dicis, *qui de cauſa veſtra iudicaverunt, quia prius eam cœperunt odiſſe quàm noſſe*, iam quidem ſuperiore libro reſpondi: quia ſi tales iudices, quales definivit, vndè hoc dixiſti, Saluſtius, quæreretis: Sancto Ambroſio & coepiſcopis eius, qui de hâc re ab odio veſtri vel amicitia, vel ira, vel quod tu non poſuiſti, ſed Saluſtius poſuit, miſericordia pro vobis, vel contra vos vacuum pectus habuerunt, quandò de hâc re veras tranquillaſque ſententias protulerunt, vtique cederetis. Quos nunc vobis parum eſt, iudices nolle, niſi etiam reos facere inſuper audeatis. Sed obſecro te quomodò cauſam veſtram qui damnaverunt, ante cœperunt odiſſe quàm noſſe? Quia eam proculdubiò noverant, oderãt. Noverant enim vos dicere, *nihil mali parvulos habere naſcendo, quod purgari debeat renaſcendo*. Noverant vos dicere, *gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari*, vt iam *gratia non eſſet gratia*, quia non gratis daretur, ſed ſecundùm debitũ redderetur. Noverant vos dicere, *hominem in hâc vitâ poſſe nullum habere peccatum*, vt non ei ſit neceſſarium, quod in oratione Dominicâ tota dicit Eccleſia, *Dimitte nobis debita noſtra*. Hæc in vobis noverant, & rectiſſimè oderant. Denique ſi ab eis vos correctos noverint, & amabunt. Quoniam non ſicut dicis, *Si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum eſſe naſcentium conditorem dixerit, Pelagianus & Cæleſtianus vocabitur*: ſed qui libertatem

Pſal. 35. 4.
Prov. 29. 19.
Rom. 11. 6.
Mat. 6. 12.

Reſellit Iuliani de iudicibus Rõ. Pontificis querelã, quã ſi odiſſe priuſquã noſſe cauſam ipſorum caperint.

Lib. 2. cap. vlt.

Lib. de coniuratione Catilinæ in oratione Cæſaris.

Lib. 2. de nup. & concup. cap. 3.

tem in quam vocati sumus, non gratiæ Dei tribuerit; & qui parvulorum liberatorem Christum negaverit, & qui cuiquam in hâc vitâ iusto aliquam in Dominicâ oratione petitionem, non propter ipsum dixerit necessariam; ipse huius erroris accipit nomen, quia errore communicat crimen. Iam verò Manichæorum crimine, quæ catholica lumina audeas, vel nescias, vel te nescire fingas, infamare, non opus est & hic dicere. Sanè vt dicis, *Si pro vobis potiùs ab imperatore responsum est*, cur non in medium profilitis, & hoc vltrò publicis potestatibus allegatis, vos esse monstrantes, quorum Christianus princeps approbavit fidem? Verùm si Dei legem non sicut sese habet, sed sicut vobis placet, intelligitis: quid mirum si & de lege Imperatoris hoc facitis? Sed hæc te aliàs executurum pleniùs polliceris. Quod si feceris, aut redarguetur sicut insi-
* al. feceris. dioſum, aut contemnetur sicut inane, quod † fateris. Quàm verò lauta & lepida est gratulatio tua, *quod vnum* dicis *egressum, qui in se summam prælij sitam optat intelligi*, videlicet vt Pelagianis tu videaris David, ego autem Golias. Videris, si tu hoc induxisti pactum & placitum cum Pelagianis, vt si victus fueris, nihil vlteriùs illi audeant. Ego autem absit vt ad monomachiam vos provocem, quos vbicunque apparueritis, vbique diffusus Christi debellat exercitus; qui debellavit apud Carthaginem Cœlestium, quando illic ipse non eram; & rursus Constantinopolim tàm longè à regionibus Aphricanis: qui debellavit in Palestina Pelagium, vbi causam vestram suæ damnationis timore damnavit: ibi enim omninò cecidit hæresis vestra. Et quia ille, cuius figura erat David, contra suos adversarios, in suis omnibus militibus pugnat, errorem vestrum, etiam Pelagij linguâ tanquàm prostrati & iacentis gladio detruncavit. Nam quod tu dedignaris, propterea vos novos hæreticos dici, quia *omne malum quod peccatum definitur, asseritis non in naturâ, sed in solâ voluntate consistere*, iam vobis Pelagius, imò per linguam Pelagij Dominus amputavit. Timens quippe ille damnari, damnavit eos qui dicunt infantes etiam si non baptizentur, habere vitam æternam. Qui ergò negatis esse in parvulo malum, quod baptismate diluatur; dicite quo merito parvulus non baptizatus, æternâ morte plectatur? Sed quid estis dicturi, nisi fortè Pelagio maledicturi? Qui tamen si vobis maledicentibus dicat, & quid velletis vt facerē? An dicēte Christo: *Si non māducaueritis & bibēritis* Ioan. 6. 54.
me-

Supra lib. 1. contra Iul. c. 2. & lib. 2. c. vlt.

Non est de Ecclesiæ totius causa aduersus hæreticos tanquàm per monomachiam in quoquam decertandâ Cœlestius Carthagine & Constantinopoli damnatus.

L. de Gestis Pelagij cap. 11. 33. 35.

meũ sanguinem, non habebitis vitam in vobis: dicturus fueram parvulum habiturum vitam, qui sine isto sacramento finisset hanc vitam? Puto quòd vos maledixisse homini pœnitebit. Iam vos ergò totius pœniteat huius erroris, ne argumento miserrimo vtamini, quo vniversi vtuntur hæretici, quos à perniciosâ licentiâ leges Imperatorum Catholicorum premunt. Omnes quippè nutusmodi dicunt, quod ipse dixisti, *laborarè illam partem rationis inopiâ quæ in deferendo cùm terrorem surrogat, nullum à prudentibus impetrat, sed cæcum à meticulosis extorquet assensum.* Novi quidem hæretici vos estis, sed istam penè omnium hæreticorum veterem vocem cum cæteris agnovistis atque tenuistis. Nec vos nec alios decipiatis, velut talem vocem habentes adversus nos, qualem nos adversus Donatistas, quos ad collationem nobiscum venire per imperialia iussa compulimus. Illorum enim furor occupaverat Aphricam totam, nec prædicari à Catholicis veritatem, contra suum patiebantur errorem, violentis aggressionibus, latrocinationibus, itinerum obsidionibus, rapinis, ignibus, cædibus multa vastantes, cuncta terrentes. Cum quibus apud Episcopos, quos communes non habebamus, nihil agere poteramus. Quod verò ante centum fermè annos maiores nostri cum eis egerant, iam populorum memoria non tenebat. Hæc igitur necessitas compulit, vt saltem gestis nostrâ collatione confectis, eorum contunderemus inverecundiam, & reprimeremus audaciam. Vestra verò apud competens iudicium communium Episcoporum, modò causa finita est. Nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad ius examinis pertinet, nisi vt prolatam de hâc re sententiam cum pace sequamini. Quod si nolueritis, à turbulenta vel insidiosa inquietudine conhibeamini. Similes autem estis potiùs Maximianistis, qui cupientes exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari, & ideò videri aliquid apud eos quibus contemptibiles erant, quia inire nobiscum sinerentur examen; interpellantes eos, & libellum dantes, provocantesque contempsimus. Magis enim de certamine nominari desiderabant, quàm formidabant in certamine superari. Nec sperabant victoriæ gloriam, sed famam requirebant collationis, quia multitudinis non habebant. Si ergò putatis, ideò vos esse victores, quia non vobis datum est quale desideratis examen: Maximianistæ vos ad ista vanitoquia præcesserunt: quàm vis

Vetus hæreticorum omnium vox.

Collatio Carthaginensis cum Donatistis.

Semel iudicata nõ sunt iterum ad iudicium revocanda, sed exequutioni mandanda.

Maximianistæ collationem cum catholicis expetierunt, sed rejecti sunt.

dederit vobis Ecclesia Catholica iudicium, quale debuit, vbi causa vestra finita est: illis autem nullum dare dignata est, quia non à vobis sicut vos, sed à Donatistis fuerant segregati. Si autem in Maximianistis videtis non esse consequens, vt qui conferre in aliquo iudicio non sinuntur; putari debeant de veritate confidere, nolite vlteriùs hæc iactare: vobisque sufficiat, quòd vos Ecclesia catholica & maternâ lenitate sustinuit, & iudiciariâ severitate, vel potiùs medicinali necessitate damnavit. Sed ne superfluis immoremur, omitto tumultus maledictorum & convitiorum tuorum, sive quæ in principio congessisti operis tui, sive quæ per omnes eosdē quatuor libros penè nusquam spargere destitisti, ne gravibus hominibus neuter nostrum disputator gravis, sed levis vterque litigator appareat. Videamus iam potiùs quid afferas, vnde me, sicut promittis, ostendas homines & nuptias diabolo authori tribuere.

Non statim cui examen iudiciumque negatur, bonam habet causam.

Maledicta & convitia Iuliani.

CAPVT II.

Respondet ad primam Iuliani calumniam adversus locum 1. cap. lib. de nupt. & concup.

CErtè redarguenda tibi mea verba proponis; quibus propositis velut respondens, persuadere conaris, contra me ipsum locutum me fuisse. *Qui cùm propter meam defensionem dixerim, ab hæreticis novis dici, nos damnatores esse nuptiarum, operisque divini, postea id abstulerim, dicendo in senis vncijs possideri hominem nascentem à Deo & à diabolo, vel potius totum à diabolo possideri, prorsus excluso Deo velut ab vniversâ suâ possessione, quod est homo.* Vbi est acumen tuum, quo tibi videris & categorias Aristotelicas assecutus, & aliam dialecticæ artis astutiam? Itàne non attendis hoc, quod mihi de parvulis obiecisti, de quibuslibet maioribus, malis hominibus, vtrique nostrum obiici posse ab aliquo adversario veritatis? Interrogo enim te, quid de nondum regenerato homine pessimo quocunque respondeas, saltem istum confiteris esse sub diabolo, nisi renascatur in Christo; an & hoc negas? Si negas, qui sunt ergò quos *Deus eruit de potestate tenebrarum, & transfert ad regnum filij charitatis suæ?* Si autem confiteris; quæro vtrùm in tali homine in potestate adhuc posito tenebrarum habeat Deus aliquam potestatem. Si dixeris, non habet: respondebitur tibi, Ergò Deus de suâ possessione à diabolo excluſus est. Si dixeris, habet: respondebitur tibi, Ergò Deus & diabolus in senis vncijs

Iulianus Dialectica artis astutiâ iactat.

Col. 1. 13.

vnciis hominem posident; & tibi ab imperitis talis invidia concitabitur, qualem tu mihi qui vis peritus putari, de parvulis ab ortu recentibus concitare voluisti. Ecce primum argumentum tuum, quantâ facilitate destructum est, dum attendere negligis, sic esse homines sub diaboli potestate, antequàm redimantur à Christo; vt tamen Dei potestati, non solùm hi, sed ne ipse quidem diabolus subtrahatur.

Nec homo peccator, nec diabolus Dei potestati subtrahuntur.

CAPVT III.

DE baptismi sanè quæstione, quam vobis apud ignaros invidiosam mendaciis nostris factam fuisse conquestus es; vix dici potest, quàm eleganter existi, hanc à vobis amolitus invidiam, eò quòd parvulos baptizandos esse fateamini, quia *gratiam bāptismatis* dicitis, *non pro cæsis esse mutandam, quod ipsa dona sua pro accedentium capacitate dispensat. Ideòque Christus qui est sui operis redemptor, auget*, inquis, *circa imaginem suam continuâ largitate beneficia, & quos fecerat condendo bonos, facit innovando adoptandoque meliores.* Hoccine est totum, cur vobis de baptismate parvulorum faciendam non existimatis invidiam; quasi quisquam nostrum vos dixerit negare, parvulos baptizari oportere. Non eos dicitis non debere baptizari, sed pro magnitudine sapientiæ vestræ, res mirabiles dicitis. In Sacramento salvatoris baptizantur, sed non salvantur; redimuntur, sed non liberantur; lavantur, sed non abluuntur; exorcizantur, & exsufflantur, sed à potestate diaboli non eruuntur. Hæc sunt sententiarum portenta vestrarum, hæc inopinata mysteria dogmatum novorum, hæc paradoxa Pelagianorum hæreticorū, mirabiliora quàm Stoicorū philosophorum. Vt enim hæc dicatis, timetis audire: Si salvantur, quid in eis ægrotabat? Si liberantur, quid in eis servitutis vinculo tenebatur? Si abluuntur quid in eis latebat immundum? Si eruuntur, quo merito erant sub diaboli potestate, qui propriâ iniquitate non erant rei, nisi quia trahunt, quod negatis, originale peccatum? Et ad hoc negatis, non vt salvos, liberos, mundos, nulli honesti subditos asseratis: non enim aliquid eis opitulatur vestrum testimonium falsum, ante iudicem verum: sed vt illis in malâ vetustate remanentibus, vos novam sectemini vanitatem. Non enim vestra, sed illius est vera sententia, qui dixit: *nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, non potest intrare in regnum*

Ad secundā calumniam de baptismo parvulorū.

Pelagiani non negabāt parvulos nō oportere baptizari.

Paradoxa Pelagianorum de baptismo parvulorum.

Ioan. 3. 5.

Magna pœna imaginẽ Dei non intrare in regnum Dei.

regnum Dei. Verùm vos excellentissimi amatores illius vitæ, quæ futura est æterna cum Christo, nullam pœnam putatis esse, imaginem Dei in æternum exulare à regno Dei: cùm si parvam pœnam esse diceretis, non esset hæc vox beati amatoris illius regni, sed miseri contemptoris. Porrò autem, si quod huic sufficit causæ, parvam saltem pœnam fatemini esse, quæ magna est, vt imago Dei non sinatur intrare in regnum Dei: obtecro aperite qualescunque oculos, & videte quâ iustitiâ pœna ista infligenda sit parvulo, quem clausis oculis originali obnoxium negatis esse peccato. Omitto commemorare quæ mala in hâc ipsâ transitoriâ vitâ, pœnè omnes patiantur infantes, & quomodò explicetur, quod dictum est: *Grave iugum super filios Adam à die exitus eorum de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Quæ vtique mala sub iusto & omnipotente Deo non irrogarentur eius imagini, quibus malis in virtute exerceri infantilis ætas non potest dici, si nulla ex parentibus mala merita parvulorum, non quæ habere negantur à vobis, sed quæ perpeti cernuntur ab omnibus nobis, tu prætermittis omninò, nec respicis; expatiaris ibi vir disertissimus, & exerces ingenium ac linguam tuam in laude naturæ. Natura ista in tantas & tam manifestas collapsa miserias, salvatorem, liberatorem, mundatorem, redemptorẽ Christum habet necessarium; non Iulianum, non Cœlestium, non Pelagium laudatorem. Quam quidem redimi non fatereris in parvulis, nisi quia hoc Cœlestius apud Carthaginem gestis Ecclesiasticis, ora Christiana non sustinens, fassus est. Cæterùm rogo te, quomodò potest intelligi ista redemptio, nisi à malo redimente illo, qui *redimit Israel ab omnibus iniquitatibus eius?* Vbi enim redemptio sonat, intelligitur & precium: Et quod est hoc, nisi *pretiosis sanguis agni immaculati Iesu Christi?* De hoc autem precio quare sit fusum, quid interrogamus alium? Redemptor ipse respondeat, dicat ipse mercator. *Hic est*, inquit, *sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Pergite, adhuc pergite, & sicut dicitis; in sacramento Salvatoris baptizantur, sed non salvantur; redimuntur, sed non liberantur; lavantur, sed non abluuntur; exorcizantur & exufflantur, sed à potestate diaboli non eruuntur: sic etiam dicite, *funditur pro eis sanguis in remissionem peccatorum*, sed nullius peccati remissione mundantur,

An grave iugum patiantur parvuli innocentes.

Eccl. 40. 1.

Psal. 12. 98. 1. Pet. 1. 19. Mat. 26. 28

dantur. Mira sunt quæ dicitis, nova sunt quæ dicitis, falsa sunt quæ dicitis: mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus.

CAPVT IIII.

NOnne ipse dixisti, *administrationem corporis sic animo esse commissam, vt fructus operis fieret vtrique communis, & vel virtutis exercitæ gaudia, vel insolentiæ pœnas cum eius quam hic non benè rexerat, carnis afflictione sentiret?* Respondè igitur quare in hâc ipsâ vitâ afflictione carnis anima crucietur infantis, cuius ei meritum, quia non bene rexerit carnem, adhuc non potest imputari? *Naturam* dicis *humanam in exordiis nascentium innocentiæ dote locupletem.* Fateamur sanè, quantum ad peccata pertinet propria. Cùm autem etiam originali negatis obnoxios, respondete, quo merito tanta innocentia nonnunquâ cæca, nonnunquàm surda nascatur? Quod vitium etiam ipsâ impedit fidem, Apostolo testante qui dicit: *Igitur fides ex auditu.* Iam verò quis ferat quod ad ipsum spectat animum, imaginem Dei *innocentiæ* sicut asseris *dote locupletem*, fatuam nasci, si nulla ex parentibus mala merita in parvulos transeût? An ità est quisquam vestrum fatuus, vt fatuitatem nullum malum putet, cùm scriptura dicat, *mortuum septem diebus, fatuum verò omnibus diebus esse lugendum*? Quis autem nesciat quos vulgò moriones vocant, natura ità fatuos; vt quibusdam eorum penè sensus pecorũ conferatur? Et non vultis fateri genus humanum ex initio quo deseruit Deum, trahere damnatæ originis noxam his omnibus dignissimam pœnis, nisi vbi parcit ratione dispositionis occultæ inscrutabilis sapientia conditoris qui nec ab ipsâ vniversâ massâ perditionis abstinet sui operis bonum: vt ex malis vitiorum condat, licet cum malis, inquantum bona est, rationalem mortalemque naturam, cuius nemo esse potest conditor, præter ipsum: & in generatione damnata, præbeat *vasis misericordiæ* regenerationis auxilium.

Morbi infãtiũ vnde.

Ro. 10. 17.

Eccl. 22. 13.

Ob noxam originis omnia contraheremus huius vitæ mala, nisi occultâ dispensatione parceret Deus.

CAPVT V.

FRustrà itàque putas *ideò in parvulis non esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest*: (Hoc enim rectè dicitur propter proprium cuiusque peccatum, non propter primi peccati originale contagium.) Quod si nullum esset, profectò nulli malo parvuli obstricti, nihil mali vel in corpore, vel in animâ, sub tantâ iusti Dei potestate paterentur. Quod tamen & ipsum à malâ voluntate priorum hominum sumpsit exordium. Sicut voluntas mala ipsa est origo peccati, id est, à voluntate malâ peccatum exortum est, & peccati origo voluntas mala est: ità nisi voluntas mala, non est cuiusquam vlla origo peccati. Hæc si sapias, simpliciter & veraciter gratiam Christi ergà parvulos confiteberis. Nec cogéris res impiissimas atque absurdissimas dicere aut baptizandos non esse parvulos, quod quidem posteà estis fortasse dicturi: aut tam magnum sacramentum sic in eis esse ludibrium, vt in Salvatore baptizentur, sed non salventur: à liberatore redimantur, sed non liberentur: *lavacro regenerationis* laventur, sed non abluantur: exorcizentur, & exufflentur, sed *à potestate tenebrarum* non *eruantur*: sit eorum precium *sanguis qui in remissionem fusus est peccatorum*, sed nullius peccati remissione purgentur. Hoc totum propterea, quia timetis dicere, non baptizentur; ne non solùm facies vestræ sputis oblinantur virorum, verumetiam capita sandaliis mulierc ularum commitigentur. Nos certè causam cur sub diabolo sit qui nascitur, donec renascatur in Christo, peccati ex origine dicimus esse contagium; Vos autem qui hoc negatis, ea saltem quæ aperta sunt intuemini, cur nonnulli etiam dæmonem patiantur infantes; nisi fortè & ipsos, aut esse, aut sub diabolo esse negabitis. Nec vos evangelium commovebit; vbi forsitan propter vos interrogavit dominus quod sciebat, vt pater pueri responderet filium suum ab infantiâ suâ dæmonio tam gravi graviterque vexari, vt à Christi discipulis non posset expelli. Ecce ego, vt sint parvuli in diaboli potestate, causam nuptias esse non dico, quod me dicere calumniaris. Nuptiæ quippe habent ordinem suum, & benedictionem suam, bonumque suum, nec sub-

Peccatum originale quomodo in parvulis voluntarium.

Luc. 9. 39. & 40.

subintrante peccato amittere potuerunt. Tu autem quare sit sub diabolo, ille saltem infans qui manifestissimè vexatur à diabolo, ità vt aliquandò ipsâ vexatione moriatur, respondè si potes. Non vis enim quenquam vllam pœnam pro alienis subire peccatis, ne hinc fiat credibile, etiam contagia peccatorum in nascentes ex gignentibus posse transire.

CAPVT VI.

SEd videlicet vt egregius dialecticus non me patieris elabi, sed presse interrogabis & breviter, *in parvulis actionem ream, an naturam putem.* Et ad vtrunque respondens, *Si actionem*, inquis, *ostende quid fecerint. Si naturam, ostende quis eos fecerit*, Quasi & actio mala faciat nisi naturam ream. Actione quippè qui reus est, homo est; homo autem natura est: homines igitur sicut peccati actione maiores, ita minores maiorum contagione sunt rei. Isti ex eo quod faciunt, illi ex quibus originem ducunt, quocirca parvuli bonum est, quòd homines sunt, quod omninò non essent, nisi eos ille, qui summè bonus est, creavisset. Malum verò si nullum ex origine traherent, nunquam cum vitiis vel corporalibus nascerentur. Deus enim qui est animarum, ipse est etiam corporum conditor, qui vtique humanæ in ipsâ conditione naturæ vitia non infligit immeritæ. Neque enim de innumerabilibus parvulis, qui & in animo & in corpore cum tantâ vitiorum varietate nascuntur, hoc dici potest, quod Dominus ait de illo qui cæcus est natus: non propter peccatum ipsius, vel parentum, id esse factum, *sed vt manifestarentur opera Dei in illo.* Multi quippè nec sanantur omninò, sed cum eisdem vitiis, sive in quâlibet ætate, sive in ipsâ moriuntur infantiâ. Nonnullis etiam parvulis iam renatis, vel permanent cum quibus sunt nati, vel accidunt huiusmodi mala, absit vt dicamus indignè. Sed hinc potiùs intelligamus eis ad alterum sæculum prodesse, quòd renascantur: Huius autem sæculi dispositionem propter *vitium superbiæ hominis*, per quod *apostatavit à Deo*, diversis malis hominum peragi in *iugo gravi super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.*

Ioan. 9. 3.

Sacramenta alteri potissimùm sæculo prosunt.

Eccl. 10. 15.

Ibid. 40. 1.

CAPVT VII.

Eludit Iuliani syllogismos.

QVod autem in hoc opere tuo, quomodò fiant à dialecticis syllogismi, vnde quæstionem tibi nullus obiecit, docere conaris; quantum tibi places, tantùm gravibus lectoribus displices. Et quod est peiùs, fingis me dicere quod non dico, concludere sicut non concludo, concedere, quod non concedo, & concludis tibi ipse, quod renuo. Quandò enim ego negavi naturam hominum esse laudabilem, inquantum homines sunt? Quandò dixi, ob hoc ipsum reos esse, quia sunt; cùm profectò essent, nec rei essent, si nemo peccasset? Quandò dixi, fœcunditatem esse reprobandam, cùm ad benedictionem pertineat nuptiarum? Quomodò à te peterem vt hoc ipsum concederes, quod ipse non dixi? Iam verò quod me dicis assumere, *omnis commixtio corporum mala*; nihil minus est, quàm vt dicas me etiam vini & aquæ accusasse commixtionem, quando potio nobis temperatur, quia & ibi corporum est sine dubitatione commixtio. Et si omnem commixtionem corporum malam dixi, neque hanc vtique prætermisi. Sed nec ipsam commixtionem sexus vtriusque reprehendi; si legitima atque nuptialis est. Sine hâc enim non fieret hominum generatio, etiam nullo cuiusquam præcedente peccato. Proinde illud aliud quod me dicere adiungis: *Filij autem de corporum commixtione nascuntur*, dico sanè: Sed concluſio quam velut meam inferre voluisti, non est mea. Non enim dico, *nequam igitur filij, qui de malâ operatione procedunt*; quandoquidem ipsam coniugum operationem quæ fit gignendorum gratiâ filiorum, non dico malam, sed potiùs bonam: quia benè vtitur libidinis malo, per quod generantur homines bonum opus Dei; non sine malo, propter quod regenerandi sunt, vt liberentur à malo. Deinde contexis alterum syllogismum tuum, quoniam tuus est vt prior iste, non meus. Dicis ergò, *causa sexuum commixtio corporum*, & vis vt hoc concedam tibi. Ecce concedo. Pergis indè & adiungis: *Si mala semper commixtio, deformis etiam conditio corporum, in sexuum diversitate positorum.* Hoc si esset consequens, me non premeret, qui commixtionem nuptialem, id est, liberorum procreandorum causam, non solùm malâ non dico, verumetiam bonam dico. Huc accedit, quia & consequens non est, vt si semper est mala

Lib. 2. de nupt. & cõc. cap. 16.

Convictio commixtionque sexuum etiam in paradiso futura.

sexus

sexus vtriusque commixtio; propterea sit deformis etiam conditio corporum, in sexuum diversitate positorum. Profectò enim si in tantum homines essent malo libidinis subiugati, vt remotâ honestate nuptiarum, omnes indifferentes ac passim canino more concumberent, non ideò deformis esset conditio corporum, cuius Deus author est; quoniam mala esset omnium hominum maris fœminæque commixtio: sicut etiam nunc de adulterinâ commixtione vtique mala, bonum est in corporum conditione opus Dei. Vides nempe quàm dialecticè nihil dixeris, & nulla quidem culpa dialecticæ disciplinæ tu quantum à tramite eius exorbitaveris? Videris illius artis verbis ad hoc vti, vt eis inflatus attonitos facias imperitos, volendo videri esse, quod non es. Quod & si esses, ad eum modum quo ista disputanda sunt, nihil esses, Sed planè nunc & ineptus & imperitus, tunc autem ineptus artifex esses, & tamen dialecticorum quasi iaculis oneratus acutis, in certamen procedis, & iactas plumbeos pugiones, dicens: *Si mala semper commixtio, deformis etiam conditio corporum in sexuum diversitate positorum* Nec videns quàm non sit consequens, quod pro argumento necessario posuisti, adiungis & dicis: *Quod cum negare nequiveris.* Quid est quod nequeo negare homo inconsiderate? Quid est quod nequeo negare? Hoc nempe, quod tu iam si vel serò sapis, non potes nisi negare: quia non vtique si mala est commixtio adulterorum, propterea ex illis nascentium conditio deformis est hominum. Illa quippe est hominum malè operantium de membris bonis: ista verò Dei est, bene operantis de hominibus malis. Quod si dixeris, etiam cùm fit adulterium, bona est per seipsam commixtio, quia naturalis est, sed ea malè vtuntur adulteri: cur non vis acquiescere ità posse esse libidinem malam, quâ benè tamen vtantur gignendi gratiâ coniugati? An potest bonorum esse vsus malus, & non potest malorum bonus? cùm inveniamus ipso Satana quàm benè vsus fuerit Apostolus, *tradens ei hominem in interitum carnis, vt spiritus salvus esset in die Domini,* & alios *vt discerent non blasphemare.*

Plumbeus pugio.

1. Cor. 5. 5. 1. Tim. 1. 20.

CAP.

CAPVT VIII.

QVod ergò superaddis & dicis: *Rei autem mala Deus author esse non potest*: quomodò id dicis, cùm sint quædam mala, quorum author est Deus? Meliùs enim loqui novit ipse quàm tu, qui per Prophetam dicit, *creare se mala*. Deinde quomodlibet sese habeat hæc superadditio tua, quid ad me pertinet, cùm illud cui connectitur, non concesserim; eo quòd inconsequens esse monstraverim, vt deformis sit conditio corporum, etiamsi omnem commixtionem corporum vel vtriusque sexus malam esse concederem? Vt enim concedamus Deum nullius esse authorem mali; Nunquid ideò non est author conditionis corporum, quam nullo modo malam esse concessi, quia nulla me ad hoc superiùs concessa cogebant? Inanis ergò & ridenda tua remansit illatio, quâ concludis & dicis: *Omnia igitur corpora, malo reputantur authori.* Multò enim verius ità concluditur, vt dicamus: Si nec mala commixtio adulterorum, facit esse malam conditionem corporum: aut si bona est & in adulteris sexus vtriusque commixtio, sed ea mali vtuntur malè: quoniam multò magis ex hoc non potest corporum mala esse conditio; rectè igitur corpora Deo reputantur authori. Nulla est itaque fovea, quam metuens quasi revertar in viam, quo videris me velle revocare. Dic tamen quænam illa via sit, & explica ratiocinationem tuam. *Esaiæ.45.7.*

CAPVT IX

DEus, inquis, *bonus, per quem facta sunt omnia, ipse corporis nostri membra formavit.* Hoc verissimum esse concedo. Sequeris & adiungis, *Qui autem corpora fecerat, divisit & sexum, divisit in specie, quod in operatione coniungeret, fecitq; causam coniunctionum dissimilitudo membrorum.* Et hoc assentior: Deinde infers, *Ab ipso igitur commixtio corporum, à quo est origo corporum.* Quis hoc negaverit? *Quod cum ingratis*, inquis, *concesseris, sequitur tot rerum bonarum, corporum, sexuum, coniunctionum malos fructus esse non posse.* Et hoc verum dicis; horum enim bonorum fructus homo est, quod inquantum homo est, bonum est: quod autem in illo malum est, à quo sanandus est per Salvatorem, & liberandus per redemptionem, & abluendus per lavacrum, & eruen-

eruendus per exorcismum, & abluendus per sanguinem, qui *in remissionem fusus est peccatorum*; non est fructus corporum, sexuum, coniunctionum, sed originalis veterisque peccati. Sicut enim de prole adulterorum, si egò dicerem; tot malorum, id est lasciviæ, turpitudinis, criminis, bonus fructus esse non potuit: rectè mihi respondetes, hominem qui de adulteris natus est, non esse fructum lasciviæ, turpitudinis, criminis quorum malorum author est diabolus; sed corporum, sexuum, coniunctionum, quorum bonorum author est Deus. Sic ego tibi rectissimè dico, malum cum quo nascitur homo, non esse fructum corporum, sexuum, coniunctionum, quorum bonorum author est Deus; sed primæ prævaricationis, cuius author est diabolus. Absit autem vt quemadmodum calumniaris, dicamus *homines ad hoc à Deo fieri, vt à diabolo legitimo iure teneantur*: quamvis enim & hoc divinæ sit magis, quàm diabolicæ potestatis, vt immundo principi generatio immunda subdatur, nisi regeneratione mundetur; tamen non ad hoc facit Deus homines, vt familiam quodammodò diabolus habeat; sed eâ bonitate, quâ naturis omnibus præstat vt sint, quâ etiam ipsum facit subsistere diabolum. Quam bonitatem si rebus subtraheret, continuò nihil essent. Sicut non ideò creat pecora in armentis & gregibus impiorũ, vt dæmonibus immolentur, quamvis hoc eos noverit esse facturos: sic etiam vbi generationem peccato cernit obnoxiam; secundum pulcherrimum, quem disposuit ordinem sæculorum, suam non abstinet ab eius conditione bonitatem.

Si bonitatẽ suam Deus rebus subtraheret, in nihilum redirent.

CAPVT X.

SEd post hanc argumentationem quâ te fallis, & confecisse te aliquid arbitraris, ingeris solitum maledictum, ac deinde subnectis, *quòd forsitan dicam, scripturarum, non syllogismorum debere testimonio comprobari, filios de corporum commixtione nascentes, reputari divino operi*: quasi qui hoc negaverit, possit esse Christianus. Proinde rem, quam promptissimè confitemur, & libentissimè prædicamus, velut habeat inter nos controversiam, ita per scripturarum testimonia conaris ostendere: & laboras inaniter, non vt, respondere nobis, sed vt libros possis implere. Veruntamen quod dixisti, *vt exprimeret fidem*

Lib. 2. de nup. & concup. cap. 9.

dem operum Propheta, propè periculum pudoris acceſsit, quia dixit: Gen. 2. 24.
Erunt duo in carne vnâ: ſatis te debuit admonere, nihil puden-
Nihil pulcdum in operibus Dei, ſi non præceſſiſſes peccatum. dum futurum fuiſſe in operibus Dei niſi præceſſiſſet cur natura humana deberet de ſui meriti deformitate confundi.

CAPVT XI.

Senectus Abrahæ. Lib. de de nup. & cõc. cap. 10. Simile elegans.

DIcis etiam in laude libidinis, *hanc fuiſſe redditam deimunere Abrahæ & Saræ, ſenio confectis emortuiſque corporibus:* Rom. 4. 19.
& invidiosâ voce proclamas, vt *aſſeram ſi poſsim, ad opus diaboli pertinere, quod Deum videam interdum conferre pro munere.* Quaſi verò ſi claudum hominem reſuſcitet Deus, viventibuſque reſtituat, qui vtique mortuus iam claudicare non poterat, etiam claudicationẽ debet videri pro munere contuliſſe. Ita ergò ſi reſtitutus eſt, qui fuerat in viridioribus; corporum vigor, ſic vtiq; reſtitutus eſt, vt ſe habet conditio *corporis mortis huius.* Non enim eos ad illum ſtatum revocari oportebat, in quo Adam fuit ante peccatum, vt poſſint ſine *lege* Rom. 7. 23.
Corpus Abrahæ quomodo emortuum. *in membris, quæ repugnat legi mentis,* filios procreare. Quàm vis Rom. 4. 19.
ad hoc intelligendum, ſic *emortuum* fuiſſe *corpus Abrahæ*, vt non valeret de omni fœminâ filios gignere, quæ parere poſſet. Dicitur enim facere hæc ætatis acceſſus, vt ex fœminâ generare ſenex poſſit adoleſcentulâ, cùm iam de grandiore non poſſit, quàm vis illa de iuvene poſſit. Qui enim tam prolixo tempore tunc vivebant, proculdubio ſeriùs fiebant ità decrepiti, vt ad concubitum moveri omninò non poſſent; ſi tamen cuiquàm viro ſano poteſt id accidere per ætatem. Nam cùm hoc opus in manibus haberem, nunciatus eſt nobis ſenex octoginta & quatuor agens annos, qui religiosè cum coniuge religioſa iam vigintiquinque annos vixerat continenter, ad libidinem ſibi emiſſe Lyriſtriam, qui vtique pro modulo, quo iſto tempore vivunt homines, gravioris ſenectutis eſt quàm fuerat Abraham in annis centum, adhuc victurus alios ſeptuaginta. Vnde prudentiùs creditur, fœcunditatem quæ defuit, ſuis Deum famulis præſtitiſſe. Duæ quippe cauſæ dicuntur, propter quas parere Sara non poterat, *& erat vulva eius emortua.* Vna eſt ſterilitatis, quæ ab ipsâ inerat iuventute. Altera ætatis, non quia nonaginta annos agebat, ſed quia iam *deſtiterant ei fieri muliebria.* Conſtat enim ſi mulierum men- Gen. 18. 11.
ſtrua ſecreta ceſſaverint per ætatem, non eas iam poſſe concipe-

Senex quidam 84 annorum Lyriſtriam ſibi ad libidinem emit.

Quare Sara parere nõ poterat.

cipere, etsi fœcundæ fuerunt, antequàm illa cessassent. Et ideò scriptura noluit hoc tacere, vt augeretur miraculi gloria, quod erat Deus in eorum prole facturus. Quando autem suo viro ancillam dedit, de quâ voluit, quia de se non poterat
Gen. 16. 2. *suscipere filios*, non ætate fuerat, sed suâ sterilitate permotâ. Sic
Ibid. 1. enim ait scriptura: *Sara autem vxor Abraham non pariebat illi.* Et
Ibid. 2. verba eius ad virum ista sunt: *Ecce conclusit me Deus, vt non pariam.* Tunc autem si ætatem consideremus amborum, decrepiti essent, si nostri temporis homines essent. Erat enim Abraham annorum circiter octagintaquinque: Sara autem an-
Ibid. 16. norum septuagintaquinque. Scriptum est enim, *Abraham autem erat octogintasex, cùm peperit Agar Hismael Abrahæ.* Proinde ante annum fermè mixtus invenitur ancillæ, quando conceptus est Hismael. Qui tandem coniuges in hâc ætate generant temporibus nostris, nisi divinitùs fiat tale miraculum? Et tamen illi poterant, si Sara sterilis non fuisset, quia & ille potuit de Agar, & illa nondum erat sic ætate progressa, vt ei cessarent fieri muliebria. Ad hoc ergò erat *Abrahæ corpus emortuum*, vt de Sarâ iam generare non posset, etiamsi esset illa ità fœcunda, vt tamen iam propinquaret ætati, quâ cruor ille menstruis intervallis venire desisteret. Quibus enim iam omninò nou fluit, eas ab authoribus medicinæ definitum est non posse concipere. Quod si falsum esset, nullo modo dicere
Gen. 18. 11. scriptura curaret, *Defecerunt autem Sara fieri muliebria:* cùm su-
Ibidem. periùs iam dixisset, *Abraham autem & Sara senieres progressi in diebus suis.* Pro modo ergò nunc tèporis, cuius lõgè prolixiore spatio tunc vivebant, generare iam illâ ætate non poterant, cùm esset Abraham centenarius, Sara nonagenaria, etiam si sterilis non fuisset, & ante annum concumberent, quando adhuc ei fluebant fortasse muliebria. Et ideò adhuc concipere posset, si iuvenis esset maritus; tunc autem non posset, propter *corpus Abrahæ* sic *emortuum* senectute, vt ex illius ætatis fœmina gignere non valeret, qui tamen & ipse de adolescentulâ valeret, sicut posteà de Cethurâ valuit: quamvis & illic
Gen. 25. 2. dici possit, fœcunditatis munus in eodem perseverasse, quod acceperat vt nasceretur Isaac. Pro modo autem nunc temporis, quo longè breviore spatio vivunt homines, intra centum annos amborum coniugum, generare posse dicuntur. Si verò in summam ducti amborum anni, centenarium numerum excesserint, sic aseverantur non posse filios procreare, etiamsi

Abrahæ corpus emortuum.

Ætas coniugum quà generare possint.

Ius liberorum.

fœcunda sit mulier, & fluentibus adhuc muliebribus possit ex iuuene. Vt iure fuerit etiam constitutum, ne quisquàm ius liberorum haberet, nisi cum amborum anni computati & simul ducti, centum non transisse docerentur. Miraculum ergò Dei factum est, vt conciperetur Isaac, non parentibus eius libidine redditâ, sed fœcunditate donata. Nam illa esse poterat etiam in illis annis, hæc verò esse non poterat, tot impedientibus causis. Quamquàm & libido, sicut superiùs disseruimus, si emortuis membris senilibus munere Dei quodammodò reviviscentibus etiam ipsa reviviscceret, conditionem profectò carnis corruptibilis sequeretur, vt esset in *corpore mortis huius*, quæ in paradiso esse non posset ante peccatum in corpore vitę illius. Secundùm conditionem autem præsentis huius corporis, munus fœcunditatis nunc Deus vnicuique largitur, non secundum illam felicitatem, vbi nihil erat in carne, quod adversus spiritum concupisceret, & concupiscentiæ adversus se spiritu frænaretur; quia in naturâ hominis ante peccatum, pacem decebat esse, non bellum. In eâ verò parte ratiocinationis tuæ frustrà laborasti, tanquam dicere possemus: *Isaac sine concupiscentiâ carnis, vel semine viri fuisse procreatum.* Hoc enim non dicimus, & ideò quidquid inde disputasti, prætereundo contemnimus.

Isaac miraculo conceptus.

CAPVT XII.

QVod autem tibi præclaro acumine visus es inuenisse, vt diceres, *etiamsi diabolus crearet homines, nulla culpa sua mali essent; & ideo iam nec mali essent, quia esse quisquam nisi quod natus est, non potest; nec ab eo iustum est aliquid amplius flagitare quàm potest.* Solemus & nos adversus Manichæos ista dicere, qui non vitiatam bonam dicunt esse naturam, sed sine initio & immutabiliter malam, quam secundum suas fabulas opinantur malam. Natura verò humana secundum catholicam fidem bona instituta, sed vitiata peccato meritoque damnata est. Nec mirum autem nec iniustum est, quòd radix profert damnata damnatos, nisi cuius manus non defuit creantis, non desit & misericordia liberantis; quam vos miseri inuidetis, cùm malum parvulos, à quo liberentur, habere non dicitis. Sed certè vos qui miseram falsâ defensione premitis, & perniciosâ laude oppugnatis infantiam, quare nihil mali meren-

tes, tot in parvulis imagines Dei, si non baptizentur, non admittitis ad regnum Dei? Nunquid ipsi sibi defuerunt, vt priuentur regno, vt tã luctuoso puniantur exilio; cũ id non fecerint, quod facere omniò non poterant? Vbi etiã ponis, quia & vita carebũt, quoniã non mãducaverũt carnẽ, nec biberũt lãguinẽ filii hominis? Vnde Pelagius quòd suprà cõmemoravi, eos qui dicunt infantes etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam, in Ecclesiastico iudicio, nisi damnasset, damnatus exisset. Quâ iustitiâ quæso, à regno Dei, à vitâ Dei alienatur imago Dei, in nullo transgressa legem Dei? Nònne audis quemadmodum detestetur Apostolus quosdam, quos dicit *alienatos à vitâ Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis eorum?* Tenebitur hâc sententiâ non baptizatus parvulus, an non tenebitur? Si dixeritis, non tenebitur; Evangelicâ veritate, linguâ etiam Pelagij teste, vincemini atque puniemini. Vbi est enim vita Dei, nisi in regno Dei, quò *nisi renati ex aquâ & spiritu, intrare non possunt*? Si autẽ dixeritis, tenebitur; fatemini pœnam; culpam dicite; fatemini supplicium, meritum dicite. Nihil in vestro dogmate reperitis, quod proferre possitis. Iam igitur aliquandò si vllus est Christianus sensus in vobis, etiam in parvulis propaginem mortis & damnationis agnoscite, debitâ iustitiâ puniendam, gratis gratiâ Dei liberandam. In quorum redemptione laudari Dei misericordia potest, in quorum perditione accusari Dei veritas non potest, quia *vniversæ viæ Domini misericordia & veritas.*

Ioan. 6. 54.

Ephes. 4. 18.

Ioan. 3. 5.

Psal. 24. 10

Innocentes parvuli, an excludendo essent à regno Dei.

l. de Gestis Pelagii c. 12 33. & 35.

Non est vita Dei extra Dei regnũ.

CAPVT XIII.

DIvidis, definis, differis quasi medicinaliter de genere, & specie, & modo, & excessu concupiscentiæ; *huius generis esse asserens in igne vitali, speciem in motu genitali, modum in opere coniugali, excessum in intemperantiâ fornicandi*: & tamen post istam totam quasi subtilem atque prolixam disputationem tuam, cùm te breviter & apertè interrogavero, cur *ignis* iste *vitalis* bellum in homine radicaverit; vt eo *caro concupiscat adversus spiritum*, & *spiritui* necesse sit *concupiscere adversus carnem*: cur vulnere feriatur mortali, qui voluerit *igni* consentire *vitali*: puto quòd ipsum libri tui atramentum erubescendo cõ-

Gal. 5. 17.

verteretur in minium. Et *ignis vitalis*, qui noſtræ animæ, quæ vita eſt vera carnis, non ſolùm ad arbitrium non obſequitur, ſed plerumque contra eius arbitrium inordinatis & turpibus motibus excitatur, & niſi *adverſus eum ſpiritus concupiſcat*, bonã vitam noſtram *ignis* iſte *vitalis* occidit. Poſt longam diſputationem velut concludens, *meritò igitur*, inquis, *concupiſcentiæ origo definitur in igne vitali, quo collecto neceſſe eſt vt ei reputetur concupiſcentia carnalis, per* † *quam conſtituta eſt vita carnalis.* Ita hoc dicis, quaſi probare poſſis: aut verò cuiuſcunque frontis ſis, audeas ſuſpicari, in primâ hominum conſtitutione, priuſquam culpam debita damnatio ſequeretur, iſtam carnalem concupiſcentiam, aut extitiſſe in paradiſo, aut inordinatis, ſicut eam nunc videmus motibus, pugnas adverſus ſpiritum fœdiſſimas edidiſſe. Deinde ſubnectis & dicis: *Huius itaque appetitus non in genere ſuo, non in ſpecie, non in modo culpa eſt, ſed in exceſſu, quia genus eius & ſpecies ad conditoris operam pertinent; modus eius ad arbitrium honeſtatis; & exceſſus ad vitium voluntatis.* Quàm concinnè tibi verba inania ſonuerunt, vtique homini, qui non cogitas quid dicas. Si modus appetitus huius ad arbitrium pertinet honeſtatis; cuius tandem honeſti arbitrium coniugati velit hunc appetitum, niſi quando opus eſt, commoveri? & tamen quod vult non poteſt. Cuius honeſtè continentis arbitrium velit aliquandò hunc appetitum moveri? & tamen quod vult non poteſt. Vndè clamat homo: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inveniо.* Cùm ergò in ipſo motu pro noſtræ voluntatis arbitrio non habeat vllum modum, in effectu autem non ſit ipſe moderatus, ſed ei modum vigili certamine ſpiritus honeſtus imponat; quid eſt quod laudatis homines mali, & ad Deum non clamatis, *Libera nos à malo*?

& al. quem

Carnalis cõcupiſcẽtia ante peccatum futura non erat. Iuliano non cũcupiſcẽtia ipſa, ſed exceſſus tantũ malus erat. Lib. de nup. c. 19.

Concupiſcẽtia effrænitas.

Rom. 7. 18.

Mat. 6. 13.

CAPVT XIV.

QVid te autem iuvat quod dicis, *intercipi debilitate libidinẽ*, quaſi non morte prorſus extinguatur, quandò iam homini, qui ab illâ fuerit ſuperatus & ſubiugatus, non certamen indicitur, ſed victo redditur, quod debetur? Hoc eſt amariùs, hoc eſt vbi non intelligis contendentis propaginem mortis, quòd quandò ſani ſumus, tunc eſt iſte motus inſanus. *Aut in coniugibus*, inquis, *cum honeſtate exercetur, aut in caſtis virtute frenatur.* Itáne verò, ità tu expertus es? Ergò ne à coniugibus non

non frenatur hoc malum, vel hoc tuum bonum? Prorsus cùm libitum fuerit, sternunt se coniuges, & invadunt quandocunque titillaverit; nec ad horam cubandi appetitus iste differtur, sed tunc videtur legitima corporum esse commixtio, quandò illud naturale tuum bonum fuerit sponte commotum. Si talem duxisti vitam coniugalem, desine te tuis experimentis in disputatione committere, & de aliis potius quemadmodum sit ducenda, vel docenda, perquire. Miror tamen si adulterina saltem desideria non frenasti, nec frenanda sensisti. Si verò etiam pudicitia coniugalis, & propter immoderata in ipso quoque connubio volutabra libidinis, & propter damnabiles concupiscentias, ne præter coniugis naturalem vsum aliquid perpetretur, frenat hanc pestem; quid est quod dicis *in coniugibus cum honestate exercetur*, quasi honestus sit appetitus
1. Cor. 7. 6. iste semper in coniuge, & nihil ei saltem secundùm veniam, sicut dicit Apostolus, concedatur? Quantò meliùs diceres, in coniugum moderatione cum honestate exercetur? An timuisti ne illic quoque intelligatur malum, cui etiam coniuges frenum cura moderationis imponunt? Postremò nunc saltem iam continenter vivès agnosce in quadrigis illis Ambrosianis equum malum; & noli corde vel ore laudare, quem cogeris virtute frenare. *Quartum*, inquis, *à lasciuientibus perpetratur, id est, illius voluptatis excessus, & quia de insolentia, non de natura contingit*, inquis, *iure damnatur*. De cuius quæso insolentiâ contingit? lasciviæ, an concupiscentiæ? Ne offendas susceptam, respondebis lasciviæ. Sed omnes homines iudicant lasciviæ non esse peccatum, nisi quia concupiscentiæ consentitur. Nullùmne ergò malum est, cui consentiendo peccatur? At hoc malum inest in carne contra spiritum concupiscente, etiam si non sit in spiritu non consentiente, & contra etiam
Mat. 6. 13. concupiscente. Exclama ergò: *Libera nos à malo*: & noli malum falsæ laudis huic addere malo.

Concupiscentia etiam à coniugatis frenanda.

Concupiscentia, Iuliano naturale bonum.

Iulianus olim coniugatus.

Lib. de Isaac & animâ c. 8. citatur supra lib. 2. cap. 5.

Lasciuia peccatum in consensu concupiscentia.

CAPVT XV.

DIsertè sanè inter lascivientes & continentes tamquàm in medio pudicitiam constituis coniugalem, *quæ illos illicita commisisse indignatur, hos etiam licita contempsisse miratur, vltimis limitis sortita regionem, vltra se proruentium execrata barbariem, supra se micantium venerata fulgorem, quæ verecundis manibus &*

confovet æstuantes, & laudat tali remedio non egentes. Multùm delector eloquentissimâ veritate, sed obsecro te, nempe sicut dicis, & disertissimè ac verissimè dicis, propterea continentes laudat pudicitia coniugalis, quòd tali remedio non egeant, quo se ipsam perspicit eguisse, id est, vt secundùm Apostolum, *qui se non continet, nubat.* Cur ergò quandò ego istam cõcupiscentiam morbum esse dico, tu negas, qui tamen ei necessarium remedium confiteris? Si agnoscis remedium, agnosce morbum. Si negas morbum, nega remedium. Rogo cede aliquandò etiam per os tuum tibi loquenti veritati. Nemo providet remedium sanitati.

Vbi remedium ibi morbus. Iubanus suo se gladio iugulat.

1. Cor. 7. 9.

CAPVT XVI.

ILlud etiam rectè dicis, *examinatè non posse placere connubium, si mali comparatione laudetur.* Hoc verum est. Omninò enim in genere suo nuptiæ bonum sunt; sed ideò bonum quia fidem thori servant, quia prolis suscipiendæ causa sexum vtrunq; commiscent, quia impietatem separationis exhorrent. Hæc sunt bona nuptialia, quibus nuptiæ bonum sunt, quæ sæpissimè diximus esse potuisse, etiamsi nemo peccasset. Post peccatum autem accessit eis, non de felicitate, sed de necessitate certamen, vt suo bono pugnent etiam ipsæ contra concupiscentiæ malum, ad nihil eam sinentes illicitum pervenire, quàm vis ipsa in hæc nunc remissioribus, nunc concitatioribus motibus instigare non cesset, & eius malo bene vtentes in propagatione filiorum. Illud verò quis neget malũ, nisi qui non audit Apostolum monentem? *Hoc autem dico secundùm veniam, non secundum imperium:* quando coniuges non prolis suscipiendæ sed carnalis voluptatis explendæ victi cupiditate concumbunt: hoc non laudatur, sed ignoscitur in comparatione mali peioris, intervenientibus & deprecantibus nuptiis.

Nuptiæ quatenus bonæ.

Venialis cõmixtio coniugalis.

1. Cor. 7. 6.

CAPVT XVII.

POsthæc autem ad exemplum Abrahæ & Saræ, nescio quâ ratione reverteris, de quo iam satis respondisse me existimo. Sed nescio quid te fugerat, quod addere voluisti, cùm posteà venisset in mentem. Humanum est, solet evenire. Quid ergò illud est audiamus. Dicis *factum fuisse propheticum, quod*

nunc

nunc ostensum est in regione Aphricæ; pulchra & sancta mulieris, quæ Ecclesia formam tenebat, tutum non esse vel coniugem, vel pudorem, & quia ibi diuinitus intacta seruata est. Ne in omnibus tuis verbis frustra immorer, ad eum cui scribis, te conuertis & dicis: *Orandus est hic Deus, frater beatissime Turbanti, consacerdos dilectissime, vt paribus etiam hac tempestate virtutibus Ecclesiam catholicam filij sui sponsam, maturam, fœcundam, castam, decoram à Manichæorum constupratione in Aphrica, vel ex Aphrica latrocinantium eruere non moretur.* Hæc nostra potiùs oratio est aduersus Manichæos, & Donatistas, & alios hæreticos, vel quoslibet Christiani & catholici nominis inimicos, in Aphricâ constitutos. Contra vos autem, quia nobis estis pestilentia transmarina, Christo Saluatore vincenda. Ideòne latrocinamur ex Aphricâ, quia vnum martyrem hinc opponimus Cyprianum, per quem probemus antiquam nos defendere fidem, contra vestri erroris vanam prophanamque nouitatem? O nefas! Defuerunt Ecclesiæ Dei quæ in Aphrica constituta est defuerunt orationes tuæ, quandò ista quæ oppugnas, Cyprianus beatiss. prædicabat? quandò ille dicebat, *multò magis à baptismate prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quòd secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit, vt ei remittantur non propria, sed aliena peccata*: quandò hæc Cyprianus didicerat & docebat, defuit auxilium precum tuarum, quo Sara in regione Aphricæ seruaretur intacta, & à Manichæorum constupratione, qui secundum intellectum tuũ, antequàm Manichæi nomen Romanis sonuisset in terris, etiam ipsum deceperant Cyprianum, liberaretur Ecclesiæ pulchritudo? Vide quæ monstruosa & furiosa dicas contra antiquissimam catholicam fidem, non habendo quid dicas. Sed quantumlibet tergiverseris ò hæresis Pelagiana, quæ contra muros antiquissimæ veritatis, novas construis machinas, novas moliris insidias: *Pœnus disputator*, quod me contumeliosè tuus defensor appellat: Pœnus, inquam, disputator non egò, sed Cyprianus, Pœnus te hoc vulnere Pœnus, *immolat, & pœnam scelerato ex dogmate sumit.* Quid si tot Episcopos ex Aphricâ nominassem, quot ex aliis orbis partibus nominaui; aut quid si in eis ipsis plures Aphri essent? Vnus hinc est, cæteri aliundè, quorum ab Oriẽte & Occidente cõsensione confoderis, & tamen tantâ obstinatione

Turbantio cuidã libros suos Iulianus dedicauit.

Lib. 3. epist. 8.

Lib. 2. de nup. & con. cap. 29.

Imitatio Virgil. lib. 12. Aeneid.

tione

tione cæcaris, vt non videas. te potius velle corrumpere antiquum Ecclesiæ decorem, id est, antiquam fidem, tanquàm Saræ aniculæ pulcherrimæ castitatem. Si enim per sanctos antistites, Dei memorabilesque doctores Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Ambrosium, Gregorium, Basilium, Ioannem, Innocentium, & Hieronymum, constupraverunt Ecclesiam Manichæi, dic mihi Iuliane quæ te peperit? Vtrùmne casta, an verò meretrix in lucem, quam deservisti, per vterum gratiæ spiritalis enixa est: an vt dogmata Pelagiana defendas, coniugis Christi & matris tuæ viscera, instinctu nephario non erroris, sed furoris infamas? Vsqueadeò enim contra vetustam pulchritudinem Saræ non invenit, quid novitia deformitas mentiatur, vt tot Episcoporum glorioſorum catholicorum in tantâ suarum sententiarum manifestatione consensum, in quibus sunt qui Manichæi nec nomen audierunt, Manichæorum blasphemia criminetur. *Sed ab hoc digressu, quo te impetus* non vt dicis *doloris*, sed perditi pudoris *abstulerat ad ea quæ institueras* delirare reverteris: & adhibito ex Apostolo testimonio illud, quod de Abrahæ & Saræ emortuis membris dixeras, confirmare conaris. Vnde iam superiùs, quantum satis visum est, me differuisse suffecerit. Quis autem Christianus ignorat, quòd *ille, qui primum hominem fecit ex pulvere, omnes fabricetur ex semine*? Sed ex semine iam vitiato atque damnato, quod partim per veritatem remaneat in supplicio, partim per misericordiam liberetur à malo. Non igitur vt putas atque concludis, *vllis laqueis tuis peccati naturalis suffocatur assertio.* Depravatam quippè primi transgressoris voluntate naturam, non tua defensio verbis inanibus purgat per novitium dogma vestrum; sed *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Rom. 4. 19.

Semen humanum vitiatum atq; damnatum.

Rom. 7. 25.

CAP.

CAPVT XVIII

QVamobrem nec puto, sicut calumniaris, quòd *coniuges sine corporum calore generaverint*, nec puto quòd *hominem Deus non fecerit, aut diabolo fecerit, aut diabolus fecerit*; quia nec ipsi parentes possunt hominem facere, sed ex parentibus Deus. Cuius potestati nec seipsum diabolus subtrahit, quantò minùs naturam humanam, quam sibi per peccati meritum illo damnante subiecit? Quæ cùm ità sint, tu potiùs etsi non cultor, quod esse dicis me, tamen quantumlibet eum accusare videaris, diaboli adiutor esse convinceris; qui omnes parvulos ab eo malo, per quod tenentur à diabolo, sanari per Christum non debere contendis, cùm doctrina non sana sanos esse defendis. Ego autem secundùm sanam fidem, ex eâdẽ concupiscentiæ voluptate concretum etiam Isaac dico, ex quâ & homines cæteri, vno solo excepto ab hoc malo, per quem liberamur à malo: peccatorum quoque genitalibus manum divinæ providentiæ interesse non nego. *Attingit* enim *à fine vsque in finem fortiter, & disponit omnia suaviter, & nihil inquinatum in eam incurrit.* Et ideò etiam de immundis & contaminatis, quæ voluerit operatur, munda tamen ipsa & incontaminata persistens. Nec opus est, vt anfractibus longis ea quæ concedo, mihi probare coneris, sed ad hoc respondе, si potes, cur ipse Isaac nisi baptismatis Christi signo circuncisus die octavo fuisset, *periisset anima eius de populo suo.* Explica, si potes, tanta pœna quo merito plecteretur, nisi ab hâc illo sacramẽto liberaretur? *Emortuam vulvam Saræ* ad emissionem seminis, & *emortuum corpus Abrahæ* ad generandum sicut iuvenes generant, Deum vivificasse negari non potest, vt proles de illâ parentum nasceretur ætate. Sed Isaac quantum ad propria peccata, etiam si ex adulteris nasceretur, innocens natus, quid meruerat, vt *anima eius de populo suo periret*, nisi circunci sio subveniret? Noli evagari per multa obscura, perplexa, superflua: ad hoc vnum apertum, simplex, necessariumque respondе. Interponis Apostoli testimonium, non ad quod ab ipso positum est, sed ad quod ipse arbitraris. Vnde nunc quoniam non indè agimus, & longum & supervacaneum est disputare, tamen interponis vbi ait, *Et quomodo iudicabit Deus mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc*

Vide lib. 2. de nup. & conc. cap. 13. & 16.

Iulianus Augustinum diaboli cultorẽ appellat.

Sap. 8. 1.
Ibid. 7. 25.

Gen. 14. 17
Rom. 4. 19.

Lib. 2. de nup & cõc. cap. 11. Circũcisio à morte liberabat aternã.

Lib. 2. de nupt. c. 14.

Rom. 3. 6. & 7.

& ego tanquam peccator iudicor? Ac deinde subiungis, *per hæc sua verba Apostolum ostendere, amisisse Deum authoritatem iudicandi, si modum non tenuit imperandi.* Si ergò sicut putas, *ad hoc ista dixit Apostolus, vt sese cohiberent, qui asserebant laudi Dei proficere peccata mortalium, eumque ideo impossibilia præcepisse, vt miserendi sibi materiam præpararet: & per hanc Apostolicam sententiam*, sicut existimas *demonstratur, propterea rectè iudicari homines, quia præcepta possibilia non fecerunt; iniustè autem iudicarentur, si ea non fecissent, quæ impossibilia iuberentur:* quid de Isaac dicturus es, cui quicquàm nec possibile, nec impossibile est imperatum; & tamen perditionis animæ suæ pœna feriretur, si octavo die non circumcideretur? An verò nec sic tandem respicis illud primitus in paradiso datum, possibile ac facile fuisse præceptum, quo contempto atque violato omnes ex vno homine, tanquam in massâ originis, commune illud habere peccatum, & hinc *esse iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepultura in matrem omnium.* Et quoniam ex istâ in Adam generatione damnata nemo liberatur, nisi regeneretur in Christo, propterea signum eiusdem regenerationis Isaac nisi accepisset, perisset: nec immeritò perisset: quia ex hâc vitâ, quò per generationem damnatam damnatus intraverat, sine signo regenerationis exisset. Aut si non est ista causa, dic alteram. Bonus est Deus, iustus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine meritis damnare, quia iustus est. Nullum meritum malum octo dierum infans de propriis peccatis habebat; quare damnaretur, nisi circumcideretur, si ex origine non trahebat?

Eccl. 40. 1.

Deus non potest quemquam sine meritis damnare,

CAPVT XIX

PErge ad cætera, & vanis vaniora contexe; non scripturarum sanctarum eloquia, quæ commemoras, dico, sed ex his quæ conficere niteris. Quandoquidem dicis, *ex hoc intelligi debere perfectam ignorantiam, iustitiam nominari; quia dixit Deus ad Abimelech, qui cum Sara erat concubiturus, ignorans quòd vxor esset aliena: Et ego sciebam, quia in corde mundo feci hoc: & ideò nascentium statum, generantium voluntate non ledi. Quia etsi mala esset,* inquis, *tamen ad illorum nullo genere scientiam perveniret.* Cur ergò eos non nominas iustos, si perfecta ignorantia iustitiæ nomine

Gen. 20. 6.

nomine nuncupanda est? Nihil est namque perfectiùs ignorantiâ parvulorum, nihil ergò vocetur & iustiùs. Vbi est quod superiùs asserendum putasti, *nec iustos nasci parvulos, nec iniustos, quod futuri sunt actibus suis; sed tantummodo infantiam innocentiæ dote locupletem?* An non verba tua sunt vbi dicis: *Homo igitur innocentiâ quidem plenus, sed virtutis capax nascitur, aut laudem, aut reprehensionem ex proposito accedente meriturus?* Nunquid virtutem dicturus es non esse iustitiam? Quomodò igitur infans nondùm plenus est virtute, sed capax, cùm plenus sit ignorantiâ, quam dicis esse iustitiam, nisi virtutem neges esse iustitiam? Ita ne nondùm evigilabis hâc absurditate percussus, & te hoc dixisse pœnitebit? Nam domini verba vigilant, sed tu dormis. Neq; enim ait regi, Sciebam quia cor habes iustum: aut, quia cor habes mundum: cùm scriptum sit, *Beati*
Mat. 5. 8. *qui mundo sunt corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: tu autem istum Abimelech ad peccatoris proponis exemplum. *Sed sciebam*, inquit Deus, *quia in corde mundo feci hoc*: Non omnia vel quæcunque alia, sed hoc, in quo adulterii conscientiam non habebat. Miror tamen quòd isto exemplo à te commemorato, quod non potes, conaris efficere; & non ibi vides, quod non vis audire. Conaris enim vt credatur orante Abraham, libido reddita esse mulieribus, quia scriptum est, *Concluserat Deus à* L. 2. de nupt. cap. 15.
Gen. 20. 18. *foris omnem vulvam in domo Abimelech, propter Saram vxorẽ Abraha*. Hãc enim conclusionem sic vis intelligi, tanquàm libido fuerit illis fœminis Deo indignante detracta, cùm magis indicetur his verbis, aliquâ valetudine vulva conclusa, vt aut impræg- *Vulvam in domo Abimelech quomodo cõclusit Deus.*
nanda cõcumbere fœmina, aut parere imprægnata non posset: & non attendisti homo, qui non vis iudicio divino quenquã non suis sed alienis plecti posse peccatis, quomodo fieri potuerit vt Abimelech peccaret, quàmvis nec ipse adulterino corde peccaverit, & Deus quantulumcunq; peccatum eius in mulieribus ad eum pertinentibus vindicaret. Vides contagionem transire peccati de viro in fœminas, quibus miscebatur, vel quibus dominabatur: & in prolem de parentibus non vis, ex quorum seminibus propagatur. Considera igitur, quàm *Pœna ob alterius peccatum.*
Rom. 11. 33 sit inscrutabilis *altitudo* iudiciorum *sapientiæ & scientiæ* Dei, & garrire desine contra originalis secreta peccati.

CAPVT XX.

Alludit ad verba Ambros. cap. 8. lib. de Isaac & animâ.

DEinde incipis disputare de excessu concupiscentiæ, quẽ reprehensibilem dicis, quasi in eius moderatione cùm eâ benè vtitur coniugatus, equus ipse qui malus est, & non potius sit eius auriga laudandus. Quid ergò te adiuvant testimonia de scripturis, quibus ostenditur quemadmodum, Deus vel prohibeat libidinis vel damnet excessum. Illud potiùs intuere, quicquid in quorumlibet flagitiorum turpitudine, quæ genitalibus membris perpetratur, horremus; concupiscentiam carnis, nisi teneatur, efficere ipsis motibus suis, quos in corporibus etiam castorum vsque ad ingemiscendum effectum perducit in somnis. Sic autem dicis, *quâ ratione quæreret iustos in Sodomis* Deus, *nisi illos tales natura faciebat:* tanquàm nos dicamus, mentis excellentiore naturâ, concupiscentiam carnis non posse frenari. Sed dicimus, vsqueadeò malum esse, vt repugnans expugnando vincatur, donec sicut vulnus in corpore, ita perfectâ curatione sanetur. Si autem putas Apostolum ex hoc laudasse libidinem, quia vsum fœminæ dixit esse naturalem, vbi ait, quosdã *relicto naturali vsu fœminæ, exarsisse in appetitum suum in invicem*: omnem profectò vsũ fœminæ laudare compelleris; ac per hoc & ea, quæ cum fœminis committuntur stupra, laudabis; quia & illic vsus vtiq; naturalis est, quamvis damnandus, quia legitimus non est. Vnde & filij non legitimi, sed naturales vocantur, qui inde nascuntur. Non itaq; concupiscentiam carnis illo verbo laudavit Apostolus, sed naturalem appellavit vsum, vnde natura humana potest nascendo subsistere. Dicis etiã *Sodomitas & in panis ac vini peccasse creatura:* atq; ita vis intelligamus libidinẽ bonam, sed homines qui ea malè vtuntur, esse culpabiles; sicut bona est natura panis & vini, quamvis eâ malè vtendo peccetur. Ita enim non intelligis quid loquaris, vt non videas, creaturam panis & vini, non *concupiscere adversus spiritum*, sed ipsam potius inhonestè à malè vtentibus concupisci, & eam forinsecùs in nostrum corpus intrare. Quâ ideò parcius & restrictius est vtendum, ne ipsâ quòq; concupiscentia, quod malum intus ac nostrum est, mentem corruptibili corpore ex abundantiore materiâ multò magis aggravante, adversus nos vehementiùs & invictiùs concitetur. Hoc igitur malo, quod indicat malũ esse, sive qui adversus illud dimicat, sive quem subiugat;

Insomnia.

Gen.

Lib de nup. & conc. c. 19. & 20.

Rom. 1. 27.

Filij legitimi, filij naturales.

Lib. 2. de nup cap. 19. & 21.

Concupiscentia, cur mala.

Cibi potusq; parcimonia.

&

& parens benè vtitur, cùm pudicè filium gignit; & Deus, cùm providè hominem condit.

CAPVT XXI.

NVnc ergò considera, rogo te; Nunc, inquam, vt te salubriter veritas vincat, depositâ vincendi cupiditate, considera, vtrùm nostræ, an tuæ sententiæ debeas acquiescere. Benè, quod breviter admonere te dicis, vt lectoris pectori hæreat, quod toto libro abs te gestum est. Et quæ sit ipsa brevis admonitio, subinferens: *Concupiscentia naturalis qui modum tenet*, inquis, *bono benè vtitur; qui modum non tenet, bono malè vtitur: qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, bono melius non vtitur. Confidentia quippè suæ salutis*, inquis, & *roboris, contempsit remedia, vt glorioſa posset exercere certamina.* Ego verò sic ad tua ista respondeo. Concupiscentiæ carnalis qui modum tenet, malo benè vtitur; qui modum non tenet, malo malè vtitur: qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, malo melius non vtitur. Confidentia quippè divinæ opitulationis & muneris contempsit infirma remedia, vt glorioſiora posset exercere certamina. In hâc controversiâ de benè vtendo isto, vtrùm bono an malo, tota inter nos causa versatur. In quâ vellem quidem egregios iudices non repudiares, quos tibi meis superioribus libris sanâ doctrinâ eruditos, sine vllo studio partium, de hâc causâ sententias protulisse monstravi. Sed quoniam si te non correxeris, ipsorum quoq; accusationẽ, vel, vt mitiùs dixerim, reprehensionem sine dubio præparabis, te potius vtar iudice, pro meâ sententiâ contra tuam, non alicubi alibi, sed in eodem libro tuo, nec eius alio, sed eo ipso loco. Dixisti enim *sanctam virginitatem confidentia suæ salutis & roboris, contempsisse remedia, vt glorioſa posset exercere certamina.* Quæro quæ remedia contempserit? Respondebis nuptias. Quæro, ista remedia contra quem morbum sint necessaria? Remedium quippè à medendo, id est, à medicando nomen accepit. Simul itaq; videmus ambo remedium nuptiarũ. Cur laudas tu libidinis morbum, quo perveniri cernis ad mortem, si ei non resistat, aut continentiæ retinaculum, aut coniugale remedium? Iam hoc & superius egi tecum, vbi disertissimè pudicitiam coniugalem inter lascivientes & continentes ita posuisti, *quæ verecundis manibus, & confovet æstuantes, & laudat*

Lib. 2 de nup. c. 19.

Iulianum propriis verbis convincit.

Remedium qui fatetur morbum agnoscit.

Cap. 15.

talis remedio non egentes. Eadem itaq; repeto. *Iterùm* audi quod illic tibi breviter dilucidèq; respondi. *Quandò ego istam concupiscentiam morbum esse dico, quare tu negas, qui tamen ei necessarium remedium confiteris? Si agnoscis remedium, agnosce morbum. Si negas morbum, nega remedium. Rogo cede aliquandò etiam per os tuum tibi loquenti veritati; nemo providet remedium sanitati.* Quæ sunt autē sanctarum virginum, sicut appellas *gloriosa certamina*, nisi quia *non vincuntur à malo, sed vincunt in bono malum?* Quæ non gloriosa ego, sed gloriosiora dicere malui. Habet enim palmam de huius mali subiectione, quàm vis minorem, pudicitia etiā coniugalis. Belligerat enim etiam ipsa contra carnalem concupiscentiam, ne limites thori nuptialis excedat: belligerat, ne definitum ex consensu coniugum orandi tempus irrumpat. Et si tantas vires habet ista pudicitia coniugalis, tantumque Dei donum est, vt faciat quod præscribunt tabulæ matrimoniales, in ipso quoque thoro coniugali conflictu fortiori belligerat, nè vltrà quàm generandis filiis satis est, etiam ipsum coniugis corpus attractet. Talis pudicitia nec mēstruatis, nec gravidis vtitur fœminis, nec eius ætatis, quā certum est eas iam concipere non valere. Nec eam prorsus concumbendi vincit affectus, sed tunc relaxatur, cùm speratur generationis effectus. Si quid verò fit in coniuge, non quidem contra naturam, sed tamen quod tabularum matrimonialium limitem transeat, veniale apud Apostolum reperitur, quia nequaquàm limes coniugalis carnis exceditur; sed tamen vt etiam ipse non excedatur, contra malum concupiscentiæ dimicatur. Quod vsqueadeò malū est, vt ei, ne noceat, pudicitiæ certamine resistatur: & tu, nisi fallor, in isto es certamine constitutus. Et quia te fideliter pugnare existimas, vinci times. A quo quæso te vinci times? A bono, an à malo? An fortè à me vinci times, vt adhuc malum neges, & tanquā bonū laudes, à quo vinci times? Inter duos adversarios constitutus in magnas coarctaris angustias, & me vis vincere per eloquentiam, & libidinem per continentiam, sed pugnando adversus eam confiteris malum, laudando eam deseris veritatis bonum. Sed ego te vinco, & expugnatorem & laudatorem mali, constituens te ante iudicem nō aliū, sed teipsum. Vis enim vincere concupiscentiam expugnatione eius, me verò laude eius. Sed ego respondeo: vt vincatur qui laudat, iudicet qui pugnat. Si enim malum est, cur laudat? Si bonum est, cur expugnat? Si autem nec bonū nec malū est, vt quid laudat? Vt quid expugnat? Quan-

Rom.12.21

Coniugatorum contra cōcupiscentiā pugna.

Coniugalis pudicitia perfecta qua.

Actus matrimonialis quis venialis.

1.Cor.7.6.

Quia cōtra concupiscentiā pugnandum, clarum est malū esse.

Iulianus laudator cōcupiscentiæ.

diù igitur expugnator libidinis eris, tàmdiù pro me contra te ipsum iudex eris. An fortè adversus libidinem nõ certabis, ne in isto quod mecum habes certamine superaris, dicens tibiipsi, melius non pugno, quàm ostendo pugnando malũ esse quod laudo. Noli obsecro te. Quid enim famego, quem pro magno desideras vincere? Vincat te potiùs veritas, vt tu libidinem vincas. Nam si adversus eam pugnare destiteris, vincéris, vincieris, & ad immunda omnia pertrahéris. Quod cùm sit horrẽdũ malũ, nec ad hoc quod desideras tibi proderit; etiam sic enim vinceris à me: imò ab ipsâ, quam prædico, veritate. Sed concupiscentiæ debellator etiam tuo iudicio vinceris, cùm id malum laudas, de cuius debellatione gloriaris. Si autẽ nec certamine dimicantis vincatur lingua laudantis, pugnare iam desinis, captivũ concupiscentiæ, desertorẽ continentiæ vincã, nõ iam suo, sed iudicio sapientiæ. Causa itaque nostra finita est. Quantũlibet enim laudes *concupiscentiã carnis*, quamdiù pugnas adversus eã; cernis quàm verũ de illâ, nec nisi de illâ dixe-
1. Ioan. 2. 16. rit Apostolus Ioannes, quòd *non est à patre*. Nã si vt dicis, *qui modũ eius non tenet, bono malè vtitur*, etiã in malè vtentibus bonũ est ipsa. Quæ igitur est illa, *quæ non est à patre*? An etiam ipsã quomodolibet intelligas, laudare disponis? Porrò si malũ est ipsa, vbi erit quandò erit, quandoquidẽ ista etiam si malè quisque vtatur, bonum erit. Nec ipsa, vt dicis, sed ille erit malus, qui bono vtitur malè, ac per hoc frustrà dixit Ioannes *concupiscentiam carnis non esse à patre*. Hanc enim tu bonam, & ob hoc à patre esse contendis, etiã cùm eâ quisq; malè vtitur, quia bono malè vtitur. Nec dicere poteris, quandò moderata est, à patre est, quãdo immoderata est, nõ est à patre; quia & tunc, vt dicis; bonũ est, quo malè vtitur malus. Sed ab his angustiis liberaberis, si credideris nõ linguæ tuæ, sed pugnæ tuę. Cõtinẽtia est enim à patre, quâ nõ expugnaretur cõcupiscentia, nisi non esset à patre. Hęc ipsa ergò contra quã si continẽter vivis, acriter pugnas, *nõ est à patre*. Non enim cõtrà eã pugnares, nisi repugnaret. Nec verò repugnaret tibi agenti quod donatur & amatur à patre, si esset à patre. Ex istâ & cũ istâ nascitur homo, bonũ Dei opus, nõ sine malo, quod trahit origo generationis, & sanat gratia regenerationis. Ac per hoc rectè à me dictum est, *ita nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari; sicut adulteriorum & fornicationum malum, bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari. Bonum* enim *naturale* dixi, quod mecum ipse collaudas; ma-

Lib. 1. de nupt. & cõcup. cap. 1.

lum autem originale dixi, cuius motibus mecum repugnas, & cuius contra me laudibus pugnas. Hoc non est malum, quòd natus es, sed cum quo natus es, & contra quod spiritaliter dimicas, quia renatus es. Quòd natus es, pertinet ad Dei conditionem & parentum fœcunditatem: contra quod autem dimicas, quia renatus es, pertinet ad prævaricationem, quam diaboli astutia seminavit, vnde te Christi gratia liberavit: vt prius hoc malo bene vtereris in coniuge, nunc illi adverseris in te, non iam reus ex illo, sicut eras natus, sed ab eodem reatu non erutus, nisi quia renatus: vt possis redemptus regnare cũ Christo, si tamen ista hæresis non te faciat perire cum diabolo. Sed, quod potius cupimus, confitearis malum, contra quod bellum geris, vt eo non ita separato, quasi alia natura sit, sed in te omni ex parte sanato, in perpetuâ pace læteris. Non igitur sum *pharmacopola similis*, vt dicis, *qui promittebat bestiam, quæ seipsam comesset*: sed observa ne bestialis iste motus, contra quẽ vidéris in tuâ carne confligere, sicut te pervertit laudatus, sic te consumat posteà relaxatus. Non enim vt calumniaris, ego dixi *nuptias & magnum bonum, & magnum malum*, tanquam eo modo seipsam comedat ista sententia: sed dixi *in vno homine naturam bonam, vitium malum*: quod esse tu ipse certè in adulteris confiteris, nec propter eorum vitium improbans naturã, nec propter eorum naturam approbans vitium. Bonũ dixi nuptias ex quibus es natus; malum autem non de nuptiis, sed de vitiatâ origine attractum, contra quod geris bellum renatus. Ridiculum est autem, quod me dicis *Epicuri vias gradientẽ, habeas omnes, quibus cupiditates frænantur*, incidere. Quid si ego laudarem corporis voluptatem? Hoc enim tu satis eloquenter facis, quod ineruditè atque impolitè faciebat Epicurus, quasi propterea sis eius adversarius, quia disertè dicere non noverat ille, quæ dicis. Rursus vt sentio laboraturus es, quomodo te ostendas, & laudatorem voluptatis esse, & Epicureum non esse. Sed noli laborare, ego te ista cura liberabo. Non es Epicureus, quia ille totũ hominis bonum in corporis posuit voluptate, tu autem magnã partẽ humani boni ponere in virtute conaris, quam vẽram, id est, veræ pietatis ignoras. *Dixit* enim *homini Deus, Ecce pietas est sapientia.* Et hæc vnde homini, nisi ille det de quo scriptum est, *Dominus sapientes facit cæcos*, & de quo item legitur, *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo.* Verum si tu es Epicureus, qui ex illo aliquam partẽ in voluptatis laude sumpsisti, quantò minus ego, qui de voluptate carnis hoc sen-

Iulianus olim coniugatus.

Pharmacopola bestiam promittens quæ seipsam comesset.

Bestialis motus.

Lib. 2. de nupt. & cõcup. cap. 23.

Iulianus Augustinũ Epicureum appellat.

Iob. 28. 28.

Psal. 145.

Isa. 1. 5.

quod sentit Ambrosius: *inimicam scilicet esse iustitiæ, & quod homo concupiscentiæ voluptate concretus, priusquam nascatur subeat contagia delictorum.* Quod autem ad mores pertinet nostros, quemadmodum viuamus, in promptu est eis, cum quibus viuimus. Nunc de catholico agitur dogmate ac fide: perfidia non sit desertoris in te. Nam tua me non terret, velut lingua censoris. Fateor me docere homines, quod in Apostolicis literis didici, quia *si dixerimus quòd peccatum non habemus,* 1. Ioan. 1. *nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Fateor me in populo, & cum populo Dei pectus tundere, & veraciter dicere: Matt. 6. 12. *Dimitte nobis debita nostra.* Nec insultetis hinc nobis. Inde quippe estis hæretici, quia hæc displicent vobis. Nos in Dei vera misericordia, vos in vestra falsa virtute confiditis. Vos gratiam Dei secundùm merita vestra dari dicitis, quod tamen nisi damnasset Pelagius, à catholicis Episcopis damnaretur. Nos verò eam gratis dari, & propterea gratiam nuncupari, & ex illa esse omnia sanctorum merita confitemur, 1. Cor. 15. 10. dicente Apostolo, *Gratia Dei sum, id quod sum.* Ideò nos irridetis, & præ vobis alta ceruice contemnitis. Psal. 122. 4. *Facti enim sumus opprobrium ijs qui ambulant, & despectio superbis.* Psal. 13. 6. *Consilium* quippe *inopis confudistis, cùm dominus spes eius est.* In hac tamen re, vnde nunc agimus, non video cur dicas *me habenas omnes, quibus cupiditates frenantur, incidere,* qui omni virtute secundùm gratiam Dei, quæ datur hominibus, omnes cupiditates frenãdas esse decerno. Sed abs te quæro, vtrum bonæ an malæ sint istæ cupiditates, quas esse frenandas prædicas, & velut à me relaxentur, accusas? Puto enim non eas equorum vel quorumcunque animalium præter nos esse, sed nostras. In nobis sunt ergo malæ cupiditates, quas bene viuendo frenamus. Habenas igitur, quibus non bonæ, sed malæ frenantur cupiditates, me præcidere criminaris. Harum est vna *concupiscentia carnis*, ex qua & cum qua nascuntur, & propter quam renascuntur infantes. Eo malo coniuges castos dico benè vti, adulteros malè: tu contrà eo bono adulteros dicis vti malè, castos coniuges bene: continentiam meliùs eo non vti ambo dicimus, sed ego eo malo, tu eo bono. Ac per hoc, quàmuis Deo nostra conscientia, conuersatio verò etiam hominibus, inter quos viuimus, nota sit, tamen ambo continentiam profitemur. Et si quod profitemur agimus, istam concupiscentiam profectò ambo frenamus, aduersus eius repugnantes

Ambrosius lib. de Parad. c. 12. & lib. de Philosophia. Vterque locus supra citatur ad longũ lib. 2. contra Iulia. c. 5. & 6.

Pelagiani in falsa virtute confidunt l. de Gest. Pelagij c. 14 & 35.

Iulianus iterum verbis suis capitur.

Propter carnis cõcupiscentiam renascuntur infantes.

Iuliani concupiscentiam bonam dicit.

motus ambo bellamus, ambo eam si proficimus debellamus. Verùm hoc interest, quòd ego dico me malum frænare, tu autem te bonum. Ego dico mihi malum repugnare, tu tibi bonum. Ego bello aduersus malum, tu aduersus bonum. Ego cupio malum debellare, tu bonum. Vnde putari potest, quòd istam concupiscentiam magis incitare laudando, quàm frenare studeas continendo. Glorioſa te per continentiam profiteris exercere certamina. Contra quid rogo? Quid dicturus es, nisi contra *carnis concupiscentiam*? Sed vtrùm amicam, an aduersariam? Nunquid nisi aduersariam respondebis? *Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim inuicem aduersantur*, sicut Apostolus testis est. Fortasse ergo eam laudare te fingis, si pugnare non fingis. Nam quomodo fideliter simul agas duo ista non video, vt & laudes velut amicam, & expugnes velut inimicam. Vnum eorum credimus, sed elige quid credamus. Si ex animo pugnas, non ex animo laudas. Si autem simpliciter agis in præconio, colludis in prælio. Ego sanè quia inimicus tibi non sum, sicut inimicum tibi est illud, quod habitat in carne tua malum, quàmuis potissimum cupiam, vt hoc malum & doctrinæ sanitate vituperes, & vitæ sanctitate debelles; tamen ex his duobus, quorum putari potes vnum ex animo facere, alterum fingere; malim te fallaciter laudare concupiscentiam, quàm fallaciter impugnare. Tolerabilius enim lingua tua, quàm vita mentitur; tolerabilius sententia, quàm continentia simulatur. Fingis quippe laudem, quâ sis aduersarius sententiæ meæ, si non fingis castitatem, quâ es aduersarius concupiscentiæ tuæ. Ita fiet, vt nec contra me diutius proferas fallaciter verbum, si veraciter geris contra libidinem bellum. Sed siue vnum horum fingas, siue vtrumque, (quod nescio quemadmodum possis ex animo facere, id est, sine vlla simulatione, & pugnes contra quod laudas, & laudes contra quod pugnas) ego tamen id quod est mitius de te credens, velut cum debellatore libidinis ago, & nuptias non dico malas, sed benè vti malo, quas tu dicis benè vti bono, bonam esse dicens *concupiscentiam carnis*, quam tamen in te debellando, malum esse conuincis. Quomodo autem cum illa etiam, qui ea benè vtuntur, belligerent coniugati, iam superiùs disputaui.

Tolerabilius est lingua labi, quàm vita.

CAP.

CAPVT XXII.

QVæ cùm ita sint, & coniugium bonùm inquantum coniugium est, & homo siue de coniugio, siue adulterio nascatur, inquantum homo est, bonum est: quia inquantum homo est, opus Dei est: & tamen quia cum illo & ex illo malo generatur, quo bene pudicitia coniugalis vtitur, necessarium illi est, vt ab eius mali nexu regeneratione soluatur. Quid ergo ex me quæris, *vbi sit originale malum*, cùm in teipso verùs tibi loquatur libido, contra quam pugnas, quàm tuipse, quando eam laudas? Quid quæris, *vnde sit homo sub diabolo, quem Deus fecit*? Vnde enim est in morte, quam Deus non fecit? *Quid ibi cognoscit*, inquis, *diabolus suum, si nec quod factum, nec vnde factum est, ipse condidit*? Planè quod factum est, homo est. Vnde factum est, semen est hominis; vtrumq; bonum est, nihil horum diabolus condidit, sed vitium seminis ipse seminauit. Non ibi cognoscit suum bonum, quia non est eius, quod ambo laudamus; sed cognoscit suum malum, contra quod ambo pugnamus. Nec rectè laudatur ab altero nostrum, contra quod ab vtroque pugnatur. Vide sanè, quemadmodum quæras à me *inter tot bona, vnde sit in paruulis malum*, & taceas quod ego posui in eodem libro, cui respondes, & inter ipsa verba, quibus nunc respondes, quod ait Apostolus: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Hoc enim non vis vt audiant vel legant homines isto loco, vbi maximè opus erat, ne agnoscant fidem suam, & contemnant argumentationem tuam.

Lib. 2. de nuptijs cap. 19.

Lib. 2. de nupt. & conc. ca. 5

Vitium seminis, diabolus seminauit.

Rom. 5. 12

Lib. 2. de nupt. & conc. cap 27. & 28

CAPVT XXIII.

DEfiniſſe me dicis, *hominem, si de fornicatione nascatur, reum non esse: si de coniugio innocentem non esse.* Hæc verò nimia est, & aperta calumnia. Imò definiui hominem vndecunque nascatur, secundum Catholicam fidem quam patres contra vos antequam nasceremini euidentissimè defenderunt, & innocentem esse per proprium, & reum per originale peccatum. Naturæ autem substantiam, cuius author est Deus, etiam in grandibus esse peccatoribus bonam, qui vtique propter peccata etiam sua propria mali sunt, quæ illi malo cum quo nati sunt addiderunt. Cur autem timerem, ne

Lib. 2. de nupt. ca. 24.

mihi obijceretur vt dicis, *quia peccata omnium parentum, omnibus filijs imputatur*: cùm etiam si hoc verum sit, (non quantum attinet ad viuentes iam suæ voluntatis arbitrio, sed quantum attinet ad nascentes) nullo modo naturæ substantia malum esset, cuius author est Deus, sed ea quæ insunt ei vitia, contra quæ tu quoque vt verbis tuis vtar, *exerces gloriosa certamina*? Sicut autem, quemadmodum dicis, *quando adulteri gignunt, nascitur homo de virtute seminum, non de turpidine flagitiorum*: ita quando coniuges gignunt, nascitur homo de virtute seminum, non de honestate nuptiarum. Aut si hic de vtroque & ibi de vtroque: fructus autem nuptiarum est, quantum ad ipsas prorsus attinet nuptias, non hominum generatio, qui possunt etiam de adulteris nasci, sed ordinata susceptio filiorum. Cur ergo sententiæ meæ pars falsissima est, qua dixi, *nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari*: cum eo malo, contra quod pugnas, bene vsi fuerint coniugati vt nascereris, & hoc inde abs te tractum reum te teneret nisi renascereris? Itaque nec accusandi sunt coniuges, qui bene vtuntur malo; & regenerandi sunt filij, vt liberentur à malo. Si enim nuptiarum bonum non esset, nisi bonus vsus boni; tunc mirandum esset, quomodo inde traheretur malum: cum verò sit bonum nuptiarum, bonus vsus mali; quid mirum si de ipso malo, quo bene vtitur bonitas nuptiarum, trahitur malum quod est originale peccatum? Illud mirabile est, quòd cùm *essent* Apostoli *bonus odor Christi*, trahebatur inde bonum, trahebatur indè & malum. *Alijs enim erant odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem*, cùm odor ille non esset vsus mali, sed boni. Ideo quippe *bonus odor erant Christi*, quia bene vtebantur gratia Christi. Falsum est igitur quod dixisti, *si malum inde trahitur, accusari potest, excusari non potest*: quia trahitur inde originale malum, cùm trahitur inde etiam bonum, ordinata scilicet propagatio filiorum. Nec malum illud indè ideò trahitur, quia bonæ sunt nuptiæ: sed quia in bonis earum est etiam vsus mali. Non enim copula nuptialis, sicut putas, propter *carnis concupiscentiam*, sed propter bonum, quod de isto malo fit, instituta est. Quod quidem bonum sine isto malo fieret, si nemo peccasset. Nunc ergo sine isto malo esse non potest, sed non ideò malum est. Sicut econtrario, nullum malum sine aliquo bono esse potest, nec ideò bonum est. Opus enim Dei bonum est in

Lib. 2. de nupt. & conc. c. 25 & supra lib. 1. contra Iul. c. 3.

Nuptiarum fructus ordinata filiorum susceptio.

Lib. 2. de nupt. & concupisc. cap. 1.

2 Cor. 2. 15 & 16.

Lib. 2. de nupt. cap. 26.

Peccatū originis vnde trahatur?

est in natura, sine quo tamen esse nõ potest voluntas mala. Ac per hoc, sicut adulterium non potest esse sine bono naturæ, nec ideo bonum est: ita connubium non potest esse sine malo concupiscentiæ, nec ideo malum est. Quapropter etiam si tibi concedatur, *omnem causam mali esse expertem boni*, nihil hinc refertur ad nuptias, quæ non sunt causa mali. Neque enim concupiscentiæ malum, nuptiæ fecerunt; sed quo benè vterentur paratum inuenerunt.

CAPVT XXIV.

NOn euadit, inquis, *res illa supplicium*; *cuius participatione etiam alia trahunt reatum.* Hoc si de *concupiscentia carnis* sentis, non absurdè sentis. Hoc enim malo bene vtuntur fideles coniugati, & ex hoc qui generantur reatum trahunt, ideoque & ipsi regenerandi sunt. Id autem malum non euadit supplicium, hoc est enim eius supplicium, vt cum generati si regenerati non fuerint, puniatur; in regeneratis autem, cùm ex omni parte sanati fuerint, consumatur. *Si trahitur*, inquis, *& de nuptijs originale malum, causa mali est conuentio nuptiarum.* Quid si alius dicat, si trahitur de natura voluntas mala, causa mali est constitutio naturarum; nónne falsissimum est? Sic ergo & quod ipse dixisti; quàmuis originale malum non de nuptijs trahatur, sed de carnali concupiscentia, contra quod malum & ipse confligis; quo malo coniugati bene vtuntur, si sola coniuges propagationis gratia misceatur; & si peccatum non præcessisset, *quod in omnes homines pertransijt*, nec fuisset profectò malum quo bene vterentur, & tamen vt procrearent filios, miscerentur. De arboribus autem bona & mala, quantum erraueris, puto me satis demonstrasse in primo huius operis libro. Et cùm eosdem nodos repetas, quĩ iam soluti sunt, non est in superfluis immorandum. Quæris *per quid peccatum inueniatur in paruulis*; & enumeras multa bona, tacens de malo, contra quod pugnas. sed cùm taces clamas: *Parentes*, inquis, *qui conuentu suo causam fecere peccato, iure damnabiles sunt; quorum labore actum est, vt ad dominatum exercendum in homines diabolus perueniret.* Potes hoc & ipsi Deo dicere, non dico, quia creat homines trahentes originale peccatum, quia id tu negas; sed quia nutrit & vestit innumerabiles impios, etiam quos nouit in ipsa impietate mansuros. Quod profectò si non fecisset, seruos homines diabolus non habe-

Lib. 2. de nupt. cap. 26. *Cap. 8.* *Lib. 2. de nupt. cap. 27.*

Occupatio.

Responsio.

ret. Sed forsitan dicas: Deus in eis pascendis non attendit, nisi bonum, cuius ipse author est, quo homines sunt. Sic ergo & parentes in filijs gignendis, non attendunt nisi bonum, quod homines sunt, maximè nescientes quales futuri sunt. Nempe quod etiam tu confiteris, peccatum nullum esset, si nulla præcessisset voluntas mala: quia & originale peccatum, quod nos dicimus, vos negatis, nullum esset vtique nisi naturâ ex primi hominis malâ voluntate vitiatâ. Sed nulla esset etiam voluntas mala, si nulla præcessisset natura, sed angelica, vel humana. Nunquid propter hoc Deum causam dicturus es peccatorum, quia voluntas eius causa est mutabilium naturarum? Sicut ergo creanti Deo non imputatur, quòd rationales naturæ à bono deficiunt, sed quòd bonum sunt: sic parentibus gignentibus & malo concupiscentiæ benè vtentibus, non imputandum est, quòd cum eo malo filij nascuntur, sed quòd bonum sunt. Non autem ideo sicut putas, *à diabolo ducitur origo nascentium*, inquantum homines sunt, quia dicitur à diabolo esse origo peccati, sine quo nullus nascitur hominum. Neque enim quia origo mortis à diabolo est, ideo ab illo est origo mortalium. *Rimam* quæris *inter tot innocentia præsidia, quà potuerit intrare peccatum*; cùm tibi ostendat Apostolus Paulus, non rimam, sed apertissimam ianuam, dicens: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt.* Sed hæc tacens verba, dicis tua, *quia per opus Dei, opus diaboli transire non sinitur* cùm homines sint opus Dei, *peccatum* autem opus diaboli, quod dicit Apostolus *in omnes pertransisse.* Clamas, *si natura per Deum est, non potest in ea esse originale malum*; quasi non alius religiosius sibi clamare videatur; si natura per Deum est, non potest ex ea nasci vllum malum, aut non potest in ea esse vllum malum. Et tamen falsum est; quia nec oriri malum potest, nisi ex natura; nec vbi sit habet, nisi fuerit in natura. Confiteor igitur opus Dei esse qui nascitur, etiam trahens originale malum; quoniam quod in illo Dei opus est, bonum est: quia bonum est opus Dei etiam cum malo, non solum in paruulis, verumetiam in quibuslibet ætatibus, hoc est, substantia, forma, vita, sensus, ratio cæteraque omnia bona, etiam in quocunque homine malo. Quis autem operatur vt viuat homo, nisi *in quo viuimus mouemur & sumus*? Id autem operatur occulto quodam

Peccatū non est homini à Deo.

Lib. 2. de nuptijs cap. 28.

Rom. 5. 2.

Supra li. 1. contra Iul. cap. vlt.

Lib. 2. de nuptijs cap. 29.

Malum nisi ex natura bona oriri non potest.

Act. 17. 28.

dam opere beneficentiæ suæ, exceptis alimentis perspicuis, quibus extrinsecus sustinemur. Qui ergo operatur vt viuat homo, quàmuis conuersatione vitiosa, ipse operatur vt nascatur homo, quàmuis origine vitiatâ.

CAPVT XXV.

QVid est autem quod propositis alijs ex libro meo verbis meis fingis, quòd dixerim *aliam fuisse nuptiarum institutionem ante peccatum Adæ, quæ sine concupiscentiâ, sine motu corporum, sine necessitate sexuum esse potuissent?* Detrahe nuptijs concupiscentiam, quâ *caro concupiscit aduersus spiritum*, detrahe malum contra quod pugnas, gloriosa exercens continentiæ virtute certamina; & non opus est vt cætera detrahas, si nuptias quæris, quales ante peccatum primorum hominum esse potuerunt. Sine motu enim corporum, & sine necessitate sexuum, quis vnquam vllas nuptias cogitauit? Sed bellum quod in se casti sentiunt, siue continentes, siue etiam coniugati, hoc dicimus in paradiso ante peccatum nullo modo esse potuisse. Ipsæ ergo etiam nunc sunt nuptiæ, sed in generandis filijs tunc nullo malo vterentur, nunc concupiscentiæ malo benè vtuntur. Quo malo sua bona non perdiderunt in castitatis fide, in coniunctionis fœdere, in propaginis germine. Adhæreret ergo tunc etiam vir vxori vt gignerent filios; non tamen haberent in carne motum libidinis turbidæ, sed tranquillæ tantummodò voluntatis, quam spectamus in cæteris membris. Arguis me, quòd *eos paruulos qui mundum impleuerunt, pro quibus Christus mortuus est, diaboli opus & de morbo natos, & ab exordio reos definiam.* Paruuli opus diaboli substantialiter non sunt, sed opere diaboli originaliter rei sunt. Et ideo Christus, quod & ipse confiteris, etiam pro paruulis mortuus est, quia & ad ipsos pertinet *sanguis, qui in remissionem fusus est peccatorum.* A quo illos sanguine facitis alienos, cùm eos negatis trahere originale peccatum. Nec succenseas, quòd concupiscentiam dixi morbum, cui & tu confessus es prouisum fuisse remedium. Exordium verò paruulorum, ex quo nascerentur, in Adam fuit; quo per peccatum vitiato atque damnato, alterum eis Christus, ex quo renascerentur, instituit.

Lib. 2. de nuptijs cap. 33.

Concupiscentia non fuit ante peccatum.

Bonum nuptiarum.

Lib. 2. de nup. c. 33

Concupiscentia morbus.

Matt. 26 28.

CAP.

CAPVT XXVI.

Lib. 2. de nup. c. 34

SI *ante peccatum*, inquis, *per Deum creatum est vnde homines nascerentur, per diabolum autem vnde parentes commouerentur; ascribitur sine dubio sanctitas nascentibus, & culpa generantibus.* Quid dicis, *parentes commouerentur*? Si pietate voluntatis, qua optat filios quisque suscipere; & hoc per Deum institutum: si autem perturbatione libidinis, cui nec excitandæ nec auferendæ sufficit voluntatis arbitrium; naturæ vulnus est de præuaricatione, quam diabolus persuasit, inflictum. Rectè itaque à me dictum est, *fieres sine isto morbo seminatio filiorum in corpore vitæ illius, sine quo nunc fieri non potest in corpore mortis huius.* Quod autem argumentaris *ad bonum fœcunditatis parvulos pertinere*, quæ Dei benedictione ante morbum libidinis instituta est, non ad ipsum libidinis morbum, qui postea peccantibus accidit, *atque ideo sanctitatem ascribendam esse nascentibus, & generantibus culpam*: non attendis peccato illo magno, vniuersam in deterius mutatam fuisse naturam, vnde fuerat propago ducenda. Sic enim posses dicere Euam solam, non cæteras fœminas dolores parturitionis sentire debuisse: quoniam benedictio qua dictum est: *Crescite & multiplicamini, & replete terram*: ex qua filij procreantur, antè facta est, quàm fuisset muliebris sexus illa maledictione punitus. Sed si hoc dixerimus, vtique respondebitur: sicut ex peccato illo, ita & ex maledicto in peius totam mutatam fuisse naturam, vnde trahitur originale peccatum, *& iugum graue super filios Adam.* Non enim sicut tu argumentaris, *Iudæum sub lege positum describebat Apostolus dicens: Scio quod non habitat in me, hoc est in carne mea bonum: &, Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: &, Mihi malum adiacet: &, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: sed describebat humanam in hac corruptibili carne naturam, non opere Dei cum vitio primitus institutam, sed ex voluntatis arbitrio veniente priorum hominum vitio sauciatam. Cuius enim vox est: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum.* Nunquid Iudæi? Absit, sed sine dubitatione Christiani. Eius ergo voces sunt etiam illæ superiores, ex quibus hæc consequenter expressa est. Ipse enim dixit: *Gratia me liberabit de corpore mortis huius per Iesum Christum dominum*

Perturbati libidinis, natura vicium.

Lib. 1. de nupt. c. 1.

Lib. 2. de nup. c. 25

Peccatū Adæ, magnum.

Gen. 1. 28.

Ibid 3. 16.

Eccle. 40. 1.

Rom. 7. 18. 20. 21 & 23.

Ibid. 24. & 25.

Consule lib. de gratia Christi cap. 39. & lib. 1. contra duas epi. Pelagia. cap. 10.

minum noſtrum, qui dicebat: *Video aliam legem repugnantem legi mentis meæ.* Sed ne fortè iſtam catechumeni exiſtimes vocem, *lauacrum regenerationis* adhuc ſperantis, poſt quod lauacrum nullam legem peccati reſiſtentem legi mentis, habiturus eſſet in membris (quanquam tu ipſe, ſi quid de te tibi credimus, aduerſus huius concupiſcentiæ malum, per continentiæ bonum, *gloriosa certamina* poſt *lauacrum regenerationis* exerceas) recole tamen quid ſcribat ad Galatas, certè homines
Gal. 5. 16. baptizatos. *Dico autem*, inquit, *Spiritu ambulate, & concupiſcentias carnis ne perfeceritis.* Non ait, ne feceritis: quia eas non habere non poterant; ſed, *ne perfeceritis*: id eſt, ne opera earum, conſenſu voluntatis impleatis. *Caro enim*, inquit,
Ibid. 17. *concupiſcit aduerſus ſpiritum & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc enim inuicem aduerſantur, vt non ea quæ vultis faciatis.* Vide ſi non hoc eſt ad Romanos: *Non enim quod volo facio bonum ſed quod nolo malum, hoc ago.* Deinde ad Galatas ſed ait & dicit: *Quòd ſi ſpiritu ducimini, non adhuc eſtis ſub lege.* Vide ſi non hoc eſt ad Romanos: *Iam non ego operor illud*: &, *Condelector legi Dei ſe-*
Rom. 7. 19. *cundum interiorem hominem*: &, *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ad obediendum deſideriis eius.* Si enim non obediatur concupiſcentijs, quas neceſſe eſt eſſe in *carne peccati*, at-
Gal. 5. 18. Rom. 8. 20. & 22. que in *corpore mortis huius*, non perficietur, quod perfici vetat Apoſtolus dicens: *Concupiſcentias carnis ne perfeceritis.* Ipſæ
Rom. 6. 12. quippe ſunt opera, de quibus totum mirè ſequitur, & dicit: *Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum ſeruitus*, & cætera. Si ergo non conſentiatur concupiſcentijs carnis, quamuis agantur motibus, non tamen perficientur operibus. Proinde cum *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum & ſpiritus aduerſus carnem, vt non ea quæ volumus faciamus*, nec carnis perficiuntur concupiſcentiæ, quamuis fiant, nec noſtra perficiuntur bona opera, quàmuis fiant. Sicut
Gal. 5. 19. enim tunc perficitur *carnis concupiſcentia*, cùm conſentit ei ſpiritus ad opera mala, vt non concupiſcat aduerſus illam, ſed cum illa: ſic & bona opera noſtra tunc perficientur, quando ita ſpiritui caro conſenſerit, vt aduerſus eum etiam ipſa non concupiſcat. Hoc enim volumus, cùm perfectionem iuſtitiæ concupiſcimus: ſed quia id perficere in iſta corruptibili carne non poſſumus, ideo dixit ad Romanos: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Vel ſicut habent codices Græci, *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non*: id eſt, non mihi

Concupiſcentias carnis nō perficere.

Carnis concupiſcentia quando perficiatur?

Quando opera bona?

Facere & perficere bonũ

adiacet perficere bonum. Non ait facere, sed *perficere bonum*, quia facere bonum, est *post concupiscentias non ire*. *Perficere autem bonum*, est non concupiscere. Quod ergo est ad Galatas: *Concupiscentias carnis ne perfeceritis*: hoc contrariò est ad Romanos: *Perficere autem bonum non inuenio*. Quia nec illæ perficiuntur in malo, quando eis non accedit nostræ voluntatis assensus: nec nostra voluntas perficitur in bono, quàmdiu illarum cui non consentimus permanet motus. Ipse autem conflictus in quo etiam baptizati velut in agone decertant, cum *caro concupiscit aduersus spiritum*, & *spiritus aduersus carnem*, vbi & spiritus facit bonum opus, non consentiendo concupiscentiæ malæ, sed non perficit, quia ipsa mala desideria non absumit: & caro facit malum desiderium, sed nec ipsa perficit, quia non sibi consentiente spiritu, & ipsa ad opera damnanda non peruenit: Iste ergo conflictus non Iudæorum, nec quorumlibet aliorum, sed planè Christianorum fideliũ, & benè viuendo in hoc certamine laborantium, breuiter ostenditur ad Romanos vbi ait: *Igitur ipse ego mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati*. Si ergo hæc est conditio in *corpore mortis huius*, quæ vtique non fuit in paradiso, in corpore vitæ illius; proculdubio satis euidenter apparet, vnde trahant parvuli obligationem peccati, cùm carnaliter nascuntur, quæ non soluitur nisi cùm spiritualiter renascuntur. Non enim hanc trahunt ex opere, quo humanam Deus naturam fecit; sed ex vulnere, quod naturæ humanæ hostis inflixit. Non hostis secundùm Manichæos prosiliens ex natura mali, quam non condidit Deus; sed hostis angelus quondam ex opere Dei bonus, ex opere suo factus malus. Qui se primum vulnerando prostrauit, vt elisus elideret, & per malam suasionem præuaricationis vulnus infligeret, vnde genus humanum etiam in his, qui viam Dei ambulant, claudicaret. Et tamen succenses mihi quia dixi, *Hæc enim quæ ab impudentibus impudenter laudatur, pudenda concupiscentia*, & iratus impudentius multa dicis, vos extollens, *tanquam qui scripturis sanctis, & rationi certissimæ congruentes; eo proposito non esse in natura malum defendatis, vt ad virtutum studia homines incitetis; inculcantes nullum culmen tam arduum esse virtutis, vt non ad illud adiuuante Deo mens queat fidelis euadere. Atque ob hoc dicatis, non esse in carne mali necessitatem, vt erubescat vnusquisque laudabiliter conditus, deformiter viuere, ac sic pudor turpi occurrat ignauiæ de commendatione nobilitatis*

Eccl. 18. 30.

Gal. 5. 16.

Rom. 7. 25.

Originale peccatum trahitur ex inflicto vulnere.

Angelus factus à Deo bonus.

Lib. 1. de nuptijs & conc. c. 1.

tatis ingenitæ: & cætera huiusmodi, quæ satis eloquenter in vestra prædicatione iactasti, nos contrà deprimens & dicens: *quòd dubium non sit euersionem sanctitatis, contaminationem pudicitiæ, morum labem nostris conuenire, imò messe dogmatibus: neque id esse me negaturum, qui ideo sicut dicis, in naturæ inuidiam malæ conuersationis sordes refundo, vt peccantibus metum demam: quorum obscœnitates Apostolorum & Sanctorum omnium consolor iniurijs, eò quòd vas aureum Apostolum Paulum sæpe dixisse commemorem: Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio:* & cætera huiusmodi. Veruntamen vos laudans, non arguens, aduersus concupiscentiæ malum pugnas, & pugnando confiteris, quod loquendo negas. Atque ita vis videri culmen ascendisse virtutis, vt in ipso culmine, quò te existimas euasisse, cum persequente concupiscentia, tanquam in arce confligas, & quantumlibet ex loco superiore, tamen cum hoste interno dimicare non desinas. Nec erubescis concupiscentiam, quæ te amplius perdet sine dubitatione si vicerit, laudare aduersus eum, qui te perditum etiam cùm vincit, inquirit: maximè quia in fine eiusdem libri tui dicis, *quòd non sit alia mei sensus intentio, quàm ad inferendum virtutibus bellum, in vitiorum sacramenta iurare, & ad excidium ciuitatis Dei, omni æstu, omni furore conniti, adipiscendæ castitatis desperatione, repugnantes turpitudini territare, mentiri tantas obscœnæ libidinis vires, vt eam ratio regere ac frenare non possit, cui nec Apostolorum legio repugnauerit.* Hæc de me prorsus ipse mentiris. Ego enim non infero virtutibus bellum, sed vitijs; quantum adiuuor infero, & inferendum esse proclamo. Quod si & tu facis, quid est quod laudas, cum quibus pugnas? Quomodo virtute hostes debellare te credam, quos verbo lacerare non audes? Si ambo concupiscentiam debellamus, quare non ambo vituperamus? Quam te iactas expugnare continentiâ, quare non vis damnare sententiâ? *Mentiri me dicis tantas libidinis vires, vt eam ratio regere ac frænare non possit.* Ecce ego non dico tantas libidinis vires, vt humana ratio diuinitus accensa & adiuta eam regere ac frenare non possit. Sed tu quare negas malum esse, quod si non frenetur occidit? Ecce ego voce qua possum, quod me negare asseris clamo: Apostolorum legionem repugnasse libidini, vtique pugnanti. Tu qui nos fecisse Apostolis calumniaris & velut indignaris iniuriam, cur & illorum & tuam exornas laudibus inimicam? Quis

Iuliani.

Rom. 7. 15.

Iulianus concupiscentiam laudat.

Laboria Iuliani.

Vituperare debet concupis. qui eam debellat.

Concup. mala.

Libidinis defensor, Apostolorum inimicus.

eam defendat, cui legio repugnauit Apostolorum, nisi hostis Apostolorum? Itáne habere tecum libido & amicitiam meretur & bellum, vt abs te & expugnetur in te, & defendatur aduersus me? Bellum vestrum latet, amicitia patet. Ex hoc quod patet, suspectum facis esse quod latet. Quid enim vis credamus de bello quod geritis in operto, quorum amicitiam cernimus in aperto? Quomodo vis vt arbitremur aduersus aculeum te dimicare libidinis, cum libros impleas laude libidinis? Verum ecce vinco suspicionem meam. Expugnare te credo quod laudas, sed laudare te doleo quod expugnas. Ex isto igitur & eum isto malo, quod à te quoque credimus expugnari, homo generatur, quem negas regeneratione saluari. Isto enim coniugati bene vtuntur, quo continentes melius non vtuntur. Porrò si malum est, quo *caro concupiscit aduersus spiritum*, cui malo sicut fateris, Apostolorum legio repugnauit, hoc vtentes coniugati, proculdubio non bono bene vtuntur, sed malo. Ex hoc igitur, & eum hoc filij generati regerandi sunt, vt liberentur à malo. Hoc enim originali malo, etiam parentes illorum rei nati sunt, etsi ab hoc reatu renascendo sunt liberati. Quid autem vellemus vt gignerent, non vnde renati, sed vnde nati sunt, nisi quòd & ipsi nati sunt? Reos ergo, quia & ipsi rei nati sunt, & generantes inde vnde nati sunt, non aliud potuerunt generare quàm nati sunt. Vnde autem renati, inde à reatu cum quo nati sunt liberati. Ac per hoc & illi quos reos liberati generauerunt, eâdem sunt regeneratione liberandi. Ex hoc enim malo rei nati sunt, quo bene vtuntur renati, vt nascantur regenerandi. Contra quod malum si non pugnas, pugnantibus crede. Si pugnas, aduersarium confitere, & noli laudando morbum, habere amicum, quem pugnando experiris inimicum.

Renati generant, vnde nati sunt.

DIVI

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA IVLIANVM LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

Aggreditur lib. tertij Iuliani vesaniam.

AM nunc ab alterius voluminis exordio cætera videamus, quibus librum meum refellere niteris, omittentes sicut instituimus ea quæ nodos non faciunt quæstionum, quibus soluendis curam non oportet impendere; nec immorando superfluis, ipsa prolixitate operis à laborioso negotio deterrere lectorem. Superiore igitur libro satis egimus, quo rectè iudicantibus appareret, cùm Deus verus & bonus sit hominum conditor, bonæque sint nuptiæ, quas & conditione atque copulatione vtriusque sexus instituit, & fœcunditatis munere benedixit; malum tamen esse *concupiscentiam carnis* qua *concupiscit aduersus spiritum*, eoque malo bene vti pudicitiam coniugalem, meliusque non vti continentiam sanctiorem: quod malum non ex alia substantia quam Deus non condidit (sicut Manichæus insanit) nobis esse permixtum: sed *per inobedientiam vnius hominis* exortum atque traductum, & *per obedientiam vnius* hominis expiandum atque sanandum, cuius obligatione implicat debita pœna nascentem, soluit indebita gratia renascentem. Hoc malum contra me laudando, aduersarius meus videris: sed in te debellando, meus testis es: si autem hoc non debellas, tuus hostis es. Proinde quia primo tuo libro sufficienter me respondisse existimo, quàmuis ibi tota causa finita sit; tamen ne cæteris tribus respondere non potuisse videamur, in eis etiam quam vana dixeris, intuere. Propositis ex meo libro verbis meis exultas, quòd teste Apo-

Lib. 1. de nupt. & conc. c. 3.

stolo dixerim, *donum Dei esse pudicitiam coniugalem*: quasi propterea laudauerit Apostolus malum quod tu laudas, quo *caro concupiscit aduersus spiritum*, quo malo vtitur bene pudicitia coniugalis, sicut iam in libro superiore monstraui. Non itaque paruum donum Dei est, ita frenari hoc malum, vt ad nihil relaxetur illicitum, sed generationi tantum regenerandorum seruiat filiorum. Eius quippe impetus non sua sponte moderatus est. A nullo namque illicito sese abstinet, si membra desiderio eius inseruiant. Ac per hoc eius modus, non in ipso cuius inquietus est motus; sed in refrenante ac bene vtente laudatur. Itaque isto malo cùm benè vtuntur coniugati fideles, à cuius reatu soluti sunt munere saluatoris; profectò quicunque inde nascuntur, eiusdem munere creatoris, non sicut nobis obijcis, *in regnum diaboli præparantur*, sed ab illo potius eruendi & in regnum vnigeniti transferendi renascuntur. Hæc enim est, & esse debet piorum coniugum intentio, vt regenerationi generatio præparetur. Si autem hoc malum quod in seipsis parentes sentiunt; cui malo, vt tuis verbis vtar, *Apostolorum legio repugnauit*, non pertineret ad filios; sine illo vtique nascerentur. Nunc verò quandoquidem cum hoc nascantur, quid miraris, quia propter hoc renascuntur, vt ab eius obligatione soluantur; & aut ex ista vita ab illo liberati rapiantur, aut in ista vita aduersus illud liberi prælientur, victoresque in fine remunerentur? Quis autem nostrum suspicatus est *vsum coniugum à diabolo fuisse repertum*? Quis *commixtionem corporum, per malum prauaricationis* credidit *accidisse*; cum sine his nuptiæ prorsus esse non possent? Sed malum quo benè vtuntur, nullum esset, si nemo peccasset. Quod dixi, mihi obijce, vt purgem. Nam si & quod non dixi, mihi obijcis, quando finimus? Consequens putas esse, *vt munus Dei noceat, si homo cum malo nascitur*. Nemo enim nisi Dei munere nascitur. Audi ergo & intellige, Munus Dei nulli nocet, quo quisque est & viuit: sed concupiscentiæ malum non potest esse, nisi in eo quod est & viuit. Quapropter, potest esse malum in munere Dei, sanandum alio munere Dei. Potest igitur in homine qui munere Dei est, & viuit, malum esse generatione contractum, regeneratione sanandum. Nam vtique nullus infans cum dæmone nasceretur, si non nasceretur; nec ideo mali huius ipsa est causa, quia nascitur. Nascitur ergo munere

Libido, ex se indomita.

Coniugũ piorum quis finis & scopus

Supra libri 3. ca. vltimo.

1. Cor. 7. 7.

Gal. 5. 13.

munere Dei, cum dæmone autem, iudicio Dei sanè occulto, sed nunquid iniusto?

CAPVT II.

IN eo verò quod dixi, *bonum coniugale etiam si non habetur, à Domino esse poscendum*: (quibus vtique, nisi quibus est necessarium?) visus sum tibi dicere, pro concumbendi viribus supplicandum. Sed ego pro ipsa pudicitia coniugali dixi rogandum Deum, in qua est concumbendi non liber vsus, sed licitus modus. Nam homo si concumbere non potest, potius non quærat vxorem, quandoquidem apostolica sententia vbi ait, *Si se non continet, nubat*; remedium voluit esse nuptias (quod & ipse confessus es) contra morbum concupiscentiæ, quod confiteri non vis; qui remedium confiteris. Hoc autem remedium est, non vt sit concupiscentia, si non est; sed vt non rapiat ad illicita, cuius motus infrenis est. Pertinet enim ad hoc quoque petitionis genus, quod in oratione dominica dicimus: *Ne nos inferas in tentationem*: quoniam *vnusquisque tentatur à concupiscentia sua*, sicut ait Apostolus Iacobus. Conuenit huic & quod dicimus, *Libera nos à malo*. Dicunt enim hoc de hac re coniuges, vt interim mente liberi â malo, bene vtantur malo quod habent in carne. *Sciunt enim quia in carne eorum non habitat bonum*, vt omni postea corruptibilitate sanatâ, nullum in eis quo vtantur, remaneat malum. Quid est quòd triumphas tanquam de hoste victo? Internum potius vince quem laudas. Nam victoria de te mea, illo malo tecum pugnante, secura est. Neque enim dicere audebis eum vinci qui verum dicit, ab eo illo, qui falsum dixit. Ego autem concupiscentiam contra quam pugnas, malum dico, tu bonum: sed pugna tua malum fatetur, quod bonum lingua mentitur, augens mendacium alio mendacio, quo affirmas & à me illam dictam bonam. Neque enim *concupiscentiam carnis*, *quam* Ioannes Apostolus dixit *à patre non esse*, ego dicerem bonum: sed bonum dixi pudicitiam esse coniugalem, quæ resistit malo concupiscentiæ, ne ad illicita rapiat cum mouetur. Verùm (sciens quàm inaniter argumentatus fueris, *pulsas* vt dicis *alterum definitionis meæ latus*, & inquis: *Si calor genitalis coniugalis honestatis minister ab immoderatis procursibus, tam studio fidelium, quàm doni virtute retinetur, nec extinguitur per gratiam, sed frenatur; probabilis est in*

Ibidem cap. 3.

1. Cor. 7. 18.

Nuptiæ qualiter remedium concupiscentiæ.

Matt. 6.

Iacob 1. 14.

Rom. 7. 18.

Concupiscentiæ malo.

1. Ioan 2. 16.

est in genere suo & in modo suo, & solis accusatur excessibus. Hæc dicens, non attendis coniugum conuentionem causa generandi, ideo bonum esse laudabile, quia in eo limes præfigitur licitus malo concupiscendi. Cur enim non potiùs, malum vocetur, quod fateris esse frenandum? Cur quæso frenandum, nisi ne noceat? nisi ne ad illicita quæ desiderat relaxetur? Et vtique desiderium mali malum est, etiam si ei non consentiatur, donec cò veniamus vbi nec habeatur. Non igitur quid boni de *concupiscentia carnis* fiat, sed ipsa quid mali faciat, cogitandum est. Nam pudicitia coniugalis inhiantem concupiscentiam, siue de illicito, siue de licito percipere voluptatem; frenat ab illicito, permittit ad licitum: hoc est bonum, non tamen eius, sed bene vtentis bonum est. Quod autem ipsa concupiscentia facit, siue ad licitum siue ad illicitum indifferenter ardescere, vtique malum est. Hoc itaque malo bene vtitur pudicitia coniugalis, melius non vtitur continentia virginalis. *Si posset*, inquis, *calor genitalis malum esse naturaliter, extirpandus erat, non componendus.* Vide quemadmodum noluisti dicere, quod suprà dixeras frenandus, sed maluisti *componendus*. Sensisti enim quòd eum nemo frenaret, nisi cui repugnaret, & ob hoc mutato verbo, timore ipso fassus es malum quod repugnat bono. Appellas etiam *calorem genitalem*, quia pudet appellare libidinem, siue, sicut eam diuinus sermo appellare consueuit, *carnis concupiscentiam*. Sic ergo loquere & dic: Si posset *carnis concupiscentia* mala esse naturaliter, extirpanda erat, non componenda: sic enim possunt qui latinè sciunt, tardiore intelligere quid loquaris. Sed ita hoc dicis, quasi non eam mallent extirpare si possent, omnes qui propterea coniugantur, quia continentiæ laborem quo huic malo resistitur, non ferunt; & ideo malunt eo bene vti, quàm melius omnino non vti. Sed si in *corpore mortis huius* hoc malum necessarium est coniugatis, quia sine illo fieri non potest bonum generationis; continentes extirpent *concupiscentiam carnis*. Tu ipse, tu qui loqueris, nec quid loquaris attendis, extirpa libidinem de membris tuis. Non enim & tibi necessaria est; aut bona sunt eius desideria; quibus si consenseris vel cesseris, interibis. Porrò si malum est in te cui repugnas, quod oppugnas, quod cùm vincis expugnas; hoc malo melius non vteris, quo malo bene vtuntur, in quibus hoc bonum

Libidinis malum.

Concupiscentia extirpanda, potius quam frenanda.

bonum esse contendis; vbi profectò mentiris, aut falleris. Neque enim dicturus es in coniugibus bonum esse libidinem; in sanctis autem, vel virginibus, vel continentibus malum. Iam sententiam tenemus tuam, vbi aisti: *Concupiscentia naturalis qui modum tenet, bono benè vtitur: Qui modum non tenet, bono malè vtitur. Qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, bono melius non vtitur. Confidentia quippe suæ salutis,* inquis, *& roboris, contempsit remedia, vt gloriosa posset exercere certamina.* His verbis tuis sine ambiguitate declaras, *concupiscentiã carnis* esse in vtrisque, id est, & coniugatis & continentibus. Quo enim coniugati benè vtuntur, & continentes melius non vtuntur, bonum tu dicis, ego malum: sed in sanctis virginibus & continentibus, *carnis concupiscentia* malum se esse manifestat, contra quam fateris eos *gloriosa exercere certamina:* proculdubio ergò non bono, sed malo melius non vtuntur. Hoc igitur vtentes coniuges, nec ipsi vtique bono, sed malo benè vtuntur. Proindè tota controversia non remansit (si tamen remansit aliqua) nisi vtrùm in eis qui continentiam Deo voverunt, bonum sit ista de quâ disputamus *concupiscentia carnis*, an malum. Quod enim horum duorum repertum in his fuerit, hoc & in coniugibus apparebit, quoniam hoc illi benè vtuntur, quo isti melius non vtuntur. Collige itaq; totas vires acuti tui cordis, ac liberæ frontis, & aude respondere si potes, hoc bonum esse, cui, sicut libro superiore confessus es, *Apostolorum legio repugnavit*: mihi scilicet exprobans, quòd *tantas* esse dixerim *libidinis vires, vt ei nec Apostolorum legio repugnaverit*: cùm potiùs pro causâ meâ faciat, quia ei malo quod tu bonum dicis, *legio* non qualiumcunq; sanctorum, sed ipsorum quoque *repugnavit Apostolorum*. Cui malo tantùm licere posse, quis crederet, vt sibi laudatorem etiam de suis expugnatoribus provideret? Absit quidem vt antiquorum aliquem vel Apostolorum, vel quorumcunq; sanctorum, mirabiliter tamen, si vei quemquam hæreticorum novorum, qui simul vtrunq; se esse profiteatur inexplicabilibus modis, expugnatorem scilicet defensoremq; libidinis; & conetur ostendere manẽs in hæresi Pelagianâ, & ex animo se laudare, quod ipsum eius animum nisi expugnetur, occidit; & ex animo expugnare quod eius dogma nisi laudetur, absumit. Rogo si est in vobis vllus sensus humanus, nùm potest & malum esse peccatum, & bonum esse desiderare peccatum? Quid autem

Supra lib. 3 cap. 11.

Continentia votum.

Lib. 3. cap. vltimo.

Concupiscentia nihil aliud quàm desideria excitat peccando.

agit in carne sanctorum continentium ista concupiscentia, nisi peccandi desideria; quibus non consentientes *exercent*, vt confiteris, *gloriosa certamina*? Neque enim saltem connubii desiderium in illâ continentiæ professione potest esse non malum. Quid ergò illic agit, vbi malum est quicquid agit; ac si ei consentiatur, & peragit? Quid ibi agit hæc concupiscentia, vbi nihil boni concupiscitur ex illâ? Quid ibi agit libido, vbi nihil boni libebit ex illâ? Non importunè in coniugatis esse dicatur: si enim summum culmen obtinent pudicitiæ coniugalis, faciunt boni aliquid per illam, quàmvis nihil faciant propter illam. In sanctis autē virginibus & continentibus quid agit obsecro te; quid agit tua ista susceptа, quum desipis, adversaria; si sapis, quid agit, vbi nihil boni agit ipsa, nihil boni agitur de ipsâ? Quid agit in eis in quibus quicquid secundùm ipsam concupiscitur, malum est? Quid agit in eis quos cōtra se compellit vigilare atque pugnare; & si quandò ab eis vllum vel in somnis furatur assensum, cum evigilaverint, gemere & inter gemitus dicere, quomodò *impleta est anima mea illusionibus*? Quid *cùm sopitos deludunt somnia sensus*: nescio quomodò etiam castæ animæ in turpes labuntur assensus; quæ si imputaret altissimus, quis viveret castus? Hoc ergò malum quod non dicturus es bonum, nisi adversus omnem veritatis tubam sic obsurdueris, vt clames bonum esse concupiscere malum, quod nec inter surdos dicere audebis. Hoc, inquam, malum cur non extirpatur de continentium carne sanctorum? Cur non totum opere mentis aufertur? Hoc enim dicis *fieri debuisse si malum esset*. Et quia non fit in coniugatis, vbi eius modus est necessarius, ideò putas bonum: quum videas, nec ibi fieri vbi modus eius nullus est necessarius, & inquantum inest nocet, & si non ad perdendum de sorte sanctorum, si non ei consentiatur, tamen ad minuendam spiritalem delectationē sanctarum mentium; illā scilicet de quâ dicit apostolus: *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem*. Hæc delectatio profectò minuitur, quandò & si non ad explendam, certè ad oppugnandam carnalis concupiscentiam voluptatis, bellantis animus occupatur, & ita *exercet gloriosa certamina*, vt à delectatione intelligibilis pulchritudinis ipsis certaminibus avocetur. Sed quia in istâ humanâ miseriâ peior hostis est cavenda superbia, ideò nimirum non penitùs extinguitur in carne continentium

Perfectiores cōiuges, nihil agunt propter cōcupiscentiā.

Allusio Virg. l. 10. Aneid.

Pſal. 37. 8.

Concupiscentiq mala.

Cōcupiscētia lecta perfectionē minuit iustitia.

Rom. 7. 22.

sanc-

sanctorum ista concupiscentia, vt dùm pugnatur adversùs eam, periculorum suorum animus admoneatur, ne securus inflctur, donec humana fragilitas ad tantam perfectionem
1. Cor. 12. 9. perveniat sanitatis, vbi nulla putredo lasciviæ, nullus tumor superbiæ formidetur. Sic *virtus in infirmitate perficitur*, quia & pugnare infirmitatis est. Quantò enim quisque vincit facilius, tantò pugnat minùs. In semetipso autem quis pugnaret, si nihil ex semetipso eidem repugnaret? Et quid nobis repugnat ex nobis, nisi quod adhuc curatur vt sanetur in nobis? Ergò in nobismetipsis sola est infirmitas causa pugnandi: & rursùs infirmitas admonitio est non superbiendi. Proindè *virtus* hic vbi superbiri potest, vt non superbiatur, *in infirmitate perficitur*. Quamobrem hoc malo coniuges benè vtuntur, quo continentes melius non vtuntur; malum igitur est quo coniuges benè vtuntur: & inest coniugibus quo benè vtantur; inest & continentibus quo melius non vtantur. Ideò quippe inest, vt non extollantur. *Solis ergo libidinis excessibus accusatur*, sed ille à quo non refrenatur. Nam ipsa per seipsam rectissimè omninò suis ipsis motibus accusatur, quibus ne excedat obsistitur. Non itaque vt dicis, *nihil ad innocentiam promovet modestia rei per ipsum genus nocentis*. Promovet quippe ad innocentiam non consentire malo: nec ideò illud cui non consentitur, non est malum; immò propterea sine dubitatione malum est, quia non ei consentire bonum est. Quid enim mali faceret qui bonæ concupiscentiæ consentiret; cùm mali nihil faciat, etiam qui opere coniugali, non sine ipsius malo seminat hominem, qui est Dei opus bonum? Nec *confectricem seminum libidinem* dixeris. Ille quippe creat hominis semen, qui hominem ex semine: sed vnde interest. Quia mali huius occulta sunt, & dira contagia: nec ex his hominibus qui malo carent, Deus vel semen vel homines creat; etiamsi quidam ab eiusdem mali noxâ regeneratione soluti sunt, sicut solvendi sunt qui inde nascuntur. Dixi sanè, nec pœnitet, de puditicià coniugali, quæ mea verba posuisti, *quia cum dona Dei esse monstrantur, à quo petenda sunt, discitur si non habentur; & cui agendæ gratiæ, si habentur*. Aguntur enim gratiæ *non de origine*, vt dicis, *concupiscentiæ*, cuius origo est primum malum hominis, *sed de regimine*, quod verum dicis. Vtrunq; enim dicis, vel regimine vel origine. Ideò autem aguntur gratiæ de regimine concupiscentiæ, quia repugnans vincitur. Quod autem repugnat

Concupiscentiam curin continentibus non totam Deus extinguat.

Virtus quomodo in infirmitate perficitur.

Pugnae interna.

Infirmitas sola est in nobis pugnandi causa.

Infirmitas admonitio est cavendæ superbiæ.

Ipsa per seipsam concupiscentia suis ipsis motibus accusatur.

Lib. 1. de nupt. & conc. c. 13.

Lib. 1. de nupt. cap. 3.

Repugnans voluntati bonæ, malum est.

voluntati bonæ, non est bonum, imò malum esse quis neget; nisi qui non habet voluntatis bonum, cui quod repugnat, fateatur malum?

CAPVT III.

Lib. 1. de bap. c. 3.

INterponis alia de libro meo, vbi cùm dixissem *donum Dei pudicitiam esse coniugalem*, & hoc Apostolo teste docuissem, occurrentem deinde quæstionem tacitus nolui præterire quid dicendum sit, cùm videntur etiam nonnulli impij pudicè cum coniugibus vivere. Soletis enim negantes Dei dona esse virtutes quibus rectè vivitur, & eas naturæ voluntatiqúe humanæ, non gratiæ Dei tribuentes, hoc vti argumento, quod eas nonnunquàm habeant infideles: ita conantes evacuare quod dicimus, neminem rectè vivere, nisi ex fide per *Iesum Christum Dominum nostrum, vnum Dei & hominum mediatorem*, vbi vos eius adversarios apertissimè profitemini. Denique longè non eamus, si fortè fallor, ad ista responde. Ego dixi, *pudicum non veraciter dici, qui non propter Deum verum, fidem connubij servat vxori.* Vnde autem id ostenderem: paulò post id adhibui, quod mihi visum est grande documentum. *Cùm enim virtus sit*, inquam, *pudicitia, cui vitium contrarium est impudicitia, omnesq; virtutes etiam quæ per corpus operantur, in animo habitent; quomodò verâ ratione pudicum corpus asseritur, quandò à vero Deo ipse animus fornicatur?* Deinde ne quisquam nostrum negaret animum infidelium fornicari, adhibui testimonium de scripturâ sanctâ, vbi legitur, *Ecce enim qui longè se faciunt à te peribunt; perdidisti omnem qui fornicatur abs te.* Sed tu qui mea, sicut dicis, *quæ mihi videntur acuta persequeris*, hoc totum tanquàm mihi obtusum visum fuerit prætersisti. Vide ergò quid horum negandum arbitreris. Virtutem esse pudicitiam coniugalem, promptissimè confiteris: omnes virtutes etiam quæ per corpus operantur, in animo habitare non negas. Porrò infidelis animum fornicari à Deo potest ille negare, qui se palàm sanctarum scripturarum adversarium profitetur. Ex quibus omnibus hęc summa conficitur, vt aut in animo fornicante pudicitia vera esse possit, (quod cernis quàm sit absurdum:) aut in animo infidelis pudicitia esse non possit, (quàm vis hoc cum assererem, te finxeris surdum.) Non igitur, vt calumniaris *studio vituperãdi substantiam, dona collaudo.* Non enim divinorum donorum

Ibid. c. 4.

Psal. 72. 27

capax

cāpax esset, nisi bona esset humana substantia, cui vitia quoq; ipsa bonitatis perhibent testimonium naturalis. Quid enim aliud in vitio rectè displicet, nisi quia detrahit vel minuit, quod in natura placet? Cùm ergò divinitùs adiuvatur homo, non tantùm ad capessendam perfectionem adiuvatur, quod ipse posuisti, vtiq; volēs intelligi eum per se incipere sine gratia, quod perficit gratia: sed potius quod Apostolus loquitur, vt *qui in vobis bonum opus cœpit, perficiat vsque in finem.* In quo enim vis hominem, sicut loqueris, *ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari*, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari; ac sic priorem dare, vt retribuatur illi; eoq; modo *gratia iam non sit gratia* quia non est gratuita. *Bonam dicis hominum naturam, qua talis gratiæ opitulationem meretur.* Quod gratanter audirem, si hoc propterea quia rationalis natura est, diceres. Neque enim *gratia Dei, per Iesum Christum Dñm nostrum* lapidibus aut lignis pecoribusve præstatur, sed quia imago Dei est, meretur hanc gratiam: non tamē vt eius bona voluntas possit præcedere præter gratiam; ne vel ipsam prior det vt retribuatur illi, ac sic *gratia iam non sit gratia*, dum non datur gratuita, sed redditur debita. Quid est ergò quod secundùm modum vestrum, effectum voluntatis humanæ dona cœlestia me credideras nuncupasse, tanquàm voluntas hominis sine Dei gratiâ moveretur ad bonum, vt ei debitus à Deo retribueretur effectus? Itane oblitus fueras, nos cū scriptura dicere contra vos, *præparatur voluntas à Domino*; vel *quod in nobis Deus operetur & velle*? O ingrati gratiæ Dei, ô inimici gratiæ Christi, & solo vocabulo Christiani! Nònne pro inimicis suis orat Ecclesia? Quid orat? obsecro, si vt eis suæ voluntatis retribuatur precium, quid eis orat, nisi grande supplicium? Quod iam contra eos est, non pro eis. Orat autem pro eis. Non ergò quia est illis voluntas bona, sed vt convertatur in bonam voluntas mala: quoniam *præparatur voluntas à Domino; & Deus est*, vt ait Apostolus, *qui operatur in vobis & velle.* Sed acerbissimi gratiæ huius inimici *exempla* nobis *opponitis impiorum quos dicitis alienos à fide abundare virtutibus, in quibus sine adiutorio gratiæ, solùm est naturæ bonum, licet superstitionibus mancipatum, qui solis libertatis ingenitæ viribus, & misericordes crebrò, & modesti, & casti inveniuntur & sobrij.* Hæc dicens ecce iam & illud quod gratiæ Dei tribueras, abstulisti, ipsum scilicet voluntatis effectū.

Malum seu vitium naturalis est privatio boni.

Phil. 1. 6.

Rom. 11. 35. & 6.

Proverb. 8. in xta 70.

Phil. 2. 13.

Virtutes gentilium.

Non enim aiſti velle eos eſſe miſericordes, modeſtos, & caſtos, & ſobrios, & ideò non eſſe quod nondùm per gratiam fuerint conſecuti, bonæ huius voluntatis effectum: ſed ſi & eſſe voluerunt & ſunt, iam in eis voluntatem & effectum voluntatis invenimus; quid remanſit quod gratiæ reſervemus in tam evidentibus, quibus dixiſti eos abundare virtutibus? Quantò ſatiùs ſi te impiosità laudare delectat, vt non audiés dicentem ſcripturam, *Qui dicit impium iuſtum eſſe, maledictus erit in populo, & odibilis in gentibus*: etiam virtutibus veris eos prædices abundare? Quantò, inquam, ſatiùs hæc ipſa in eis dona Dei eſſe fatereris, ſub cuius occulto iudicio nec iniuſto, alij fatui, alii tardiſſimi ingenij, & ad intelligendum quodammodò plumbei, alii obliviosi, alii acuti memoreſve naſcuntur, alii vtroq; munere præditi, & acutè intelligentes, & tenaciſſimæ memoriæ theſauro cognita recõdẽtes: alii natura lenes, alii leviſſimis cauſis ira facillima ardentes, alii ad vindictæ cupiditatem inter vtroſq; mediocres: alii ſpadones, alii in concubitu ità frigidi, vt vix omninò moveantur; alij libidinoſiſſimi, vt vix omninò teneantur, alij inter vtroſq; & moveri faciles, & teneri: alii timidiſſimi, alii audaciſſimi, alii neutrum: alii hilares, alii triſtes, alii ad nihil horum proclives: nec eorum quæ commemoravi aliquid inſtituto ac propoſito, ſed natura; vndè medici audent iſta tribuere temperationibus corporum. Quod etſi probari, vel nulla exiſtente, vel omni finità quæſtione potuiſſet; nunquid ſibi quiſq; corpus condidit, & hoc eius tribuendum eſt voluntati, quòd mala iſta naturalia magis minùſve perpetitur? Nam prorsùs ea non perpeti cùm hic vivitur, nullo modo, nullâ ratione quiſquam poteſt. Nec tamen ſive maximis, ſive minimis vrgeatur, fas eſt vt dicat ei qui ſe finxit, quàmvis omnipotenti iuſto & bono, *quare ſic me feciſti?* Et de *iugo gravi* quod *eſt ſupra filios* primi *Adam*, nemo liberat niſi ſecundus Adam. Quantò ergò tolerabiliùs illas, quas dicis in impiis eſſe virtutes, divino muneri potiùs, quàm eorum tribueres tantummodò voluntati: licet ipſi hoc neſciant, donec ſi ex illo ſunt prædeſtinatorum numero accipiant *ſpiritum*, qui *ex Deo eſt*, vt ſciant quæ à Deo donata ſunt eis. Sed abſit vt ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit iuſtus. Abſit autem vt ſit iuſtus verè, niſi vivat ex fide: *iuſtus* enim *ex fide vivit*. Quis porrò eorum qui ſe Chriſtianos haberi volunt, niſi ſoli Pelagiani, aut in ipſis etiam fortè

Prov. 24. 24.

Dei iudicio in variis hominum affectionibus & ingeniis.

Eſa. 45. 9. *Rom 9. 20.* *Eccl. 40. 1.*

Vera virtus niſi in iuſto eſſe non poteſt.

1. Ioan. 4. 7.

Rom. 1. 17.

fortè tu solus, iustum dixerit infidelem, iustum dixerit impium, iustum dixerit diabolo mancipatum? Sit licet ille Fabricius, sit licet Fabius, sit licet Scipio, sit licet Regulus, quorum me nominibus, tanquam in antiquâ Romanâ curiâ loqueremur, putasti esse terrendum. Verùm tu in hâc causâ etsi ad scholam Pythagoræ provoces vel Platonis, vbi eruditissimi atque doctissimi viri multò excellentiore cæteris philosophiâ nobilitati veras virtutes non esse dicebant, nisi quæ menti quodam modo imprimuntur á formâ illius æternæ immutabilisq; substantiæ, quod est Deus; etiam illic adversùs te quantum donat, qui nos vocavit, pietatis libertate clamabo: Nec in istis est vera iustitia, quâ *iustus ex fide vivit. Fides ex*
Rom. 10. 17. & 4. *auditu, auditus autem per verbum Christi: finis legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Quomodò sunt verè iusti, quibus vilis est humilitas veri iustis? Quò enim propinquaverunt intelligentiâ, indè superbiâ recesserunt; qua *cognoscentes Deum, non*
Rom. 1. 21. & 22. *sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Quomodò est in eis vera iustitia, in quibus non est vera sapientia? Quam si eis tribuerimus, nihil erit causæ cur eos non ad illud regnum pervenire
Sap. 6. 21. dicamus, de quo scriptum est: *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum.* Ac per hoc *Christus gratis mortuus est*, si homines sine fide Christi ad fidem veram, ad virtutem veram, ad iustitiam veram, ad sapientiam veram, quâcunque
Gal. 2. 21. re aliâ, quâcunque ratione perveniunt. Prorsùs sicut de lege verissimè ait Apostolus, *Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est:* ità verissimè dicitur, Si per naturam voluntatemq; iustitia, *ergò Christus gratis mortuus est.* Si per doctrinas hominum qualiscumq; iustitia, *ergò Christus gratis mortuus est.* Per quod enim vera iustitia, per hoc etiam regnum Dei, Deus namq; ipse, quod absit, erit iniustus, si ad eius regnum verus non admittitur iustus, cùm & ipsum eius reg-
Rom. 14. 17 num iustitia sit, quemadmodùm scriptum est, *Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium.* Porrò si veram iustitiam non habent impii, profectò nec alias virtutes comites eius & socias; quia cùm non ad suum referuntur authorem dona Dei, hoc ipso mali his vtentes efficiuntur iniusti, si quas habent, veras non habent, ac per hoc nec continentia sive
1. Cor. 9. 25 pudicitia vera virtus est impiorum. Tu verò tàm malè accipis, quod ait Apostolus; *Nam qui in agone contendit, ab omnibus*

Si per naturam voluntatemq; iustitia, gratis mortuus est Christus.

continens est, vt continentiam tam magnam virtutem, de quâ scriptum est, *quod nemo esse potest continens, nisi Deus det*: etiam choraulas & huiusce modi turpes infameſque personas habere contendas. Hi enim quandò *in agone decertant, ab omnibus continent, vt corruptibilem coronam accipiant*: à cuius tamen vanâ cupiditate nõ continent. Hæc enim cupiditas vana ac perhoc prava, vincit in eis & frenat alias pravas cupiditates, propter quod dicti sunt continentes. Sed vt graviſſimam faceres iniuriam Scipionibus, continentiam quam in eis tanto eloquio prædicasti, dediſti & hiſtrionibus, ignorans Apoſtolum cùm exhortaretur homines ad virtutem, ſic exemplum de vitioſâ hominum affectione ſumpſiſſe, quemadmodum alio loco ſcriptura, cùm ad amorem ſapientiæ homines hortaretur, *quærendam* dixit eſſe *ſicut pecuniam*: Nunquid propterea ſancta ſcriptura dicenda eſt laudaſſe avaritiam? Sed quia notum eſt, amatores pecuniæ quantis patienter laboribus doloribuſque ſubdantur; à quantis ſe contineant voluptatibus, ſive cupiditate augendi pecuniam, ſive timore minuendi, quanta lucrum ſagacitate ſectentur, & prudẽter damna devitent, quàm timeant plerumque aliena diripere, & aliquandò ſua ſibi ablata contemnant, ne repetendo & litigando plus perdant: rectè admoniti ſumus ſic amare ſapientiam, vt eam nobis theſaurizare avidiſſimè cupiamus, atque vt nobis magis magiſque acquiratur, nec aliquâ ex parte minuatur, & perferamus moleſtias, & libidines refrenemus, & proſpiciamus in poſterum, & innocentiam beneficentiamque ſervemus. Quod cùm facimus, ideò veras virtutes habemus, quia verum eſt propter quod facimus; ideſt, hoc naturæ noſtræ cõſentaneum eſt ad ſalutẽ & veram fœlicitatem. Non enim abſurdè virtus definita eſt, ab eis qui dixerunt: Virtus eſt animi habitus, naturæ modo atq; rationi conſentaneus. Verũ dixerunt ſed quid ſit conſentaneum liberandæ ac beatificandæ naturę mortalium, neſcierunt. Neque enim omnes homines naturali inſtinctu immortales & beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus. Sed hoc ſummum bonum præſtari hominibus non poteſt, niſi per *Chriſtum & hunc crucifixum*, cuius morte mors vincitur, cuius vulneribus natura noſtra ſanatur. Ideoque *iuſtus ex fide Chriſti vivit*. Ex hâc enim fide prudenter, fortiter, temperanter, & iuſtè, ac per hoc his omnibus veris virtutibus rectè ſapienterque vivit, quia fideliter vivit. Si ergò ad conſequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem

Cupiditas cupiditate abâ, vt clavus clavo pellitur.

Sap. 8. 21.

Prov. 3. 14.

Virtutis definitio apud Ciceronem lib. 2. de inventione.

Immortalitatis & beatitudinis appetitus naturalis.

Rom. 1. 17.

fides quæ in Christo est vera promittit, nihil prosunt homini virtutes; nullo modo veræ possunt esse virtutes. An placet tibi vt veras virtutes avarorum esse dicamus, cùm lucrorum vias prudenter excogitant, cùm pro acquirendâ pecuniâ sæva atque aspera multa fortiter tolerant, cùm varias cupiditates quibus sumptuosè vivitur, temperanter sobriè q; castigant, cùm abstinent ab alieno, & de suo sæpè amissa contemnunt, quod videtur ad iustitiam pertinere, ne iurgiis & iudiciis plura consumant? Cùm enim agitur aliquid prudenter, fortiter, temperanter, & iustè, omnibus quatuor virtutibus agitur, quæ secundùm tuam disputationem veræ virtutes sunt; si ad cognoscendum vtrùm veræ sint, hoc tantummodò intuendum quod agitur, nec causa quærenda est cur agatur. Vnde ne tibi videar calumniari, ipsa tua verba iam ponam. *Cunctarum*, inquis, *origo virtutum in rationabili animo sita est, & affectus omnes per quos aut fructuosè, aut sterliter boni sumus, in subiecto sunt mentis nostræ, prudentia, iustitia temperantia, fortitudo. Horum igitur affectuum vis cùm insit omnibus naturaliter*, inquis, *non tamen ad vnum finem in omnibus properat; sed pro iudicio voluntatis, cuius nutui seruiunt, aut ad æterna, aut ad temporalia diriguntur. Quodcùm fit, non in eo quod sunt, non in eo quod agunt, sed in eo solo variant quod merentur. Nec nominis sui igitur*, inquis, *possunt, nec generis sustinere dispendium, sed solius quod appetiverunt præmij, aut amplitudine ditantur, aut exilitate frustrantur.* Hæc vbi didiceris, nescio: iam tamen cernis, vt arbitror, consequens esse, vt vera sit virtus, avarorum prudentia, quâ excogitant genera lucellorum: & avarorum iustitia, quâ gravium damnorum metu facilius sua nonnunquàm contemnunt, quàm vsurpant aliquid alienum: & avarorum temperantia, quâ luxuriæ, quoniam sumptuosa est, cohibent appetitum, soloque necessario victu tegumentoque contenti sunt: & avarorum fortitudo, quâ, vt ait Horatius, *per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes:* quâ denique cognovimus quosdam irruptione barbaricâ, ad ea prodenda quæ habebant, nullis hostium tormentis potuisse compelli. Ergò virtutes istæ tali fine turpes atq; deformes, & ideò nullo modo germanæ veræq; virtutes; tibi tamen ita veræ videntur & pulchræ, vt *nec nominis sui possint, nec generis sustinere dispendium, sed solius quod appetiverunt præmij exilitate frustrentur*, id est terrenorum commodorum fructu, non cœlestium præmiorum. Nec aliud erit quàm

Epist. 1.

Salust in Catil.

vera iustitia Catilinæ, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat: & fortitudo vera erit eius, quod frigus, famem, sitim, ferre poterat: & vera patientia, quod patiens erat inediæ, algoris, vigiliæ, supra quam cuiquam credibile est. Quis hæc sapiat, nisi desipiat? Sed videlicet homo eruditus eorum vitiorum verisimilitudine falleris, quæ finitima videntur & propinqua virtutibus, cùm absint ab eis quàm longè absunt à virtutibus vitia. Nam sicut constantia est virtus, cui contraria est inconstantia: vitium est tamen ei quasi finitimum pertinacia, quæ constantiam videtur imitari. Quo vtinam vitio careas, cùm hæc quæ dico, vera esse cognoveris, ne tibi in errore velut amando constantiam, manendum pertinaciter arbitreris: ita omnibus virtutibus non solùm sunt vitia manifesta discretione contraria, sicut prudentiæ temeritas: verùmetiam vicina quodammodò, non veritate, sed quâdam specie fallente, similia, sicut ipsi prudentiæ non temeritas vel imprudentia, sed astutia: quod tamen vitium est, quàmvis in scripturis sanctis & in bono accipiatur quod dictum est, *Astuti vt serpentes*: & in malo, quòd in paradiso erat serpens prudentissimus omniũ bestiarum. Nec istorũ vitiorũ, quæ finitima virtutibus diximus, possunt omniũ facilè nomina reperiri; Verùm etsi nõ inuenitur quemadmodum nuncupẽtur, cavẽda sunt. Noveris itaq; nõ officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est: finis verò propter quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid vbi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur: Quæ tu non attendens, fines ab officiis separasti, & virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti. Ex quo te tanta absurditas sequitur, vt veram cogaris appellare iustitiam, etiam cuius dominam repereris avaritiam. Siquidem manus abstinere ab alieno, si officium cogites, potest videri esse iustitiæ: Sed cùm quæritur, quare fiat, & respondetur, ne plus pecuniæ litibus pereat: quomodò iam hoc factum veræ poterit esse iustitiæ, cùm serviat avaritiæ? Quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quæ omninò quidquid facerent, propter illam vel adipiscendam facerent, vel tenendam. Absit autem vt virtutes veræ cuiquam serviant, nisi illi vel propter illum cui dicimus, *Deus virtutum converte nos*. Proinde virtutes quæ carnali-

Vitia virtutibus affinia.

Virtutes à vitiis non officiis, sed finibus discernuntur.

Mat. 10. 16
Gen. 3. 1.

Psal. 79. 8.

carnalibus delectationibus, vel quibuſq; commodis & emolumentis temporalibus ſerviunt, veræ prorsùs eſſe non poſſunt: Quæ autem nulli rei ſervire volunt, nec ipſæ veræ ſunt. *Vera virtutes Deo ſervire debent.* Veræ quippe virtutes Deo ſerviunt in hominibus, à quo donantur hominibus: Deo ſerviunt in angelis, à quo donantur & angelis. Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt. Poſſunt ergò aliqua bona fieri, non benè facientibus à quibus fiunt: Bonum eſt enim vt ſubveniatur homini periclitanti, præſertim innocenti: Sed ille qui hoc facit, ſi amando gloriam hominum magis quàm Dei facit, non benè bonum facit: quia non bonus facit quod non bonâ voluntate facit. Abſit enim vt ſit vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis, vel in ſeipsâ, non *in Domino gloriatur.* Nec eſſe fructum eius à quo fit bonum, niſi bonâ factum fuerit voluntate: ſed Dei opus bonum, à quo etiam per malos fit bonum: ac per hoc nec eius fructus iſte dicendus eſt, quandò arbor
Mat. 7.18. mala bonos fructus facere non poſſit. *Arbor* enim *mala bonos fructus non facit*, ſed potius bonum opus eſt illius, qui etiam per malos benè facit. Quapropter dici non poteſt quâtũ te fallat iſta opinio, quâ dixiſti *omnes virtutes affectus eſſe, per quos aut fructuosè, aut ſteriliter boni ſumus.* Fieri enim non poteſt vt ſteriliter boni ſimus, ſed boni non ſumus quidquid ſteriliter ſu-
Ibidem 17. mus. *Arbor* enim *bona bonos fructus facit.* Abſit autem vt Deus
Ibid. 3.10. bonus à quo ſecuris paratur arboribus non facientibus fructũ bonum, excidat & in ignem mittat arbores bonas. Nullomodo igitur homines sũt ſteriliter boni; ſed qui boni non ſũt, poſſunt eſſe alii minus, alii magis mali. Vnde & illi quos cõ-
Rom. 2.14. & 15. memorare voluiſti, *de quibus ait Apoſtolus: Gentes legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui habent opus legis ſcriptum in cordibus ſuis:* *Quæ ſunt apud Apoſtol. gentes naturaliter quæ legis* quid te adiuvent omninò non video. Per hos enim probare conatus es, etiam alienos à fide Chriſti, veram poſſe habere iuſtitiam, eò quòd iſti, teſte Apoſtolo, *naturaliter quæ legis ſunt faciũt, ſunt, faciunt.* Vbi quidem dogma veſtrum quo eſtis inimici
Ioan. 1.29. *gratiæ Dei*, quæ datur *per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui tollit peccatum mundi*, evidentiùs expreſſiſti: introducens hominum genus, quod placere Deo poſſit ſine Chriſti fide, lege naturæ. Hoc eſt vnde vos maximè Chriſtiana deteſtatur Eccleſia. Sed quid vis eſſe iſtos? Vtrùm veras virtutes habent,

& ſteriliter boni ſunt, quia non propter Deum: an etiam Deo ex his placent, atque abillo vita remunerantur æternâ? Si ſteriles dixeris, quid ergò eis prodeſt, quod ſecundùm Apoſtolum *defendent eos cogitationes ſuæ, in die quâ iudicabit Deus occulta hominum?* Si autem qui defendentur cogitationibus ſuis, eò quod naturaliter opera fecerint legis, non ſunt ſteriliter boni, & ob hoc inveniunt æternam mercedem apud Deum, proculdubio propterea iuſti ſunt, quia ex fide vivunt. Nam teſtimonium illud quod ex Apoſtolo poſui: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*: ſicut tibi viſum eſt accepiſti, & expoſuiſti, non vt ſapit, ſed vt ſapis. De cibis enim Apoſtolus loquebatur: verùm cùm dixiſſet: *Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt, quia non ex fide*: hanc peccati ſpeciem de quâ agebat, generali voluit probare ſententiâ, mox inferens; *Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. Sed vt hoc tibi de cibis tantùm intelligendum eſſe concedam: quid de alio dicturus es teſtimonio quod identidem poſui; nec indè aliquid diſputaſti, quia non inveniſti quomodo in tuam poſſes detorquere ſententiam, quod ad Hebræos ſcriptum eſt: *Sine fide enim impoſſibile eſt Deo placere?* Nempe vt hoc diceretur, de totâ vitâ hominis agebatur, in quâ *iuſtus ex fide vivit*: & tamen cùm *ſine fide impoſſibile ſit Deo placere*, tibi virtutes *ſine fide* ſic placent, vt eas veras prædices, eiſq; bonos eſſe homines; & rursùs, quaſi te pœnituerit laudis earum, ſteriles pronunciare non dubites. Iſti ergò qui naturali lege ſunt iuſti, aut placent Deo, & ex fide placent: quia *ſine fide impoſſibile eſt placere*: & ex quâ fide placent niſi ex fide Chriſti, quoniam ſicut legitur in Actibus Apoſtolorum: *In illo Deus definivit fidem omnibus, ſuſcitans eum à mortuis.* Ideòq; dicuntur ſine lege *naturaliter quæ legis ſunt facere*, quia ex gentibus venerunt ad evangelium, non ex circunciſione, cui lex data eſt, propterea *naturaliter*, quia vt crederent, ipſa in eis eſt per Dei gratiam correcta natura, nec per eos potes probare quod vis, etiam infideles veras poſſe habere virtutes, ſunt quippè iſti fideles. Aut ſi fidem non habent Chriſti, profectò nec iuſti ſunt, nec Deo placent, *cui ſine fide placere impoſſibile ſit*. Sed ad hoc *eos in Die iudicij cogitationes ſuæ defendent*, vt tolerabiliùs puniantur; quia *naturaliter quæ legis ſunt vtcunque fecerunt, ſcriptum habentes in cordibus opus legis* hactenùs, vt aliis non facerent quod perpeti nollent: hoc tamen peccantes, quòd homi-

Rom. 2. 15. & 16.

Rom. 14. 23

Ibidem.

Heb. 11. 6.

Act. 17. 31.

nes.

nes sine fide, non ad eum finem ista opera retulerunt ad quē referre debuerunt. Minus enim Fabricius quàm Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus: & minus impius, quàm Catilina, Fabricius non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimum deviando. An fortè & istis qui exhibuerunt terrenæ patriæ Babylonicam dilectionem, & virtute civili, non verâ, sed verisimili dæmonibus, vel humanæ gloriæ servierunt, Fabriciis videlicet, & Regulis, & Fabiis, & Scipionibus, & Camillis, cæterisque talibus, sicut infantibus qui sine baptismate moriuntur, provisuri estis aliquem locum inter damnationem regnumq; cœlorum; vbi non sint in miseria, sed in beatitudine sempiternâ, qui Deo non placuerunt, *cui sine fide placere impossibile est*, quam nec in operibus, nec in cordibus habuerunt? Non opinor perditionem vestram vsq; ad istam posse impudentiam prosilire. *Erunt ergò*, inquis, *in damnatione sempiternâ, in quibus erat vera iustitia?* O vocem impudentia maiore præcipitem: Non erat, inquam, in eis vera iustitia; quia non actibus, sed finibus pensantur officia. Sed facetè ac lepidè homo elegantissimus & vrbanissimus, *Si dicatur*, inquis, *quia castitas infidelium castitas nō est; eádem fronte dicetur, quia corpus Paganorum corpus non sit, & oculi Paganorum sensum non habeant intuendi: & frumenta quæ in paganorum nascuntur agris, frumenta non sint: & multa* inquis, *alia quæ tantæ absurditatis sunt, vt risum possint intelligentibus commovere.* Non planè risum, sed fletum potiùs iptelligentibus vester commovet risus, sicut mentibus amicorum sanorum, fletum cōmovet risus phreneticorum. Itàne aut contra Scripturas sanctas infidelis animum fornicari negas, aut esse in animo fornicante veram castitatem dicis; & rides & sanus es? Vnde quomodò, quâ ratione istud fieri potest? Prorsus nec illa est castitas vera, nec sanitas vestra. Prorsus, inquam, nec vera est castitas animi fornicantis, & vera insania est hominis dicentis hoc dedecus & ridentis. Nos autem absit vt dicamus quòd corpus Paganorum corpus non sit, & cætera huiusmodi. Neque enim est consequens, vt si non est vera virtus quâ gloriatur impius, non sit verum corpus quod operatur Deus. Sed planè possumus dicere hæreticorum frontem non esse frontem, si non membrum quod fecit Deus, significare intelligamur frontis nomine, sed pudorem. Quid si non eo ipso libro meo, cui respondisse te iactas, antè præstruerem, nec

Frontem hæreticorum non esse frontem.

in hâc sententiâ, quâ dicimus, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; etiam illa intelligantur infidelium, quæ dona sunt Dei, sive in animi, sive incorporis bonis. Ibi enim sunt & ista quæ inaniter garris, corpus, & oculi, & membra cætera. In eo genere sunt etiam quæ in agris Paganorum frumenta nascuntur, quorum Deus creator est, non Pagani. An non tu ipse inter cætera etiam ista verba mea posuisti, vbi dixi: *Anima enim & corpus & quæcunque bona animæ & corporis naturaliter insita, etiam in peccatoribus dona Dei sunt, quoniam Deus, non ipsi ista fecerunt? De his autem quæ faciunt dictum est: Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Hanc brevem, sed vtique apertam sententiam meam si mente tenuisses, puto quòd tàm improbus non fuisses, vt nos posse dicere assereres, quia *corpus Paganorum corpus non sit, & oculi Paganorum sensum non habeant intuendi: & frumenta quæ in Paganorum nascuntur agris, frumenta non sint.* Vt enim tibi tanquàm de somno excitato eadem verba mea repetam, quæ tuæ memoriæ fortassis vt hæc diceres, exciderunt, *hæc etiam in peccatoribus dona Dei sunt; quoniam Deus, non ipsi ista fecerunt. De his autem quæ faciunt dictum est: Omne quod non est ex fide, peccatum.* Sed cùm insana dicis & rides, phreneticoes similis. Cùm autem vera quæ dico abs te paulò ante commemorata, & huic ipsi operi tuo quo mihi respondere videris, inserta, sic non attendis, sic obliviscaris, non iam phreneticis, sed lethargicis compararis. *Mirari* te dicis, *quod tàm excellens meum* videlicet, sicut irridenter loqueris, *non vidit ingenium quantum vos in hoc quoque iuverim, quia dixi, aliis peccatis alia peccata vincuntur.* Continuò quippè subditis atque concluditis dicentes: *Per facilè igitur studio sanctitatis, quod Deus adiuvat, potest homo carere peccatis. Si enim vincuntur*, inquis, *peccata peccatis quantò magis possunt virtutibus peccata superari?* Quasi nos negemus adiutoriũ Dei tantũ valere, si velit, vt hodie nulla cõcupiscentias malas habere possimus contra quas vel invictissimè dimicemus: & tamen non fieri, nec tu negas. Cur autem non fiat, *quis cognovit sensum Domini?* Non parùm scio, cùm scio, quæcunque illa causa sit, quòd nec iusti Dei sit iniquitas, nec omnipotentis infirmitas. Est igitur aliquid in eius abdito altoq; consilio, cur quamdiu vivimus in hâc carne mortali, est in nobis contra quod mens dimicet nostra: est etiam propter quod dicamus: *Dimitte nobis debita nostra.* Sed vt tibi sic loquar tanquam homini homo, & talis homo cuius

Lib. 1. de nupt. & conc. cap. 3.

Cur Deus non auferat nobis omnẽ prorsus carnis concupiscentiam.

Rom. 11. 34

Mat. 6. 12

terrena

Sap 9.15. *terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*, nihil est in creaturis, quod attinet ad institutarum divinitùs merita naturarum, rationali mente præstantiùs. Vnde fit consequens, vt mens bona magis sibi placeat, magisque seipsa delectet, quàm quælibet alia creatura. Quàm verò periculosè, imò perniciosè sibi placeat, cùm per hoc tumescit typho, & morbo inflationis extollitur, quàmdiu non videt sicut videbit in fine summum illud & immutabile bonum, in cuius comparatione se spernat, sibiq; illius charitate vilescat, tantoq; spiritu eius impleatur, vt id sibi non ratione solâ, sed æterno quoque amore præponat; multùm est disputando velle monstrare. Sapit hæc qui fatigatus fame revertitur ad semetipsum & dicit: Luc. 15. 18. *Surgam & ibo ad patrem meum.* Vnde itaq; scimus, ne fortè quia hoc superbiæ malum tunc animum tentare non poterit, & contra quod deceremus omninò nullum erit, quando tantâ satiabitur visione, & tantâ inflammabitur charitate superioris boni, vt ad seipsum sibi placendo deficere ab illius dilectione non possit: ideò factum est in loco infirmitatis huius, ne superbè viveremus, vt sub quotidianâ peccatorum remissione vivamus? Propter quod superbiæ malum nec Apostolus Paulus est arbitrio suo creditus: sed quia nondùm venerat ad tantam participationem superioris illius boni, vt illic iam non posset extolli, hic illi est angelus Satanæ colaphizator, ne hic vbi poterat, extolleretur, appositus. Sed sive ista causa sit, sive alia quæ multò ampliùs me latet; tamen quod dubitare non possum, quantùmlibet proficiamus sub hoc onere corruptibilis corporis; *si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Propter quod & *sancta Ecclesia*, etiam in talibus suis membris, vbi *maculam* criminis *& rugam non* habet falsitatis, licet contradicente superbiâ vestrâ, non desinit Deo dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Tu autem quanta arrogantia & de vestræ præsumptione virtutis dixeris, *Per facile igitur studio sanctitatis, quod Deus adiuuat, potest homo carere peccatis:* ille non agnoscit, qui dogmata vestra non novit. Nam & studium sanctitatis sine adiutorio Dei vultis in hominis voluntate præcedere, quòd meritò Deus debeat adiuvare, non gratis: & sic creditis hominem in hâc grumnosâ vitâ posse carere peccatis, vt non in se habeat quare dicat: Dimitte nobis debita nostra. Quàmvis aliquantò timidiùs id posuisse videaris, quia non dixisti, potest omnibus carere pec-

Nulla creatura sic sibi placet, sequè ipsa delectat vt mēs bona.

1. Cor. 12. 7

Superbia periculum.

1. Ioan. 1. 8.

Eph. 5. 27.

Mat. 6. 12.

peccatis. Verùm nec quibuſdam dicere voluiſti, ſed tanquam tibiipſe de nimiâ veſtrâ præſumptione erubueris, ita ſententiam temperaſti, vt & veſtra & noſtra poſſet voce defendi. Nam ſi apud Pelagianos diſcutiatur, reſpondebitur ideò non dictum quibuſdam, quia omnibus peccatis hominem carere poſſe dixiſti. Si autē apud nos; & hic reſpondebitur, ideò non dictum omnibus, quoniam quemlibet hominem volueris intelligi, pro quibuſdam peccatis neceſſe habere veniam poſtulare: ſed qui ſcimus quid ſentiatis, neſcire non poſſumus, quomodo iſta dicatis. *Si gentilis*, inquis, *nudum operuerit, nunquid quia non eſt ex fide, peccatum eſt?* Prorsùs inquantùm non eſt ex fide, peccatum eſt; non quia per ſeipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum eſt: ſed de tali opere non *in Domino gloriari*, ſolus impius negat eſſe peccatum. Quod vt intelligas, quamvis iam ſatis inde fuerit diſputatum, tamen quia magna res eſt, adhuc pauliſper auſculta. Ecce eadem commemoro quæ ipſe poſuiſti: *Si gentilis* qui non vivit ex fide, *nudum operuerit, periclitantem liberaverit, ægri vulnera foverit, divitias honeſta amicitiæ impenderit, ad teſtimonium falſum nec tormentis poterit impelli*, quæro abs te, vtrùm hæc opera bona benè faciat, an malè? Si enim quamvis bona, malè tamen facit, negare non potes eum peccare, qui malè quodlibet facit. Sed quia eum non vis cùm facit iſta peccare, profectò dicturus es, & bona facit, & benè. Fructus ergò bonos facit arbor mala, quod fieri non poſſe veritas dicit. Noli præcipitare ſententiam, diligenter conſidera quid te reſpondere conveniat: An dicis hominem infidelem arborem bonam? Placet ergo Deo: Neq; enim bono poteſt non placere quod bonum eſt. Et vbi erit quod ſcriptum eſt: *Sine fide impoſſibile eſt Deo placere?* An reſpondebis, non inquantùm infidelis eſt; ſed inquantùm homo eſt, arbor bona eſt? De quo ergò Dominus ait: *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere*: quandoquidem quicunq; erit, aut homo, aut angelus erit. Sed ſi homo, inquantùm homo eſt, arbor bona eſt; profectò & angelus inquantùm angelus, arbor bona eſt. Hæc enim Dei ſunt opera, qui naturarum conditor eſt bonarum: ac per hoc nulla erit *arbor mala*, de quâ dictum eſt, quod *non poſſit facere fructus bonos*. Quis infidelis ita infideliter ſapiat? Non itaque inquantùm homo eſt, quod eſt opus Dei; ſed inquantùm malæ voluntatis eſt, quiſq; *arbor mala eſt, & bonos fructus facere non poteſt*. Vide itaque vtrùm in-

Matt. 7. 18.

Occupatio.

Hebr. 11. 6.

Matt. 7. 18.

Arbor quatenus bona vel mala.

infidelem voluntatem, audeas bonam dicere voluntatem. Occupatio.
Sed fortè dicturus es: Misericors voluntas bona est. Rectè
Gal. 5. 6. illud diceretur, si quemadmodum fides Christi, id est, *fides quæ per dilectionem operatur*, semper est bona, ita misericordia semper esset bona. Si autem reperitur & misericordia mala, Non omnis misericordia bona.
1. Reg. 15. 23. & 9. quâ personâ pauperis accipitur in iudicio: propter quam postremò rex Saul meruit à Domino vtique misericorde damnari, quia contra eius præceptum captivo regi per humanum pepercit effectum: attentius cogita, ne fortè misericordia bona non sit, nisi quæ huius bonæ fidei fuerit. Imò respondè vt hoc sine dubitatione perspicias, vtrum bonam misericordiam existimes infidelem. Porrò si vitium est malè misereri, proculdubio vitium est infideliter misereri. Quod si & ipsa per seipsam naturali compassione opus est bonum; etiam isto bono malè vtitur qui infideliter vtitur, & hoc bonum malè facit, qui infideliter facit: qui autem malè facit aliquid, profectò peccat. Ex quo colligitur, etiã ipsa bona opera quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui bene vtitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus & bona malefaciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stultâ & noxiâ faciunt voluntate. Qualis voluntas nullo Christiano dubitante *arbor* est *mala*, quæ facere non potest nisi fructus
Rom. 14. 23. malos, id est, sola peccata. *Omne* enim, velis nolis, *quod non est ex fide, peccatum est.* Et ideò Deus istas arbores non potest diligere, & si tales permanserint, disponit excidere, quia *sine fide impossibile est placere.* Sed ita hic immoror, quasi istas arbores non iam tu ipse steriles pronunciaveris. Quomodò igitur obsecro non aut iocaris in his disputationibus, aut deliras qui sterilium fructus arborum laudas? Qui vtique aut nulli sunt, aut si mali sunt, laudandi non sunt: aut si fructus boni sunt, profectò steriles arbores non sunt, imò & bonæ sunt, quarum fructus boni sunt, & debent Deo placere, cui bonæ arbores non possunt nisi placere, falsumque erit, quod scrip- Occupatio.
Heb. 11. 6. tum est: *Sine fide impossibile est Deo placere.* Sed respondsurus es, quid nisi vana? *Ego*, inquis, *steriliter bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt, non ab eo vitam consequuntur æternam.* Iustus ergò Deus & bonus, bonos est in morte missurus æternam? Piget iam dicere quàm multa te sequantur insana, talia sentientem, talia dicentem, talia scribentem, in talibus me quòd similiter non desipiam velut censorie re-

prehendentem. Sed breviter accipe, ne fortè cùm in rebus ipsis tantùm erres quantùm errari plurimum potest, videar tecum certare de verbis. Aut ergò intellige quod ait Dominus; *Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit: si autem oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit:* Mat. 6. 23. & hunc oculum agnosce intentionem, quâ facit quisque quod & 22. facit: & per hoc disce eum, qui non facit opera bona intentione *fidei* bonæ, hoc est, eius *quæ per dilectionem operatur*, totum quasi corpus quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum. Aut certè quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere: scito nos illud bonum hominum, dicere illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine *Dei gratia*, quæ datur per *vnum mediatorem Dei & hominum*, nemini posse conferri; per quod solùm homo potest ad æternum Dei donum regnumq; perduci. Omnia proinde cætera quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & sine vllo facta peccato. Quod ad me pertinet, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona. Voluntas quippe infidelis atque impia non est bona. Dicantur secundùm te huiusmodi voluntates arbores bonæ, sufficit quòd apud Deum steriles sunt, ac per hoc non bonæ. Sint inter homines fructuosæ, inter quos sunt & bonæ, te authore, te laudatore, si vis etiam plantatore: dùm tamen illud velis nolis obtineam, quòd amor mundi, quo quisq; amicus est huius mundi, non est à Deo: amorq; fruendi quibuscunq; creaturis sine amore creatoris, non est à Deo. Amor autem Dei quo pervenitur ad Deum, non est nisi à Deo patre per Iesum Christum cum spiritu sancto. Per hunc amorem creatoris, bene quisque vtitur etiam creaturis. Sine hoc amore creatoris, nullus quisquam bene vtitur creaturis. Hoc ergò amore opus est, vt bonum beatificum sit & pudicitia coniugalis, vt sit eius intentio quando vtitur coniugis carne, non in voluptate libidinis, sed in voluntate propaginis. Si autē vicerit, & propter seipsam non propter filios propagandos fieri aliquid extorserit, & voluptas veniale peccatum sit propter nuptias Christianas.

Oculus intentio est operantis.

Sine amore creatoris nemo bene vtitur creaturis.

Bonum beatificum.

CAP.

CAPVT IIII.

NOn autem dixi, quod interpositis aliis ex libro meo verbis me dixisse dixisti, *ideo filios esse sub diaboli potestate, quia de corporum commixtione nascuntur.* Aliud est enim dicere, de corporum commixtione nascuntur: aliud *quia de corporum commixtione nascuntur.* Non autem ibi causa mali est, quia de corporum commixtione nascuntur. Neque enim etiamsi natura humana primorum hominum peccato vitiata non esset, possent filii nisi de corporum commixtione generari. Sed ideò sub diaboli potestate sunt, qui de corporum commixtione nascuntur, antequam per spiritum renascantur; quia per illam Gal. 5. 17. nascuntur concupiscentiam, quâ *caro concupiscit adversus spiritũ*, & adversum se cogit concupiscere spiritum. Quæ pugna boni & mali nulla esset si nemo peccasset. Sicut autem ante hominis iniquitatem nulla erat, ità post infirmitatem nulla erit.

Etiam in paradiso ad filiorũ procreationem, corporum fuisset necessaria commixtio.

CAPVT V.

SEd alia rursùs mea verba proponis, & copiosissimè disputas: *Quoniam ex imparibus bonis compositi sumus, animum corpori debere dominari. Quorum alterum nobis cum diis, alterum cum belvis commemoras esse commune. Et ideo id quod est melius, id est, animum virtute præditum* dicis *& membris corporis bene & cupiditatibus imperare.* Nec consideras, quod cupiditatibus non sic imperatur vt membris. Cupiditates enim malæ sunt, quas ratione frenamus, contra quas mente pugnamus. Membra verò bona sunt, quæ voluntatis movemus arbitrio; exceptis genitalibus, quàmvis & ipsa ex Dei opere bona sint. Quæ ideò pudenda dicuntur, quia plus in eis movendis potestatis habet libido, quàm ratio. Quæ tamen nõn sinimus perpetrare quò provocat ipsa commotio, cùm membra cætera facili teneamus imperio. Quando autem malè vtitur homo membris bonis, nisi quando consentit eis, quæ in nobis habitant cupiditatibus malis? In quibus libido præ cæteris turpis est, cui nisi resistatur, horrenda immunda committit. Quo malò bene non vtitur, nisi sola pudicitia coniugalis. Hæc autem libido ideo malum non est in belvis, quoniam non repugnat rationi

Salust. in prologo Catil.

Cupiditatibus non sic imperamus membris.

Pudenda vnde dicta.

Libido cur in belvis vitiũ non sit

qua carent. Cur autem non creditis, hominibus in paradiso constitutis ante peccatum, diuinitùs potuisse concedi, vt tranquilla motione & coniunctione vel commixtione membrorum sine vllâ libidine filios procrearent: aut in eis saltem libido talis esset, cuius motus nec præcederet, nec excederet voluntatem? An vobis libido parum est quia placet, nisi & talis placeat, quæ nolentes etiam repugnantesque soliciteț? De quâ Pelagiani quidem etiam litibus gloriantur tanquam de aliquo bono, sed eam sancti gemitibus confitentur, vt liberentur à malo.

CAPVT VI.

RIdendâ contrarietate me dixisse calumniaris, *alios reos ex bono, alios sanctos ex malo opere*: quoniam dixi *nuptiarum bonum homines infideles infideliter vtendo, in malum peccatumque conuertere: eoque modo concupiscentia malam conuertere fidelium nuptias in vsum iustitiæ*. Ac per hoc non dixi alios reos ex opere bono, sed ex opere malo, quo malè vtuntur bonis? nec alios sanctos ex opere malo, sed ex opere bono, quo bene vtuntur malis. Si non vis intelligere, aut si te fingis non intelligere, noli obstrepere volentibus & valentibus intelligere.

CAPVT VII.

SI *aliquis malus condi posset*, inquis, *nunquam in bonum ablutione transiret*. Eo modo diceres corpus quod mortale conditum est, fieri immortale non posse: & tamen vt illud, ita & hoc falsum diceres. Non enim Deus malum condidit, cùm hominem condidit; sed bonum quod ipse condidit, malum trahit ex peccato, quod ipse non condidit: & sanat hoc malum quod ipse non condidit, in bono quod condidit. Cùm autem nos non dicamus *dæmones instituisse connubium, nec seminalem sexus vtriusque mixtionem, nec diabolicum opus esse causa generandi concubitum coniugum*; quoniam hæc omnia Deus instituit, & possent esse sine concupiscentiæ malo, si vulnus prævaricationis vnde sequeretur discordia carnis & spiritus, inflictum non fuisset à diabolo: nonne te respicis, & de tuâ garrulâ loquacitate, quâ inania fabulatus es, erubescis, *quod* scilicet *deprehendant dæmones in concubitu coniugatos, & tanquam in*

suo

suâ operatione deprehensos, non sinant generare filios regeneratione liberandos. Quasi diabolus si quod vellet faceret, non ipsos maiores impios adhuc in eiusdem diaboli positos potestate quando cognosceret disponere fieri Christianos, continuò suffocaret. Non est ergò consequens, vt parentibus regenerandos generantibus, & propter hoc concumbentibus, dæmones minaciter ac terribiliter contradicant, sicut tibi ipse confingis: quia per vulnus à diabolo inflictum, in quo claudicat genus humanum, aliquid creante Deo gignitur, quod ex Adam transferatur ad Christum: cum legio dæmonum nec porcos in potestate habere potuerit, nisi petentibus permitteret Christus: & noverit etiam de ipsis quas eum facere permittit, diaboli persecutionibus coronas suscitare martyribus, vtens benè omni genere malorum ad vtilitatem bonorum. Sed in illis quoque coniugibus, qui filiorum regenerationē, vel non cogitant, vel etiam detestantur, bonum est opus nuptiarum, generandi causa commixtio legitima sexuum, cuius operis fructus est ordinata susceptio filiorum: quamvis eo bono malè vtantur, & in eo peccent, quod de impiâ vel propagandâ vel propagatâ prole gloriantur. Homines enim quâlibet peccati contagione vel perpetratione polluti, inquantum homines sunt, bonum sunt; & ideò bonum est vt nascantur, quia bonum sunt. Nec tamen *vt gignant, ideò adulteria vel quæque stupra facienda sunt*, ad quam nos absurditatem putas posse compelli, quia nuptias de malo libidinis, bonum prolis dicimus operari. Sed nullo modo ex hâc nostrâ verâ rectâque sententiâ illud perversum falsumque conficitur. Neque enim quia Dominus ait; *Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis*; ideò adhuc addere iniquitatem debemus, & furta rapinasque committere, vt plures pauperes sanctos misericordiâ largiore pascamus. Sicut ergò *de mammonâ iniquitatis faciendi sunt amici, qui recipiant in tabernacula æterna*: ita coniugibus de plagâ peccati originalis gignendi sunt filij, qui in vitam regenerentur æternam. Et quemadmodum furta, fraudes, depræda tiones adiiciendæ non sunt, vt per iniquitates auctâ pecuniâ plures amici iusti inopes comparentur: sic adulteria, stupra, fornicationes, malo cum quo nati sumus, addenda non sunt, vndè filij numerosiore stirpe nascantur. Aliud quippe est malo benè vti, quod iam inerat:

Diabolus nihil potest, nisi quatenus Deus dat potestatem.

Mat. 8.31.

Luc. 16.9.

& aliud est malum perpetrare, quod non erat. Illud enim est de malo tracto ex parentibus voluntarium bonum facere: hoc verò malum à parentibus tractum aliis malis iam propriis & voluntariis aggerare. Sanè interest, quod *mammona iniquitatis* cum laude indigentibus erogatur: carnalis autem concupiscentia laudabilius continentiæ virtute frenatur, quàm fructibus impenditur nuptiarum. Tam magnum est enim malum eius, vt eo non vti, quàm benè vti sit melius.

Concupiscentia quàm malum.

CAPVT VIII.

ALia deindè mea verba proponis, & multùm adversus ea nihil dicis, replicans quædam quæ superiore disputatione consumpta sunt. Quæ si & ego repetere velim, quis erit finis? Inter quæ dicis etiam illud vestrum contra Christi gratiam, sæpe à vobis inaniter dictum: *quod* scilicet *appellatione gratiæ, bonos fieri homines fatali necessitate dicamus*; cum vobis ora obstruant, & linguas premant, qui loqui nondum valent. Cum enim loquacissimè laboretis astruere ac persuadere, quod Pelagius in Palestinorum episcoporum cognitione damnavit, *gratiam Dei secundum merita nostra dari*, nulla tamen merita potestis asserere parvulorum, per quæ discernantur, qui eorum in Dei filios adoptantur, ab eis qui sine huius gratiæ consequutione moriuntur. Calumniaris me dicere, *nihil studij expectari ab humanâ voluntate debere, contra illud evangelicum quo ait* Dominus, *Petite, & accipietis: Quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Ibi enim vos, vt video, ponere iam cœpistis merita gratiâ præcedentia, quod est petere, quærere, pulsare, vt his meritis debita illa reddatur, ac sic gratia inaniter nũcupetur; tanquã gratia nulla præcesserit, & cor tetigerit, vt beatificũ bonũ peteretur à Deo, vt quæreretur Deus, vt pulsaretur ad Deũ: fruſtraq; sit scriptũ: *Misericordia eius præveniet me.* Fruſtra etiam nos pro inimicis nostris iubeat orare, si non est aversa, & adversa corda convertere. Sed ponis apostolicum testimonium, *& ab eo* dicis *pulsantibus aperire, qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire*: vt videlicet intelligamus docentibus vobis, ideo non *omnes salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire*, quia ipsi nolunt petere, cum Deus velit dare: nolunt quærere, cum Deus velit ostendere: nolunt pulsare

Mat. 7. 7. & 8.

Psal. 58. 11.

Mat. 5. 44.

1. Tim. 2. 4.

pulsare, cùm Deus velit aperire. Sed hunc sensum vestrum infantes illi ipsâ suâ taciturnitate convincunt, qui nec petunt, nec quærunt, nec pulsant; imò etiam cùm baptizantur, reclamant, respuunt, reluctantur; & accipiunt tamen & inveniunt, & aperitur eis, & intrant in regnum Dei, vbi sit eis æternitatis salus & *agnitio veritatis*; longè pluribus infantibus in istam gratiam non adoptatis ab eo, *qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Quibus dicere non potest, *Mat. 23.37* volui, & noluistis, quia si voluisset, quis eorum qui nondùm habent voluntatis suæ arbitrium, voluntati eius omnipotentissimæ restitisset? Cur ergò non sic accipimus quod dictum est, *Qui omnes vult homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire:* quomodo & illud accipimus, quod idem dixit *Rom. 5. 18.* Apostolus, *Per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ?* Hos enim *omnes vult Deus salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire,* in quos omnes per vnius iustificationem gratia pervenit ad iustificationem vitæ, ne dicatur nobis, *Si Deus vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire,* sed ideò non veniunt, quia ipsi nolunt: cur tot millia parvulorum, qui non percepto baptismate moriuntur, non veniunt in regnum Dei, vbi certa est *agnitio veritatis?* Nunquid aut homines non sunt, vt non pertinent ad id quod dictum est, *omnes homines?* Aut aliquis poterit dicere, Deus quidem vult, sed ipsi nolunt, qui nondùm velle seu nolle ista noverunt; quandò nec ii, qui parvuli baptizantur, atque moriuntur, & per illam gratiam *ad agnitionem veritatis* quæ in regno Dei est certissima, veniũt, ideò veniunt, quia ipsi renovari Christi baptismate voluerũt? Cùm ergò nec illi propterea non baptizentur, quia noluerũt; nec isti propterea baptizentur, quia volunt; cur *Deus qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire,* tam multos in regnum suum, vbi est certa *veritatis agnitio,* qui nullo ei resistunt voluntatis arbitrio, patitur non venire? Nisi fortè dicturus es, ideò parvulos non in eorum numero deputandos, quos Deus *omnes vult salvos fieri,* quia eâ salute, quæ hic intelligenda est, salvi sunt ipsi, nihil trahentes omninò peccati. Atque ità intolerabilior sequetur absurditas. Isto enim modo benevolentiorem facis Deum omnibus impiissimis & sceleratissimis hominibus, quàm innocentissimis & purissimis ab omni labe peccati. Quandoquidem illos, quia *vult* eos *omnes salvos fieri,* vult etiam intrare in regnum suum.

Quomodo velit Deus omnes salvos fieri.

Occupatio.

Hoc

Hoc est enim illis consequens si salvi fuerint: sed qui nolunt, ipsi sibi obsunt. Immensum verò numerum parvulorum, qui sine baptismate moriuntur, suo regno adiici non vult, quos neque vlla peccata, sicut putatis, impediunt; & quod nullus ambigit, eius resistere voluntati contraria voluntate non possunt. Sic fit, vt esse Christianos omnes velit, quorum multi nolunt: non omnes velit, quorum est nemo qui nolit. Quod abhorret à vero. *Novit Dominus qui sunt eius*: & in eorum salute atque in suum regnum introductione certa est voluntas eius. Sic ergò debet intelligi quod dictum est: *Omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire*, quemadmodum intelligitur quod dictum est: *Per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ*. Quod Apostolicum testimonium si eo modo intelligendum putas, vt dicas *omnes* positos esse pro multis, qui iustificantur in Christo, multi quippè alij nō vivificātur in Christo: respōdebitur tibi; sic etiā illic vbi dictū est, *omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionē veritatis venire: omnes* positos esse pro multis, quos ad istā gratiā vult venire. Quod multò cōveniētiùs propter hoc intelligitur dictū, quia nemo venit, nisi quē venire ipse voluerit. *Nemo potest venire ad me*, inquit filius, *nisi pater, qui misit me, traxerit eum*. Et, *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo*. Omnes ergò qui salvi fiunt, & in agnitionem veniunt veritatis, eo volente salvi fiunt, eo volente veniunt. Quia etsi nondùm sicut parvuli vtuntur voluntatis arbitrio, eo volente regenerantur, quo creante generantur. Et qui iam vtuntur voluntatis arbitrio, nisi eo volente ac subveniente *à quo præparatur voluntas*, velle non possunt. Vbi si dixeris mihi: Cur ergò non convertit omnium nolentium voluntates? Respondebo: Cur non omnes morituros adoptat *lavacro regenerationis* infantes, quorum adhuc nullas, & ideò nec contrarias invenit voluntates? Si hoc profundiùs esse perspicis, quàm vt abs te valeat inveniri, vtrunque vtrique nostrum profundum sit, cur & in maioribus & in minoribus Deus velit alteri, & nolit alteri subvenire: dum tamen certum & immobile teneamus, *non esse iniquitatem apud Deum*, qua quenquam sine malis meritis damnet: & esse bonitatem apud Deū, qua multos sine bonis meritis liberet: demonstrans in eis quos damnat quid omnibus debeatur: vt hinc discant quos liberat, quæ sibi pœna debita relaxetur, & quæ indebita gratia condonetur. Hæc vt Christianis cordibus convenit cogitare nec-

Occupatio. 1. Tim. 2. 19.

Occupatio. 1. Tim. 2. 4. Rom. 5. 18.

Ioan. 6. 44. & 66.

Occupatio. Prov. 8. iuxta 70.

Rom. 9. 14.

citis, & vos potiùs secundùm vestram sententiam *fato ista* dicitis *fieri*. Vestra quippe non nostra sententia est, *fato fieri quod merito non fit*. Et ne secundum istam definitionem fato fiant hominibus, si meritis non fiant, quæcunq; fiunt, ideò merita vel bona vel mala quantum potestis, asseritis, ne fatum sit consequens, si merita negaretis. Ac per hoc dicitur vobis, si ea quæ nullis meritis præstantur hominibus, fato fieri iam necesse est, & ideò merita astruenda sunt, ne fatum sit consequens: si merita non sunt, fato baptizantur, fato intrant in regnum Dei parvuli, quorum bona merita nulla sunt. Et rursus fato non baptizãtur, fato non intrãt in regnũ Dei parvuli, quorũ mala merita nulla sunt. Ecce pusilli qui fari nequeunt, vos potiùs assertores fati esse cõvincunt. Nos autẽ cùm vitiatæ originis mala merita esse dicamus, gratia dicimus intrare parvulum in regnũ Dei, quoniã bonus est Deus: & aliũ meritò nõ intrare quoniã iustus est Deus: & in neutro esse fatũ; quoniam quod vult facit Deus. Sed cũ sciamus ab eo, *cui misericordiam & iudiciũ* fideli voce *cantamus*, istum secundùm iudiciũ damnari, illum secundùm misericordiam liberari: cur istum potiùs, quàm illum damnet aut liberet, *nos qui sumus qui respondeamus Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se fixit, quare me sic feciſti? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa* originis vitiatæ atque damnatæ *facere aliud vas in honorem* secundum misericordiam, *& aliud in contumeliam* secundum iudicium? Ideò non vtrumque *in honorem*, ne hoc meruisse se existimet tanquàm inculpata natura: ideo non vtrumque *in contumeliam, vt iudicio superexultet misericordia*. Ac per hoc nec damnatus ex debito, de supplicio iustè quæritur; nec liberatus gratis, de merito superbè gloriatur; sed potiùs humiliter gratias agit, quando in illo à quo debitum exigitur, quid in eãdem causâ sibi donetur agnoscit. Asseris me in alio libro meo dixisse, *negari liberum arbitrium, si gratia commendetur: & iterùm negari gratiam, si liberum commendetur arbitrium*. Calumniaris. Non hoc à me dictum est, sed propter ipsius quæstionis difficultatem videri hoc potest dictum esse & putari. Non est multum vt ipsa verba mea ponam, vnde videant qui hæc legunt, quemadmodũ scriptis meis insidieris, & quâ conscientiâ, vel tardis, vel ignaris cordibus abutaris, vt ideò te existiment respondere, quia non vis tacere. In novissimis enim partibus primi libri mei ad Sanctum Pinianum, cuius est titulus, de gratiâ Dei contrà Pelagium: *Ista, inquam, quæstio vbi de arbitrio voluntatis, & Dei*

Fato fieri quod merito non fit, Pelagianorum est sententia.

Psal. 100. 1.

Rom. 9. 20. & 21.

Iacob. 13.

gratia disputatur, ità est ad discernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei *gratia videatur: quando autem asseritur* Dei *gratia, liberum arbitrium putetur auferri, & cætera.* Tu autem vir honestus & verax, abstuliſti verba quæ dixi, & dixiſti quod ipſe finxiſti. Ego enim dixi, *iſtam quæſtionem ad diſcernendum eſſe difficilem*, non autem dixi non poſſe diſcerni. Multò minùs ergò dicerem, quod me dixiſſe mentiris, *negari liberum arbitrium, ſi gratia commendetur, & negari gratiam, ſi liberum commendetur arbitrium.* Redde verba mea, & vaneſcet calumnia tua. Repone ſuis locis, vbi dixi, *videatur*: vbi dixi, *putetur*: vt appareat de re tantâ quibus abs te fraudibus diſputetur. Non dixi *negari gratiam*, ſed *vt negari gratia videatur.* Non dixi *negari arbitrium liberum, vel auferri*, ſed dixi, *vt putetur auferri.* Et promittis *cùm libri ipſi ventilari cœperint, quod abs te illa ſententiarum mearum & nudabitur & confodietur impietas.* Quis non expectet ſapientiam differentis, qui fidem cognoverit mentientis? Quid eſt autem quod loqueris *nihil pertinere ad laudem gratiæ ſi id donet ſuis, quod peccata impijs largiuntur?* Propter pudicitiam ſcilicet coniugalem, quam tibi habere videntur & impij. Homo contentioſe, virtus donatur vera per gratiam, non quæ vocatur, & non eſt. Vt quid autem pudicitiam & virginitatem quaſi eiuſdem generis iungis? Pudicitia eſt res animi, virginitas corporis. Denique illa integra in animo permanente, poteſt iſta de corpore violenter auferri. Et cùm iſta integra manet corpori, poteſt illa in animo laſcivia voluntate corrumpi. Propter quod ego non dixi verum coniugium, ſive viduitas, ſive virginitas; ſed *vera pudicitia, ſive coniugalis, ſive vidualis, ſive virginalis, dicenda non eſt, niſi quæ veræ fidei mancipatur.* Coniuges enim & viduæ & virgines poſſunt eſſe, & pudicæ non eſſe, ſi contaminatâ voluntate mœchantur, ſi ſpiritu impuro ſtupra perpetranda decernunt. in quibus tamen veram pudicitiam dicis eſſe, etiam ſi animo fornicentur, quod facere omnes impios eloquia divina teſtantur. Quis autem noſtrum dicit coniugalium membrorum malum eſſe cõſertum, in quo nuptiæ benè vtuntur ad propagandos filios concupiſcentiæ malo? Quæ concupiſcentia malum non eſſet, ſi ſola generandi cauſa ad licitum concubitum moveretur. Nunc verò cùm ei reſiſtit coniugalis pudicitia, limes eſt mali, & ideò bonum eſt. Vnde non *crimen eius* (ſicut calumniando loqueris) *impunitũ fit per religionem*, quia nullius eſt criminis quandò per fidei bonum bènè vtitur libidinis malo. Neque

Pudicitia & virginitatis diſcrimen.

Lib. 1 de nup. & conc. c. 4.

Rom. 3. 8. hîc dici potest vt putas, *Faciamus mala vt veniant bona*: quia ex nullâ sui parte malum sunt nuptiæ. Non enim earum malum est, quod in hominibus quos parentes gignunt, non fecerunt, sed invenerunt. In primis autem coniugibus, qui ex nullis parentibus nati sunt, per peccatum accidit carnalis concupiscentiæ discordiosum malum, quo nuptiæ benè vterentur; non per ipsas nuptias, vndè meritò damnarentur. Quid ergò quæris, *vtrùm in coniugibus Christianis conventuum voluptatem, pudicitiam, an impudicitiam nominem?* Ecce respondeo, non ipsa nominatur pudicitia, sed eius mali vsus bonus; quo vsu bono fit, vt illud malũ nec impudicitia dici possit. Impudicitia est enim eiusdem mali vsus flagitiosus: sicut pudicitia virginalis eiusdem mali vsus nullus. Salvâ igitur pudicitiâ coniugali, malum de malo nascendo trahitur, quod renascendo purgatur. *Sed si propter hoc*, inquis, *libidinis malum etiam de coniugibus Christianis proles criminosa profertur, sequitur vt pudicitia virginalis sit fœlicitatis illatrix. Et quia in impiis invenitur*, inquis, *antecellunt infideles pudicitiæ virtute sublimes, Christianis libidinis tabe pollutis.* Non est ità vt dicis, multùm falleris. Nec libidinis enim tabe polluuntur, qui libidine benè vtuntur, quàmvis generent libidinis tabe pollutos, & ideò regenerandos. Nec in impiis invenitur pudicitia virginalis, quamvis inveniatur virginitas carnis; quia vera pudicitia non potest haberi in animo fornicante. Ac per hoc non anteponitur virginale bonum impiorum bono coniugali fidelium. Sed coniuges benè vtentes malo, anteponuntur virginibus malè vtentibus bono. Et ideò cùm fideles coniugati benè vtuntur malo libidinis, non *apud eos* (vt calumniaris) *propter fidem exercetur impunitas criminis*, sed in eis propter fidem vera non falsa virtus est castitatis. Quid autem ad nos pertinet, quia Manichæos dicere affirmas, *si quis homicidium conscientia formidante commiserit, reus est, quia timuit: si autem aliquod facinus exultante perpetraverit audacia, velut credens se ex fide facere quod malè facit, evasit culpam?* Quod quidem nunquam audivi dicere Manichæos. Sed quid ad nos, sive dicant, sive etiam ipsis calumnieris: cùm hoc catholica fides non dicat, quam tenemus, & cuius te pondere vrgemus. Nos enim ea quæ videntur opera bona, dicimus non esse vera bona sine fide, quoniam opera verè bona necesse est Deo placere, *cui sine fide* quia *impossibile est placere*, profectò quod verè opus est bonum, sine fide non

In infidelibus virginitas esse carnis potest, non pudicitia virginalis.

Heb. 11. 6.

poteſt eſſe. Veruntamen illa opera quæ apertiſsimè mala ſunt, non facit *fides*, *quæ per dilectionem operatur*: quia *dilectio proximi malum non operatur. Bona igitur concupiſcentia naturalis*, inquis, erubeſcis enim dicere carnalis, *quæ cum intra modum ſuum tenetur*, inquis, *nulla mali aſperſione turbatur*. Quomodo tenetur intra modum ſuum quæſo te, quomodo tenetur, niſi cùm ei reſiſtitur? Cur autem reſiſtitur, niſi ne impleat deſideria mala? Quomodo eſt igitur bona? Gal. 5. 6. Rom. 13. 10

CAPVT IX.

Lib. 1. de nup & cõc. cap. 5.

VEniſti etiam ad verba illa libri mei, vbi dixi, *Nonne illi coniuges primi, quorum nuptias benedixit Deus, dicens, Creſcite & multiplicamini; nudi erant, & non confundebantur? Cur ergò ex illis membris confuſio poſt peccatum, niſi quia extitit illic indecens motus, quem niſi homines peccaſſent, proculdubio nuptiæ non haberent?* Gen. 1. 28. Ibid. 2. 25.

Hæc verba mea cùm videres ſecundùm ſcripturas ità poſita, vt quicunq; eundem locum libri Geneſeos legit aut legerit, approbet ſine dubitatione quod dixi; prolixa contradicendi diſputatione multum ſudaſti, ſed non ſinceraſti. Perſtitiſti quippe in ſententiâ tuâ pravâ, quamvis meam rectam ipſo experimento probares non abs te potuiſſe convelli. In qua tua contradictione prætereo geſtus & iactationes tuas, tanquam hominis anhelantis & pervenire quò nititur, non valentis, & in nebulis tamen quas perturbatus offundit, ſe perveniſſe fingentis. Sed neceſſarios articulos ſermonis tui, quantum me adiuvat Dominus, comprehendo atq; confringo, vt totum corpus victum iacere conſpiciat, qui & illa tua & hæc noſtra perlegerit, præſertim quia illa quæ abs te multis modis repetuntur, etiam à nobis ſæpè deſtructa ſunt. Dicis hîc inter cætera, *in hoc quod poſt peccatum primi homines erubeſcentes membra illa in quibus eſt libido, texerunt, inveniſſe me vnde perſuaderẽ, Deum aerea conſtituiſſe coniugia.* Si ergò aërea eſſent coniugia ſine libidine, aerea erũt te authore corpora, quando libido non erit. An iſtã libidinem ſic amatis, vt quomodo eam prius ante peccatum in paradiſo poſitis, ita etiam reſuſcitatis corporibus ingeratis? Ego autẽ non dico, vt me dicere affirmas, *naturale non eſſe ſine quo natura non eſt*: ſed dico, naturale appellari vitium, ſine quo nunc natura humana nõ naſcitur, quę tamẽ ſic inſtituta non eſt ab initio. Ideoq; & hoc malum non ab illâ primâ inſtitutione naturæ, ſed à primi hominis malâ voluntate originem ducit.

Nec

Nec permanebit, sed aut damnabitur, aut sanabitur. *Sententiam meam cimicem* dicis, *qui vt molestiam vivus, sic fœtorem præstat attritus*; quasi verecunderis, vt loqueris, *vincendo me atterere*; vel *tanquam victus ad loca*, vt dicis, *cœnosa confugerim, exhorreas consequi atque perimere: quia videlicet partes disputationis tuæ, quibus atterendus vel perimendus sum, quoniam de pudendis loqui cogeris, velut quidam edituus pudor tuus à verborum*, sicut perhibes, *libertate submovit*. Quare non potius de bonis quæ laudas, liberè loqueris? Quare non est de opere Dei verborum libertas, si eius intemerata permanet dignitas, nec aliquid ibi egit peccatum, vnde potius incuteret pudorem, & verborum comprimeret libertatem? *Augustinò sententiam Iulianus cimici comparat.*

CAPVT X

SI *non sunt*, inquis, *nuptiæ sine libidine, & generaliter à vobis libido damnatur, damnatis & nuptias.* Posses dicere, quia damnabitur mors, omnes damnandos esse mortales. Si autem libido de connubio esset, profectò ante connubium vel præter connubium nulla esset. *Non potest*, inquis, *dici morbus sine quo non est connubium, quia potest esse connubium præter peccatum. Morbus autem*, inquis, *ab Apostolo peccatum dicitur.* Sed respondetur tibi, Non omnis morbus peccatum dicitur. Iste autem morbus pœna peccati est, sine quâ non potest esse humana natura, nondùm ex omni parte sanata. Si autem propterea libido malum non est, quia sine illa non fit nuptiarum bonum: è contrariò nec corpus bonum est, quia sine illo non fit adulterij malum. Hoc autem falsum est, sic ergò & illud. Quis autem nescit coniugatis Apostolum præcepisse, *vt sciret vnusquisque eorum suum vas possidere*, hoc est, vxorẽ suam, *non in morbo desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deum.* Qui ergò de hâc re Apostolum legit te negligit. Et non erubescis istum morbum, vel quod tu quàmvis pudibundus fateris, istam libidinem introducere in paradisum, & tribuere coniugibus ante peccatum? Ideòne tu non in cœno absconditus latitas, qui libidine carnis & sanguinis quasi paradisi flore roseo te coronas, & tanquàm libenter tali colore perfusus, & erubescis & laudas. 1. Thess. 4. & 5.

CAPVT XI.

QVid quod te tantùm delectat loqui, vt quod confitemur & docemus, tanquàm negemus superfluâ prolixitate sermonis probare coneris? Quis enim negat futurum fuisse concubitum, etiam si peccatum non præcessisset? Sed futurus fuerat, sicut aliis membris, ita etiam genitalibus voluntate motis, non libidine concitatis, aut certè etiam ipsâ libidine, vt non vos de illâ nimiùm contristemus, non qualis nunc est, sed ad nutum voluntarium seruiente. Verùm vos pro susceptâ vestrâ tàm fideliter laboratis, vt vim patiamini, nisi eam qualis nunc est, etiam in paradiso collocetis; non ibi de peccato dicentes talem factam, sed talem nullo peccante fuisse mansuram, cum quâ in illa pace dimicaretur, aut ne dimicaretur quotiescunque surgeret, expleretur. O sanctas paradisi delitias! O frontem qualiumcunq; Episcoporum! O fidem qualiumcunque castorum!

Futurus erat coniugalis concubitus etiam si nemo peccasset.

CAPVT XII.

SEd volens ostendere non omnia quæ teguntur, ex peccato erubescenda putari oportere, multum inaniter multa cõmemoras, quæ in nostro corpore naturaliter tecta sunt; quasi post peccatũ tecta sint; sicut illi homines vnde inter nos quæstio est, quæ ante peccatum nec pudẽda, nec tecta fuerant post peccatum pudenda texerunt. *Balbus*, inquis, *apud Tullium cum Cotta verè diligenterque disseruit. Vnde ob hoc pauca ponis*, vt dicis, *vt oneres pudorem meum, non ea me intellexisse sub magisterio sacræ legis, ad quorum notionem gentiles solo rationis ductu peruenire potuerunt*: & ponis Balbi verba ex Ciceronis libro, per quæ nos doceas, quid senserint Stoici de animalium mutorum masculinis ac fœmininis diuersitatibus, de partibus corporis genitalibus, & miris commiscendorum corporum libidinibus. Quæ tamen verba, vel Tulliana, vel cuiuslibet alterius antequàm interponeres, cautissimè prælocutus es, *quòd ideò sub bestiarum occasione sexuum tangat affectum, quia propter honestatem hoc in hominis descriptione præterijt*. Quid est *propter honestatem*? An in sexu hominis honestas confunditur, vbi Deus tanquàm in excellentiore natura digniùs operatur? Sed docuerunt te Stoici disputa-

Lib. 2. de naturâ deorum.

putare de occultis, nec docuerunt erubescere de pudendis. Adiungis deinde, *quomodò ipsum hominem oratione depingat*, vt dicis, *& quomodò differat alvi naturam stomacho esse subiectam, quod cibi & potionis sit receptaculum: pulmones autem & cor extrinsecus spiritum adducant: multa in alvo mirabiliter effecta, qua constarent ex nervis: & quod sit multiplex & tortuosa arceatque & contineat, sive illud aridum sit, sive humidum quod receperit*: & cætera huiusmodi vsque ad illud, *quemadmodum reliquia cibi depellantur, tùm astringentibus se intestinis, tùm relaxantibus.* Cùm ergò posset etiam in bestiis ista describere, cur inde ad hominem transitū fecit, nisi quia ista pudenda non sunt: sicut nec in bestiis illa de sexuum genitalibus atque naturis; quæ tamen in homine pudenda sunt? Ea causa vtique quâ primitus post peccatum foliis ficulneis adoperta sunt. Nam cùm in descriptione humani corporis vsque ad illa extrema veniisset, quâ cibi reliquiæ depelluntur: *Quemadmodum*, inquit, *fiat haud sanè difficile dictu est: sed tamen prætereundum, ne quid habeat iniucunditatis oratio.* Non dixit confusionis vel ne quid pudendum habeat oratio, sed *ne quid iniucunditatis.* Alia sunt enim quæ horrorem ingerunt sensibus, quod deformia sunt: alia quæ pudorem mentibus etiam si formosa sint: quia illa offendunt delectationem, commovent autem ista libidinem, vel libidine commoventur. Quid igitur te adiuvant hæc? *Quia ipse*, innuis, *opifex noster nullum suæ artis crimen agnovit, vt vitalia nostra tàm diligenter occulteret.* Absit planè vt artis suæ tantus artifex vllum agnoverit crimen. Sed cur ista texerit, iam paulò superius ipse dixisti, ne scilicet vel intereant, vel horreant publicata. Illa verò quæ foliis ficulneis texerunt coniuges primi, nec interibant vtique nec horrebant, quando *nudi erant, & non confundebantur.* Et nunc pudicitiæ cautio potius ne libeat, quam ne horreat illa species, eorundem membrorum devitat aspectum. Fruſtra igitur testimonio Stoicorum iuuandam putasti tuam esse susceptam, non sanè illis amicam, qui nullam particulam boni humani in corporis voluptate posuerunt. Denique elegerunt in pecoribus potius quam in hominibus, quod tu facis laudare libidines. Eorum quippè opinioni conuenienter ait quodam loco Tullius, *se non putare idem esse arietis & Publy Aphricani bonum.* Qua magis sententia te oportuit admoneri, quid de humanâ libidine sentire deberes. Sed si talibus literis vt aliquid agamus, placet, quia & in ipsis reperiuntur nonnulla

Gen 3.7. Ibid.

vesti-

In prophetarum scriptorum libris nonnulla veritatis reperiuntur vestigia.

vestigia veritatis, interim quæ ipse posuisti, nihil adversus nos valere puto, quod iam debeas confiteri. Vide nunc vtrùm ista quæ dicam, non evertant assertionem tuam. In libro tertio de Republicâ idem Tullius *hominem* dicit *non vt à matre, sed vt à novercâ naturâ editum in vitam, corpore & nudo, & fragili, & infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen messet tanquam obrutus quidam divinus ignis ingenij & mentis.* Quid ad hæc dicis? Non hoc author iste malè viventium moribus dixit effectum, sed naturam potiùs accusavit. Rem vidit, causam nescivit. Latebat enim eum cur *esset grave iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepultura in matrem omnium:* quia sacris literis non eruditus, ignorabat originale peccatũ. Si autem de libidine quam defendis, benè sentiret, non ei pronus in libidines animus displiceret, sed si hæc tanquam minora bona defendis, in quæ non debet à supernis animus inclinari, non quia libido vitium est, sed quia infimum bonum, audi manifestiora quæ dicat in eodem ipso libro de Republicâ tertio cùm ageret de causâ imperandi: *An non,* inquit, *cernimus optimo cuique dominatum ab ipsâ naturâ cùm summâ vtilitate infimorum datum? Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini iracundiæq; & cæteris vitiosis eiusdem animi partibus?* Iamne saltem docente isto has, quas bonas esse defendis, vitiosas partes animi confiteris? Adhuc audi. Paulò post enim *Sed & imperandi, & seruiendi,* inquit, *sunt dissimilitudines cognoscendæ. Nam vt animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini: sed corpori vt rex ciuibus suis, aut parens liberis; libidini autem, vt seruis dominus, quo eam coërcet & frangit. Sic regum, sic imperatorum, sic magistratuum, sic patrum, sic populorum imperia ciuibus sociisq; præsunt vt corporibus animus. Domini autem seruos ita fatigant, vt optima pars animi, id est, sapientia eiusdem animi vitiosas imbecillasq; partes, vt libidines, vt iracundias, vt perturbationes cæteras.* Habesne adhuc quod contra nos de secularium literarũ authoribus garrias? sed si cõtra Episcopos eloquiorũ diuinorum præclarissimos tractatores, pro isto (quem à te Deus auertat) errore quæsiturus es, quid dicas quòve modo illorum sanctitati resistas; quid tibi erit Tullius, vt non eũ in hâc sententiâ desipuisse ac deliraſſe contendas? Tace ergò de illius generis libris & noli nos inde aliquid contumeliosè docere conari, ne quorum te inaniter sublevari credis, eorum testimoniis comprimaris.

Cicero l. 3. de repub.

Eccl. 40. 1.

Ibidem.

Ibidem.

CAP.

CAPVT XIII.

QVid autem de motu fœminæ, cuius & ipsam puduit, inaniter argumentandum putasti? Non vtique fœmina motum visibilem texit, sed cùm in eisdem mẽbris tale aliquid sentiret occultiùs, quale vir senserat; ambo texerunt, quod alterutrum videndo in alterutrum commoti ambo senserunt, & vel vnusquisque sibi, vel alter alteri erubuerunt. Sed loquens vana; *petis vt ignoscant verecundæ aures, & congemiscant potiùs, quàm indignentur necessitati tuæ.* Quare confunderis de Dei operibus disputare? Quare petis vt ignoscatur tibi? Nònne abs te veniæ postulatio, etiam est ipsa libidinis accusatio? *Sed si poterat*, inquis, *virile membrum & antè moveri, nihil ergo novitatis invexit delictum.* Poterat planè etiam antea moveri, sed non erat decens vt puderet, quandò id movebat voluntatis imperium, non *caro concupiscens adversus spiritum.* In hoc enim extitit novitas pudenda, quam defendit impudenter novitas vestra. Nunquam verò ego motum genitalium reprehendi generaliter, quod tu dicis *dedicativè*; sed illum motum reprehendi quem facit concupiscentia, quâ *caro concupiscit adversus spiritum*: quam velut bonum cùm defendat error tuus, nescio quemadmodùm adversus illam velut adversus malum, concupiscat spiritus tuus. *Si in fructu ligni illius*, inquis, *hæc fuit libido, à Deo facta esse monstratur, & per hoc bona quoque ipsa defenditur.* Sed respondetur tibi, Non in fructu ligni fuit libido, & ideò bonum erat lignum: sed mala est inobedientia libidinis, quæ adversus hominis inobedientiam quam in ligno admisit, Deo deserente surrexit. Absit enim vt Deus de ligno bono cuicunque ætati illorum hominum quocunq; tempore beneficium tale conferret, vt haberent in membris adversarium contra quem pudicitia dimicaret. Novimus autẽ Ioannem Apostolum, non mundum istum, id est, cœlum & terrã, & omnia quæ in eo substantialiter sunt, qui mundus factus est à patre per filium, reprehendisse, cùm diceret. *Omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non est à patre, sed ex mundo est.* Novimus hæc, nolo nos doceas. Sed quã cõcupiscentiã carnis dixerit *à patre nõ esse*, tu volẽs exponere, luxuriã intelligendãesse dixisti. Sed cùm abs te quæro, cui consentiatur, vt sit luxuries, vel cui repugnetur vt non sit, tua tibi suscepta occurrit in faciem,

Ioan. 1. 10.

Ioan. 2. 16.

vtrùm adhuc laudanda tu videris, cui consentire luxuria est, cui repugnare continentia est. Vbi miror si deliberas, vtrùm eam magis debeas cum luxuriâ vituperare, quæ fit per eius assensum; an eam laudare cum continentiâ, quæ illi ingerit bellũ. In quo bello pudicitia est victoria continentiæ; luxuria victoria concupiscentiæ. Tu autem iudex incorruptus atque integer, cùm laudes continentiam, vituperesque luxuriam: sic tamen accipis personam concupiscentiæ, quam tu videris cur offendere timeas, vt eam non erubescas cum sua laudare aduersaria, nec audeas cum suâ vituperare victoria. Sed absit vt quilibet homo Dei sic te audiat vituperatorem luxuriæ, vt approbet concupiscentiæ laudatorem: & ex tuo sermone arbitretur bonum, quod in se ipso experitur malum. Denique qui concupiscentiam quam prauè laudas, confligendo vicerit, luxuriam quam rectè vituperas, non habebit. Quomodo autem Ioanni Apostolo obtemperamus, si *concupiscentiam carnis* diligimus? Respondebis, *non est ipsa quam Laudo*. Et quæ illa est quam Ioannes dicit *à patre non esse? Luxuria*, inquies. Sed luxuriosi non erimus, nisi istam quam laudas concupiscentiâ diligamus. Ac per hoc nolite diligere *carnis concupiscentiam*, cùm dicebat, luxuriosos nos esse nolebat. Ab hac igitur abs te laudata *carnis concupiscentia* diligenda prohibemur, quando à luxuria prohibemur. Hæc autem quam diligere prohibemur, *non est à patre*: hæc igitur *concupiscentia* quam laudas, *non est à patre*. Duo enim bona quæ à patre sunt, inter se pugnare non possunt. Pugnant autem inter se continentia & concupiscentia. Quid horum à patre magis velis esse respondè. Video quas patiaris angustias; saues quidem concupiscentiæ, sed erubescis continentiæ. Vincat pudor tuus, eoque vincatur error tuus. Cùm igitur à patre sit continentia qua debellatur *carnis concupiscentia*; sume à patre continentiam, cui rectâ fronte erubuisti; & vince concupiscentiam, quam perverso ore laudasti.

CAPVT XIIII.

QVinetiam putasti, omnium sensuum voluptatem in auxilium conuocandam; tanquam voluptas genitalium nec tanto patrono sibi sola sufficeret, nisi sociarum cuneus subueniret. *Consequens enim* existimas, *vt sensum videndi, audiendi, gust an-*

gustandi, olfaciendi, atque tangendi, non à Deo, sed à diabolo nobis fateamur esse collatum: si concesserimus eam concupiscentiam carnis, cui per continentiam repugnamus, non fuisse in paradiso ante peccatum, & ex illo accidisse peccato, quod primum primo homini diabolus persuasit. Sic ignoras vel ignorare te fingis per quemlibet corporis sensum aliud esse sentiendi vivacitatem, vel vtilitatem, vel necessitatem, aliud sentiendi libidinem. Vivacitas sentiendi est, qua magis alius, alius minùs in ipsis corporalibus rebus pro earum modo atq; natura quod verum est, percipit, atq; id à falso magis minùsve discernit. Vtilitas sentiendi est, † per quam corpori vitæq; quam gerimus, ad aliquid approbandum vel improbandum, sumendum vel reiiciendum, appetendum, vitandumve consulimus. Necessitas sentiendi est, † quando sensibus nostris etiam quæ nolumus ingeruntur. Libido autem sentiendi est, de quâ nunc agimus, quæ nos ad sentiendum, sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit. Hæc est contraria dilectioni sapientiæ, hæc virtutibus inimica. Hoc malo quantùm attinet ad partem, qua sibi sexus vterq; miscetur, benè vtuntur nuptiæ, cùm coniuges procreant filios per illam, nihilque faciunt propter illam. Hanc si voluisses, vel valuisses à sentiendi vivacitate, vtilitate, necessitate discernere, videres quã superfluò tam multa dixisses. Non enim ait Dominus, *Qui viderit mulierem,* Mat. 5. 28. sed *qui viderit ad concupiscendum, iam mœchatus est eam in corde suo.* Ecce sensum videndi à libidine sentiendi, si pervicax non sis, breviter aperteq; discrevit. Illud Deus condidit, instruendo corpus humanum, illud diabolus seminavit persuadendo peccatũ. Laudent ergò *cælum & terram & omnia quæ in eis sunt,* Psal. 145. 6. homines pii, & ex his omnibus Deum, consideratione pulchritudinis, non ardore libidinis. Sicut auri decus aliter laudat religiosus, aliter avarus. Iste cum pietate venerandi creatorem, ille cum libidine possidendi creaturam. Movetur certè animus ad pietatis affectum, divino cantico audito: tamen etiam illic si sonum, non sensum libido audiendi desideret, improbatur: quanto magis si cantiunculis inanibus vel etiam turpibus delectatur? Cæteri tres sensus corpulentiores, & quodammodo crassiores sunt, nec se foras proiiciunt, sed interius quod ad eos pertinet, agunt. Odor ab olfaciente discernitur, sapor à gustante, tactus à tangente plurima. Non enim hoc est calidum & frigidum, quod leve & asperum, aut

Sentiendi vivacitas, vtilitas, necessitas, & libido.

* *al quæ noxiis reiiciendis, & vtilibus appetendis cõsulit vita quã gerimus*

* *al. quæ sensibus nostris ingerit etiam quæ nolumus.*

Videndi libido.

Audiendi libido etiam in diuinis canticis improbatur.

ista hoc sunt quod molle ac durum, & ab his omnibus distat, quod dicitur leve seu grave. In his omnibus quando molesta vitantur, vt putores, amaritudines, æstus, frigora, & quæque aspera & dura & gravia, commoditatis provisio, non libido est voluptatis. Ea verò quæ his contraria commodè sumimus, si nihil eorum interest ad salutem, vel ad declinandam doloris laborisve molestiam, etiamsi cum aliqua sumuntur delectatione cùm præsto sunt, tamen cum absunt, nulla sunt desideranda libidine. Si autem desiderantur, non est bonum. In quibuslibet enim rebus talis domandus & sanandus est appetitus. Quis enim quantuscunque sit carnalis concupiscentiæ castigator, si locum thymiamate intraverit odoratum, possit efficere vt ei non suauiter oleat, nisi nares claudat, aut intentione vehementi alienetur à corpore sensibus? Sed nunquid cùm inde fuerit egressus, id domi suæ, vel quàcunq; pergit desiderabit? Aut si desideraverit, satiare debet istam libidinem, non frænare, & contra concupiscentem carnem spiritu concupiscere, donec ad illam redeat sanitatem, qua nihil tale desideret? Minimum hoc quidem, sed *qui minima spernit*, sicut scriptum est, *paulatim decidit*. Alimentorum sustentaculis indigemus. Si suavia non sint quæ ore sumuntur, nec sumi possunt, & nauseando sæpe respuuntur, & pernicioſa sunt cavenda fastidia. Non solùm ergo cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem. Cùm ergò natura quodammodò poscit supplementa quæ desunt, non vocatur libido, sed fames aut sitis. Cùm verò suppleta necessitate, amor edẽdi animum solicitat, iam libido est, iam malum est, cui cedendũ non est, sed resistendum. Hæc duo, id est, famem & edendi amorem etiam poëta discrevit, qui post maris iactationem, sociis Aeneæ naufragis & peregrinis satis esse iudicans tantum sumere alimẽtorũ, quantũ refectione indigẽtia postularet, ait,

Odorandi libido.

Edendi libido.

Eccles. 19.

Postquam exempta fames epulis, mensaque remota. Cùm verò Aeneas ipse ab Evandro rege susceptus est hospes, decentiùs arbitratus ampliores exhiberi epulas regias, quàm necessitas poscceret, non satis fuit vt diceret, *Postquàm exempta fames*: sed addidit, *& amor compressus edendi*. Quantò magis nos discernere ac nosse debemus quid necessitas refectionis, quid libido edacitatis expoſcat, quorum negotium est contra concupiscentem carnem spiritu concupiscere, & *condelectari legi Dei secundùm interiorem hominem*, eiusque delectationis sereni-

Aeneid. l. 1.

Ibidem.

tatem nullis libidinosis delectationibus nubilare. Nam iste amor edendi non edendo, sed continendo est comprimendus. Quis autē mente sobrius non mallet, si fieri posset, sine vlla mordaci voluptate carnali, vel arida sumere alimenta, vel humida, sicut sumimus hæc aëria, quæ de circūfusis auris respirando & spirando sorbemus & fundimus? Quod alimentum, cùm ore ac naribus sine cessatione sumamus, nec sapit, nec olet quicquam: nec tamen sine vllo vel tantillo spatio temporis, sicut tam prolixè sine cibo & potu possumus vivere: nec eius indigentia sentitur, nisi molestia, si ora, nareſque claudantur, vel nutu voluntatis, quantum finit ipsa molestia, paulisper pulmonum inhibeamus officium, quibus velut follibus alternante motu vitales flatus haurimus & reddimus. Quantò esset fœlicius, si spatiosis quidē intervallis, sicut etiam nunc vel quantumcumque spatiosioribus sine vllâ saporis illecebrosâ suavitate cibum perciperemus & potum, quo tantam molestiam vel perniciem depelleremus. Nam si in præsenti vitâ temperanter alimenta sumentes, continentes vocantur & sobrij, meritòque laude digni habentur: nec desunt huiusmodi, qui quantum natura petat, aut minus refectionis assumant, malentes, si modo necessitatis congruo falluntur, minus id sumpsisse quàm ampliùs: quantò magis in illâ dignitate honestum modum fuisse credendum est sumendorum alimentorum, quo & animali corpori necessaria præberentur, & modus naturalis nullatenus excederetur, sicut in paradiso primos homines vixisse credendum est? Quàmvis nonnulli neque hi contemptibiles divini eloquij tractatores, nullo huiusce modi victu eos indiguisse potius opinentur, vt ea sola in paradiso voluptas, vel alimonia existimetur fuisse, quâ delectantur & aluntur corda sapientium. Sed ego cum eis sentio, qui sicut illud quod dictum est, *Masculum & fœminam fecit eos, & benedixit illos Deus dicens, Crescite & multiplicamini, & implete terram*; secundùm sexum corporalem atque conspicuum intelligunt dictum: ita etiam quod paulò post sequitur, & *dixit Deus, Ecce dedi vobis omne fœnum sativum seminans semen, quod est super omnem terram & omne lignum quod habet in se fructū seminis sativi, vobis erit in escam, & omnibus bestijs terræ, & omnibus volatilibus cœli, & omni serpenti reptanti super terram, quod habet in se animam vitæ; & omne fœnum viride in escam*: non aliter accipiunt, nisi quia ille vterque sexus his alimentis quibus & anima-

Necessitas refectionis, libido edacitatis.

Temperantia cibi & potus in paradiso qualis futura.

Gen. 1. 27. & 28.

Ibidem 29. & 30.

Vsus alimētorum & ligni vitæ in paradiso.

animalia cætera corporaliter vtebatur, & habebat ex hoc victu sustentaculũ congruũ, licet modoquodã immortali, tamen animali corpori necessariũ, ne indigẽtia læderetur: de ligno autẽ vitæ, ne senectute perduceretur ad mortẽ, sed nullã ratione crediderim in illo tantæ fœlicitatis loco, *aut carnem concupiviſſe adverſus ſpiritũ, & ſpiritum adverſus carnem*, atque in istâ conflictatione sine internâ pace vixisse: aut spiritũ desideriis nõ repugnasse carnalibus, sed quicquid vndecumque libido suggessisset, turpi servitio peregisse. Remanet igitur, vt aut nulla ibi fuerit carnalis concupiscentia, sed ille fuerit vivendi modus, vt omnia necessaria congruis membrorum officiis sine vllius motu libidinis implerentur. Non enim quia terra non libidine, sed voluntate motis agricolarum manibus seminatur, ideò suos pariendos non concipit fœtus; aut (ne nimium videamur offendere homines, qui voluptatem corporis quomodocumque defendunt) ita ibi credatur carnalium sensuum fuisse libidinem, vt omni modo rationali subdita voluntati, non aliàs adesset, nisi cùm per illam vel saluti esset corporis, vel stirpis propagini consulendum: & tanta adesset, vt nulla ex parte mentem de supernarum cogitationum delectatione deponeret, nullus supervacuus sive importunus motus esset ex illâ, nihil nisi quod prodesset, fieret per illam nihil omninò fieret propter illam Nunc verò quàm se aliter habeat qui dimicant adversus eam, hi maximè sentiunt. Ingerit se videntibus vel audientibus aliquid, quàmvis propter aliud videant & audiant, vt etiam si tangendi non inde percipit voluptatem, saltem voluptariam cogitationem inter necessaria, quæ ad eam non pertinent, motu obrepente furetur. In his porrò cogitationibus, etiam quandò nihil illecebrosum adiacet oculis, aut insonat auribus, quæ non conatur etiam obsoleta atque sopita recordationibus inquietis cum turpi delectatione refricare, & castis sanctisque intentionibus tumultu quodam sordidæ interpellationis obstrepere? Iam verò cùm ad vsum ventum fuerit necessariæ voluptatis, per quam reficimus corpus; quis verbis explicet, quemadmodùm nos modum necessitatis sentire non sinat, & ipsum limitem procurandæ salutis, † si qua adsunt delectabilia, rapiendo abscondat & transeat; putantibus nobis satis non esse quod satis est, dùm libenter eius provocationibus ducimur, existimantes nos adhuc agere negotium valetudinis, cùm agamus potiùs cruditatis? Quid enim mali fecerimus,

Gal. 5. 17.

Sanctorum in hâc vitâ cum ſenſuũ libidine pugna & luctа.

† *al. in quæ ſi adſunt delectabilia rapiendo,*

crapula pœnitendo testatur; quod metuentes, plerumque minùs, quàm eximêdæ fami sufficiat, vescimur: ita nescit cupiditas, vbi finiatur necessitas. Et hæc quidem vescendi atque potandi tolerabilis est voluptas; quanta possumus intentione vigilantibus nobis vt faciliùs non impleat, quàm modum aliquandò victus sufficientis excedat. Contra cuius concupiscentiam & ieiunando, & parciùs alimenta sumendo pugnamus. Eoque malo benè tunc vtimur, quandò per illam non nisi quod saluti conducibile est agimus. Ideò autem hanc voluptatem dixi tolerabilem, quia vis eius tanta non est, vt nos à cogitationibus ad sapientiam pertinentibus, si in eis sumus mentis delectatione suspensi, abrumpat & deiiciat. Nam sæpè de magnis rebus inter epulas non solùm cogitamus, verùmetiam disputamus, atque inter ipsos ciborum morsus & potionum gluctus, nihilò remissius audiendo, dicendoq; colloquimur, & quod nosse, vel recolere volumus, intentissimè omninò si nobis legatur accipimus. Illa verò pro quâ mecũ tantis contentionibus litigas, etiam quando ad eam bonâ intentione, hoc est, causâ propagandæ prolis acceditur: tamen in ipso opere suo, quem permittit aliquid non dico sapientiæ, sed cuiuslibet rei aliud cogitare? Nonne illi totus animus & corpus impenditur, & ipsius mentis quadam submersione illud extremum eius impletur? Cùm verò vincit etiam coniugatos, vt non propagationis, sed delectationis carnalis cupiditate misceantur, quod Apostolus *secundùm veniam, non secundùm imperium* se dixisse testatur; ita hinc emergitur, & quasi in auram cogitationis post illum gurgitem respiratur, vt fiat consequẽs quod verum ait quidam, & pœnitendi quæ est cum voluptate vicinitas. Quis ergo amator spiritalis boni, etiam solâ causâ sobolis coniugatus, non mallet, vel sine ista si possit vel sine tam magna vi eius filios procreare? Quod ergo mallent sancti coniuges in hac vita, puto nos hoc debere de illa paradisi vita, quæ multo melior erat, credere, si nihil meliùs inde possumus cogitare. Obsecro te, non sit honestior philosophia gentium, quàm nostra Christiana, quæ vna est vera philosophia, quandoquidem studium vel amor sapientiæ significatur hoc nomine. Vide enim quid in Hortensio dialogo dicat Tullius, quæ magis verba te delectare debuerunt, quàm Balbi Stoicorum partes agentis: quæ licet vera, tamen de parte hominis inferiore, hoc est, de corpore fuerunt, & te nihil adiuvare potuerunt.

Concupiscẽtia venerea mentem absorbet.

1. Cor. 7. 6.

Pœnitẽdi cum voluptate vicinitas.

Supra citat. cap 12.

tuerunt. Vide quid iſte pro vivacitate mentis contra voluptatem corporis dicat. *An verò*, inquit, *voluptates corporis expetenda, quæ verè & grauiter à Platone dictæ ſunt illecebræ eſſe atque eſcæ malorum? Quæ enim confectio eſt*, inquit, *valetudinis, quæ deformatio coloris & corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non evocetur atque elicitatur voluptate? Cuius motus vt quiſque eſt maximus, ita eſt inimiciſsimus philoſophiæ. Congruere enim cum cogitatione magna voluptas corporis non poteſt. Quis enim cùm vtatur voluptate ea, quæ nulla poſsit maior eſſe, attendere animo, inire rationem, cogitare omnino quidquam poteſt? Quis autem tantus eſt gurges, qui dies & noctes ſine vlla minimi temporis intermiſsione velit ita moveri ſuos ſenſus, vt moventur in ſummis voluptatibus? Quis autem bona mente præditus, non mallet nullas omnino nobis à natura voluptates datas?* Hæc ille dixit, qui nihil de primorum hominum vita, nihil de paradiſi fœlicitate, nihil de corporum reſurrectione crediderat. Erubeſcamus interim veris diſputationibus impiorum, qui didicimus in vera veræ pietatis ſanctaq; philoſophia, & contra ſpiritum carnem, & contra carnem concupiſcere ſpiritum. Sed hoc vnde acciderit, Cicero ne ſciebat: & tamen carnis concupiſcentiæ non favebat, quod tu facis: imo eam vehementer arguebat, quod tu non ſolùm non facis, ſed facientibus vehementer iraſceris: qui concupiſcentias & ſpiritus & carnis inter ſe belligerantes tanquã in bello timidus ambas laudare conaris, velut inimicam metuens habere, quæ potuerit alteram vincere. Quin age potiùs ne formides, & lauda concupiſcentiam ſpiritus, adverſùs concupiſcentiam carnis, tantò acriùs quantò caſtiùs dimicantem. Illam verò *repugnantem legi mentis*, ſine pavore vllo eâdem cui repugnat lege mentis condemna. Aliud eſt conſideratio pulchritudinis etiã corporalis, ſive viſibilis, ſicut eſt in coloribus & figuris; ſive audibilis, ſicut eſt in cantibus atque modulis; quam conſiderationem, niſi rationale animal habere non poteſt: & aliud eſt commotio libidinis quæ ratione frenanda eſt. Ioannes enim Apoſtolus illam *concupiſcentiam non eſſe* dixit *à patre*, quæ *concupiſcit adverſus ſpiritum*. Quam nemo poteſt bonam dicere, niſi cuius adverſus eam non amat concupiſcere ſpiritus. Quod ſi talis non eſt in motu & ardore genitalium, non adverſus eam concupiſcat ſpiritus, ne adverſus donum Dei concupiſcendo inveniatur ingratus; ſed quidquid appetiverit detur, tanquàm illi quæ ex patre eſt. Si autem nõ eſt quod detur, hoc potius petatur à patre, non vt auferat vel

Cicero in Hortenſio. Voluptates illecebræ atque eſcæ malorum.

Gal. 5. 17.

1. Ioa. 2. 16.

comprimat, sed vt expleat concupiscentiam quam donavit. Quod si desipere est, vt quid eam comparamus vino & cibo, & aliquid nobis dicere videmur, quia dicimus, nec vinum ebrietas, nec cibum condemnet crapula, nec concupiscentiam infamet obscœnitas; quandò nec ebrietas, nec crapula, nec obscœnitas vlla committitur, si carnis concupiscentia spiritu adversus eam concupiscente vincatur? *Excessus*, inquis, *eius in culpa est*. Nec perspicis quod facillimè potuisses, si magis ipsam, quàm me vincere voluisses; vt non fiat malum excedendi, resistendum esse malo concupiscendi. Duo ergò mala sunt, quorum vnum habemus, alterum facimus, si ei non resistimus quod habemus. Ideò in pecoribus malum non est concupiscentia, quia non adversus spiritum concupiscit, sed eorum potius oblectat spiritum. Concupiscentia enim sapientiæ carentia, carnali concupiscentiæ non resultant, & à bono vitæ rationalis aliena, hoc bonum habent quo delectantur. Iam verò & anteà diximus, propterea hoc non esse in pecoribus malum, quia in eis non concupiscit adversus spiritum. Non enim habent rationem, quâ libidines subiugent superando, fatigentve pugnando. Quis autem tibi dicit *semper pecorum imitatione peccari*? Quam sententiam non tibi obiectam tantâ loquacitate refellere laborasti, vt superflua multa colligeres, quæ in pecoribus animadversa, etiam medicinæ disciplina sectatur. Sed ne propterea putaretur non esse malum *concupiscentia carnis*, quia bonum est in pecore, vt eo se oblectet illa natura, cui non potest inesse concupiscentia sapientiæ, ideò dictum est bonum esse pecoris, cuius sine vllâ repugnantia delectat spiritus: malum autem hominis, quo *concupiscit adversus spiritum*.

L. 2. *de nup. & concu. c.* 19 & 21. & *sup lib.* 3 *contra Iulianum cap.* 20.

Lib. 2. *de nup. & con. c.* 9 & *sup. lib.* 3. *contra Iulianum cap.* 12.

In pecoribus malum non est concupiscentia.

Supra c. 5.

CAPVT XV.

COnvocasti etiam in auxilium turbam philosophorum, quasi susceptæ tuæ si non possunt pecorum solertiæ naturales, saltem doctorum hominum opitulentur errores. Sed quis non videat doctrinæ te quæ sisse iactantiam, in cõmemorandis nominibus doctorum hominum sectisque diversis, quando perspicit quicunque ista tua legit ad quæstionem quæ inter nos vertitur, hæc nullatenus pertinere? Quis enim audiat quòd abs te commemorantur *Thales Milesius vnus è*

septem sapientibus, deinde Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Xenophanes, Parmenides, Leucippus, Democritus, Empedocles, Heraclitus, Melissus, Plato, Pythagorei, vnusquisque cum proprio dogmate suo de naturalibus rebus? Quis, inquam, hæc audiat, & non ipso nominum sectarumque conglobatarum strepitu terreatur, si est ineruditus, qualis est hominum multitudo & existimet te aliquem magnum, qui hæc scire potueris? Ecce quod appetis, quandoquidem in his omnibus abs te coacervatim commemoratis, quod ad rem quæ inter nos agitur pertineat, nihil omninò dixisti. Nam prælocutus es ista dicturus, & aisti, *Omnes philosophi in scholis licet aliud differentes, tamen idola cum plebe venerantes, qui de naturalibus causis aliquid excogitare conati sunt, inter multas opinionis suæ vanitates, aliquas tamen veritates, velut iam ferè pares, per caliginem vani, huic tamen dogmati contra quod agimus, iure anteferri* possunt. Atque vt hoc probares, subdidisti ea quæ à me quoque modò commmemorata sunt, philosophorum nomina physicorum cum opinionibus suis, quas de naturalibus causis habuerunt: nec tamen commemorare omnes sive voluisti sive potuisti. Qua in re homines imperitos nullà doctorum dubitatione fraudasti. Hoc enim demonstrare suscperas, *omnes philosophos, qui de naturalibus causis aliquid excogitare conati sunt, iure posse huic dogmati, contra quod ageres, anteferri*. Cur ergò, vt de aliis plurimis taceam, cùm commemorasses Anaximenem eiusque discipulum Anaxagoram, tacuisti alterum eius discipulum Diogenem, qui & à magistro & condiscipulo suo in rerum naturæ opinione dissensit, propriumque dogma constituit? quid si tale aliquid ipse sensit, vt nobis non esset anteponendus, quibus omnes qui de rerum natura philosophati sunt, anteponendos esse dixisti? Atque vt hoc quasi ostenderes te in commemorandis frustrà nominibus & dogmatibus philosophorum insipienter inflasti. Ecce præteristi vnum quem vel ex magistro, vel ex condiscipulo quos nominasti, iuxta attendere debuisti. An fortè timuisti ne Diogenes Cynicus putaretur, aut ille etiam legentibus propter idem nomen occurreret, & veniret in mentem, quod melior te patronus libidinis fuerit, de quâ exercendâ non verecundabatur in publico? Vnde illa secta caninum nomen accepit. Tu autem defensorem quidem libidinis profiteris, sed de tuâ susceptâ, quod fidem libertatemque patroni non decuerat, erubescis. Verùm obsecro te, si philosophos nobis anteponere gestiebas, cur non potius eos commemorasti, qui de

Locus corruptus.

moribus, quæ pars ab eis philosophiæ vocatur ethica, quam nos moralem dicimus, solertissimè disputarunt? Hoc enim tibi potissimum congruebat, qui honestate quidem mentis inferius, tamen bonum hominis esse censes corporis voluptatem. Sed quis non quid prospexeris cernat? Ne scilicet in ipsa de voluptate quæstione vnde tecum agimus, honestiores philosophi te obruerent, quos Cicero propter ipsam honestatem tanquam consulares philosophos nuncupavit, & ipsi Stoici maximè inimicissimi voluptatis, quorum testimonium ex persona Balbi apud Ciceronem disputantis, verum quidem, sed quod tibi prorsus nihil prodesset, interponendum putasti. Quod autem nullum hominis bonum censeant corporis voluptatem cupiens abscondere, nullâ de quæstione morali nomina & dogmata philosophorum, quod maximè ad rem pertinebat, si aliquid de philosophis probandum fuit, commemorare voluisti. Non enim te adversus istos defenderet, non dico Epicurus, qui totum bonum hominis in voluptate corporis posuit, quia non quod ille, tu sentis: sed Dinomachus, huius quippè dogma tibi placuit. Nam ipse coniungendam voluptatem arbitratus est honestati; vt quemadmodum honestas, ita voluptas per se ipsa appetenda videretur. Hanc ergò partem vbi de moribus disputatur, cùm tibi infensam cerneres, attingere timuisti. Nam vbi maximè controversia ista versatur, quanti & quales, & cuius apud gentes gloriæ philosophi tibi præferantur, vides: maximèque ipse Plato, quem Cicero appellare non dubitat penè philosophorum Deum: cuius nec tu nomen præterire potuisti, cùm de naturalibus, non de moralibus philosophorum nobis dogmata inferres sive præferres, qui corporis voluptates verè & graviter dixisse perhibetur illecebras atque escas malorum. Nunquid autem quid de hominis conditione senserint quos nominasti philosophi, quia & hoc ad naturalem pertinet quæstionem, quod qualitercunque causa poscebat, commemorandum putasti? Non vtique feci sti, & rectè. Quid enim illi didicerant, vel quid locuti fuerant de primo homine Adam & eius coniuge, de primâ eorum prævaricatione, de serpentis astutiâ, de nuditate corporis ante peccatum sine confusione, & cum confusione continuò post peccatum? Quid denique tale audierunt, quale illud est quod ait Apostolus, *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, &*

Sup. cap. 12.

Dinomachus voluptatem honestati coniungendam putavit. Vide Cicero. lib. 5 de finibus & lib. 5. Tuscul. vbi Calliphontis eam quoque de summo bono sententiam facit. Lib. 2. de naturâ Deorum.

Sup. c. 14. ex Cicerone. Hortensio.

Rom. 5. 12.

ita in omnes homines pertranſiit in quo omnes peccaverunt? Harum literarum illi atque huius veritatis expertes, quid de hâc re ſapere potuerunt? Verùm ſi de hominis conditione dogmata hominum à ſacris literis noſtris abhorrentium nihil iudicaſti eſſe ponendum, & rectiſſimè iudicaſti: quantò minùs te quæ poſuiſti adiuvare potuerunt, quid de principiis mundi huius viſibilis ſenſerint, vnde inter nos nulla quæſtio vertitur? Sed mens tua potius tanquàm magnum aliquid de philoſophorum libris didiceris, iactantiæ vanitate ſubvertitur. Videntur autem non fruſtrà Chriſtianæ fidei propinquaſſe, qui vitam iſtam fallaciæ miſeriæque pleniſſimam non opinati ſunt niſi divino iudicio contigiſſe, tribuentes vtique iuſtitiam conditori, à quo factus eſt & adminiſtratur hic mundus. Quantò ergò te melius veritatique vicinius de hominum generatione ſenſerunt quos Cicero in extremis partibus Hortenſij dialogi velut ipſa rerum evidentia ductus compulſuſque commemorat? Nam cùm multa quæ videmus & gemimus, de hominum vanitate atque infelicitate dixiſſet, *ex quibus humana*, inquit, *vita erroribus & aerumnis ſit, vt interdùm veteres illi, ſive vates, ſive in ſacris initijſque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vitâ ſuperiore, pœnarum luendarum cauſa natos eſſe dixerunt, aliquid vidiſſe videantur: verumque ſit illud quod eſt apud Ariſtotelem, ſimili nos affectos eſſe ſupplicio, atque eos qui quondam, quum in prædonum Hetruſcorum manus incidiſſent, crudelitate excogitatâ necabantur, quorum corpora viva cum mortuis, adverſa adverſis accommodata, quàm aptiſſimè colligabantur: ſic noſtros animos cum corporibus copulatos, vt vivos cum mortuis eſſe coniunctos.* Nonnè qui iſta ſenſerunt multò quàm tu melius, *grave iugum ſuper filios Adam*, & Dei potentiam iuſtitiamque viderunt, etiam ſi gratiam, quæ per *mediatorem* liberandis hominibus conceſſa eſt, non viderunt? Ecce ego inveni quod tibi de illis gentilium philoſophorum literis poſſet iure præponi, te inſtigante, qui nihil tale de illis invenire potuiſti, & vt me admoneres, quod adverſus te invenirem tacere noluiſti.

Philoſophi in quibuſdã Chriſtiana fidei appropinquarunt.

Cicero in Hortenſio.

Hetruſcorũ, prædonum crudelitas.

Eccl. 40. 1.

CAPVT XVI.

QVid quod de Apoſtoli teſtimonio pro te eſſe exiſtimas, quod eſt contrà te, & membra noſtra quæ vtique ante peccatum nuda erant, nec confundebant eos quibus inerant, pudenda

pudenda fuisse asseris, nesciens quid loquaris? Ego enim debui adhibere testimonium, quod ipse adhibuisti, vbi ait Apostolus, *Multò magis quæ videntur infirma esse corporis nostri, hæc necessaria sunt*, & cætera quæ pro nobis ipse posuisti. Sed operæpretium est considerare, quomodò eò veneris vt diceres. *Iam igitur*, inquis, *tempus est vt ostendamus extrà naturæ testimonium etiam aliqua authoritate legis, sic nostra membra fuisse formata, vt alia verecundia, alia libertate gauderent. Ad quod confirmandum*, inquis, *gentium citetur magister, qui scribens ad Corinthios ait, Corpus nostrum non est vnum membrum, sed multa.* Deinde, cum Apostolica verba subtexeres, quibus ille mirificè explicavit vnitatem consensumque membrorum: *Et quia pauca*, inquis, *totius corporis membra nominaverat, atque pro suâ honestate genitalia loca directè appellare nolebat.* Nònne his verbis tuis te ipse redarguis? Honestas ergò non erat appellare directè, quod Deus facere dignatus est rectè. Et quod creare non puduerat ipsum iudicem, pudebat enunciare præconem. quandò istud ita esset, nisi quæ ille fecerat honesta condendo, nos fecissemus inhonesta peccando? Inde subiungis de hâc re Apostolicum testimonium, quod ita scriptum esse commemoras. *Multò enim magis quæ videntur infirma esse corporis nostri, hæc necessaria sunt: & quæ putamus inhonorabilia esse membra corporis, his honorem abundantiorem circumdamus. Et quæ verecunda sunt nostra, maiorem honestatem habent. Quæ autem sunt honesta nostra, nullo egent: sed Deus temperavit corpus, ei cui deerat, abundantiorem dando honorem, vt non sit scissura in corpore, sed eadem ipsa pro se invicem cogitent membra.* Quibus dictis tanquam victor exclamas, *En verum intellectorem operis Dei, en fidelem sapientiæ eius prædicatorem. Verecundiora, inquit, nostra maiore honestate conteguntur.* Ad hoc certè vnum verbum totam causam tuam religandam putasti, quod Apostolum dixisse legisti, * *verecundiora nostra.* Si autem legisses, inhonesta nostra, nullo modo vtique hoc testimonium ponere auderes. Nullo modo enim Deus, & hoc quod est pejus ante peccatum, aliquid faceret in membris humani corporis inhonestum. Disce ergò quod nescis, quia diligenter quærere noluisti. *Inhonesta* dixit Apostolus: sed nonnulli interpretes, in quibus & iste est quantum arbitror, quem legisti, credo verecundati verecundiora dixerunt, quæ ille dixit *inhonesta*: quod probatur ex verbis in ipso codice scriptis, vnde ista verba Apostolica transtulisti, quod enim abs te positum est

1. Cor. 12. 22.

Ibidem 14.

Iulianus putaverem membrorum ab exordio creationis insitum putat.

Ibid. 22. & sequens.

* Inhonesta legit nonnulli interpres.

cundiora, in Græco legitur ἀσχήμονα. Quod autem sequitur, *maiorem honestatem habent*, in græco est εὐσχημοσύνην quod integrè interpretatum est, honestatem. Vnde apparet illa quæ ἀσχήμονα dicta sunt, inhonesta Latinè appellari. Postremò quod adiunctum est, *quæ autem sunt honesta nostra*, Græcus habet εὐσχήμονα. Vnde manifestum est illa quæ ἀσχήμονα dicta sunt, inhonesta esse. Quàm vis & nulla Græcorum consideratione verborum eo ipso debuisti admoneri inhonesta esse illa quæ abundantiorem honestatem habent velaminis, quando ea quæ hoc opus non habent, honesta sunt dicta. Quid est enim, quæ autem honesta sunt nostra, non opus habent: nisi illa inhonesta sunt, quæ opus habent? Honestas ergò adhibetur inhonestis, cùm rationalis naturæ sensui ipso verecundante velantur. Eorum quippè honestas & honor est velamentum, tantò abundantiùs, quantò magis inhonesta sunt, quod profectò non diceret Apostolus, si corpus tale describeret, quale habebant homines quando *nudi erant, & non confundebantur*. Vide igitur quàm impudenter ideò dicas *homines fuisse primitùs nudos, quia ad solertia humanæ operam vt se tegerent, pertinebat, quæ nondum in illis fuit*. Vnde fit consequens, vt ante peccatum inertes, peccato autem factos credas esse solertes. Quàm porrò multis inaniter dictis quasi eleganter acutèque concludis dicens, *Non igitur quia peccaverant, genitalia vel diabolica, vel inhonesta fecerunt; sed quia pavitabant, in ea quæ primùm fuerant honestate permanentia membra texerunt*. Ad quod respondeo, diabolica quidem membra non esse, quantum ad eorum substantiã, figuram, qualitatemq; pertinet: quam condidit Deus: sed si eadem membra in quâ priùs fuerant honestate manserunt. cur ea dixit Apostolus *inhonesta*? Benè quod ipse confessus es, illa membra fuisse priùs honesta: non enim aliud posses nisi blasphemâ opinione sentire. Quæ igitur Deus honesta fecerat, dixit, Apostolus *inhonesta*. Causam requiro. Si hoc non peccato factum est, vnde factum est? Quis honesta Dei opera dehonestavit, vt ea *inhonesta* sanctus Apostolus diceret? Vtrùm habitudo, in quâ est solertia creantis; an libido in quâ est pœna peccantis? Nam etiam nunc quod Deus ibi facit, honestum est; quod origo contrahit, inhonestum. Et tamen ne sint scissuræ in corpore, contributum est divinitùs sensui naturali, vt pro invicem solicita sint membra: & quod dehonestavit concupiscentia, contegat verecundia. Sed dicis, *Cur audita voce Dei deambulan-*

1. Cor. 11. 23.

Gen. 3. 8.

deambulantis in paradiso absconderunt se Adam & mulier eius, cùm perizomata sufficere potuissent, si de genitalium nuditate erubuissent? Quid est quod dicis, non inveniendo quod dicas; nec attendis, quod animo trepidante à facie Domini, abstrusiora latibula quæsierunt? illa verò lumbis circumposita tegmina, motum qui ibi sentiebatur erubescendo velarunt. Si cùm *nudi essent, non confundebantur*; restat vt confusione se texerint. Confusionem inhonestatis esse, non dubium. Ideòque ibi dictum
Gen. 2. 25. est, *Nudi erant, & non confundebantur*: vt appareat confusione factum, quod posteà pudenda texerunt. Hic autem vbi se
Gen. 3. 10. absconderunt in medio ligni paradisi, respondit Adam, *Vocem tuam audivi deambulantis in paradiso, & timui quia nudus sum.* Illud manifesta confusio, istud occulta conscientia, quâ delinquente intrinsecus accidit manifesta confusio. illud ergò fecit pudor, hoc timor. Illud erubescenda concupiscentia, hoc punienda conscientia; dementi scilicet similis, quandò eum qui cordis cernebat interna, corporis occultatione fugiebat. Quid
Ibidem 11. est autem quod ait Dominus, *Quis nunciavit tibi quia nudus es, nisi de ligno de quo præceperam tibi ne manducares, manducasti?* Quid est gustato cibo prohibito nuditas indicata; nisi peccato nudatum, quod gratia contegebat? Gratia quippè Dei magna ibi erat, vbi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergò vestitus gratiâ non habebat in nudo corpore quod puderet, spoliatus gratia sensit quod operire deberet, *Fugienda*, inquis, *opinio est quæ putat vel in membris hominum, vel in sensibus membrorum aliquid diabolum condidisse.* Quid nobis obiicis vanas exorbitationes tuas? Non aliquid diabolus quod ad naturam hominis pertinet, condidit; sed quod Deus benè condiderat, peccati persuasione violavit, ita vt illo vulnere quod factum est per duorum hominum liberum arbitrium, totum genus claudicaret humanum. Eccè circumstat sensus tuos miseria generis humani. Homo es, humani nihil abs te alienum puta, & in iis, quæ non pateris, compatere patientibus. Quàmvis & ipse quantâlibet terrenâ fœlicitate præpolleas, nullum sine bello intestino diem ducis, si tamen quod profiteris implere conaris. Sed in iis quæ meminisse iam non potes parvulos intuere, quot & quanta mala patiantur, in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescât. Deinde iã grandes, etiam Deo servientes tentat error, vt decipiat: tẽtat labor, aut dolor, vt frangat: tẽtat libido, vt accendat: tentat

tentat mœror, vt sternat: tentat typhus, vt extollat. Et quis explicet omnia festinanter, quibus gravatur *iugum super filios Adam?* Huius evidentia miseriæ gentium philosophos nihil de peccato primi hominis sive scientes, sive credentes, compulit dicere, ob aliqua scelera suscepta in vitâ superiore pœnarum luendarum causâ nos esse natos, & animos nostros corruptibilibus corporibus eo supplicio quo Hetrusci prædones captos affligere cõsueverant, tanquàm vivos cum mortuis esse coniunctos. Apostolus autem amputat opinionem, quâ creduntur singulæ animæ pro meritis anteactæ vitæ diversis corporibus inseri. Quid igitur restat, nisi vt causa istorum malorum sit, aut iniquitas vel impotentia Dei, aut pœna primi veterisque peccati? sed quia nec iniustus, nec impotens est Deus; restat quod non vis, sed cogeris confiteri, quòd *grave iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ, in matrem omnium* non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset. Eccl. 40.1.

Platonici, quos secutus est & Origines.

LIBRI QVARTI

FINIS.

DIVI

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI

Contra Iulianum

LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

ORDO ipse postulat, quoniam primo secundoq; respondimus, quid liber tuus tertius contineat deinde videamus: & respõdeamus pestilentiosis laboribus tuis, quãtũ Dñs opitulatur, salubribus laboribus nostris, tenentes institutũ modũ, vt ea quę nõ habẽt ad rẽ quę inter nos agitur pertinentẽ cõtroversiam, transeamus: ne qui hæc nostra nosse voluerint, plus laboris & temporis in opere legendi, quàm in discendi vtilitate consumant. Quid etgò opus est, vt aliquid aduersus ea dicam, quæ in principio posuisti libri huius solita & vana, *de inuidia quam vos sustinere pro veritate iactatis; & de paucitate velut prudentium, quibus vos placere gaudetis?* Hæc enim & veterum & nouorum omnium vox est hæreticorum, ipsâ consuetudine iam sordidata atque pertrita. Et tamen necessitate compellitur talibus pannis indui tàm magna etiam vestra superbia, quæ sic tenditur & inflatur, vt eos deformiùs dùm gestit ostentare, dirumpat. Tuas etiam calumniosissimas contumelias non est necesse sæpiùs refutare, quibus me vnum nominatim videris appetere: & in tot ac tanta catholica lumina, tacitis eorum nominibus vel insanus insilis, vel cæcus offendis. Vnde tibi duobus prioribus libris sic me respondisse arbitror, vt à nullo ampliùs requiratur. Exaggeras quàm sit *difficilis paucisque conuuniens eruditis, sanctarum cognitio literarum*: videlicet, vt Deus sicut vniuersitatis conditor & iustus & verax ac pius,

Transit ad lib. 3. Iuliani confutati.

Vox omnium hæreticorũ.

pius, idem donorum suorum in homines cumulator probetur; *quia vna est*, vt fatéris, *optima causa studiorum bonorum, vt honoretur Deus* Quem tamen sic honoras, vt parvulorum liberatorem neges per Christum Iesum, id est, Salvatorem, cuius eos baptismate sic ablui dicis, vt non consequantur salutem, tanquàm medico non indigeant Christo; humanæ originis venam sagaciter inspiciente, & eos sanos pronunciante Iuliano. Quantò meliùs nihil omninò didicisses, quàm per istam velut scientiam legis in quâ te turgidus iactas, non sanè duce Dei lege, sed vestrâ potiùs vanitate, ad hanc impiam præsumptionem inimicam fidei Christianæ & tuæ animæ perveniſſes. *Sententia*, inquis, *vestra tàm deformis & vana est, qua & Deo iniquitatem, & diabolo conditionem hominum, & peccato substantiam, & conscientiam sine scientiâ parvulis conatur ascribere.* Breviter respondeo: sententia nostra nec deformis est; quia *speciosum forma præ filijs hominum* Salvatorem prædicat omnium hominum, ac per hoc etiam parvulorum. Nec vana est; quia non frustrà, sed præcedente peccato dicit *hominem vanitati similem factum, cuius dies sicut vmbra pretereunt.* Nec Deo ascribit iniquitatem, sed potius æquitatem; quia non iniustè tot & tantis malis, quæ sæpissimè cernimus, etiam parvulus plectitur. Nec diabolo conditionem hominum, sed humanæ originis depravationem: nec peccato substantiam deputat, sed in primis hominibus actum, in eorum verò posteritate contagium: Nec parvulis conscientiam sine scientiâ, in quibus nec scientia est nec conscientia; sed scivit ille quid fecerit *in quo omnes peccaverunt*, & singuli malum inde traxerunt. Tu autem multitudinem præstruis idiotarum, (quos appellas *simplices, qui alijs occupati negotijs, nihil de eruditione cœperunt, solâ tamen fide ad Ecclesiam Christi pervenire curarunt*) *nè facilè obscuris quæstionibus terreantur, sed credentes Deum verum conditorem esse hominum, indubitatè quoque teneant quia pius est, quia verax, quia iustus; atque hanc existimationem de illâ Trinitate servantes, quidquid audierint huic convenire sententiæ, amplexentur, atque collaudent: nec hoc eis vlla vis argumentationis evellat, sed detestentur omnem authoritatem atq; omnem societatem contraria persuadere nitentem.* Si hæc ipsa tua verba consideres, adversus te illos firmissimos reddis. Neque enim alia causa est, cur novitatem vestram detestetur etiam multitudo Christiana, à cuius velut imperito iudicio ad paucos vestros, quos videri cupis prudentissimos & doctissimos, pro-

Psal. 44. 3.

Psal. 143.4.

provocas: nisi quia Deum & hominum conditorem iustissimum cogitant; & suorum tantos cruciatus conspiciunt parvulorum, vt sub Deo creatore optimo atque iustissimo nullo modo imago eius in illâ ætate tanta mala pateretur, si non esset originale peccatum. Quorum si quisquam gestans parvulum filium, te sine clamore invidioso, & in parte vbi nullus audiret, compellaret, ac diceret, Ego eâ mente, intelligentiâ, ratione, in quâ sum factus ad imaginem Dei, tantum amo regnum Dei, vt hominis magnam iudicem pœnam, si eò nunquàm possit intrare. Itanè verò tu non homo de turbâ imperitorum, sed inter paucos prudentissimos regni illius amator, tantò vtique ardentior quantò magis te flagrantissima paucorum societas in illud accendit, nec facit inde torpescere frigidior multitudo, respondurus es homini atq; dicturus: Non solùm magna non est, sed nulla omninò pœna est imaginis Dei, nunquàm posse intrare in regnum Dei. Puto quòd nec vni homini, cuius nec vim nec testimonium formidabis, hoc dicere audebis. Te itaq; sive respondente quodlibet, sive (quod magis à te exigeret si non Christiana, certè humana verecundia) reticente, ingereret aspectibus tuis parvulum suum dicens: iustus est Deus; quid mali est, quod innocentem hanc eius imaginem prohibet intrare in regnũ eius; si non hoc est *peccatum* quod *per vnum hominem intrauit in mundum*? Puto quòd nulla tibi aderit sapientia, quâ tibi videaris illo indocto homine doctior; sed si à te recesserit impudentia, illo infante remanebis infantior.

Rom. 5. 12.

CAPVT II.

SEd proemio terminato quo imperitos admonitos removisti, & paucorum tibi aures eruditissimas præparasti, quid disputationis aggrediaris, videamus. Nescio quid enim satis acutum tibi venit in mentem, quod te in secundo libro tuo fugerat, cùm de membris pudendis, quæ post peccatum rationali verecundante naturâ ficulneorum adoperta sunt tegmine foliorum, multa dixisses: frustrà refutare conatus. quod ego dixeram, *Cur ergò ex illis membris confusio post peccatum, nisi quia extitit illic indecens motus*? Quid igitur excogitasti quod ita tibi placuit, vt nec finito volumine, vbi hanc quæstionem tàm diuturnâ loquacitate versasti, iam hoc putares omittendum? *Scriptum esse* dicis: *Et fecerunt sibi vestimenta, aliamq; interpretationem habere* commemoras *perizomata*: & *vestimenta* per-

Lib. 1. de nup. & conc. c. 5.

Perizomata quid sibi velint quibus se primi parentes texerunt;

Gen. 3. 7.

hibes *totius corporis indumentum intelligi posse, quod ad pudoris referatur officium.* Vbi miror istum interpretem quem legisti, si Pelagianus non fuit, ex eo quod Græcus ait perizomata, vestimenta potuisse transferre. Verùm & hic si pudor adsit, ad cuius officium vestimenta asseris pertinere, nequaquàm persuadere conaberis homines primos peccato magistro ista pudoris officia didicisse & in eis priùs duas quasi socias & amicas convenienter habitasse innocentiam & impudentiam. Quandò enim *nudi erant, & non confundebantur*, inverecundi erant secundùm tuam disputationem, & à naturali pudoris sensu abhorrebant. Sed videlicet ab istâ pravitate peccando correcti sunt, & sensus reprobus prævaricationis factus est in eis doctor pudoris. Pudentes quippè fecit nequitia quos impudentes iustitia faciebat. Immò verò tua ista sententia ita est indecenter impudens & deformiter nuda, vt eam quantalibet folia verborum consuas, operire non possis. *A Pictoribus me dicisse* derides *quod Adam & mulier eius pudenda contexerint, & Horatianum illud decantatum audire me* præcipis, *Pictoribus atque poëtis, Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.* Ego verò non à pictore inanium figurarum, sed à scriptore divinarum didici literarum, quia illi primi homines antequàm peccarent *nudi erant, & non confundebantur.* In quibus absit vt tanta innocentia tàm impudens esset, sed nondùm inerat quod puderet. Peccaverunt, attenderunt, erubuerunt, operuerunt, & adhuc clamas, *nihil illic indecens novumque senserunt.* Hanc planè impudentiam tuam nimis incredibilem, absit vt dicam, nullus te Apostolus, aut Propheta, sed nec pictor docuit, nec poëta. Illi quippè ipsi quibus quidlibet audendi, sicut eleganter dictum videtur, semper fuit æqua potestas; confunderentur tale aliquid ridendum fingere, quale tu credendum non confunderis disputare. Duas enim simul habitantes, quarum altera est optima, altera est pessima, velut inter se convenientes atque concordes, innocentiam scilicet atq; impudentiam, nullus pictor pingere, nullus poëta canere auderet: nec eorum quisquam ita de sensibus desperaret humanis, vt etiam hoc sibi audendi æquam crederet potestatem, sed insanam potiùs vanitatem. In eo verò quod aisti, *si illi interpretationi quæ perizomata, id est, præcinctoria posuit, favetur, latera magis dicam tecta fuisse quàm femora.* Primùm doleo, sic te abuti eorum ignorantiâ, qui græcè nesciunt, vt eorum qui sciunt, iudicium reve-

Horatius in arte poeticâ.

ritus

ritus non sis. Sed commodius accidit, vt ipsa perizomata quæ leguntur in codicibus Græcis tanquàm verbum suæ linguæ mos Latinus vsurpet. Proinde cùm perizomata non femora, sed latera contegi potuisse asseveraſti, puto quod te etiam ipse risisti. Quis enim doctus vel indoctus ignoret, quas perizomata contegant corporis partes: quod nomen tegminis etiam in fœminarum dotibus frequentari & æstimari solet, neque id alligari nisi zona quæ lumbos cingit? Interroga & disce, quod te non credo nescire. Quàmvis etiam si nescias, non vsque adeò te arbitror non humanum eloquium, sed humanum habitum velle pervertere, vt perizomata super humeros levare coneris; aut eis ita latera illorum hominum fuisse contecta, vt genitalia totæq; lumborum cum femoribus partes nudæ relinquerentur. Quid ergò te adiuvat, & non me potiùs ex quâtâvis parte corporis superiore inferiora velata sint, vbi *lex in*
Rom. 7. 23. *membris repugnans legi mentis* affectu sentiebatur amborum, & alterno excitabatur aspectu, inobedientium pravitatem suæ inobedientiæ novitate confundens? Quæ quantò turbulentius movebatur, tantò verecundiùs fieret, si caro cuius eam stimulabat aspectus, aliquantò spatiosiùs velaretur. Sive igitur à lumbis, sive à lateribus demissa sunt tegmina; pudenda sunt tecta, quæ pudenda non essent, nisi *legi mentis lex peccati* invidè *repugnaret*. Sed vbi manifesta res est, scripturæ divinæ sensui nostrum sensum addere non debemus: non enim hoc
Gen. 3. 25. fit humanâ ignorantiâ, sed præsumptione perversa. *Adam & mulier eius*, qui *nudi erant* ante peccatum, *& non confundebantur*, mox vt peccaverunt quas partes corporis amicierunt, perizomatum nomine satis evidenter expressum est. Videmus quid texerint; nimiæ insipientiæ est adhuc quærere, nimiæ impudentiæ, adhuc negare quid senserint. Nam tu quoq; cùm obstinatissimè contradicas, vsque adeò iudicasti nihil aliud humanis occurrere sensibus, nisi concupiscentialem motum erubescentes illos homines in genitalibus tegere voluisse; vt perizomata erigere ad latera conareris; aut operiens latus vbi peccatores nihil mali sensisse contendis, aut deformiter nudans, quod magis tegendum esse consentis.

CAPVT III

INſeris alia de libro meo verba; vbi dixi *carnis inobedientiam inobedienti homini dignißime retributam; quia iniuſtum erat, vt obtemperaretur à ſervo ſuo, ideſt, à corpore ſuo, ei qui non obtemperaverat* Domino *ſuo*: & conaris oſtendere *hanc inobedientiam carnis potiùs eſſe laudabilem, ſi pœna peccati eſt*: & tanquàm perſona ſit aliqua, quæ peccatorem ſcienter affligat, ſic eam *velut vltricem ſceleris, & in hoc Dei miniſtram*, tanquàm magnum aliquod bonum cothurno ſermonis exornas. Nec cogitas poſſe te iſto modo laudare angelos malos, qui vtiq; non ſunt niſi prævaricatores atque impij, per quos tamen Deum meritas pœnas irrogare peccantibus, ſancta ſcriptura teſtatur, dicens: *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & iram & tribulationem, miſſionem per angelos malos*. Lauda etiam iſtos, lauda eorum principem Satanam, quia & ipſe vindex peccati fuit, quandò *eis tradidit* Apoſtolus *hominem in interitum carnis*. Valdè enim diſertus es contrà gratiam Chriſti, & idoneus dicere panegyricum Satanæ, & angelis eius, per quos multorum Deus iudex atq; vltor eſt peccatorum, retribuens eis ſecundùm opera ſua, eos ipſos peſſimos & damnabiles ſpiritus puniendorum ſupplicia faciens, qui benè iuſtèq; vtitur & bonis & malis. Prædica igitur iniquiſſimas poteſtates, quia per ipſas mala retribuuntur malis: qui propterea concupiſcentiã prædicas carnis, quia inobediẽtia retributa eſt inobedientiæ peccatoris. Lauda iniquum Regem Saulem; quia & ipſe fuit pœna peccantium, Domino dicente *Dedi tibi regem in irâ meâ*. Lauda dæmonium quod rex ipſe patiebatur, quia & hoc pœna fuerat peccatoris. Lauda *cæcitatem* cordis *quæ ex parte in Iſrael facta eſt*. Nec tacetur de cæcitate Iſraël, quare? *Donec plenitudo*, inquit, *gentium intraret*. Niſi fortè & iſtam pœnam negabis eſſe, quam ſi lucis internæ amator eſſes, non ſolùm aliquam, ſed valdè magnam pœnam eſſe clamares. At iſta cæcitas fuit Iudæis grande incredulitatis malum, & grandis cauſa peccati vt occiderent Chriſtum. Iam iſtam cæcitatẽ ſi pœnã fuiſſe negaveris, ſimilẽ te perpeti etiã nõ cõfitens indicabis. Si autẽ pœnã quidẽ fuiſſe, ſed peccati pœnã nõ fuiſſe contendis; iuterim fateris, quod vnũ aliquid & peccatũ eſſe poſſit & pœna: ſi autẽ non eſt hæc pœna peccati, profectò iniqua pœna eſt, & iniuſtum facis Deum, quo iubente vel ſinente; aut infirmum, quo non avertente infligitur nocenti. Quod ſi etiam pœnam peccati eſſe

Lib. 1. de nup. & conc. c. 6.

Pſal. 77. 49

1. Cor. 5. 4.

Oſee 13. 11.

1. Reg. 16. 14.

Rom. 11. 25.

eſſe

esse concedis, ne hoc concedendo tu ipse corde cæcus appareas, vide iam quod videre nolebas, istam quam movisti solutam esse quæstionem: quia sicut diabolus atq; angeli eius & mali reges, non solùm ipsi peccatores sunt, sed per iustitiam Dei fiunt etiam supplicia peccatorum, nec ideò laude sunt digni, quia pœna ex illis iusta infligitur dignis: sic *lex in membris repugnans legi mentis*, Rom. 7. non ideò ipsa iustè agit, quia eius qui egit iniustè, pœna sit iusta: & sicut cæcitas cordis quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est quo in Deum non creditur; & pœna peccati, quâ cor superbum dignâ animadversione punitur; & causa peccati, cùm mali aliquid cæci cordis errore committitur: ita *concupiscentia carnis* (adversus quâ bonus concupiscit spiritus) & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis: & causa peccati est defectione consentientis vel contagione nascentis. Proinde omnia quæ pro hâc tuâ cæcâ & inconsideratâ opinione dixisti, quâ *carnis concupiscentiam* eo ipso quod eam pœnam diximus esse peccati, non solùm non vituperandam, verùmetiam laudandam putasti, quamlibet prolixâ disputatione in eo fueris immoratus, evanuisse certissimum est. Nam quod aisti, *Si libido pœna peccati est, abiciendam esse pudicitiam, ne rebellis in Deum castitas illatam ab eo dicatur enervare sententiam*, & cætera huiusmodi quæ hanc vanitatem consequentia atque hinc relegata contexis: totidem verbis de cæcitate cordis errore simillimo dici potest: Si cæcitas cordis pœna peccati est, abiicienda doctrina, ne rebellis in Deum mentis illuminatio illatam ab eo dicatur enervare sententiam. Quod si absurdissimum est dicere, quàmvis sit cæcitas cordis pœna peccati; eo modo absurdissimum est etiam quod ipse dixisti, quàmvis sit libido, id est, inobedientia carnis pœna peccati: quoniam cæcitati cordis debet resistere scientia, & libidini continentia: eam verò pœnam quæ nec error est, nec libido, debet tolerare patientia. Quapropter quandò Deo donante ex verâ vivitur fide, ipse Deus adest & menti illuminandæ & concupiscentiæ superandæ, & molestiæ perferendæ. Hoc enim totum rectè fit, quandò fit propter ipsum, id est, quandò gratis amatur ipse: qualis amor nobis esse non potest, nisi ex ipso. Alioquin quandò sibi homo multùm placet, & de suâ virtute confidit, si traditur in desideria superbiæ suæ tantò ampliùs augetur hoc malum, quantò magis ei cupiditates cæteræ cesse-

Idem & peccatum, & peccati pœna, & causa esse potest.

Pœnam quæ nec error nec libido est, debet tolerare patientia.

rint, easq; velut laudabilis hanc vnam oblectando compressérit. Quod ergò in aliis opusculis meis legisse te dicis, atque id frustrà refutare conatus es, esse nonnulla peccata quæ pœnæ sint etiam peccatorum, depositò vincendi studio diligenter attende, & invenies esse verissimum secundùm ea quæ de cordis cæcitate tractata sunt. Quid enim egisti quæso te, quid egisti, commemorando Apostolicum testimonium, quo ego illud probavi, quod in aliâ meâ disputatione legisti, quia de quibusdam scripsit dicens: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conveniunt?* Hoc enim voluisti videri hyperbolycum dictum, quod fit cùm ad permovendos animos, fidem rerum qui sermocinatur, excedit. Vbi ergò id Apostolus fecerit, non graveris ostendere. *Cùm inveheretur*, inquis, *in impiorum crimina, pœnarum ea nominibus aggravavit, quantumque pectori suo virtutum omnium domicilio turpitudo horreret ostendens, non tàm reos quàm damnatos sibi tales ait videri.* Imò sicut ipse loquitur, non sicut eum tu loqui fingis, & damnatos demonstravit & reos, nec solùm de præteritis reos propter quæ damnatos, sed inde etiam reos vnde etiam damnatos. Nam reos ostendit, vbi ait, *Et coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen.* Deinde damnatos propter iustum reatum, Sequitur enim, *Propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Audis *propter hoc*; & quæris inaniter, *quomodò intelligendus sit tradere Deus.* Multùm laborans, vt ostendas *eum tradere deserendo.* Sed quomodolibet tradat, propter hoc tradidit, propter hoc deseruit: & vides eius traditionem, qualemlibet & quomodolibet intelligas quæ consecuta sint. Curavit enim Apostolus dicere quanta pœna sit à Deo tradi passionibus ignominiæ, sive deserendo, sive alio quocunque vel explicabili, vel inexplicabili modo, quo facit hæc summè bonus & ineffabiliter iustus. *Nam fœminæ eorum*, inquit, *immutaverunt naturalem vsum, in eum vsum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relinquentes naturalem vsum fœminæ, exarserunt in appetitum suum in invicem, masculi in masculos deformitatem operantes, & mercedem mutuã quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes.* Quid hoc evidentius, quid apertiùs, quid expressiùs? *Mercedem mutuã recepisse* dicit, vtique damnatos vt tanta operarentur mala, & tamen ista dãnatio etiam reatus est; quo graviùs implicantur.

De natur. & gratiâ lib. 22.

Hyperbole quid.

Rom. 1.

Ibidem 25.

Ibid. 26.

Explicat modum lib. de gratiâ & lib arbit c. 20. & 21.

Ibid. & 27.

Ita

Ita & peccata sunt ista, & pœnæ præcedentium peccatorum. Et quod est mirabilius, etiam *oportuisse* dicit eos istam *mutuam mercedem recipere*. Ita se habent etiam superiora verba
Ibid. 23. & 24. Apostoli, quæ ipse posuisti. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam:* & cætera quæ sequuntur. Et hic vtique vides causam propter quam traditi sunt, sine vlla ambiguitate monstratam. Dixit quippe quid mali antè fecissent, & adiunxit: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Proinde præcedentis est hæc pœna peccati, & tamen etiam ipsa peccatum est, quod verbis consequentibus explicat. Sed tu contrà differens, eo modo tibi videris istam soluisse quæstionem, quia desiderijs suis Apostolus tra litos dixit. *Iam enim flagitiorum*, inquis, *desiderijs æstuabant*. Et adiungis ac dicis, *Quomodo ergo per potentiam tradentis Dei putandi sunt in talia facta cecidisse?* Quid ergo plus factum est obsecro te, aut vt quid diceret, *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*; si iam erant possessi quodam modo malis desiderijs cordis sui? Nunquid autem consequens est, vt si habet aliquis cordis desideria mala, iam etiam consentiat eis ad committenda eadem mala? Ac per hoc aliud est habere mala desideria cordis, aliud tradi eis; vtique vt consentiendo eis possideatur ab eis; quod fit cùm diuino iudicio tradi-
Eccles. 18. 30. tur eis. Alioquin frustrà dictum est, *Post concupiscentias tuas non eas*, si iam quisque reus est, quòd tumultuantes, & ad mala trahere nitentes sentit eas, nec eas sequitur si non eis traditur, exercens aduersus eas gloriosa certamina si viuit in gratia. Quid tibi enim videtur, quod obseruat quod scriptum est, *si præstes animæ tuæ concupiscentias eius* (quod quid est aliud, quàm desideria eius mala) *faciet te gaudium inimicis & inuidu tuis*? Nunquid iam iste reus est, habendo tales animæ
Ibid. 31. concupiscentias, quas ei præstare non debet, ne in gaudium veniat diabolo & angelis eius, qui sunt inimici atque inuidi nostri? Cum ergo dicitur homo tradi desiderijs suis; inde fit reus, quia desertus à Deo cedit eis atque consentit, vinci-
2. Pet. 2. 19. tur, capitur, trahitur, possidetur. *A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est*. Et fit ei peccatum conse-
Esa. 19. 14. quens, præcedentis pœna peccati. An non est peccatum & pœna peccati, vbi legitur, *Dominus enim miscuit illis*

Tradi desiderijs malis, quid.

Non concupiscentias sentire, sed sequi peccatum est.

Quod isti volunt nostri temporis hæretici.

Peccatum & pœna peccati.

spiritum erroris, & seduxerunt Ægyptum in omnibus operibus suis, sicut seducitur ebrius? Non est peccatum & pœna peccati, vbi Deo dicit Propheta, *Quid errare fecisti nos domine à via tua, obtudisti corda nostra vt non timeremus te?* Non est peccatum & pœna peccati, vbi rursus Deo dicit; *Ecce tu iratus es, & nos peccauimus propterea erranimus, & facti sumus sicut immundi omnes?* Non est peccatum & pœna peccati, vbi legitur de gentibus quas debellauit Iesus Naue, quia per Dominum factum est confortari cor eorum, vt obuiam irent ad bellum ad Israel, vt exterminarentur? Non est peccatum & pœna peccati, quod non audiuit Roboam rex plebem bene monentem, quoniam sicut scriptura loquitur, *Erat conuersio à Domino, vt statueret verbum suum quod de illo locutus est in manu Prophetæ?* Non est peccatum & pœna peccati, in eo quod scriptum est, Amasiam regem Iuda noluisse audire Ioas regem Israel bene monentem, ne procederet ad bellandũ? Sic enim legitur, *Et non audiuit Amasias, quoniam à Deo erat vt traderetur in manus hostium quoniam quæsierunt Deum Edom.* Et multa alia commemorare possemus, in quibus liquidò appareat occulto iudicio Dei fieri peruersitatem cordis, vt non audiatur quod verum dicitur, & inde peccetur, & sit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati. Nam credere mendacio, & non credere veritati, vtique peccatum est. Venit tamen ab ea cæcitate cordis, quæ occulto iudicio Dei, sed tamen iusto etiam pœna peccati monstratur. Quale est etiam illud quod ad Thessalonicenses scribit Apostolus, *Pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* Ecce pœna peccati, peccatum est. Vtrumque claret, breuiter dictum est, apertè dictum est, ab eo dictum est, cuius alia verba in tuam sententiam frustrà detorquere conatus es. Quid est autem quod dicis, *cum desideriis suis traditi dicuntur, relicti per diuinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi*: quasi non simul posuerit hæc duo idem Apostolus & patientiam & potentiam, vbi ait: *Sic autem volens Deus ostendere iram & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ; quæ perfecta sunt in perditionem.* Quid horum tamen dicis esse quod scriptum est: *Et Propheta si errauerit & locutus fuerit, ego dominus seduxi Prophetam illum, & extendam manum meam super eum, & exterminabo eum de medio populi mei Israel*: patientia est, an

Esa. 63. 17.

Esa. 64. 5. & 6.

Iosue 11. 20.

3. Reg. 12. 15.

2. Paral. 25. 20.

2. Thess. 2. 10.

Rom. 9. 22.

Ezech. 14. 9.

poten-

potentia? Quodlibet eligas, vel vtrumque fatearis, vides tamen falsa prophetantis peccatum esse, pœnamque peccati. An & hic dicturus es quod ait *Ego dominus seduxi prophetam illum*, intelligendum est, deserui, vt pro eius meritis seductus erraret? Age vt vis, tamen eo modo punitus est pro peccato, vt falsum prophetando peccaret. Sed illud intuere quod *vidit* 3. Reg. 22. Michæas propheta, *dominum sedentem super thronum suum, &* 19. & seq. *omnis exercitus cœli stabat circa eum à dextris eius & à sinistris eius. Et dixit dominus: Quis seducet Achab regem Israel, & ascendit, & cadet in Ramoth Galaad? Et dixit iste sic, & iste sic. Et exijt spiritus, & stetit in conspectu domini, & dixit: Ego seducam eum, Et dixit dominus ad eum: In quo? & dixit: Exibo & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit: Seduces & prævalebis, exi & fac sic.* Quid ad ista dicturus es? — Nempe rex ipse peccauit, falsis credendo prophetis. At hæc ipsa erat & pœna peccati deo iudicante, deo mittente angelum malum; vt apertius intelligeremus, quomodo in Psalmo dictum sit, Psal. 77. 49. *misisse iram indignationis suæ per angelos malos*. Sed nunquid errando, nunquid iniuste quidquam vel temerè iudicando, siue faciendo? Absit: Sed non frustrà illi dictum est: Psal. 35. 7. *Iudicia tua sicut abissus multa*. Non frustrà exclamat Apostolus *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei,* Rom. 11. 33. & 35. *quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles vię eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi vt retribuatur ei?* Nullum Rom. 9. 11. elegit dignum, sed eligendo effecit dignum; nullum tamen punit indignum.

CAPVT IV.

AIt inquis *Apostolus: Bonitas dei ad pœnitentiam te adducit.* Verum esse constat; sed quem prædestinauit adducit: Ibid. 5. & 6. quàmuis *secundùm duritiam, & cor impœnitens*, quantum ad ipsum attinet, *thesaurizet sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius*. Quantamlibet enim præbeat patientiam: nisi ipse dederit, quis 2. Tim. 2. 25. & 26. agit pœnitentiam? An oblitus es quod idem ipse doctor Psal. 35. 7. ait: *Ne fortè det illis deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis? Sed iudicia eius, multa abyssus.* 2. Tim. 2. 19. Nos certè si eos in quos nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus. Rom. 8. 28. Quàm verò innumerabilia ille permittit fieri ante oculos

suos; quæ vtique si noluisset nulla ratione permitteret: & tamen iustus & bonus est, & quòd præbendo patientiam dat locum pœnitentiæ nolens aliquem perire *nouit dominus qui sunt eius & omnia cooperatur in bonum* sed *his qui secundùm propositum vocati sunt.* Non enim omnes qui vocati sunt, *secundùm propositum sunt vocati. Multi enim vocati, pauci verò electi.* Qui ergo *electi, hi secundùm propositum vocati.* Vnde & alibi dicit: *Secundùm virtutem Dei saluos nos facientis & vocantis vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante secula æterna.* Denique & hic cùm dixisset: *Omnia cooperatur in bonum, his qui secundùm propositũ vocati sunt*; continuò subdidit, *quoniam quos antè præscivit & prædestinauit, cõformes imaginis filij eius vt sit primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinauit illos & vocauit: quos autem vocauit ipsos iustificauit: quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit; hi sunt secundùm propositum vocati.* Ipsi ergo *electi*, & hoc *ante mundi cõstitutionem*, ab eo *qui vocat ea quæ non sunt tanquam sint.* Sed *electi per electionem gratiæ.* Vnde dicit idẽ doctor & de Israël: *Reliquiæ per electionem gratiæ factæ sunt.* Et ne fortè *ante constitutionem mundi* ex operibus præcognitis putarentur electi, secutus est, & adiunxit: *si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam nõ est gratia.* Ex isto numero electorum & prædestinatorum etiam qui pessimam duxerunt vitam, per dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cuius patientiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti; vt ostendatur & ipsis & alijs cohæredibus eorum, de quàm profundo malo possit Dei gratia liberare. Ex his nemo perit, quacunque ætate moriatur. Absit enim vt prædestinatus ad vitam, sine sacramento *mediatoris* finire permittatur hanc vitam. Propter hos dominus ait: *Hæc est autem voluntas eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo.* Cæteri autem mortales qui ex isto numero non sunt, ex eadem quidem massa ex qua & isti, sed *vasa iræ* facti sunt, ad vtilitatem nascuntur istorum. Non enim quenquam eorum Deus temerè ac fortuitò creat, aut quid de illis boni operetur ignorat; cùm & hoc ipso bonum operetur quod in eis humanam creat naturam, & ex eis ordinem seculi præsentis exornat. Istorum neminem adducit ad pœnitentiam salubrem & spiritalem, qua homo in Christo reconciliatur Deo, siue illis ampliorem patientiam, siue non imparem

2. Tim. 2. 19. Rom. 8. 28.

Duplex vocatio Dei.

Matt. 22. 14. 2. Tim. 1. 8. & 9. Rom. 8. 28. 29. & 30.

Eph. 1. 4. Rom. 4. 17.

Electi a prædestinatione non est ex præcognitis operibus.

Rom. 11. 5. Ibid. 6.

Reprobi ad electorum nascuntur vtilitatem.

Ioan. 6. 39.

rem præbeat. Quàmuis ergo omnes ex eadem massa perditionis & damnationis *secundùm duritiam* cordis sui, & *cor impœnitens* quantum ad ipsos pertinet, *thesaurizent sibi iram in die iræ, qui reddetur vnicuique secundùm opera sua*: Deus tamen alios inde per misericordem bonitatem adducit ad pœnitentiam, alios secundùm iustum iudicium non adducit. Habet enim potestatem adducendi & trahendi, ipso Domino dicente: *Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum.* Nunquid autem Achab regem sacrilegum & impium adduxit ad pœnitentiam; aut saltem per mendacem spiritum iam seducto atque decepto, patientiam & longanimitatem præbuit? Nónne in eo statim propter quod erat seductus, morte rapiente completum est? Quis eum dicat non peccasse, spiritui credendo mendaci? Quis dicat hoc peccatum pœnam non fuisse peccati, venientem de iudicio Dei, ad quem legit mendacem spiritum, siue missum, siue permissum? Quis horum aliquid dicit, nisi qui dicit quod vult, & quod verum est audire non vult? Quis verò ita desipiat, vt cùm audierit quod in Psalmo canitur: *Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori*: hoc dicat orasse hominem, ne Deus sit patiens erga illum, si Deus non tradit, vt mala fiant, nisi patientem bonitatem præbendo cùm fiunt? Quid est autem quod quotidie dicimus: *Ne nos inferas in tentationem*: nisi vt non tradamur concupiscentijs nostris? *Vnusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* An fortè hoc à Deo petimus, vt non sit erga nos patiens bonitas eius? Non ergo eius inuocamus misericordiam, sed potius iracundiam prouocamus. Quis ista sapiat sanus, immò quis vel furiosus hæc dicat? *Tradit* ergo *Deus in passiones ignominiæ, vt fiant quæ non conueniunt*, sed ipse conuenienter tradit, & fiunt eadem peccata, & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum. Sicut tradidit Achab in pseudoprophetarum mendacium; sicut tradidit Roboam in falsum consilium. Facit hæc miris & ineffabilibus modis, qui nouit iusta iudicia sua, non solùm in corporibus hominum, sed & in ipsis cordibus operari. Qui non facit voluntates malas sed vtitur eis vt voluerit, cùm aliquid iniquè velle non possit. Exaudit propitius, non exaudit iratus. Et rursus non exaudit propitius, exaudit iratus. Parcit propitius, non parcit iratus. Et rursus non parcit propitius, parcit iratus: atq; in his omnibus bonus perse-

Ioan. 6. 44.
3. Reg. 22
Psal. 139 9.
Matt. 6. 13.
Iacob 1. 14.
3. Reg. 22.
3. Reg. 12.

uerat & iustus. Sed ad hęc quis idoneus? vtiq; ad hæc eius perscrutanda & inuestiganda iudicia; Quis homo idoneus quem *corruptibile aggrauat corpus*, etiam si habeat sancti spiritus pignus? Sed homo intelligens & acutus, *iustam* dicis *esse libidinem & laudis præconio prædicandam, si eum qui Deo non obediuit, non illi obediendo puniuit.* Si prudenter hic saperes, profectò esse iniquitatem videres, qua pars inferior hominis repugnat superiori atque meliori; & tamen iustè iniquum suæ carnis iniquitate punitum; sicut est rex iniquus maligni spiritus iniquitate punitus. An & ipsum malignum spiritum laudare disponis? Eia quid moraris? Decet enim te inimicum gratuitæ Dei bonitatis, laudatorem spiritus esse mendacis. Nec laborabis inuenire quid dicas, laudes eius paratas habes, si hæc ipsa in eum verba transtuleris, quæ posuisti in laude libidinis, velut consequentia sententiam meam, quia ego dixi: *Iniustum enim erat, vt obtemperaretur à seruo suo, hoc est à corpore suo, ei qui non obtemperauerat domino suo.* Quod tu negans, & falsum esse derides, velut ostendere voluisti quæ sequeretur absurditas: tanquam vltricem peccati, si hoc ita est, libidinem laudans. Certè istum mendacem spiritum quia impium regem sicut merebatur, fallendo traxit ad mortem, non negas iniquitatis vltorem. Ecce ego & hic dico: Iniustum enim erat vt qui non crediderat Deo vero, non deciperetur à falso. Lauda ergo & istius iustitiam falsitatis, & dic quæ dixisti in laude libidinis: *quia nihil ea potest laudabilius æstimari, si iniquitate vita commissa est si vindicauit iniuriam Dei, & quia ita consortium peccati non habuit, vt officium vindicantis assumeret:* omnia hæc secundùm tuos acutissimos sensus, rectè dicuntur & in illius immundi spiritus laude. Ergo præconium vocis tuæ in simili causa, aut mendaci redde spiritui, aut contumaci tolle libidini. Quid fugis ad obscurissimam de anima quæstionem? In paradiso ab animo quidem cœpit elatio, & ad præceptum transgrediendum inde consensio, propter quod dictum est à serpente: *Eritis sicut dij:* sed peccatum illud homo totus impleuit. Tunc est caro facta peccati, cuius vitia sanantur sola *similitudine carnis peccati.* Vt ergo & anima & caro pariter vtrumque puniatur, nisi quod nascitur, renascendo emendetur; profectò aut vtrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vitiato vase corrumpitur;

Concupiscentia cur iniquitas.

Lib. 1. de nup. & concupisc. cap. 6.

Primum in paradiso peccatū

Deus modi contrahendi originalis peccati.

Sup. 9. 19.

Gen. 3. 5.

ybi

vbi occulta iustitia diuinæ legis includitur. Quid autem horum sit verum, libentius disco quàm dico, ne audeam docere quod nescio. Hoc tamen scio, id horum esse verum, quod fides vera, antiqua, catholica, qua creditur & asseritur originale peccatum, non esse conuicerit falsum. Ista fides non negetur, & hoc quod de anima latet, aut ex ocio discitur; aut sicut alia multa in hac vita sine salutis labe nescitur. Magis enim curandum est, siue in paruulis, siue in grandibus, quo anima sanetur auxilio, quàm quo vitiata sit merito. Quæ tamen si vitiata negabitur, nec sanabitur. Illud sanè cur dixeris, excogitare non potui, in eo quod commemorasti *dixisse Apostolum: Et tenebris oppletum est insipiens cor eorum.* Addidisti enim *notandum esse, quoniam insipientiam causam dicat omnium malorum.* Hoc quidem dixisse Apostolum non satis constat. Sed non inde contendo; tu potius cur hoc dixeris quæro. An fortè quia paruuli non rectè dicuntur insipientes, quia nondum sapientiæ possunt esse participes; ideo nullum malum eis inesse vis credi, quod esse consequens arbitraris, si malorum omnium causa insipientia est? Sed si disputatione subtilissima & elimatissima opus est, vt sciamus vtrùm primos homines insipientia superbos, an insipientes superbia fecerit: nunc propter id quod inter nos agitur, quis ignorat omnes homines quicunque sapientes fiunt, ex insipientibus fieri? Nisi fortè aliqui ex præconibus *mediatoris* magna eius multumque insolita gratia ad sapientiam, non ex insipientia, sed ex infantia transire potuerint. Quòd si natura, sine fide *mediatoris* fieri posse contenditis, arcanum virus panditis hæresis vestræ. Nihil enim vos agere apparet tanta defensione & laude naturæ, nisi vt *Christus gratis mortuus sit*, cuius nos dicimus *fidem quæ per dilectionem operatur*, etiam natura insipientibus opitulari. Sunt enim qui tanta cordis obtusitate nascuntur, vt similiores pecoribus, quàm hominibus videantur. Quorum tantæ fatuitatis quæ in illis naturalis apparet, non potestis vllum dicere meritum, qui nullum esse dicitis originale peccatum. Quis autem non quotidie probet testibus rebus humanis, paruulum prius nihil sapere, deinde crescendo vana sapere, & postea si ad sapientiæ sortem pertinet, recta sapere; atque ita ab infantia ad sapientiam per insipientiam mediam peruenire? Quapropter humana natura quæ iacet in paruulis, cui laudibus vestris saluatorem tanquam sana sit inuidetis,

Rom. 1. 21.

Ad Hieron. & Baptis. respicere videntur.

Gal. 2. 21.

Gal. 5. 6.

inuidetis, quemadmodum prius proferat insipientiæ quàm sapientiæ fructum videtis, & radicis eius vitium videre non vultis; aut videtis quod peius est, & negatis.

CAPVT V.

Lib. 1. de nupt. & conc. ca. 6.

DEinde alijs verbis meis interpositis calumniaris, quòd ego mihi ipse contrarius fuerim, qui cùm dixissem inobedienti homini pœnam inobedientiam sui corporis redditam, continuò alia membra corporis nominatim expresserim dicens, quòd ad nutum nostræ seruiant voluntati. Hoc ergo dixi, genitalibus vtique exceptis, quæ corporis nomine nuncupaui: ac per hoc & corpus voluntati seruit in aliorum motione membrorum, & corpus voluntati non seruit in motibus genitalium. Non sunt ergo verba mea inter se contraria, quàmuis te patiantur, vel non intelligendo, vel alios intelligere non sinendo, contrarium. Si enim pars corporis non posset nomine corporis nuncupari, non diceret Apostolus: *Mulier non habet sui corporis potestatem, sed vir; similiter & vir non habet sui corporis potestatem, sed mulier.* Ipsa vtique membra appellans corporis nomine, quibus discernitur sexus; peragiturque concubitus. Quis est enim qui dicat virum sui potestatem corporis non habere, si in his verbis Apostoli, totum corpus intelligas, quod constat omnibus membris? Ac per hoc ego secundum Apostolum, etiam solum genitale membrum nomine corporis nuncupaui, quod non voluntate, sicut manum vel pedem, sed libidine moueri agnoscit sensus humanus, qui te deridet in rebus manifestis impudentes nebulas excitantem, vt nos diutius de pudendis rebus cogat & necessitas loqui, & honestas circumloqui. Sed qui verba mea legit quæ refellere niteris, eisque te insidiantem perspicit, sufficit mihi quia loco illo quid dixerim corpus intelligit. Verùm tu qui me verbis meis repugnasse dixisti, quod esse falsissimum videbit quisquis te audito ea relegerit, & Apostolum genitalia nomine corporis appellasse recoluerit: tu ergo qui in me quasi sententias inter se pugnantes notasti, & momordisti; expone quemadmodum tibi ipse constiteris, nec tibi ipse restiteris, vbi primùm dixisti, *cùm ventum fuerit vt filij seminentur, ad voluntatis prorsus nutum membra in hoc opus creata famulari; & nisi eorum impedimenta, aut de infirmitate, aut de immoderatione proueniant, seruire animi imperio:*

1. Cor. 7. 4.

Corpus pro sexu positum apud Apostolum.

Iulianus sibi ipsi contradicit.

Postea

Postea verò, *hoc genus motus in his habendum putasti, quæ multa in nostro corpore ordine suo ac dispensatione secretâ, voluntatis non imperium, sed consensum requirunt magis: verius enim membra genitalia voluntatis non imperium, sed consensum requirere, quam voluntatis imperio aut animi subiacere.* Vbi quidem perspicuæ veritati ex aliqua parte cessisti, sed illud quod priùs dixeras delere debuisti. Quomodo enim secundum priorem sententiam tuam *ad voluntatis prorsus nutum ista*, de quibus agimus, *membra famulantur, atque imperio animi seruiunt*; si secundum posteriorem sententiam tuam, *sicut fames, & sitis, & digestio non voluntatis imperium, sed consensum requirunt*? Multùm quidem laborasti vt hæc inuenires, quæ contra te potius quàm contra me diceres. Sed in tali causa non tibi esset necessarius labor; si adesset pudor. Quid enim prodest, quia *verecundari te* dicis, *& de rebus loqui talibus horrore prohiberi, sed necessitate compelli*: quandò non erubuisti sententiam tuam relinquere scriptam contra quam tu ipse perspicua veritate turbatus, mox aliam sententiam protulisti? Quanquàm & ipsa commemoratio verecundiæ tuæ nimis inuerecunda est. Sed ideò mihi placet, quia contra te loquitur. Homo es enim, qui non erubescis libidinem laudare, & erubescere te dicis de libidinis motibus disputare. Quid autem magnum fuerat intueri, quod posteaquàm dixi vt alia membra moueantur positum in potestate est, continuò subieci, *quando ab impedimentis corpus liberum habemus & sanum?* Somnus enim quandò inuitos premit & lassitudo, vtique impudimenta sunt, quibus membrorum agilitas impeditur. Deindè quod aisti, *nec in eam partem sequi membra quam volumus, si ita velimus vt habitus ipse non patitur*: non attendisti propterea me prædixisse, *vt ad opera sibi congrua moueantur*: ac per hoc si ea volumus flectere quò eorum natura non patitur, ad opera sibi non congrua non sequuntur; tamen quandò ea sequentia voluntario motu agimus, libidinis adiutorio non egemus. Et cùm ab eis mouendis cessare volumus, continuò cessamus, nec contra voluntatem nostram stimulo libidinis excitantur. Sanè quod dicis *etiam genitalia seruire animi imperio*, nouam quandam libidinem dicis, aut fortè nimis antiquam, qualis & in paradiso esse potuisset, si nemo peccasset. Sed quid hinc tecum agam, quando posterioribus verbis hoc tollis, quibus dicis *non moueri hæc ad animi imperium, sed potius*

Libido non est fami cæteris{que} molestijs cõparanda.

exspectare consensum ? Nec tamen ideo debes istam libidinem fami, vel alijs molestijs nostris comparare. Quòd enim nemo cùm vult esurit, aut sitit, aut digerit : indigentiæ sunt istæ reficiendi, vel exonerandi corporis, quibus subueniendum est, ne lædatur, aut occidat. Nunquid autem læditur aut occidit corpus, si libidini non adhibeatur assensus ? Discerne ergo mala quæ per patientiam sustinemus, ab eis malis quæ per continentiam refrænamus. Nam & illa mala sunt, quæ in *corpore mortis huius* potuimus experiri. Quantæ autem & quàm tranquillæ potestatis essemus etiam de his motibus, quibus alimenta sumuntur & digeruntur, in illa felicitate paradisi; quis possit vt certum est indagare, quis vt dignum est explicare ? Vbi absit vt credamus aliquid fuisse vnde sensum nostrum, siue intrinsecus, siue extrinsecus aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor vreret, aut algor stringeret, aut horror offenderet. Quid quòd istam pulcherrimam famulam tuam, quam me pudet assiduè vel vituperando nominare, te autem prædicare non pudet, commendatiorem fieri putas, quòd ei seruiunt vt ardentius excitetur, etiam cæteræ corporis partes, siue oculi videntes ad concupiscendum, siue alia membra in osculis & amplexibus ? Aures quoque hominis quomodo ei subderes inuenisti, & erexisti eius vetustissimum quidem, sed planè glorioſissimum titulum, commemorans quod in expositione consiliorum suorum Tullius posuit: quia cùm vinolenti adolescentes tibiarum etiam cantu, vt fit, instincti, mulieris pudicæ fores frangerent; admonuisse tibicinam vt spondeum caneret, Pythagoras dicitur: quod cùm illa fecisset, tarditate modorum, & grauitate cantus, illorum furentem petulantiam resedisse. Vides ergo quanto congruentius ego dixerim, sui iuris hanc esse quodammodo cui seruitur ab alijs sensibus, vt in opus suum dignetur assurgere, vel à sua commotione requiescere. Hoc enim ego ideo dixi, quia sicut ipse confessus es, consentitur ei potius quàm imperatur. Nam & quòd alijs concitatur stimulis, vel modulamine frangitur & sedatur, sicut ipse prosequeris, profectò non fieret, si seruiret hominis voluntati. Fœminæ autem quas ab isto motu immunes facis, quàmuis possint virili concupiscentiæ subiacere, & quando non patiuntur suam, tamen quantum eius etiam ipsæ sufferant impetum, cui repugnat decus honestasque casta-

Cantus grauitate furentis adolescentum petulantia sopita.

1. Reg. 16. 23. castarum, interrogetur Ioseph. Debuisti sanè homo Ecclesiastice, Ecclesiastica musica potius quàm Pythagorica commoneri, quid Dauidica cithara egerit in Saule, quando malo spiritu vexabatur, & tangente citharam sancto ab illa molestia respirabat: ne ideo bonum aliquid existimes *concupiscentia carnis*, quia nonnumquàm musicis cohibetur sonis.

CAPVT VI.

QVod autem dicis exclamans: *O quàm dignè Hieremias cum Prophetarum choro & sanctorum omnium exclamaret:* Hiere. 9. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt insipientis populi peccata fleret: quia Ecclesia Christi* doctores Pelagiani erroris *expellit.* Si flere salubriter velles, hoc fleres, quòd illo es implicatus errore, eisque te lachrymis ab eadem noua peste dilueres. An ignoras vel oblitus es, vel considerare detrectas, sanctam Ecclesiam vnam Catholicam etiam paradisi significatam fuisse vocabulo? Quid ergo mirami- Rom. 7. 23. ni, si de isto paradiso foras mittimini, qui *legem quæ in est membris nostris repugnans legi mentis*, in illum paradisum vultis inducere, de quo foras à domino missi sumus, nec ad eum redire poterimus, nisi hanc in isto paradiso vicerimus? Si enim non ista concupiscentia quam defendis *repugnat legi mentis*, nullum aduersus eam certamen quisquàm sanctus exercet. Tu autem confessus es, aduersus istam quam tueris, *exercere sanctos gloriosa certamina.* Ipsa est igitur quæ *repugnat legi mentis* in *corpore mortis huius*, de qua se *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum liberari* dicebat Apostolus. Sentis ne iam tandem gratiæ huius inimici quanto sint fonte lachrymarum plangendi, & ne alios ad interitum secum trahant, quanta pastoralis curæ obseruatione vitandi? Vos enim augetis ista nouitate eam quæ in omnibus est hæreticis, occidui temporis prauitatem. Vos estis ruina morum, qui ipsius fidei supra quam mores ædificandi sunt, molimini fundamenta subuertere. Vos pudoris interitus, quos laudare non puder, contra quod pugnat pudor. Hoc potius audire debet Ecclesia, quæ virgo dicitur, vt vos caueat; hoc matronæ, hoc virgines sacræ, hoc omnis pudicitia Christiana. Non enim sicut insimulas *cum Manichæis dicunt, inesse carni suæ malis necessitatem:* quod Rom. 7. 23. malum illi substantiale, & Deo coæternum esse mentiuntur, sed dicunt sanè cum Apostolo: *Video aliam legem in membris*

Paradisus Ecclesia typus.

Sup. lib. 3 cap. 21.

Pelagiani ruina morum, pudoris interitus.

meis repugnantem legi mentis meæ; esse tamen eam sub animi potestate, *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in mortis corpore* castigandam, in morte corporis resoluendam, in corporis resurrectione & mortis morte sanandam. Tenent enim sanctam professionem, non solo habitu vestis, sed & mentis & corporis resistendo *concupiscentiæ carnis*, quod hic fieri potest; non ea prorsus carendo, quod hic fieri non potest. Hoc ergo audiant, vt donec illâ careant, vos caueant. Nam si ab omnibus sanctis quæras tanquam in sancto auditorio duobus recitare cupientibus, vtrum vituperatorem, an laudatorem malint audire libidinis; quid de illis responsurum putas, continentium laborem, coniugatorum pudorem, omnium castitatem? Itáne verò abijcerent ab auribus suis libidinis vituperationem, & libenter audirent libidinis laudem? Non vtique adeò putandum est periisse frontem de rebus, vt hoc dedecus, nisi in tali fortè auditorio fieret, vbi te recitaturo confidentibus discipulis suis magister Celestius aut Pelagius præsideret.

Professa virgines etiam habitum olim mutarunt.

CAPVT VII.

HInc ad alia verba mea transis, vt dixi: *Hunc itaque motum ideo indecentem, quia inobedientem, cùm illi primi homines in sua carne sensissent, & in sua nuditate erubuissent, folijs ficulneis eadem membra texerunt; vt saltem arbitrio verecundantium velaretur, quod non arbitrio volentium mouebatur. Et quoniam pudebat quod indecenter lubebat operiendo fieret quod decebat.* His verbis meis propositis, hoc te iam destruxisse in secundi tui libri disputatione, & in huius tertij, cui nunc respondeo, parte superiore, inani iactatione commemoras. Nunc autem quia istum motum libidinis dixi, *ideò indecentem, quia inobedientem*, dixisse me vis putari, *non eam corpori, non animo esse subiectam, sed fera virtute semper indomitam.* At ego illam virtutem numquàm dixi esse, sed vitium. Quod si non mouetur concupiscendo, quid est quod aduersus eam castitas dimicat continendo? Vbi sunt illa quæ aduersus eam confessus es *exerceri sanctorum glorioſa certamina?* Quantum ergo attinet ad pudicitiam, quòd eius libidinis expugnatione, oppressione, frænatione, & ad nihil illicitum permissione seruetur, hoc dicis quod ego: sed quod expugnandum, opprimendum, refrænandum est, ne ad illicita rapiat, quibus inhiare non cessat; bonum esse tu dicis, non ego. Quis autem nostrûm verum dicat, iudicent casti, auscultantes non linguæ tuæ, sed experientiæ

Lib. 1. de nupt. & conc. ca. 6

Sup. l. 3 cap. 21. & lib. 4. ca. 2

Rom. 7. 23. rientiæ ſuæ. Iudicet Apoſtolus, dicens: *Video aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ. Sed Paterniani*, inquis, *ijdemq́; Venuſtiani hæretici ſimiles Manichæis, dicunt à lumbis vſque ad pedes diabolum feciſſe corpus hominis, ſuperiores verò partes Deum, velut ſupra baſem aliquam collocaſſe: adduntq́; nihil ab hominis ſtudio requiri quam vt anima quam in ſtomacho & capite habitare dicunt, munda ſeruetur: pubem verò ſi omnium flagitiorum ſordibus oblinatur, aiunt ad ſuam non pertinere curam. Ita ſemper*, inquis, *vt ipſi libidini turpiter ſeruiant, titulum ei propriæ poteſtatis affigunt. Cuius cognatione ſententiæ, poſuiſſe me in libro meo aſſeris: Arbitrio verecundantium velabatur, quod non arbitrio volentium mouebatur; &, quod non ſeruiens voluntati, ſuo iure corpus libido ſuccendit.* Nunquid ideo vim veritatis effugere poteris, quia nobis calumniando importas ſocios falſitatis? Quod enim ego in libro meo poſui, cui cedere vtinam quàm reſiſtere maluiſſes, longè diſtat ab iſtis Paternianis ſeu Venuſtianis. Ego enim ſecundùm Catholicam fidem, totum hominem, totam ſcilicet animam, totumq́ue corpus eius Deo ſummo & vero tribuo creatori: diabolum autem dico humanam vel aliquid eius non creaſſe, ſed vitiaſſe naturam, contraq́ue ipſam diabolicam plagam, quæ Dei opitulatione ſananda eſt donec ab ea penitus liberemur, nobis eſſe pugnandum. Nec animam qua corpus viuit, vniuerſam mundam, quantum in hac vita mundus homo eſt, poſſe ſeruari, ſi *concupiſcentiæ carnis* ad flagitia perpetranda & quæque immunda conſenſerit. Quantum ergo attinet ad iſtam calumniam tuam, nunquid habes aduerſus iſta quæ dicas? Quod ſi parum eſt, ecce damno & anathematizo ea quæ Paternianos ſeu Venuſtianos ſentire dixiſti; addo etiam Manichæos: vtroſque cum cæteris hæreticis execror, damno, anathematizo, deteſtor. Quid quæris amplius? Exue te calumnijs, viribus luctare, non fraudibus: Reſponde vnde ſit; cui niſi repugnetur, nulla caſtitas cuſtoditur. Non eſt certè natura atque ſubſtantia, ſecundùm Venuſtianos & Manichæos: ſi nec vitium naturæ eſt, quid eſt? Exurgit, opprimo; renititur, refræno; repugnat, expugno. In tota anima & in toto corpore conditorem habeo pacis Deum. Quis in me ſeminauit hoc bellum? Solue Apoſtole quæſtionem atque

Rom. 5. 12. reſponde: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.* Sed non vult Iulianus. Et ad hoc Apoſtole

De Hæreſi Paternianorū & Venuſtianorū conſule Auguſt. Hæreſi 85

beate respondeat: *Si quis vobis annunciauerit praeter quod accepistis, anathema sit. Sed si conniuero*, sicut dicis, *inuictum esse libidinis malum, profitebor me esse turpitudinis aduocatum.* Si autem dixero malum, me quidem hoc dixisse naturale, sed quod vinci possit, id est, possit caueri, protinus tu ex alia parte sententiæ tuæ tripudias. *Possunt enim homines*, inquis, *omne vitare peccatum, cùm possint vincere concupiscentiæ malum. Si enim libido naturale malum est, & vincitur amore virtutis; multò magis dicis illa omnia vitia superari, quæ de sola voluntate contingunt.* Iam multis modis ad ista vestra, & sæpe responsum est: Quia dum hic viuimus, vbi *caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*, quantumlibet in isto conflictu superiores simus, *nec membra nostra exhibeamus arma iniquitatis peccato, obedientes desideriis eius*; tamen vt taceam de corporis sensibus, & in rebus, quibus licitè vtimur surrepentis voluptatis excessibus, in ipsis certè nostræ cogitationis motibus & affectibus *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Frustrà igitur in alia tuæ sententiæ parte tripudias, nisi fortè sententiam Apostoli Ioannis repudias sacrilega præsumptione. Quod autem nunc agitur; naturalem esse libidinem, & ego dico, quia cum illa nascitur omnis homo; & tu multò amplius, qui dicis, quòd cum illa sit conditus primus homo ita vincendam esse libidinem, atq; vt vincatur, ei resistendum esse & repugnandum, & ego dico, & tu; ne à me audias quod mihi ipse dixisti. *profiteri te turpitudinis aduocatum, si libidinem negaueris esse vincendam*, quæ vtique non vincitur, si nullum cum ea geritur bellum. Cùm igitur libidinem & naturalem esse, & vinci posse, ambo dicamus; vtrùm bonum vincamus, an malum, ipsa inter nos vertitur quæstio. Sed vide quàm sis absurdus; & sicut hostem vis expugnare libidinem, & de malo eius non vis finire quæstionem: vt si te in concupiscentiæ diabolus aduersitate non vicerit, vincat te in peruersitate sententiæ. Adhuc non euigilas, vt intelligas nostram naturam non esse sed vitium, contra quod virtute pugnamus? Neque enim bono bonum, sed bono vtique malum vincimus. Considera cum quo vincat, cum quo vincatur. Quando enim libido vincit, vincit & diabolus. Quando libido vincitur, & diabolus vincitur. Quem ergo vincit libido, & à quo vincitur, est hostis eius. Cum quo autem vincit & vincitur, author est eius. Rogo te, oculos aperi, & cerne quæ aperta sunt. Nulla

Gal. 5. 9.

Gal. 5. 17. Rom. 6. 13. & 12.

1. Ioan. 1 8.

Libido quo sensu nobis naturalis.

Libido cùm vincitur, diabolus vincitur.

pugna

pugna est sine malo. Quando enim pugnatur, aut bonum pugnat & malum, aut malum & malum: aut si duo bona inter se pugnant, ipsa pugna est magnum malum. Quod in corpore quando contingit, vt ea quibus constat, id est, humidum & siccum, calidum & frigidum, quàmuis sint inter se contraria, pacem secum concordiamque non teneant, morbi ægrotationesque nascuntur. Et quis audeat dicere, aliquid eorum non esse bonum, cùm omnis creatura Dei bona sit, & *benedicant* in hymno trium puerorum *frigus & æstus dominum*, quæ inter se contraria, seruant tamen pro rerum incolumitate concordiam. Cùm verò in nostro corpore discrepant, seseque inuicem oppugnant, valetudo turbatur. Et hoc totum sicut ipsa mors, de peccati illius propagatione descendit. Neque enim & hæc quisquam dixerit, si nemo peccasset, nos in illa beatitudine paradisi fuisse passuros. Sed aliæ sunt rerum corporalium qualitates, quæ secum à contrarijs temperantur vt bene valeamus: & cùm sint in diuerso genere bonæ, tamen cùm discordant, malam valetudinem faciunt: & aliæ sunt animæ cupiditates quæ propterea carnis dicuntur, quia secundùm carnem anima concupiscit, cùm sic concupiscit, vt ei spiritus, id est, pars eius melior & superior debeat repugnare. Denique ista vitia non medicos vllos corporum quærunt, sed gratia Christi medicante curantur; prius vt reatu non teneant, deinde vt conflictu non vincant, postremò vt omni ex parte sanata, nulla omnino remaneant. Proinde cùm mala concupiscere malum sit, & bona concupiscere bonum sit, atque hoc bellum quàmdiu hic viuitur non quiescat, cùm *caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*; quis me liberabit *de corpore mortis huius*, nisi *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*? Cui gratiæ nimis inimicum dogma horrescimus vestrum. Sed vir fortissimus nocturnorum & si non administrator, certè exhortator prædicatorque bellorum, *enerue m & mollem esse* dicis *opinionem, qua creditur in paradiso ad nutum voluntatis genitalia potuisse seruire*. Tanto enim tibi tanquam viro casto, effœminatior videtur esse animus, quanto plus habet potestatis in corpus. Sed ecce non vobiscum de libidinis absentia præsentiáue contendimus, nec dilectionem quam debere vos ei videmus, offendimus; saltem ipsam subcitæ voluntatis imperio in illo fœlicitatis loco. Auferte inde euidentissimam pugnam, quæ fit eius motioni mente renitente

Anima cupiditates, quomodo carnis dicantur.

Gal. 5. 17.

Rom. 7. 24. & 25

tente; auferte inde turpissimam pacem, quæ fit eius dominationi mente seruiente. Et certè quia non eam talem videtis, qualem ibi constituere si ratione non reuocamini, pudore cogimini, in ea qualis nunc est vitium originale fatemini; cui si seruimus perimus, cui repugnamus ne seruiamus. Ecce quod laudas, nec times, ne tibi potius admoneas esse dicendum, quod ad flagitia concites homines ne resistant concupiscentiæ, quam sicut bonum naturale commendas. Quid enim te adiuuat quod reprehendere vidéris eius excessum, cuius approbas motum? Tunc enim excedit licitum limitem, quando eius motibus ceditur. Mala est tamen & quando non ceditur, quia malo resistitur, ne bonum castitatis intereat, si huic malo non resistatur. Quam tu cum bonam naturaliter dicis, astutè illi semper consentiendum esse decernis; ne renisu improbo repugnetur naturali bono. Ita quippe potest facillimè vera esse etiam illa vestra sententia, qua dicitis hominem sine peccato esse si velit. Non est enim quomodo faciat quod non licet, quando licet quidquid libet, quia bonum est quod naturaliter libet. Si ergo adsunt, voluptatibus perfruatur; si autem non adsunt, ipsis earum cogitationibus sicut Epicuro visum est, oblectetur, & erit sine peccato, nec se vllo fraudabit bono: nec cuiuscumque doctrinæ opinionibus resistat naturalibus motibus; sed sicut ait Hortensius, *tunc obsequatur naturæ, cùm sine magistro senserit quid natura desideret.* Non enim potest quæ bona est desiderare quod malum est, aut negandum est bonæ aliquod bonum. Fiat itaque totum quod desiderat libido bona, ne ipse sit malus qui resistit bono. Non hoc dico, inquies, & iniustum est vt aliud me suspiceris sentire quàm loquor. Noli ergo facere quod pati non vis, & dicere *quòd inuitemus ad dulcia furta*, quibus Apostolum recitamus dicentem: *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum.* Et si enim non hoc perficiunt bonum quod volunt, vt non concupiscant; faciunt tamen bonum, vt *post concupiscentias suas non eant.* Si enim vos castitatem vobis videmini docere, cùm dicitis, noli vinci à bono; sed vince in bono bonum: quanto magis eam nos docemus, cùm dicimus: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*? Vide quàm sit iniustum vt nos, quod vituperamus, expugnare non credas, qui te credi non vis eo frui velle quod laudas. Quomodo casti esse nõ possunt inimici libidinis, si casti esse possunt & eius amici?

Ciceronis dialogus est, cui nomen Hortensius.

Rom. 7. 18.

Eccle. 18. 30.

Rom. 12. 21.

quòd

Quòd ergo negantes originale peccatum, & inuidentes parvulis saluatorem Iesum, *legem peccati repugnantem legi mentis* introducere vultis & in paradisum ante peccatum, hoc in vobis isto opere confutamus. Eorum quæ non videmus in vobis nec audiuimus ex vobis, nolumus esse iudices: nihil nostra interest, quid in occulto agant aperti libidinis laudatores.

CAPVT VIII.

CVm verò alijs verbis meis propositis, illam distinctionem meam, quam de nuptijs & concupiscentia priorum hominum posui, dicens: *Quod enim illi postea propagatione fecerunt, hoc est connubij bonum; quod verò prius confusione texerunt, hoc est concupiscentiæ malum,* sic refellendum putasti, vt diceres *fieri non posse, vt quod bonum est non habeat communem cum eo laudem, sine quo esse non potest*; ita volens vnam eandemque laudem nuptijs & libidini esse communem: quomodò corruat ista tua velut definitiua sententia, paulisper attende. Primum, quòd vniuersitas rerum quam condidit Deus, non potest esse sine malis, nec ideo tamen mala communem laudem possunt habere cum bonis. Deindè si *fieri non potest, vt quod bonum est non habeat communem cum eo laudem, sine quo esse non potest*; protectò & quod malum est, sic fieri non potest, vt non habeat communem cum eo vituperationem, sine quo esse non potest. Vituperemus igitur opera Dei, sicut vituperamus mala quæ sine illis esse non possunt. Nullum enim malum est nisi in aliquo opere Dei, nec sine illo esse omninò alicubi potest. Vitupera ergo, vt non te longius mittam, membra humana, sicut vituperas adulteria, quæ sine illis membris esse non possunt: quod si non facis, ne tibi quoque ipse manifestus appareas insanus, potest igitur nuptiarum bonum non habere laudem communem cum libidine, sine qua esse nunc non potest: sicut quodlibet malum potest non habere communem vituperationem cum opere Dei, sine quo esse nunquam potest. Sicut autem ista definitio tua falsa & inanis est, ita omnia quæ ex illa tanquam consequentia nexuisti. Inuictam sanè nunquam ego voluptatem carnis, sicut solere me insimulas, dixi. Ambo eam & debere & posse dicimus vinci: sed tu tanquam bonum repugnante alio bono, ego tanquam malum repugnante bono: & tu viribus proprijs, ego gratia Saluatoris, vt non alia reproba cupiditate, sed *Dei Charitate* vincatur, quæ non viri-

Lib. 1. de nupt. & conc. ca. 7

bus nostris *diffunditur in cordibus nostris*, sed *per spiritum sanctum qui datus est nobis*. De confusione autem illorum hominum pudendisque coopertis frustra te commemoras aliquid Apostolo attestante monstrasse. Tu enim *verecundiora* dicis, quæ ille dicit *inhonesta*, vnde iam quantum satis visum est, disputauimus. Tu itaque frustra refugis rursus ad Balbum, atque philosophorum literas: quasi Balbus te faciat loquentem, quando de illa confusione primorum hominum non potes inuenire quid dicas. Si autem in quibusdam veris sententijs saltem philosophorum literis cederes, non surdo corde illud audires, quòd voluptates illecebras atque escas malorum, & vitiosam partem animi dixerunt esse libidinem. Nam quod in nostro corpore loca digestionis Balbus remota dixit à sensibus, ideo verum est, quoniam sensus nostros ea quæ digerimus non alliciunt, sed offendunt: propterea pars qua egeruntur, naturaliter alijs partibus altrinsecus prominentibus occultatur, sicut etiam tunc erant quando nudi non confundebantur, qui post peccatum continuò non occulta, sed planè in promptu posita membra texerunt. Quibus quanto magis non horrore offendebatur, sed delectatione alliciebatur aspectus & mouebat susceptam tuam; tanto magis ea tegere ad pudoris officium pertinebat. Quod autem de claudicatione & peruentione dixi, si fraude non agis, non intellexisti. Non enim peruentionem accipi volui hominem qui nascitur de concubitu coniugali, quod me sensisse arbitraris aut fingis: sed peruentionem dixi quod bonum habent in fine officij sui nuptiæ, etiam si nullus inde nascatur. Seminare quippe ad virum pertinet, excipere ad fœminam. Hucusque coniuges opere suo possunt. Ad hoc dixi sanè sine claudicatione non posse, hoc est sine libidine perueniri. Vt autem concipiatur fœtus atq; nascatur, diuini est operis, non humani; qua tamen intentione ac voluntate, etiam illud bonum quod ad earum opus pertinet, peragunt nuptiæ. Sed quia ipse fœtus damnationi nascitur, si non renascatur, eousque pertendunt non operis sui velut ambulationis, sed voluntatis fine Christiana coniugia, vt regenerandos generent, propter quod in eis vera, hoc est Deo placens est pudicitia. *Sine fide enim impossibile est Deo placere.*

Rom. 5. 5.

Sup. lib. 4 cap. 16.

Sup. lib. 4 cap. 12.

Plato apud Cicer. in Hortensio Sup. lib. 4 cap. 14. & 15.

Lib. 1. de nupt. & conc. ca. 7

Heb. 11. 6

CAP.

CAPVT IX.

1. Thess 4 & 5. VEnis deinde ad illud vbi egimus ex Apostoli testimonio, *vt sciat vnusquisque suum vas*, id est, suam coniugem *possidere, non in morbo desiderij sicut gentes quæ ignorant Deum*: Quod exponens dixi, *non coniugalem, hoc est, licitum honestumq; concubitum fuisse prohibitum, sed vt operis huius causa sit voluntas propaginis, non carnis voluptas: & quod sine libidine fieri non potest, sic tamen fiat, vt non propter libidinem fiat.* Ibi tu exclamans; *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, qui extra futuram operum retributionem ex multa parte liberum arbitrium formam volut implere iudicij. Iustissimè enim sibi bonus homo, inquis, malusq; committitur, vt & bonus se fruatur, & malus se ipse patiatur.* Quæ prorsus exclamatio tua ad rem non pertinet, qua te sentis vrgeri: nec tuo clamore pondus quo premeris subleuas, impium dogma vestrum mordicus tenens, quo vobis placeat etiam bonum hominem diuino iudicio sibi quemque committi, ne scilicet ei sit necessaria Dei gratia velut idoneo qui semetipsum agat. Sed absit vt ita sit. Prorsus qui sibi committuntur, & à semetipsis aguntur, non sunt boni, quia non sunt filij Dei: *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei.* Puto quòd agnoscas in hac sententia dogma Apostolicum, quo illud subuertitur vestrum. Veruntamen dicis aliquid contra te, quod tacitus præterire non debeo. Meminisse quamdiu disputaueris contra lucidissimam quæ per Apostolum deprompta est veritatem, affirmans *nullo modo esse posse aliquid quod & peccatum sit & pœna peccati*? Quid est ergo nunc, quòd oblitus tantæ loquacitatis tuæ ideo laudas *altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quia extra futuram operum retributionem, ex multa parte liberum arbitrium formam volut implere iudicij? Iustissimè enim sibi*, sicut dicimus, *bonus homo malusq; committitur, vt & bonus se fruatur*, vtique in opere bono, *& malus se ipse patiatur*, vtique in opere malo. Quod profectò illi & peccatum est, quia malum facit, & pœna peccati, quia malum se patitur: vt ex multa parte formam iudicij quo bona bonis, & mala malis retribuuntur, iam impleat liberum arbitrium, quo rectè agendo se fruitur bonus, & peccando se patitur malus. Cernis nempe cùm arma tua vana quidem & obtusa iactanter ventilas, quomodo quà ferireris, nudaueris: imò te ipse

Lib. 1. de nupt. & conc. ca. 8

Rom. 11. 33.

Rom. 8. 14.

percusseris. Et insuper iactas mea inter se dicta esse contraria; quia dixi, non quidem vt tu calumniaris, *concubitum corporum à diabolo fuisse repertum*; cùm etiam si nemo peccasset non nisi concumbente vtroque sexu filij nascerentur: sed dixi, inobedientiam carnis, quæ in carne concupiscente aduersus spiritum apparet, diabolico vulnere contigisse. Et rursus, quia dixi, hanc *legem peccati repugnantem legi mentis* à Deo illatam propter vltionem, & ideò pœnam esse peccati. Hæc inter se asseueras esse contraria. Quasi fieri non possit vt vnum atque idem malum & diaboli iniquitate & Dei æquitate peccantibus ingeratur, cùm etiam ipse diabolus & propria malignitate sit infestus hominibus, & Dei iudicio sinatur nocere peccantibus. Neque hinc sibi ipsa diuina aduersantur eloquia, quia scriptum est: *Deus mortem non fecit.* Item scriptum est: *Vita & mors à Domino Deo*: quia deceptor hominis causa mortis est diabolus, quam non vt primus author eius, sed vt peccati vltor intulit Deus. Verùm istam quæstionem satis dilucide ipse soluisti, qui hominem malum dixisti sibi esse commissum, vt quòd sibi est ipse supplicium, causa & diuinum sit iudicium, & ipsum liberum arbitrium; nec sint inter se duo ista contraria, quòd in pœna sua & ipse author est, & vltor Deus. Abuteris autem ingenijs tardioribus. Nolo enim dicere, quia & tu non intelligis, vt non discernas hæc duo, & maligna calliditate aut tenebrosa cæcitate confundas voluntatem & voluptatem: & sicut ipsa nomina surdastris auribus vnum atque idem sonant, ita res ipsas surdastris cordibus vnum idemque esse persuadere te posse confidas. Hinc est quòd sententias meas inter se contrarias putas vel putari cupis, tanquàm improbem quod antè approbauerim; aut amplectar quod antè respuerim. Audi ergo apertam sententiam meam, & intellige vel sine intelligere alios, non offundendo caligines nebulosæ disputationis serenitati syncerissimæ veritatis. Sicut bonum est benè vti malis, ita honestum est benè vti inhonestis. Vndè & ipsa membra non propter diuini operis pulchritudinem, sed propter libidinis fœditatem *inhonesta* dicit Apostolus. Nec ad stupra coguntur necessitate qui casti sunt; quia resistunt inhonestæ libidini, ne compellat eos inhonesta committere, sine qua tamen non possunt honestè filios procreare. Ita fit vt coniugibus castis & voluntas sit in sobolis procreatione, & necessitas in libidine. De inhonesto quippe

Mors quo modo à diabolo & quomodo à Deo.

Sap. 1. 13. Eccles. 11 14.

1. Cor. 12 23.

quippè honestas agitur procreandi, quando libidinem non amat, sed tolerat castitas concumbendi. Soles libenter commemorare, quibus te adiuuari putas, authorum sententias secularium. Intuere honesto corde, si potes, quid de Catone Poëta cecinerit. *Lucanus lib. 2.*

Vrbi, inquit, *pater est*, *vrbique maritus*;
Iustitiæ cultor, *rigidi seruator honesti*,
In commune bonus, *nullosque Catonis in actus*
Surrepsit, *partemque tulit sibi nata voluptas.*

Qualis enim vir Cato fuerit, & vtrum in eo vera virtus honestaque laudata sit, alia quæstio est: ad quemlibet tamen finem sua referret officia, non vtique sine voluptate filios procreauit, & tamen *nullos Catonis in actus surrepsit, partemque tulit sibi nata voluptas*: quoniam & quod non faciebat sine voluptate non faciebat propter voluptatem: nec *in morbo* huius *desiderij suum vas possidebat*, quàmuis *ignoraret Deum*, si talis fuit qualis prædicatur. Et non vis intelligere quod ait Apo- *1. Thess. 4. & 5.* lus, *vt sciat vnusquisque vestrum suum vas possidere, non in morbo desiderij, sicut gentes, quæ ignorant Deum.* Benè discernis inter bonum minus coniugale, & bonum amplius continentiæ; sed tuum dogma non deseris inimicissimum gratiæ. Dicis enim *Matt. 19. 12.* *quòd dominus continentiæ gloriam libertate electionis honorauerit, dicens. Qui potest capere capiat*: tanquam hoc capiatur non Dei munere, sed arbitrij libertate, & taces quod suprà dixerat, *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Vide quæ *Ibid. 11.* taceas, quæ dicas. Puto quod te pungat conscientia: sed vincit rectum timorem, cùm ingerit peruersum pudorem quoquo modo iam defendenda præcipitata sententia. Tantummodo excessum libidinis identidem culpas, ipsam laudare non cessas. Nec attendis; sentis, intelligis malum esse, cui ne limitem necessitas excedat, cogitur temperãtia repugnare. Quàmuis tu quod monuit Apostolus, *ne in morbo desiderij suum vas quisque possideat*, non de coniugio, sed de fornicatione accipiendum putaueris, atque ita temperantiæ totam honestatem de concubitu coniugum abstuleris, vt nemo sibi videatur *in morbo desiderij suum vas possidere*, quantacunque libidine in vxoris genitalibus potuerit insanire. Si enim vllum ibi tenendum existimares modum, potuisti & illic concupiscentiæ reprehendere excessum, eumque dicere ab Apostolo significatum *morbum desiderij*, & non improbè negare, *suum vas* dictum fuisse

Morbum desiderij apud Apostolum quomodo Iulianus intellexerit.

Sua cuiq; vxor vas suum ab Apostolo dicta.

cuique coniugem suam. Quo verbo in eadem re etiam Petrus Apostolus vtitur, vbi monet vt viri vxoribus suis *tanquam infirmiori vasi tribuant honorem, velut coheredibus gratiæ*; adiungens & dicens, *Et videte ne impediantur orationes vestræ.* Sicut & coapostolus eius tempora præscribit orandi temperantiæ coniugali: & secundum veniam concedit, quàmuis cum coniuge, non vtique illum prolis, sed qui fit voluptatis intentione concubitum. Hunc audiant Christiana coniugia, non te, qui vis in eis quam defendis, nunquam frænari concupiscentiam, sed quotiescunque se commouerit satiari auidam, regnare securam. Hunc audiant, inquàm, fideles Christi qui sunt connubio colligati, vt ex consensu temperent, quò vacent orationi: & cùm ad idipsum redeunt propter intemperantiæ suam, nouerint etiam inde dicere Deo: *Dimitte nobis debita nostra.* Quod enim *secundum veniam, non secundum imperium* à tanto doctore dicitur, vtique ignoscitur, non iubetur.

1. Pet. 3. 7.

1. Cor. 7. 5. & 6.

Matt. 6. 12.

CAPVT X.

Lib. 1. de nupt. & conc. ca. 8

SEd insertis alijs verbis meis vbi voluntatem verè piorum, Christianorum coniugum commendaui, qui filios ad hoc generant in hoc seculo, vt propter alterum seculum regenerentur in Christo; commemoras te iam in secundo libro istam meam destruxisse sententiam: vbi quid tibi responderim, ibi potius legant qui volunt. Sic enim non sunt facienda adulteria, etiam voluntate generandi regenerandos, quemadmodum nec furta faciẽda sunt, etiam voluntate pascendi pauperes sanctos: quod tamen faciendum est, non furta perpetrando, sed bene vtendo *mammona iniquitatis, vt & ipsi recipiantur in tabernacula æterna*; sicut non adulteria committendo, sed coniugaliter bene vtendo malo libidinis, ea voluntate generandi sunt filij, vt cum eis regnetur in æternum. Verùm eleganter laudas susceptam tuam dicens, & verum dicens, *quòd nihil tale possit dum concumbitur, cogitari.* Prorsus ita est. Quid enim cogitari potest tunc quando mens ipsa qua cogitatur, illa carnali delectatione submergitur? Vnde optimè ille de voluptate disputans, quæ verba in libro superiore iam posui, *Cuius motus*, inquit, *vt quisque est maximus, ita est inimicissimus philosophiæ; Congruere enim cum cogitatione magna voluptas corporis non potest. Quis enim cùm vtatur voluptate*, inquit, *ea qua nulla possit maior esse, attendere animo, inire rationem, cogitare omnino quicquam potest*

Sup. lib. 4 cap. 7.

Non sunt facienda mala vt eueniant bona.

Luc. 16. 9.

Cap. 24. ex Hortensio Ciceronis.

est? Non igitur, etiam tu potuisti grauius accusare quam laudas, nisi fatendo in eius impetu neminem posse sancta cogitare. Sed vtique religiosus animus isto malo bene vtens hoc cogitat, vt libidinem concumbendo patiatur, quod non potest cogitare cùm patitur. Sicut salutem homo cogitat, vt somno se impertiat, quod vtique non potest cogitare cùm dormit: sed somnus cùm occupat membra, non ea facit inobedientia voluntati; quia & ipsam voluntatem ab huiuscemodi alienat imperio, auertendo animam ad visa somniorum, in quibus sæpe etiam futura monstrata sunt. Vnde si erat in paradiso vicissitudo vigilandi atque dormiendi, vbi non erat malum concupiscendo tam felicia erant somnia dormientium, quàm vita vigilantium. Quòd autem te iactas, & inaniter spumeum diffundis eloquium, *parentes comparans parricidis, in eis asserens esse causam vt filij cum damnatione nascantur*: ferris omnino linguæ tuæ velut exultantibus & plaudentibus pennis, nec in isto strepitu quem tibi ipse facis, respicis Deum. Cur enim non ista vel tale aliquid, ipsi potius hominum creatori quàm genitoribus dicitur, qui certè omnium honorum est author & conditor? Et tamen quos ignibus æternis præsciuit arsuros, creare non desinit; nec ei quia eos creat, nisi bonitas imputatur. Et quosdam infantes etiam baptizatos quos futuros præsciuit apostatas, non aufert ex hac vita in æternum regnum adoptatos, nec eis confert magnum beneficium, quod ei de quo legitur, *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*. Nec tamen Deo tribuitur, nisi bonitas atque iustitia qua de bonis & malis omnia bene ac rectè facit. Quanto facilius intelligitur parentibus non esse tribuendum, nisi quòd filios volunt, qui proculdubio quæ illis futura sunt nesciunt.

Felicia in paradiso dormientium somnia.

Sap. 4. 11.

CAPVT XI.

QVod autem commemorasti ex Euangelio, *Melius erat homini illi non nasci*; nónne vt nasceretur plus opere Dei actum est, quàm parentum? Cur non ipse imagini suæ præstitit, quod melius erat, qui malum quod ei futurum fuerat præsciebat, quod parentes nosse non possunt? Et tamen ab eis qui rectè intelligunt, non tribuitur Deo nisi quod benignitati tribuendum est creatoris: sic & parentibus sine nodo difficilis quæstionis hoc tribuitur, quòd filios voluerunt, quorum futura nesciuerunt. Ego autem non dico paruulos sine

Matt. 26 24.

Christi

Christi baptismate morientes tanta pœna esse plectendos, vt eis non nasci potius expediret: cùm hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis & impijssimis dixerit. Si enim, quod de Sodomis ait, & vtique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die iudicij punietur; quis dubitauerit paruulos non baptizatos qui solùm habent originale peccatum, nec vllis proprijs aggrauantur, in damnatione omnium leuissima futuros? Quæ qualis & quanta erit, quàmuis definire non possim; non tamen audeo dicere, quòd eis vt nulli essent quàm vt ibi essent, potius expediret. Verùm vos quoque qui eos velut liberos ab omni damnatione esse contenditis, cogitare non vultis, qua illos damnatione puniatis, alienando à vita Dei & à regno dei tot imagines dei: postremò separando à parentibus pijs, quos ad eos procreandos tam distertus hortaris. Hęc autem iniustè patiuntur, si nullum habent omninò peccatum: aut si iustè, ergo habent originale peccatum. Alijs deindè propositis meis verbis quibus commemoraui quàm honestè sancti antiqui patres coniugibus vsi fuerint; dicis *eos non hoc intuitu operam dedisse propagini, vt tanquam reos gignerent filios baptismate diluendos; eo quòd baptisma quo nunc adoptamur nondum fuerat institutum.* Hoc de baptismate verum dicis. Nec ideo tamen credendum est, & ante datam circumcisionem famulos dei, quandoquidem eis inerat *mediatoris* fides in carne venturi; nullo sacramento eius opitulatos fuisse paruulis suis: quàmuis quid illud esset aliqua necessaria causa scriptura latere voluerit. Nam & sacrificia eorum legimus, quibus vtique sanguis ille figurabatur, qui solus *tollit peccata mundi.* Apertius etiam legis iam tempore nascentibus paruulis, offerebantur sacrificia pro peccatis. Respondе, pro quibus peccatis? Respice etiam illis generantibus patribus perituram fuisse animam paruuli de populo suo, si die non circumcideretur octauo: & respondе quo merito periret, quem negas originali obnoxium fuisse peccato.

Infantiũ sine baptismo decedentiũ damnatio leuissima.

Matt. 10. 15. *Ibid.* 11. 24.

Lib. 1. *de nup. ca.* 8.

Sacramenta pro paruulis etiam an de circumcisionem.

Leuit. 12. *Gen.* 17. 14.

CAPVT XII.

De coniugio Ioseph & Maria. Lib. 1. *de nupt. & conc. c.* 11.

IAm verò de Ioseph, cuius Mariam teste Euangelio coniugem dixi, multa diu disputas contra sententiam meam, & conaris ostendere, quia concubitus defuit, nullo modo fuisse coniugium: ac per hoc secundùm te cùm destiterint cõcumbere coniuges, iam non erunt coniuges, & diuortium erit illa

illa cessatio. Quod ne contingat, agant sicut possunt decrepiti quod juvenes agebant; & ab hoc opere quo etiam continens nimiùm delectaris, nec effœtis ætate corporibus parcant. Non se cogitent quantùm ad libidinis attinet incentiva, senuisse, ut possint conjuges permanere. Si hoc tibi placet, tu videris. Ego autem, quia liberorum procreandorum causa uxores esse ducendas honestas consentit humana, quolibet modo libidini cedat infirmitas, præter fidem quam sibi debent conjuges, ne fiant adulteria, & prolem cujus generandæ causa sexus uterque miscendus est: adverti etiam tertium bonum quod esse in conjugibus debet, maximè pertinentibus ad populum Dei: quod mihi visum est esse aliquod Sacramentum, ne divortium fiat vel ab ea conjuge quæ non potest parere; vel sicut fecisse Cato perhibetur, ne ab eo viro qui plures non vult suscipere filios, alteri fœtanda tradatur. Propter hoc in illo quod secundùm Euangelium conjugium nuncupavi, *omnia tria bona nuptiarum dixi esse completa. Fidem, quia nullum adulterium. Prolem, ipsum Dominum Christum. Sacramentum, quia nullum divortium.* Non ergo quia dixi omne nuptiarum, id est, hoc tripartitum bonum, in illis Christi parentibus fuisse completum, propterea hoc dixisse putari debeo, sicut insimulas, *ut quicquid aliter fuerit, malum esse videatur.* Dico enim & aliter bonum esse conjugium, ubi proles nisi per concubitum non potest procreari. Si enim aliter posset, & tamen concumberent conjuges, apertissimè libidini cederent, atque illo malo uterentur malè. Cùm verò propter quod sexus ambo sunt instituti, nisi eorum commixtione non nascitur homo, propter hoc mixti conjuges illo malo utuntur benè: Si autem de libidine quærunt etiam voluptatem, venialiter malè. *Quasi maritus*, inquis, *Ioseph in opinione omnium erat: secundum hanc opinionem, non secundum veritatem locutam fuisse scripturam vis intelligi, ut Virginem* MARIAM *eius coniugem diceret.* Hoc putemus Euangelistam facere potuisse, cùm vel sua vel cujuslibet alterius hominis verba narraret, ut secundum opinionem hominum loqueretur. Nunquid & Angelus loquens unus ad unum, contra conscientiam & suam & ipsius cui loquebatur secundum opinionem potiùs quàm secundum veritatem fuerat locuturus, qui ei dixit: *Noli timere accipere* MARIAM *coniugem tuam*? Deinde quid opus erat ut usque ad Ioseph generationes perducerentur,

Tria coniugij bona. Lib. 1. de nupt. cap. 10.

Cato uticensis Martiam uxorem suã cessit Hortensio.

Non solà hominum opinione, sed verè coniuges erant Ioseph & Maria.

Christi genealogia ad Ioseph cur perducta.

Matt. 1. 20.

si non eâ veritate factum est, qua in conjugio sexus virilis excellit? Quod ego in libro cui respondes, cùm posuissem, tu prorsus attingere timuisti. Dicit autem Lucas Euangelista de Domino, quòd *putabatur filius Ioseph*; quia ita putabatur, ut per ejus concubitum genitus crederetur. Hanc falsam voluit removere opinionem, non MARIAM illius viri negare conjugem, contra Angelũ testem: quamquam & tu ipse etiam *ex desponsionis fide, eam nomen coniugii accepisse* fatearis. Quæ fides utique inviolata permansit. Neque enim cùm eam vidisset jam virginem sacram, divinâ fœcunditate donatam, ipse aliam quæsivit uxorem: cum utique nec istam quæsisset, si necessariam conjugem non haberet: sed vinculum fidei conjugalis non ideo judicavit esse solvendum, quia spes commiscendæ carnis ablata est. Verùm de isto conjugio quod vis existima; nos tamen non ut calumniaris dicimus, *sic fuisse primos coniuges institutos, ut sine commixtione utriusque sexus coniuges essent*: sed utrùm in Paradiso ante peccatum *caro concupiverit adversus spiritum*; vel utrùm nunc in conjugibus hoc non fiat, quando ejusdem concupiscentiæ etiam per pudicitiam conjugalem cohibetur excessus: & utrùm malum non sit, cui repugnanti consentiendum non est, ne in suum pergat excessum: & utrùm non ex ipsa & cum ipsa concupiscentia nascatur, cui malum inesse ullum negas: & utrùm ab ingenerato malo possit hominum quisquam sine regeneratione liberari; hoc inter nos differitur. In his quæstionibus Catholicâ veritate antiquitùs traditâ, vestra impia novitas suffocatur.

Lib. 1. de nupt. cap. 11.

Luc. 3. 23.

CAPVT XIII.

QVod autem putasti congerenda esse sacrarum testimonia literarum, quibus probares unde inter nos nulla quæstio est, à Deo creari hominem, quod de quolibet vermiculo negare fas non est; quo pertinuit, nisi ut te appareret campos quæsisse verborum, ubi ventosè atque inaniter curreres? Sed cùm etiam S. Iob testimonium tam loquaciter adhiberes, quare non tibi venit in mentem quod ait idem homo Dei, cùm de peccatis sermo ejus esset humanis, *neminem mundum à sorde, nec infantem cuius est unius diei vita super terram?* Nam misericordiam *& magnis & pusillis* omnibus præstari ab illo à quo salus est & hominum & pecorum, & *qui facit Solem suum*

Iob. 14.

Matt. 5. 45.

suum oriri super bonos & malos; quis abnuat, nisi qui Deum esse, aut terrena curare non credit? Quod tu quasi inde contenderemus, per testimonium S. Iob docere voluisti, quia dixit: *Ossibus & nervis compegisti me, vitam & misericordiam tribuisti mihi.* Vbi quidem ille potuit non omnem significare hominem, sed de se-ipso gratias agere, quòd eum carnaliter natum non deseruerit, sed ei misericordiam ut verè viveret, id est, justè viveret, qui eum condidit, ipse præstiterit. Aut certè quia parùm erat *vita* quam nascendo sortitus est, ideo addidit, *& misericordiam*, ne remaneret *naturaliter filius iræ sicut & ceteri*, atque inter *vasa iræ*, non inter *vasa misericordiæ* fieret. Cur autem de malo quod ei adjacet atque inest membris ejus reus non sit fidelis, & ex eo malo tamen qui nascitur reatum trahat, jam nescio quoties diximus: fideli enim hoc beneficium regeneratio contulit, non generatio. Inde ergo ab isto reatu solvenda est proles, unde solutus est parens.

Iob 10. 11. & 12.

CAPVT XIV.

SEd magnum aliquid te Dialectica docuit, *rem qua in subiecto est, sine illa re esse non posse, in qua subiecta est.* Et *ideo* putas *malum quod est in parente, utique in subiecto, alij rei, id est proli, ad quam non pervenit, reatum non posse transmittere.* Rectè hoc diceres, si malum concupiscentiæ de parente non perveniret ad prolem: cùm verò sicut sine illo nemo seminatur, ita sine illo nemo nascatur, quomodo dicis eò non pervenire, quo transit? Non enim Aristoteles, cujus categorias insipienter sapis, sed Apostolus dicit: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum; & per omnes homines transijt.* Nec sanè tibi Dialectica illa mentitur, sed tu non intelligis. Verùm enim est quod ibi accepisti, ea quæ in subjecto sunt, sicut sunt qualitates, sine subjecto in quo sunt, esse non posse, sicut est in subjecto corpore color aut forma; sed afficiendo transeunt non emigrando: quemadmodum Æthiopes, quia nigri sunt, nigros gignunt; non tamen in filios parentes colorem suum velut tunicam transferunt, sed sui corporis qualitate, corpus quod de illis propagatur afficiunt. Mirabiliùs est autem quando rerum corporalium qualitates in res incorporales transeunt; & tamen fit, quando formas corporum quas videmus, haurimus quodammodo, & in memoria recondimus,

Rom. 5. 12.

Qualitates afficiendo transeunt ad alia corpora, non emigrando.

& quocunque pergimus, nobiscum ferimus, nec illæ recesserunt à corporibus suis, & tamen ad nos mirabili modo affectis nostris sensibus transierunt. Quomodo autem de corpore ad spiritum, eo modo transeunt de spiritu ad corpus.

Exemplū 1. Nam colores virgarum quas variavit Iacob, afficiendo transierunt in animas pecorum matrum, atque inde rursus eâdem affectione transeundo apparuerunt in corporibus filiorum. *Gen.30.37. & seq.*

alterum. Tale verò aliquid etiam in fœtibus humanis posse contingere, Soranus Medicinæ author nobilissimus scribit, & exemplo confirmat Historiæ. Nam Dionysium tyrannum narrat, eo quod ipse deformis esset, nec tales habere filios vellet, uxori suæ in concubitu formosam proponere solere picturam, cujus pulchritudinem concupiscendo quodammodo raperet, & in prolem quam concipiebat, afficiendo transmitteret. Neque enim Deus ita naturas creat, ut leges auferat, quas dedit motibus uniuscujusque naturæ. Sic & vitia quamvis sint in subjecto, ex parentibus tamen in filios non quasi transmigratione de suo subjecto in subjectum alterum, quod fieri non posse categoriæ illæ quas legisti verissimum ostendunt; sed, quod non intelligis, affectione & contagione pertranseunt.

Lib.2. retract. c. 62.

CAPVT XV.

QVid est quod laboras magnis argumentationibus pervenire ad impietatis abruptum, ut *Christi caro quia de* MARIA *natus est, cuius Virginis caro sicut caterorum omnium ex Adam fuerat propagata, nihil distet à carne peccati, & sine ulla distinctione Apostolus dixisse credatur; eum fuisse missum in similitudine carnis peccati*, imo potius instas *ut nulla sit caro peccati, ne hoc sit & Christi?* Quid est ergò, *similitudo carnis peccati*, si nulla est *caro peccati?* Sed *hanc Apostolicam sententiam me non intellexisse* dixisti; nec eam tamen exposuisti, ut te Doctore nossemus, quòd aliqua res possit esse similis ei rei, quæ non est. Quòd si dementis est dicere, & sine dubio caro Christi non est *caro peccati*, sed similis *carni peccati*; quid restat ut intelligamus, nisi ea excepta omnem reliquam humanam *carnem* esse *peccati*? Et hinc apparet illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali: quia MARIÆ corpus quamvis inde venerit, tamen

Rom.8.3.

eam

eam non trajecit in corpus, quod non inde concepit. Cæterùm corpus Christi inde dictum esse *in similitudine carnis peccati*, quia omnis alia hominum *caro peccati* est, quisquis negat, & carnem Christi ita carni comparat nascentium hominum cæterorum, ut asserat utramque esse puritatis æqualis, detestandus hæreticus invenitur. Magnum porrò aliquid invenisse tibi videris & copiosissimè disputas, etiam si nascentes mali aliquid ex parentibus trahere possent, quòd expiarentur manibus Dei, quia eos ipse format in uteris matrum: ab ipso autem formari homines (quasi hoc negaremus) instantissimè probas, multa de Scripturis adhibens testimonia: in quibus cùm ea verba ex libro Ecclesiastico posuisses, quibus Dei opera dicuntur occulta, continuò tua subjecisti atque dixisti: *Quæ sententia eorum arguit vanitatem, qui putant naturalem profunditatem posse investigatione aliquâ comprehendi.* Hoc tibi dic, & noli de animæ origine temerè aliquid definire, quod vel ratione certissimâ vel divino eloquio minimè ambiguo non potest comprehendi; sed potiùs quod sapientissima mulier mater Machabæorum, sæpe. Nam & ejus verba posuisti, quæ filijs suis ait: *Nescio qualiter in utero meo paruistis.* Quod utique non putanda est dixisse de corporibus eorum, quæ corpora se non dubitabat ex virili semine concepisse: sed utrùm animæ filiorum de paterna anima tractæ fuerint, an aliunde in utero ejus esse cœperint; hoc nimirum illa nesciebat, nec eam pudebat, ut temeritatem caveret, ignorantiam confiteri. Quid est ergo quod causaris, *cur non ipso fily mundentur effectu, ut à pollutionibus*, inquis, *quæ dicuntur parentum, maiestate opificij expientur?* Nec attendis hoc dici etiam de manifestis vitijs corporum posse, cum quibus non pauci nascuntur infantes. Quamvis absit ut dubitetur Deum verum & bonum esse omnium corporum formatorem, & tamen ex opificis tanti manibus tam multa, non solùm vitiosa, verum etiam monstruosa procedunt, ut naturæ à nonnullis appellentur errores. Qui cùm operantem vim divinam, & quid cur faciat, indagare non possint, fateri eos pudet nescire quod nesciunt. Quod autem attinet ad peccati originalis in omnes homines transitum, quoniam per *concupiscentiam carnis* transit, transire in eam carnem non potuit, quam non per illam Virgo concepit. Quod enim & de alio libro meo quem scripsi ad sanctæ memoriæ Marcellinum, velut mihi præscribens

Eccles. 3.

2. Mach. 7. 22.

B. Virgo sine parentum concupiscentia concepta.

Christi corpus quomodo in similitudine carnis peccati.

Carnē Christi cæterorūq; nascentium eiusdem putat esse puritatis.

De origine animæ.

Monstra natura errores & peccata an recte dicantur.

In carnem Christi concupiscentia cur non trāsierit.

Lib. 1. de pec. merit. c. 3.

ponere voluisti de Adam dictum, *Quod tabificavit in se omnes de sua stirpe venturos*, unde utique ille tabificavit, non inde Christus in matris uterum venit. Sed verba quæ ad rem maximè pertinent in eadem sententia mea, ego dicam quia tu dicere noluisti, & statim cur nolueris apparebit. *Occulta*, inquam, *tabe carnalis concupiscentiæ sua tabificavit in se omnes de sua stirpe venturos.* Non itaque carnem tabificavit, in cujus conceptu tabes ista non fuit, caro itaque Christi mortalitatem de mortalitate materni corporis traxit, quia mortale corpus ejus invenit: contagium verò peccati originale non traxit, quia concumbentis concupiscentiam non invenit. Si autem nec mortalitatem, sed solam substantiam carnis de matre sumpsisset, non solùm caro ejus *caro peccati*, sed nec *similitudo carnis peccati* esse potuisset. Sed comparas *me & coæquas Apollinaris errori, qui carnis sensum fuisse negavit in Christo*, ut imperitis nebulas undecunque commoveas, ne lucem veritatis attendant. Aliud est sensus carnis, sine quo nullus fuit, aut est, aut erit in corpore vivens homo: & aliud est concupiscentia qua *caro concupiscit adversus spiritum*, sine qua fuit ante peccatum primus homo, qualem nobis exhibuit humanam naturam Christus homo: quia sicut ille ex terra, sic iste sine tali concupiscentia est creatus ex fœmina. Assumens tantùm ex illa etiam mortalitatis infirmitatem, qualis non erat ante peccatum in carne hominis primi, ut esset ista quod tunc illa non fuit, *similitudo carnis peccati*. Vt ergò nobis patiendi præberet exemplum, non habuit ille mala sua, sed pertulit aliena: in doloribus pro nobis, non cupiditatibus fuit. Quapropter natos ex Adam, transferri renatos oportet ad Christum; ne à regno Dei pereant imagines Dei, quod sine malo fieri qui dicit, nec amorem habet nec timorem Dei. Cùm hoc autem malo necesse est hominem de damnata origine generari. *Regeneratos* autem absit *ut redigamus*, sicut calumniaris, *sub necessitate criminum, Deo largiente dona virtutum.* Quamvis ergò aliam legem videamus in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ, non solùm tamen necessitatem criminis non habet, sed habet potiùs honorem laudis, cujus spiritus spiritali munere adjutus, adversus carnis concupiscentiam concupiscit. Sed quacunque te verses, quacunque te jactes, quæcunque undecunque colligas, infles, ventiles, spargas, contra quod concupiscit spiritus bonus, non est bonum.

Christus mortalitatem de matris traxit mortalitate.

Iulianum Augustinum Apollinaristã facere conantur.

Non

Matt.5.45. *Non potuit*, inquis, *exemplum dare natura dissimilis.* Potuit quidem. Nam quid est quod nos in imitationem patris hortatur, *qui facit Solem suum oriri super bonos & malos*, ut ejus exemplo nostros diligamus inimicos? Veruntamen natura hominis Christi, nostræ naturæ dissimilis non fuit, sed vitio nostro dissimilis fuit. Ille quippe sine vitio natus est homo, quod hominum nemo. Quantùm autem ad vitam pertinet, qua Christum debemus imitari, hoc quoque ad distantiam plurimùm valet, quod unusquisq; nostrum homo est, ille autem etiam Deus. Neque enim tantùm potest justus homo esse qui homo est, quantum homo qui & Deus est. Illud sanè magnum verumq; dixisti, cùm posuisses testimonium Apo-
1.Pet.2.22. stoli Petri dicentis: *Qui peccatum non fecit*, notandum esse quòd judicaverit Apostolus sufficere ad ostendendum in Christo nullum fuisse peccatum, quia dixit nullum eum fecisse peccatum: *Vt doceret*, inquis, *quia qui non fecit, habere non potuit.* Omninò verissimum est. Profectò enim peccatum etiam major fecisset, si parvulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum præter ipsum qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu; quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis ex ortu. *Tolle*, inquis, *exempli causam, tolletur, & prety, quod pro nobis factus est.* Non est mirum quod solum exemplum ponis in Christo qui præsidium gratiæ, quo erat plenus, oppugnas, *Spe*, inquis, *malo carendi ad fidei præsidia convolamus, non autem carentes innatis. Siquidem post Baptisma virilitas ipsa perdurat*: quia virilitatis nomine *concupiscentiam carnis* appellas. Perdurat utique quod negari non potest, contra quod debet concupis-
Iacob.1.14. & 15. cere spiritus, ne homo renatus jam *concupiscentia sua* trahatur *illectus*: & utique concupiscentia quæ repugnat ut trahat, etiã si spiritu contra eam concupiscente & resistente non trahat, ac propterea nec *concipiat, pariatq; peccatum*; non est bonum.
Rom.7.18. Et ipsa est, de qua dicit Apostolus: *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum.* Hoc autem quod non est *bonum*, Christus in natura si haberet sua, non sanaret in nostra.

Exempli rationem in Christo non tolli, etiamsi non habuerit concupiscentiam nobisũ communem.

Pelagiani doctrina tantum & exempli magisterium in Christo agnoverunt.

CAPVT

CAPVT XVI.

Lib. 1. de nup. & conc. cap. 12.

INterponis aliud de libro meo, & quoniam dixi *coniugalem concubitum, qui fit intentione generandi, non ipsum esse peccatum, eò quòd bona voluntas animi sequentem ducat, non ducentem sequatur corporis voluptatem*, tu contra refers *de ea re quæ à peccato libera est, peccata non nasci*, isto modo existimans te posse destruere originale peccatum, quod non destruit nisi salvator, quem parvulis invidetis. Destruit autem solvendo quòd rei sunt non negando. Ideo quippe concubitus conjugalis, qui fit intentione generandi, non est peccatum, quia benè utitur *lege peccati*, id est, concupiscentia, *quæ est in membris repugnans legi mentis*. Quæ si propterea reum parentem non tenet, quia regeneratus est; quid mirum si propterea reum tenet nascentem, quia inde generatus est: & ideo ne reus remaneat, etiam ipse regenerandus est? Hæc verò sententia tua qua dixisti, *de ea re quæ à peccato libera est, peccata non nasci*, quantùm adjuvet Manichæos, si cogites, voles eam delere de libro tuo, & de cordibus omnium qui legerunt librum tuum. Si enim non de ea re quæ à peccato libera est, peccata nascuntur, habent aliam naturam suam secundum Manichæos unde nascantur. Quos & alijs similibus sententijs tuis quantum adjuveris, jam in primo hujus nostri operis volumine demonstravi. Ecce hic & quod dixisti tantundem valet. Videsné nobis operam dandam præter errorem proprium quo Pelagiani estis, ut quasdam tuas sententias, qualis & ista est, evertamus, si Manichæos vincere volumus? *De ea re quæ à peccato libera est*, dicis, *peccata non nasci*. Sed veritas contradicit, quæ te & Manichæos evertit, cum quibus tibi vox ista communis est. Angelus quem creavit Deus, res à peccato libera fuit; homo quem primum creavit Deus, res à peccato libera fuit. De rebus igitur à peccato liberis, nata esse peccata qui negat, aut Manichæus est manifestus, aut Manichæis suffragatur incautus. Deinde ponens alia verba mea sic argumentaris, quasi ego dixerim, *cùm servit coniugatis ad propagandam prolem, tunc honorari libidinem*. Dicis tibi ipse quod vis: nam ego hoc nec dixi omninò, nec sensi. Quomodo enim libido cùm servit honoratur, quando ne pergat in liberos excessus, dominatione mentis opprimitur? Nos itaque non diximus

Concupiscentiam carnis Christus si habuisset, non eam sanasset in nobis.

Cap. 8.

diximus *ſemper ad reatum pertinere uti libidine.* Quod velut dixerimus, ita colligis, *minus peccare adulteros quàm maritos: quia maritus*, inquis, *libido ſervit ut peccent, adulteris imperat.* Sed cùm ego illud non dixerim, qualecunque hoc ſit tuum quod tanquam conſequens eſſe voluiſti, nihil ad me attinet. Ego enim dico uti libidine non ſemper eſſe peccatum, quia malo benè uti non eſt peccatum. Nec quæcunque res ideò bona eſt, quia eâ benè utitur bonus. Nam & de duobus hominibus ſcriptum eſt: *Filius eruditus ſapiens erit, imprudente autem miniſtro utetur.* Nunquid ideò bonum eſt eſſe imprudentem, quia benè illo utitur ſapiens? Inde & Apoſtolus Ioannes non ait, nolite uti mundo: ſed, *Nolite diligere mundum*: ubi poſuit & *concupiſcentiam carnis.* Qui enim non diligens utitur, quaſi non utens utitur, quia non ejus rei cauſa utitur, ſed alterius quam diligens intuetur, ut etiam non diligens hâc utatur. Propter quod Paulus coapoſtolus ejus: *Et qui utuntur*, inquit, *hoc mundo, quaſi non utantur.* Quid eſt, *quaſi non utantur*; niſi non diligant quo utuntur, quoniam tale eſt, ut benè aliter non utantur. Et hoc quidem etiam in his rebus obſervandum eſt, quæ in hoc mundo ſic bonæ ſunt, ut tamen eas diligi non oporteat. Quis enim malum eſſe pecuniam rectè dixerit? Et tamen nemo ea benè utitur qui dilexerit, quantò magis libidine? Nam pecuniam malus quidem ſpiritus concupiſcit, ſed ipſa contra bonum ſpiritum non concupiſcit, quod libido facit: atque ideo & qui hoc eſſe malum negat, peccat, & qui hoc malo benè utitur, non peccat. Rectè igitur argumentareris, dicens, *libidinem ſi mala eſt, maiori reatu obſtringere quibus obſequitur, coniuges; quàm quibus dominatur, adulteros*: ſi diceretur à nobis, eos conjuges qui ſerviente concupiſcentiæ malo ad ſolum generandi utuntur officium, ad aliqua mala opera eos illo uti, ſicut ad facinus perpetrandum ſervo utitur homicida. Cùm autem dicamus bonum eſſe in conjugibus officium procreandi, quamvis vulnus quod in renato ſanari poteſt, trahat natus de primi contagione peccati: reſtat ut ſic utantur conjuges boni malo concupiſcentiæ, ſicut *ſapiens* ad opera utique bona *miniſtro utitur imprudente.* Sed homines acutiſſimi ideo non modum, non genus, ſed exceſſum voluptatis arguitis, & exprobrandum cenſetis obſcœnis; *quia eum noſtis*, ut dicis, *intra conceſſos fines animi poteſtate poſſe retineri.* Faciat animi poteſtas ſi poteſt, ut ad tranſgrediendos

Proverb. 10. iuxta 70.

1. Ioan. 2. 15.

1. Cor. 7. 31.

Etiam bonis quibuſdam ſic utendum, ut non ea tamen diligamus.

fines à quibus transgrediendis eam revocat, non se libido commoveat. Quod si facere non potest, profectò ut fines non transgrediatur, improbo hosti resistitur, qui eos transgredi nititur. *Sed universum contemptum eius*, inquis, *virginibus continentibusq; inesse testamur.* Nunquid ideo virgines & continentes contra *concupiscentiam carnis* non pugnant? Et quid est contra quod *exercent* abs te quoque prædicata illa *gloriosa certamina*, ut virginitatem continentiamque custodiant? Si ergo pugnant, malum est quod expugnant. Et ubi est hoc malum, nisi in ipsis? Ergo *non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum*, veraciter dicitur & ab ipsis. *Nihil aliud* dicis *esse nuptias quàm corporum commixtionem:* & dicis postea, quod & verum est, *sine appetitu mutuo & sine opere naturali, propagationem esse non posse.* Nunquid tamen negas sibimet etiam adulteros appetitu mutuo & opere naturali, & corporum commixtione conjungi? Non est ergo ista definitio nuptiarum. Aliud est enim quod nuptiæ sunt, & aliud est sine quo etiam nuptiæ filios propagare non possunt. Nam & sine nuptijs possunt nasci homines, & sine corporum commixtione possunt esse conjuges: alioquin non erunt conjuges, ut nihil aliud dicam, certè cùm senuerint, sibique misceri vel non potuerint, vel sine spe suscipiendæ prolis erubuerint atque noluerint. Vides ergo quàm inconsideratè nuptias definieris, dicendo *eas aliud non esse nisi corporum commixtionem.* Tolerabilius fortè diceres, non eas inchoari nisi per corporum commixtionem, quia filiorum procreandorum causa utique ducuntur uxores, & aliter non possunt filij procreari. Sed procreandi causa commixtio corporum aliter quàm nunc est fuisset, si nemo peccasset. Absit enim ut honestissima illa felicitas in paradiso commotæ libidini semper obtemperaret: absit ut illa pax animi & corporis haberet aliquid, propter quod adversus se-ipsam prima hominis natura pugnaret. Si ergo ibi nec serviendum libidini, nec adversus eam bellandũ fuit; aut non ibi fuit, aut non talis qualis nunc est fuit. Nunc enim libidini necesse est ut repugnet, qui ei servire noluerit: necesse est ut serviat, qui repugnare neglexerit. Quorum duorum vnum est molestum, & si laudabile: alterum turpe & miserabile. Itaque in hoc seculo unum horum castis est necessarium, in paradiso autem utrumque à beatis fuerat alienum. Sed iterum me dicis mihimet-ipsi esse contrarium, propo-

Sup. lib. 3. cap. 21. & lib. 4. c. 2.

Aliud nuptiæ quàm corporum commixtio.

propositis videlicet alijs verbis meis, ut propagationis officium à carnalis delectationis appetitione discernens, *aliud esse dixi non concumbere nisi voluntate generandi quod non habet culpam; aliud concumbendo carnis appetere voluptatem, sed non præter coniugem, quod venialem habet culpam.* Nihil habent duo ista, quantum mecum omnes vident qui verum vident, unde me ostendas mihi esse contrarium. Audi tamen identidem quod eorum sensibus inculcatius intimetur, quos fallere affectas. Calumniaris enim *nos excusationem præbere turpibus & flagitiosis hominibus, ut cùm infanda immunda commiserint, contra voluntatem se dicant fecisse, & ideo nullum habere peccatum*: quasi nos non multò exertiùs adhortemur contra libidinem esse pugnandum. Nam si vos cùm id bonum esse dicatis, non vultis tamen, ut vestra adversus istud bonum frigescere, vel certè tepescere bella credamus, quantò vigilantius & ardentius contra malum nos censemus esse pugnandum? Nos dicimus illud esse contra voluntatem, *Vt caro concupiscat adversus spiritum*, non illud ut *spiritus adversus carnem*. Per quam concupiscentiam bonam fit, ut nisi causa generandi non utantur conjuges carnis libidine, ac sic malo utantur benè: qui usus bonus mali, facit honestum concubitum vereque nuptialem. Voluptatis autem causa, non prolis, facit concubitum culpabilem, sed in conjuge venialem. Ideo autem & de honesto concubitu qui nascitur, trahit quod renascendo diluatur, quia & in concubitu honesto inest malum, quo benè utitur bonitas nuptiarum. Sed non obest renatis, quod aberat natis. Vnde fit consequens ut qui ex eis nascitur, & illi obsit si non renascatur. Tu sanè inter argumentationes tuas, quibus te inaniter adversus mea verba contorques, identidem te Manichæos adjuvare non vides. Ideò quippe tibi videtur natus de concubitu conjugali, non trahere originale peccatum, *quia de hoc opere quod non habet culpam; nasci* sicut dicis, *culpa non potest*. Cur ergo *de opere Dei quod non habebat culpam*, nata est culpa Angeli, nata est culpa hominis? Cernis quantùm eis suffrageris quorum detestatione conaris obtegere, quod adversus Catholicam fidem fundatissimam sentis. Si enim secundum definitivam tuam, *de hoc opere quod non habet culpam, nasci culpa non potest*, ecce nulla opera Dei habent culpam. Vnde igitur culpa nata est? Hic Manichæus te adjuvante

Lib. 1. de nup. & conc. cap. 15.

aliam naturam, sicut desipit, malam molitur inducere, ut sit unde culpa nata esse credatur: quia *de opere Dei*, secundùm tua verba, *culpa non nascitur*. Nunquid potest vinci Manichæus, nisi cum illo & ipse vincaris, quia & Angelus & homo Dei sunt opera sine culpa? Ex quibus tamen culpa nata est, dum ab eo qui culpa caret, per liberum arbitrium recesserunt, quod eis datum est sine culpa: & facti sunt mali, non per admixtionem mali, sed per defectionem boni. Dicis *ob hoc à me Christiani temporis continentiam fuisse laudatam, non ut ad virginitatem incenderentur homines, sed ut bonum nuptiarum quod à Deo institutum est damnaretur.* Sed ne puteris de animo meo malevolâ suspicione torqueri, velut probare me volens, dicis mihi: *Si fideliter invitas homines ad studium continentiæ, fateris ergo ita virtutem pudicitiæ à volentibus posse servari, ut sit quicunque voluerit corpore sanctus & spiritu.* Respondeo, me fateri; sed non sicut vos. Nam vos ipsius animi viribus hoc tribuitis, ego adjutæ per Dei gratiam voluntati. Veruntamen quid comprimitur animi imperio ne peccetur, nisi malum, quo vincente peccatur? Quod malum ne dicamus cum Manichæis tanquam ex aliena mali natura nobis esse commixtum, restat ut in nostra natura tanquam vulnus aliquod fateamur esse sanandum, cujus reatum jam fatemur regeneratione sanatum. Ecce frustra enumerasti, quibus me comparas, tot hæreticorum fraudes, quorum utinam numerum non augeres. *Apostolicâ sententiâ, quâ notat hæreticos prohibentes nubere,* 1. Tim. 4. 3. *etiam me* asseris *tangi*: quasi dicam post adventum Christi turpia esse conjugia. Audi ergo quod dicimus, ut hoc ipsum multis modis ac sæpius audiendo, non dissimules veritatem simulans quodammodo surditatem. Non dicimus turpia esse conjugia, quandoquidem ne incontinentia in damnabile cadat flagitium, fulcienda est honestate nuptiarum. Sed quod vos dicitis, Christiana doctrina non dicit: id est (ut verba tua ponam) *hominem sufficere ingenitis sibi motibus dare leges*: hoc non dicimus, sed dicimus quod dixit Apostolus, cùm hinc loqueretur: *Vnusquisque proprium donum habet à Deo.* Et quod 1. Cor. 7. 7. dixit Dominus: *Sine me nihil potestis facere.* Et *non omnes ca-* Ioan. 15. 5. *piunt verbum hoc, sed quibus datum est*: cùm posset dicere, *non* Matt. 19. 11 *omnes capiunt verbum hoc*, sed qui voluerit; si verum esset quod dicitis vos. Quæro sanè qualibus *ingenitis sibi motibus hominem* dicatis

Angeli à summo bono recedentes mali facti sunt.

dicatis esse idoneum *dare leges* ? utrùm bonis an malis ? Si bonis adversus bonum, ergo spiritus concupiscit adversus spiritum, & duo bona invicem sibi adversantur in homine. Quod si ita esset, ipsa duorum bonorum inter se adversitas bona esse non posset. Si autem malis, fatere igitur ingenitos esse homini motus malos, contra quos castitas dimicat. Et ne dicere cum Manichæis cogaris, alienæ mali naturæ nobis ineſſe commixtionem, nostrum potius originalem confitere languorem. Cujus languoris malo conjugalis benè utitur pudicitia; contra quod languoris malum, adhibentur ab incontinentibus nuptiarum remedia, exercentur à continentibus glorioſa certamina. Arbitror pollicitationem meam, ex quo tibi ad omnia respondere cœpi, in quibus solvendos quæstionum nodos aliquos attulisti, commodius impleri, si numerum tuorum voluminum non excessero. Sit ergo hic finis hujus mei, ut novissimum tuum ab alio refellamus exordio.

FINIS LIBRI QVINTI.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA IVLIANVM, LIBER SEXTVS.

CAPVT I.

RESPONSVM est libro tuo tertio, respondeatur & quarto: aderit Dominus, ut non solùm veritas, sed etiam charitas tibi exhibeatur à nobis. Quæ duo quisquis tenuerit, nec fatuus, nec invidus erit. De quibus vitijs in principio memorati tui libri multa dixisti. Nam & error veritate, & livor charitate pellendus est. In hac autem tua disputatione cùm de stultitia loquereris: dicens *eam matrem esse omnium vitiorum*, adhibuisti testimonium de Scriptura, ubi legitur: *Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia habitat.* Sap. 7. 28. Quære itaque diligenter, utrùm habitare cum sapientia puerilis vanitas possit, per quam necesse est ex infantia parvulus transeat, qui tamen transit: & considera qui primus fructus nascatur de radice quam laudas; & quanta in contrarium mutatione opus habeat ut diligatur à Deo, *qui nisi eum qui habitat cum sapientia neminem diligit*; in prædestinatis utique parvulis quod odit absumens, ut etiam ipsos à vanitate liberatos cum sapientia diligat habitantes: quos certè si ab ubere raptos abstulerit ultimus dies, miror si audes dicere habitaturos cum sapientia præter regnum Dei, quò eos *bonum* secundùm te *inviolatæ inculpatæq; naturæ* non permittit accedere, nisi veri salvatoris gratia redemptos liberet à falsi insipientia laudatoris; ut omittam natura fatuos, multò amplius lugendos Scriptura teste quàm mortuos. Quos quidem & ab isto tanto malo potest Dei gratiâ per sanguinem *mediatoris* eruere. Eccles. 22. 13. Sed unde potuerunt in tantum malum ruere, si divino judicio nulla origini debetur pœna vitiatæ? Ecce meritò reprehendisti

hendisti eos & graviter, *qui vel superfederunt scienda cognoscere, vel non formidant ignorata culpare.* Nunquid hoc de his qui excordes nati sunt, potes dicere? Nec tamen eis sub Deo justo unde hoc accidere potuerit inventurus es, si nulla ex parentibus trahuntur merita filiorum. *Sed invidendo tibi, in quadam meridie compertæ veritatis sine abumbramento ignorationis*, ut loqueris, *insanimus.* Itané verò tanta in parvulis mala, tu qui non invides, non vides? Bonus est Deus, justus est Deus. Extranea prorsus mali est nulla natura, quæ nostræ naturæ secundùm Manichæos credatur admixta. Vnde sunt non dico in moribus, sed in ipsis ingenijs cum quibus nascuntur tanta hominum mala. si non est humana origo vitiata, non est massa damnata? Quid quòd homo fatuitatis expers, & ab invidiæ stimulis alienus, ipsam sic describis invidiam, ut in tua descriptione hoc vitium & peccatum appareat & pœna peccati? An non est peccatum diabolicum invidia? An non est pœna peccati, quæ *protinus ipsum de quo oritur vexat authorem?* Hæc verba tua sunt, & tamen diuturnâ loquacitate visus tibi es acutissimè disputasse, unum idemque vitium peccatum pœnamque peccati esse non posse. Sed fortè quia invidus non es, vix tandem invidiam in alio libro videre potuisti de qua hæc diceres, & tibi pro me quia mihi non invides, contradiceres.

CAPVT II.

FInito autem proœmio, ubi etiam laborasti sicut soles, probare quòd prædico, Deum esse hominum conditorem: mea inde verba proponis, ubi dixi, *mundo non Deo nasci hominem, qui de concupiscentia carnis nascitur; Deo autem nasci, cùm ex aqua & spiritu renascitur.* Quibus meis verbis sic insidiaris, ut asseras hinc intelligi me debere dixisse, quod ad diabolum pertineat quicquid ad mundum pertinet: quia scilicet alibi dixerim eos qui de corporum commixtione nascuntur, ad jus diaboli pertinere; asserendo utique *eos de potestate erui tenebrarum, cùm regenerantur in Christo.* Respondeo ergo calumniæ tuæ. Ita enim me vis putari appellasse mundum ad potestatem diaboli pertinentem; tanquam cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, vel diabolus fecerit vel diabolus teneat. Hoc non dico, sed detestor, redarguo, & damno qui dicit. *Lib. 1. de nup & conc. c. 19.*

dicit. Sed hoc loco sic appellavi mundum, quemadmodum Dominus, ubi ait: *Ecce venit princeps mundi.* Non enim cœli & terræ & omnium quæ per verbum, hoc est, per eundem ipsum Christum facta sunt, unde scriptum est: *Mundus per eum factus est*, principem voluit intelligi diabolum: sed sicut dictum est: *Mundus in maligno positus est.* Et iterùm: *Omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non est à patre, sed ex mundo est.* Non enim cœlum & terra non sunt à Patre per Filium; aut Angeli, sydera, arbusta, animalia, homines non sunt à Patre per Filium, quantum quidem attinet ad ipsam substantiam qua homines sunt: sed *mundi princeps* est diabolus, & *mundus in maligno positus est*, omnes utique homines qui rei sunt damnationis æternæ, si non inde liberentur; ut non jam pertineant ad principem peccatorum, redempti eo *sanguine qui in remissionem fusus est peccatorum.* Huic ergo mundo cujus princeps est, de quo ait *qui vicit mundum: Ecce venit princeps mundi, & in me nihil inveniet:* huic, inquam, mundo nascitur homo donec renascatur in eo *qui vicit mundum & in quo nihil invenit princeps mundi.* Quis est enim *mundus*, de quo dicit salvator mundi & victor mundi: *Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt?* Nunquid terræ ac maris, cœli ac syderum mala sunt opera? Sed utique *mundus* iste homines sunt. Nec ab isto mundo quisquam liberandus eligitur, nisi *gratia Dei per* IESVM *Christum Dominum nostrum*, qui *dedit carnem suam pro mundi vita*, quod non fecisset, nisi mundum invenisset in morte. Quis est *mundus*, de quo dicebat Iudæis: *Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo?* Postremò quis est *mundus* de quo elegit IESVS discipulos suos, ut jam de mundo non essent & eos de quo jam non erant. Ipse *mundus* odisset? Sic enim loquitur *salvator mundi, lux mundi*, sic, inquam, loquitur: *Hæc mando vobis ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret. quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus.* Si non addidisset, *ego elegi vos de mundo*, putari posset, ita dixisse: *de mundo non estis*, quemadmodum de se-ipso dixerat: *Ego non sum de hoc mundo.* Neque enim & ipse fuit de mundo, & electus est inde, ut non esset de mundo. Quis hoc dixerit Christianus? Nec secundum hoc enim quod homo esse dignatus est,

Mundus in malo positus.

Ioan. 14. 30.

Ioan. 1. 10.

1. *Ioan.* 5. 19.

1. *Ioan.* 2. 16.

Ioan. 16. 33.

Ioan. 14. 30.

Ioan. 7. 7.

Ioan. 8. 23.

Ioan. 15. 17. 18. & 19.

est, filius Dei de mundo fuit. Quid ita? nisi quia in illo peccatum nunquam fuit, propter quod omnis homo prius mundo non Deo nascitur, & ut Deo nascatur de mundo eligitur qui renascitur, ut jam non sit de mundo? Propter quod ab eo *princeps mundi ejicitur foras*, sicut ipse testatur, dicens: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi ejicietur foras.* Nisi fortè eousque vestra progredietur audacia, ut dicatis non *de mundo eligi* parvulos quando Baptismo ejus abluuntur, de quo dictum est; *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Ad istam reconciliationem si negatis parvulos pertinere, negantes eos esse *de mundo*, quâ fronte nescio vivatis in mundo. Porrò si eos fatemini cùm in corpus Christi transeunt *de mundo eligi*, necesse est ut ei nascantur, de quo eliguntur ut renascantur. Nascuntur enim per *carnis concupiscentiam*, renascuntur per Spiritûs Sancti gratiam. Illa *de mundo* est, hæc venit in mundum, ut de mundo eligantur qui prædestinati sunt ante mundum. Cùm autem dixisset Apostolus: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*: quomodo id faciat, mox adjunxit atque ait: *Non reputans illis delicta eorum.* Totus ergo mundus ex Adam reus; Deo non negante manum formationis operi suo, seminibus institutis, quamvis paternâ prævaricatione vitiatis: & cùm per Christum reconciliatur mundus, de mundo liberatur; eo liberante qui venit in mundum, non de mundo eligendus, sed electurus: non meritorum electione, sed gratiæ: quia *reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt.*

Omnis homo prius mundo, quàm Deo nascitur.

Ioan.12.31.

2.Cor.5.19.

Ibidem.

Rom.11.5.

CAPVT III.

DEinde propositis alijs meis verbis, ubi dixi: *Huius concupiscentiæ reatum regeneratio sola dimittit, ac per hoc generatio trahit*: moxque subjunxi: *Ergo quod generatum est regeneretur, ut similiter, quia non potest aliter, quod tractum est remittatur*: frustrà identidem conaris obtegere quòd superfluum Baptismum putatis in parvulis, dicentes *Mysteriorum Christi gratiam multùm locupletem esse muneribus.* Velitis nolitis, parvulos credere confitemini in Christum per corda & ora gestantium. Ergò & ad illos pertinet dominica illa sententia: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Quâ causâ, quâ justitiâ, si nullum trahunt originale peccatum? Quod autem dicis *Hinc potius*

Marc.16.16

ſuos approbat, quòd ante proprium voluntatis obſequium, hoc quod in eis fecit beneficiorum ſublimat augmentis. Si ergo hinc ſuos iſtos approbat, profectò illos quibus hoc non donat, non approbat ſuos. Porrò cùm & ipſi eâdem causâ ſint ejus, quia condidit eos; cur non & ipſos eodem modo approbat ſuos? Hinc de fato, vel de acceptione perſonarum nihil negatis. Iam ergo nobiſcum gratiam confitemini. Quid eſt enim aliud, ubi nihil illorum eſt? In una igitur eademque cauſa, alius relinquitur juſtitiâ judicante, non fato; alius aſſumitur gratiâ præſtante, non merito. Fruſtrà omninò contenditis, nec ab originali peccato parvulos regeneratione mundari. Non hoc oſtendit, qui dixit: *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto, in morte eius baptizati ſumus.* Dicendo enim, *quicunque*, non utique parvulos fecit exceptos. Quid eſt autem *in morte Chriſti baptizari*, niſi peccato mori? Vnde etiam de ipſo idem alio loco dicit: *Quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel.* Quòd utique dictum eſt propter *ſimilitudinem carnis peccati*, propter quod & magnum myſterium eſt crucis ejus, ubi & *vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut evacuetur corpus peccati.* Si ergò *in Chriſto* parvuli *baptizantur*, *in morte eius baptizantur.* Si *in morte eius baptizantur*; *mortis eius ſimilitudini complantati*, peccato utique moriuntur. *Quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel, quòd autem vivit, vivit Deo.* Et quid eſt *complantari ſimilitudini mortis eius*, niſi quod ſequitur: *Sic & vos exiſtimate vos mortuos eſſe peccato, vivere autem Deo in Chriſto* IESV? Nunquid dicturi ſumus, *peccato mortuum* fuiſſe IESVM, quod nullum habuit unquam? Abſit. Et tamen *quod mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel.* Mors enim ejus peccatum noſtrum ſignificavit, quo utique ipſa mors accidit; cui morti mortuus, id eſt, ut mortalis non eſſet ulterius, *peccato* dicitur *mortuus.* Quod ergo ipſe ſignificavit, *in ſimilitudine carnis peccati*, hoc per ejus gratiam nos agimus in *carne peccati*: ut quomodo ille moriendo ſimilitudini peccati, *peccato mortuus* prædicatur; ita quicunque in illo fuerit baptizatus, idem peccato cujus in Chriſto ſimilitudo non veritas, eidem rei cujus illa fuerit ſimilitudo moriatur. Et quomodo in illius vera carne vera mors fuit, ſic fiat in veris peccatis vera remiſſio.

Rom. 6. 3.

In morte Chriſti baptizari, quid?

Ididem 10.

Ibidem 6.

Parvuli in Baptiſmo peccato moriuntur.

Ibidem 11.

CAPVT

CAPVT IV.

TOtus itaque iste Epistolæ Apostolicæ locus si te ab ista pravitate non corrigit, nimis obduruisti. Quamvis enim sibi connexa sint omnia quibus ait, scribens ad Romanos, *ut gratia Dei* commendetur *per* IESVM *Christum*: tamen quia Epistolam totam hic recolere & pertractare non possumus, valde enim longum est; ex isto capite quod agitur considereamus, ubi ait: *Commendat autem suam charitatem Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* hoc tu dictum exceptis parvulis vis putari. Vbi si abs te quæram, si non sunt inter peccatores habendi, quomodo pro eis mortuus est, qui pro peccatoribus mortuus est? Respondebis non pro solis peccatoribus mortuum, quamvis sit etiam pro peccatoribus mortuus. Quod quidem nusquam legis in divinis authoritatibus, mortuum scilicet esse Christum etiam pro eis qui nullum habuerunt omninò peccatum. Sed attende quàm validis testimonijs urgearis. Tu dicis etiam pro peccatoribus mortuum; ego dico non nisi pro peccatoribus mortuum; ita ut respondere cogaris, si nullo peccato parvuli obstricti sunt, non esse pro parvulis mortuum. Dicit enim ad Corinthios: *Quoniam unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est.* Nullo modo hic negare permitteris, non nisi pro his qui *mortui sunt*, *mortuum fuisse* IESVM. Quos igitur hoc loco intelligis mortuos? Nunquid eos qui de corpore exierunt? Quis ita desipiat ut hoc sapiat? Eo modo itaque intelligimus *mortuos*, *pro* quibus *omnibus unus mortuus est Christus*, quomodo alibi dicit: *Et vos cùm esseris mortui in delictis & præputio carnis vestræ, vivificavit cum illo.* Ac per hoc *unus*, inquit, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*: ostendens fieri non potuisse ut moreretur, nisi pro mortuis. Ex hoc enim probavit *omnes mortuos esse*, quia *pro omnibus mortuus est unus*. Impingo, inculco, infercio recusanti. Accipe, salubre est, nolo moriaris. *Vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur *omnes mortui*, si *pro omnibus mortuus est*. Quia ergo non in corpore, restat ut in peccato esse *mortuos omnes*, si *pro omnibus Christus mortuus*, nemo neget, nemo

Rom. 5. 8. & 9.

Tractat locum Apostoli ad Rom. 5.

Non est pro ijs mortuus Christus qui nullum habuerunt omninò peccatum.

2. Cor. 5. 14. & 15.

Coloss. 2. 13.

dubitet, qui se non negat aut dubitat esse Christianum. Quapropter si nullum trahunt peccatum parvuli, non *sunt mortui*. Si non *sunt mortui*, non *est mortuus* pro eis, qui non est mortuus, nisi pro mortuis. Tu autem jam in primo libro tuo contra nos clamans, dixisti *Christum etiam pro parvulis mortuum*. Nullo modo igitur negare permitteris eos trahere originale peccatum. Nam *mortui* unde, si non inde? aut propter quam mortem parvulorum mortuus est, qui non est mortuus nisi pro mortuis? Eumque tu *mortuum pro parvulis* confiteris. Redi ergo mecum ad illud quod ad Romanos cœperam dicere: *Commendat*, inquit, *suam charitatem Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Cùm peccatores*, inquit, *essemus*, hoc est, cùm mortui essemus, *Christus pro nobis mortuus est: multò magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* Hoc est illud quod alibi dicitur: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Deinde hic sequitur: *Non solùm autem, sed & gloriantes in Deo, per Dominum nostrum* IESVM *Christum, Non solùm*, inquit, *salvi, & gloriantes, per quem nunc & reconciliationem accepimus.* Et tanquam causa quæreretur: quare per *unum mediatorem hominum* fiat ista *reconciliatio. Propter hoc*, inquit, *sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quid ergo egit lex? Itané illa reconciliare non potuit? Non, inquit. *Usque enim ad legem, peccatum in mundo fuit:* hoc est, nec lex potuit auferre peccatum. Peccatum autem non deputabatur cùm lex non esset. Erat quidem peccatum, sed non deputabatur, quia non cognoscebatur: *Per legem enim*, sicut alio loco dicit, *cognitio peccati. Sed regnavit mors ab Adam, usque ad Moysen:* quia nec per Moysen; id est, nec per legem regnum ejus ablatum est. *Regnavit* autem *& in his qui non peccaverunt.* Quare igitur, si *non peccaverunt*? Audi quare: *In similitudinem*, inquit, *prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.* Dedit enim ex se formam posteris suis, quamvis peccata propria non habentibus, ut peccati paterni contagione morerentur, qui per ejus carnalem concupiscentiam gignerentur. *Sed non sicut delictum*, inquit, *ita & donatio. Si enim*

Lib. 2. de nup. & conc. cap. 33. & lib. 3. contra Iulia. c. 25.

Rom. 5. 8. & 9.

Ibidem 9. & 10.

2. Cor. 5. 19.

Rom. 5. 11.

Ibidem.

Ibidem 12.

Ibidem 13.

Rom. 3. 20.

Rom. 5. 14.

Ibidem 15.

enim ob unius delictum multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis IESV *Christi in multis abundavit. Multò magis* utique *abundavit*, quia in quibus abundat, temporaliter moriuntur, in æternum victuri sunt. *Et non*, in-
Ibidem 16. quit, *sicut per unum peccantem, ita est & donum. Nam iudicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Et *unum* quippe illud ad damnationem trahere potuit, sed *gratia* non hoc *unum* tantùm, verùm-etiam
Ibidem 17. plura, quæ superaddita sunt peccata delevit. *Si enim ob unius delictum*, inquit, *mors regnavit, per unum; multò magis qui abundantiam gratiæ & iustitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum* IESVM *Christum.* Superior repetitus est sensus, quia *multò magis in vita regnabunt*, qui sine fine regnabunt; quàm *mors* in
Ibidem 18. eis *regnavit*, quæ cum fine regnavit. *Itaque sicut per unius*, inquit, *delictum in omnes homines ad condemnationem, ita & per unius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ.* Ideò & ibi *omnes*, & hîc *omnes*; quia nemo ad mortem nisi per
Ibidem 19. 20. & 21. illum, nemo ad vitam nisi per istum. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per unius obedientiam iusti constituentur multi. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Vbi autem abundavit delictum, superabundavit gratia: ut quemadmodum regnavit peccatum in morte, sic & gratia regnet per iustitiam & vitam æternam, per* IESVM *Christum Do-*
Rom. 6. 1. *minum nostrum. Quid ergo dicimus*, inquit, *Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit.* Quid enim præstitit gratia, si permanendum est in peccato? Denique sequitur & dicit:
Ibidem 2. *Qui mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo?* Hinc nunc diligenter attende. & quod sequitur ut intelligas, intentus ausculta. Cùm dixisset, *qui mortui sumus peccato, quomodo vi-*
Ibidem 3. *vemus in eo? An ignoratis*, inquit, *quoniam quicunque baptizati sumus in Christo* IESV, *in morte ipsius baptizati sumus?* Hic sunt parvuli qui baptizantur, an non sunt? Si non hic sunt, falsum est ergo quod ait: *Quicunque baptizati sumus in Christo* IESV, *in morte ipsius baptizati sumus*, quia non *in morte illius baptizantur* parvuli. Sed quoniam verum dicit Apostolus, nulli intelliguntur excepti. Nam si de solis majoribus dictum putatis, qui jam utuntur libero arbitrio, cùm dicat ille, *Quicunque*, frustrà vos terret dominica illa sententia,
Ioan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu.* Habetis enim magnum

compendium : Asseverate & hoc de solis majoribus dictum, nequaquam parvulos istâ generalitate concludi. Et quid vobis est de quæstione baptismatis laborare, utrùm sit vita æterna præter *regnum Dei*, an vita æterna privandi sint innocentes tot imagines Dei, ac per hoc æternâ morte plectendæ? Si autem hoc dicere non audetis, quoniam universaliter prolata sententia est : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei*, eadem vos universitas comprimit, dicente Apostolo : *Quicunque baptizati sumus in Christo* IESV, *in morte illius babtizati sumus.* Ergo & parvuli qui *baptizantur in Christo*, quoniam *in morte ipsius baptizantur*, *peccato moriuntur.* Inde enim connexa sunt ista sequentia, cùm superius dictum esset : *Qui mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo?* Nam velut quæreretur quid est *mori peccato*? *An ignoratis*, inquit, *quoniam quicunque baptizati sumus in Christo* IESV, *in morte illius baptizati sumus*? Hinc probans quod suprà dixerat : Si *mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo*; ut qui se non ignorarent *in morte Christi baptizatos*, cùm *baptizarentur in Christo*, scirent etiam se *mortuos esse peccato*, quia nihil est aliud *in morte Christi baptizari*, nisi *peccato mori*; hoc diligentiùs exponens adjungit & dicit : *Consepulti ergò sumus illi per Baptismum in mortem, ut quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, sic & resurrectionis erimus : hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati, ut ultrà non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato : si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul vivemus cum illo, scientes quia Christus surgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo. Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato : vivere autem Deo in Christo* IESV. Si ergò *peccato* non *moriuntur* parvuli, procul dubio *in Christi morte* non *baptizantur.* Si *in Christi morte* non *baptizantur*, non *in Christo baptizantur. Quicunque enim baptizati sumus in Christo* IESV, *in morte ipsius baptizati sumus. In Christo* autem *baptizantur*, *peccato* ergo *moriuntur.* Cui *peccato* quæso te, nisi quod originale traxerunt? Argumentationes hominum conticescant, *Dominus novit cogitationes hominum*,

Mori peccato quid?

Rom. 6. 3.

Ibidem. 2.

Ibidem 4. *& seq.*

Psal. 93. 11

Matt.11.25 *num, quoniam vana sunt. Abscondit hæc à sapientibus & prudentibus, & revelavit ea parvulis.* Si tibi Christiana fides displicet, apertiùs confitere: nam Christianam fidem aliam non potes invenire. Vnus homo est ad mortem, unus ad vitam. Ille tantùm homo, iste Deus & homo. Per illum est mundus inimicus factus Deo: per istum mundus reconciliatus
1.Cor.15. Deo: electus ex mundo. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur,*
22.& 49. *sic & in Christo omnes vivificabuntur. Sicut portavimus imaginem terreni, ita portemus & imaginem eius qui de cœlo est.* Hæc stabilitamenta fidei Christianæ qui subvertere nititur, stantibus eis ipse subvertitur.

CAPVT V.

PRorsus quod in libro meo dixi, cui resistis, verum est. *Nam quod dimissum est in parente ut trahatur in prole, miris quidem modis fit, sed tamen fit. Et quia modus ipse non facili ratione indagatur, nec sermone explicatur, ab infidelibus non creditur.* Quibus verbis meis insidiaris mendaciter, quasi dixerim, nec ratione comprehendi, nec sermone explicari, subtrahens inde quod dixi, non facili sive ratione sive sermone. Aliud est *nulla*, quod tu dicis; aliud est, *non facili*, quod ego dixi: ubi quid aliud quàm calumniosus appares? Sed etsi nullâ ratione indagetur, nullo sermone explicetur; verùm tamen est quod anti-quitus veraci fide Catholicâ prædicatur, & creditur per Ecclesiam totam; quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exufflaret, si non *eos de potestate tenebrarum*, & à principe mortis *erueret*; quod in libro meo, cui velut respondes, à me positum est: sed id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exufflandus esses, si huic exufflationi quâ *princeps mundi* & à parvulis *ejicitur foras*, contradicere voluisses. Fruſtrà te intorques argumentationibus vanis, non adversus me, sed adversus communem matrem spiritalem; quæ non te aliter peperit quàm sicut jam non vis ut pariat, contra cujus viscera satis acutis telis tibi videris armatus: de justitia Dei, contra justitiam Dei; de gratia Dei, contra gratiam Dei colligens argumenta. Tunc
Eccles.40.1. enim est Dei vera justitia, si *grave iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum* non sit injustum. Quomodo autem

Lib. 1. de nup. & conc. cap. 19.

Quod tota credit Ecclesia, etiamsi nec ratione indagari, nec sermone explicari possit, recipiendum est tamen. Lib. 1. de nupt. c. 20.

autem non est injustum *iugum grave*, si nullum est in parvulis malum, propter quod justè jugo premantur gravi? Tunc vera est Dei gratia, si hoc rebus exhibeat, quod verbis sonat. Quomodo autem hoc facit, si eum exufflat in quo novit non esse quod pellat: si eum lavat in quo novit non esse quod abluat? Nunquid vel tibi vel quibuslibet consectaneis tuis aliquid dicere videreris, si quantum sit, (ut ex ea natum necesse sit renasci, non renatum sit necesse damnari) malum *concupiscentiæ carnis*, sanctitate mentis cogitare possetis: Et quid conferat gratia, cùm reatum ejus absolvit, quo faciebat originaliter hominem reum, quando sit in illa plena remissio peccatorum; quamvis ipsa remaneat, contra quam regenerati spiritus concupiscat, aut benè usurus hoc malo in minore certamine, aut omninò non usurus in majore certamine? Inest enim sensus hujus mali, dum reluctatur atque cohibetur. Reatus autem ille, qui solâ regeneratione dimittitur, quemadmodum cùm inesset non sentiebatur; ita ejus ablatio fide creditur, non carne vel mente sentitur. Ideò in hujus rei obscuritate te jactas, & adversus veritatem quæ ostendi hominum maximè carnalium sensibus non potest, quantò magis ut putas acriter, tantò magis infideliter pugnas. Sed verte omnes tete in facies, & contrahe quidquid, Sive animis, sive arte vales; *quicunque baptizati sumus in Christo* IESV, *in morte ipsius baptizati sumus.* Ergo verum est nos mortuos esse peccato in morte Christi, quæ fuit sine peccato: ac per hoc & majores & parvuli. Neque enim illi & non isti, aut isti & non illi, sed *quicunque baptizati sumus in Christo* IESV, *in morte illius baptizati sumus. Consepulti* ergo *sumus illi per Baptismum in mortem* non sine parvulis, quoniam *quicunque baptizati sumus in Christo* IESV, *in morte illius baptizati sumus: ut quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati fuimus similitudini mortis eius, sed & resurrectionis erimus*: hic sunt & parvuli *complantati similitudini mortis eius.* Hoc enim ad omnes pertinet *quicunque baptizati sumus in Christo* IESV, *hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est.* Quorum *vetus homo*, nisi *quicunque baptizati sumus in Christo?* Hic itaque agnoscamus & parvulos; quia & ipsos baptizatos non negamus in Christo.

Virgil. 12. Æneid. *Rom. 6. 3.* *Ibid. 4. & 5* *Ibid. 6.*

Et ut

Et vt quid *simul crucifixus est vetus homo noster? Vt evacuetur*, in-
Ibidem. quit, *corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato.* Propter hoc
Rom.8.3. *corpus peccati, misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati.* Qua igitur impudentia negamus etiam parvulos *corpus* habere *peccati*, cùm hoc quod dicit, omnium sit *quicunque baptizati*
Rom.6.7. *sumus in Christo? Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato. Si*
& seq. *autem mortui sumus cum Christo, credamus quia simul vivemus cum Christo; scientes, quia Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors ei vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo. Ita & vos*, inquit, *existimate vos mortuos esse peccato; vivere autem Deo in Christo Iesu.* Quibus hoc dicit? Evigilasne & attendis? Eis vtiq; quibus dicebat: *Si autem mortui sumus cum Christo.* Et qui sunt hi, nisi quibus dixerat, *Vetus homo noster simul crucifixus est, vt evacuetur corpus peccati*: nisi quibus dixerat, *Complantati sumus similitudini mortis eius*: nisi quibus dixerat, *Consepulti sumus ergo illi per baptismum in mortem?* Et hoc quibus, vel de quibus dixerat, lege superiora verba, quibus hæc cuncta connexa sunt, & invenies. *An ignoratis quoniam quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte illius baptizati sumus?* Et cùm hoc diceret, probare quid voluit? Lege adhuc paulò superiùs, & invenies: *Si mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo?* Aut ergò agnoscite parvulos in baptismate *mortuos esse peccato*, & fatemini habuisse cui morerentur originale peccatum; aut apertè dicite non eos *in morte Christi baptizatos* cùm *baptizarentur in Christo*, & Apostolum mendacii redarguite, dicentem: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte illius baptizati sumus.* Ego hæc arma cœlestia, quæ vincunt Cœlestium, non dimitto; his fidem meam sermonemque committo. Argumenta quæ profertis, humana sunt, hæc munimenta divina sunt.
Psal.18.13. *Delicta quis intelligit?* Nunquid ideò *delicta* non sunt? Ita & originale delictum quod in parente regenerato remittitur, & tamen transit in prolem, & manet nisi & ipsa regeneretur, *quis intelligit?* Nunquid ideò non est delictum? *Vnus pro omni-*
2.Cor.5. 14. *bus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Quo corde, quo orè, quâ fronte parvulos *mortuos* negatis, pro quibus *Christum mortuũ* non negatis? Si non est pro eis *Christus mortuus*, vt quid baptizantur? *Quicunque enim baptizati sumus in Christo Iesu, in morte illius baptizati sumus.* Si autem etiam pro eis mortuus est, qui *vnus pro omnibus mortuus est, ergò mortui sunt* & isti cum omni-

bus. Et quia in peccato mortui sunt, *moriuntur & peccato vt vivant Deo*, quando renascuntur ex Deo. Quod si explicare non possim, quomodo vivus generet mortuum: (mortuus enim peccato parens, & vivens Deo, generat tamen in peccato mortuum; nisi & ipse peccato regeneratione moriatur, & vivat Deo,) nunquid ideò falsum est, quia explicari verbis, vel non potest, vel difficillimè potest? Tu nega si audes, natum mortuum, pro quo Christum non negas mortuum. *Vnus* enim *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Verba sunt apostolica, sed armasunt nostra, quibus tamen si repugnare nolis, intelligis quod sine dubitatione credendum est, etiamsi non intelligas. Homo enim qui spiritaliter natus, carnaliter gignit, vtrumque habet semen, & immortale vnde se gaudeat vivum, & mortale vnde generet mortuum. Cui vivificando nullo modo necessaria Christi mors esset, nisi mortuus natus esset. *Vnus* enim *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Nec eos de istâ morte excitatis, quos mortuos non esse clamatis; sed ne vivant potiùs impeditis, quando in eorum parentibus fidem, qua vna possunt reviviscere, impiorum argumentorum machinis oppugnatis.

CAPVT VI.

Lib. de nup. & conc. cap. 19.

SEd iam veniamus ad prolixam & operosam disputationē tuam, qua illud quod quantulæcunq; similitudinis gratiâ in re ad perspiciendum difficili adhibendum putavi, de oleastro scilicet quod eius semen degeneret in oleastrum, refutare molitus es; priùs affirmans, *quod ex rei quæ per se defendi non potest, nihil suffragentur exempla.* Cur ergo Apostolus mox vt proposuit quæstionem quomodò resurgant mortui, quo autē corpore veniant, continuò rem incognitam & inexpertam exemplo probare suscepit, adiungens: *Stulte, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur &c?* Quod quidem exemplum & huic rei de qua hunc agitur, non omnimodo est inconveniens. Purgatur enim à palea triticum, sicut homo à peccato; & tamen in hē cum palea nascitur alterum. Quid est autem quod de Crocodilo dicere voluisti, *solum esse in omnibus animalibus, cui superiores mandibulas moveri Albinus affirmat*; *& ignem cum sit omnibus exitio, Salamandræ esse ludibrio?* Nonne ista contra vos potiùs protulisti, quando invehitur aliquid vnde mon-

1. Cor. 15.

Soli Crocodilo superiores mandibulæ moveantur.

monstretur esse possibile quod generaliter negabatur? Cùm ergo vos generaliter negaveritis, posse gignentes in prolem traiicere quod non habent ipsi; si fuerit inventum quod possit hoc facere, ita superamini sicut ille qui dixerat, non posse animalia nisi inferiores movere mandibulas, invento crocodilo sine ambiguitate superatur; & qui dixerat nullum animal insigne vivere, demonstrato quod de Salamandra perhibetur, sine ambiguitate convincitur. Cùm igitur definis *naturalia per accidens non converti*; si vel vnus quispiam fuerit inventus qui vitiatus aliquo casu cum eodem vitio genuerit filium, factumq; sit proli naturale quod parenti accidens fuit; nempè tua definitio ista frustrabitur. Item cùm definis *parentem quod ipse non habet, in suam prolem non posse transmittere*, nonne definitio etiam ipsa destruetur; cùm tibi fuerint demonstrati nati homines integerrimis omnibus membris ex ipsis parentibus, qui nonnulla membra perdiderant? Audiebamus à maioribus nostris, qui se id nosse ac vidisse dicebãt: Fundanum Carthaginis rhetorem, cùm ipse accidenti vitio luscus esset, luscum filium procreasse. Quo exemplo evertitur illa tua sententia, quâ dicis *naturalia per accidens non converti*. Accidens quippe fuit in patre, quod factum est in filio naturale. Illam verò alteram, quâ dicitis *parentes in filios ea quæ non habent ipsi non posse transfundere*, alius Fundani filius; quod maximè vlitatum est, cum duobus oculis de lusco natus evertit, & innumerabiles qui nascuntur oculati de parentibus cæcis. Transmittendo quippè in eos quos gignunt quod ipsi non habent, vos potiùs quàm suos filios sibi similes esse demonstrant, qui tam fuistis in vestris definitionibus cæci.

Salamandra ab igne non læditur.

Fundanus rhetor luscus cũ esset luscũ genuit filium.

CAPVT VII.

SAne cùm ea quæ ad rem non pertinent multùm loqueris, dixisti aliquid vnde me quiddam quod ad rem pertinet admoneres, vbi aisti, *curiositatem quod comprehenderit, minùs solere mirari; & adversus eam divinitus fuisse provisum, vt multa de terra innumeris discreta proprietatibus gignerentur.* Et revera hæc est vtilitas occultorum operum Dei, ne prompta vilescant, ne comprehensa mira esse desistant. Vnde & scriptura dicit: Eccl. 11. 5. *Sicut ossa in ventre prægnantis, ita non agnoscis opera Dei quæcunque faciet vniversa.* Rectè itaque & ipse dixisti, contra curiosita-

Curiositas quod comprehenderit minus miratur.

Occultorum Dei operum vtilitas.

sitatem quæ minùs solet mirari quod potuerit comprehendere, incomprehensibilia esse opera Dei. Cur ergo humana opinatione conaris evertere, quod minùs vales in divinâ ratione comprehendere? Ego quidem, non (vt tu calumniaris) dixi, nullâ ratione comprehendi posse; sed dixi, non facili ratione posse. Verùmtamen quod si contra vitium curiositatis humanæ, cui solent, vt ipse commemoras, comprehensa vilescere, etiam hoc Deus quemadmodùm multa, sic occultare voluit, vt id investigare atque comprehendere humana coniectura non posit; ideò ne contra Ecclesiam matrem vestram ratiunculis vestris quasi parricidalibus pugiunculis debetis armari, vt vim sacramenti eius occultam, qua purgandos concipit parvulos, quàmvis de purgatis parentibus natos tanquam *ossa in ventre prægnantis* non contrectando, sed laniando quæratis? Nisi autem sermonis longitudine nollem fatigare lectorem; iam te mille rerum generibus quarum incomprehensibilis ratio, contra vsitatas naturæ vias quasi per deserta opaca repit, obruerem, in quibus etiam degenerantia semina non quidem in dissimillimũ genus; (quia nec oleaster sic est ab olea discretus, vt vitis) sed in quandam, si dici potest, similem dissimilitudinem, sicut viti est labrusca dissimilis, quæ tamen de semine vitis gignitur, multa monstrarem. Et cur non credamus hoc ideo voluisse creatorem, vt crederemus etiam semen hominis posse vitium de gignentibus trahere, quod in eis à quibus gignitur non est: vt ad eius gratiã, quâ homines *eruuntur à potestate tenebrarum, & in regnum illius transferuntur*, etiam baptizati, cum suis parvulis currerent; sicut tecum cucurrit pater sanctus, nesciens eidem gratiæ quàm esses futurus ingratus? Sed naturæ scrutator acerrimus limites eius invenis, & regulas figis, dicens *per rerum naturam fieri non posse, vt illud probentur tradere parentes, quo caruisse creduntur. Quod si tradunt*, inquis, *non amiserunt*. Istæ sunt Pelagianæ definitiones, quas lecto ad religiosæ memoriæ Marcellinum quod commemoras, opusculo nostro, iam respuere debuisti. Prior enim Pelagius de parentibus fidelibus dixit, *non eos potuisse in posteros transmittere, quod ipsi minimè habuerunt*. Sed quã sit falsum, exemplis evidentissimis perdocetur, quorum aliqua suprà dixi, vnde est & hoc, quod & nunc dicam. Quid enim præputii retinet circumcisus, de quo præputiatus tamen gignitur, & quod iam non est in homine, trahitur in hominis

Semen hominis de gignentibus vitia trahit. Memorius Iuliani pater fuit.

Lib. 2. de pec. merit. & remiss. c. 3. & 9.

Præputiatus de circumciso gignitur.

minis semine? Nec ob aliud credendum est antiquis patribus hoc divinitùs fuisse præceptum, vt octavo die circuncideren parvulos, ad significandam regenerationem quæ fit in Chri-
Rom 4. 25. sto, *qui* post diem septimum sabbathi, quo die iacuit in sepulchro, *traditus propter delicta nostra*, sequenti, id est octavo die in hebdomadibus *resurrexit propter iustificationem nostram.* Quod sacramentum circumcisionis in figurâ præcessisse baptismatis, quis vel mediocriter sacris literis eruditus ignoret, cùm apertissimè de Christo dicat Apostolus: *Qui est caput*
Coloss. 2. 10 11, 12, & 14. *omnis principatus & potestatis, in quo etiam circuncisi estis circuncisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, in circuncisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & consurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis, & vos cùm essetis mortui in delictis & præputio carnis vestræ, vivificavit cum illo donãs nobis omnia delicta.* Huius ergo *circuncisionis non manufactæ*, quæ nunc fit in Christo, similitudo præmissa est illa circuncisio manufacta, quæ data est Abrahæ. Non enim dici potest, præputium corpus est, hoc autem quod trahitur in origine vitiũ, & illo quidem abscisso, vim eius tamen nequaquàm tolli potuisse de semine: hoc verò vitium quod non est corpus, sed accidens cum indulgentia sit remissum, in semine non potuisse residere: hoc, inquam, à quovis callidissimo dici non potest, cum authoritate divinâ superetur, qua ipsa pars corporis ob hoc iussa est amputari, vt hoc vitium purgaretur. Quod nisi esset in semine, ad parvulos quibus circuncisione illa corporis auferendum est, nullatenùs perveniret. Neque si minimè perveniisset, indigeret vllatenùs hâc corporis circuncisione semoveri. Cùm autem parvulus proprium nullũ habeat omnino peccatum, restat vt nullum eidem aliud auferatur nisi originale illo remedio sine quo *perit anima eius de populo suo*, quod sub justo Deo non fieret, nisi esset culpa qua fieret. Quæ quoniam propria nulla est: restat vt sola originis vitiatæ sit culpa. Ecce circuncisus tradit nascenti de se, quo cãruit in se. Quid est ergo quod dicis, *per rerum naturam fieri non posse, vt illud homines probentur tradere, quo cãruisse creduntur?* Bonum est præputium, non est malum, quia Deus illud fecit, sicut de oleastro copiosissimè disputasti. Respondetur tibi: Bonus est oleaster in rerum natura, sed in mysteriorum scripturâ malum significat: sicut lupi, sicut vulpes, sicut sus lota in volutabris cœni, sicut canis conversus ad suum vo-

Circuncisio figura fuit baptismatis.

Occupatio.

Circuncisio vitium purgabat originale.

Oleaster tametsi bonus, malí tamen in scripturis significationem habet.

mitùm. In rerum naturâ bona sunt omnia sicut oves. *Omnia* quippe *Deus fecit bona valde*; sed in sanctis libris lupi malos significant, oves autem bonos. Nec secundùm id quod sunt, sed secundùm id quod significant, de illis similitudines damus, quando de bonorum malorumq; differentia disputamus. Sic & præputium quoniam particula est humani corporis, quod totum est bona substantia; vtiq; bonum est per naturam, sed malum significat per figuram, cùm die octavo circuncidi præcipitur parvulus propter Christum, in quo sicut Apostolus dicit; *Circuncisi sumus circuncisione non manufacta*, quam sine dubio præfiguravit circuncisio manufacta. Præputium itaq; non est peccatum, sed significat peccatum, & maximè originale, quia per ipsum membrum est origo nascentium; per quod peccatum dicti sumus *naturâ filii iræ*: nam & ipsum mẽbrum natura propriè dicitur. Proindè circuncisio carnis non solùm illam quasi generalem sententiam vestram sine ambiguitate subvertit, qua dicitis, *per verum naturam fieri non posse, vt quo ipse caruit: tradat proli parens*; verùmetiam quia præputiũ peccatum significat, & invenitur in nascente, quod iam non erat in parente; profectò originale peccatum quod iam remissum est parentibus baptizatis, manere demonstrat in parvulis, nisi & ipsi baptizentur, id est, spiritali circuncisione mundentur: vosque convincit, esse verissimum quod negatis: quia & ipse parvulus, de quo dictum est, *Peribit anima eius de populo suo*, si octavo die non fuerit circuncisus, invenire sub iusto iudice cur pereat non potestis, negantes originale peccatum. Relinquamus sylvas oleastrorum, & montes vel Aphricanos vel Italos olivarum, nec interrogemus agricolas, qui cùm tibi aliud, mihi aliud fortè responderint, neutros possumus celeri exploratione convincere, si ad hoc experiendum seminetur arbor, *seris factura nepotibus vmbram*. Habemus oleam non Aphricanam, non Italam, sed Hebræam: cui nos qui fuimus oleaster, insitos esse gaudemus. Illi oleæ data est circuncisio, quæ nobis solvit istam sine disceptatione quæstionem. Trahit præputium proles, quod iam non habet parens; caruit, & tamen tradidit; amisit, & tamen transmisit. Et hoc præputium peccatum significat. Ergo & ipsum potest in parentibus interire, & tamen ad filios pertransire. Attestetur etiam ipse infans, & tacens dicat, Peritura est anima mea de populo meo, si non fuero circuncisus octavo die. Qui ergo

Originale peccatum præputio significatũ.

Colos. 2. 11.

Gen. 17. 14.

Virg. Geor. 2. Abraham olea.

ergo & originale malum diffitemini, & iustum Deum fatemini, quid peccaverit dicite huic infanti tacitè clamanti. Et quoniam loquacitas vestra nullâ rationabili voce respondet; voces potiùs vestras Apostolicis nobiscum vocibus iungite. Quæ sint enim ex parentibus, vel vtrùm sint etiam alia contagia peccatorum, liberum nobis est quærere; sive sit facile, sive impossibile reperire. *Per vnum* tamen *hominem in hunc mundum intrasse peccatum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertransisse, in quo omnes peccaverunt*; aliter nobis fas esse non existimemus accipere, nisi vt omnes mortuos esse credamus in primi hominis peccato, pro quibus *mortuus est Christus, & omnes mori peccato quicunque baptizantur in Christo.*

Rom. 5. 12.

CAPVT VIII.

SEd in aliis verbis meis quæ velut refellenda interponis disputationi tuæ, dicis, *me vulgum tibi excitare conatum, quoniam dixi fidem non dubitare Christianam (quam novi hæretici oppugnare cœperunt) & eos qui lavacro regenerationis abluuntur, redimi à diabolo potestate; & eos qui nondum tali regeneratione redempti sunt, etiam parvulos filios redemptorum, sub eiusdem diaboli esse potestate captivos, nisi & ipsi eâdem gratiâ redimantur.* Quod vt apostolico testimonio comprobarem, *ad omnes ætates dixi pertinere illud, de quo Apostolus loquitur, beneficium Dei: Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suæ.* Si hac sententia contra vos vulgus movetur; nonne hinc te potiùs oportet advertere, ità esse vulgatam & apud omnes confirmatam istam catholicam fidem, vt nec notitiam possit fugere popularem? Necesse quippè fuerat quicquid in parvulis suis ageret, quod attinet ad mysteria christiana, omnes nosse christianos. Cur autem dicis, *quod certaminis singularis oblitus in vulgum refugerim?* Quis tibi promisit meum singulare certamen? Vbi, quando, quomodò, quibus præsentibus, quibus arbitris? *Oblato*, sicut loqueris, *placuit componi fœdere bellum, vt pugnas omnium contentio nostra dirimeret?* Absit vt mihi apud catholicos arrogem, quod tibi apud Pelagianos arrogare non pudet. Vnus sum è multis, qui profanas vestras novitates vt possumus refutamus, *sicut vnicuique nostrum Deus partitus est mensuram fidei.* Antequam essem natus huic mundo, & antequam essem renatus Deo, multa catholica lumina vestras.

Lib. de nu. & conc. cap. 20.

Coloss. 1. 13.

Iulianus monomachiæ fingit & sibi vindicat.

Imitatio Virg. Aeneid. 12.

Rom. 12. 3.

vestras futuras tenebras redarguendo prævenerunt. De quibus iam duobus superioribus libris meis, quantâ potui manifestatione disserui. Habes quo te avoces, si te adversùs catholicam fidem adhuc insanire delectat; nec nomine *sellulariorum opificum* derideas membra Christi: Memento quia *infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* Quid est autem *quod eis cùm offendere caperis, in me acerbiores fient?* Mentiri eis noli, & non fient. Ego enim non *eos*, sicut calumniaris, *asseveratores peculium Diaboli*, quos redemptos Christi sanguine sciot *nec diabolo comugia*, inquantùm coniugia sunt, *vita transcribo*; nec *eum genitalium commentor artificem*; nec *excitatorem virorum, nisi ad illicita*; nec *fœcundatorem mulierum*, nec *conditorem* assero *parvulorum.* Hæc ergo quæ à me aliena sunt si eis de me dixeris, mentieris: & si quisquàm eorum tibi credens acerbior in me fuerit factus, deceptus poterit esse non doctior, si verò qui & vtrumq; nostrum, & fidem catholicam sciunt, discere abs te aliquid nolunt, sed cavent potiùs ne auferas quod noverunt. Multi quippe sunt in eis qui non solùm præter me, verùmetiam priores me ista didicerunt, quæ vester novus error oppugnat. Cùm ergo non eos ipse fecerim, sed invenerim huius quam negatis socios veritatis, quomodo eis ego sum author huius quem putatis erroris?

Supra lib. 2. cap. vltimo.

1. Cor. 1. 27

CAPVT IX

EXplica, inquis, *quomodo peccatum personæ illi iustè possit ascribi quæ nec voluit peccare, nec potuit.* Aliud est perpetratio propriorum, aliud alienorum contagio peccatorum, quantùm quidem ad suæ cuiusq; vitæ pertinet actionem. Nam si vos sententiam rectam, in vestrum tortum sensum torquere nolletis, audiretis Apostolum hoc breviter explicantem, qui *vnum* dixit fuisse *in quo omnes peccaverunt.* In illo vno mortui sunt omnes, vt moreretur alius vnus pro omnibus. *Vnus* enim *pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est.* Nega igitur Christum etiam pro parvulis mortuum, vt eximas eos de numero mortuorum, hoc est, de contagio peccatorum. *Qui fieri potest*, inquis, *vt res arbitrii conditioni seminum misceatur?* Si fieri non posset, non esset vnde parvulos nondum de corpore egressos mortuos diceremus. Quia si Christus & pro ipsis mortuus est, ergo & ipsi mortui

1. Cor. 5. 14. & 15.

sunt

sunt: *quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Audisne Iuliane? Hæc Apostoli verba, non mea sunt. Quid à me quæris, *quo sit factũ modo*, cùm videas factum esse quocunque modo, si Apostolo credis aliquo modo, qui de Christo & de his pro quibus mortuus est Christus, mentiri potuit nullo modo? Potest autem dici Deus ab alio quales estis perverso, sed errore diverso, potest prorsus dici Deus quod nos sentire de parvulis dicis *ad inimici sui lucrum semper industriùs*, quia eos quos novit non ad tempus sub diabolo futuros, sed cum illo semper arsuros, non desinit creare, nutrire, vestire, eisq; pertinacissima iniquitate peccantibus vitã salutẽq; subministrare. Sed facit hoc Deus quomodo sciẽs bene vti & bonis & malis, cuius maiestatis vsibus, non solùm eos quos premit aut decipit, sed nec seipsum malignitatis vllius arte diabolus subtrahit. Ac per hoc non pertinent ad diabolum, *qui eruuntur de diaboli potestate.* Qui verò ad eum pertinẽt, *Et impii & diabolus in Dei semper sunt potestate.* in Dei, sicut ipse, sunt potestate. Quàm vanum est igitur quod acutè te dixisse arbitraris, quasi asseramus *hoc inter se fœdus iniisse diabolum & Deum, vt quidquid perfunditur, Deus; quidquid nascitur, diabolus sibi vendicet: ea tamen lege*, sicut dicis, *vt ipsam commixtionem quam diabolus instituit, Deus obnoxia virtute fœcundet.* Prorsùs nec *instituit diabolus commixtionem*, quoniam esset etsi nemo peccasset; sed ita esset, vt tua ibi suscepta vel nulla esset, vel inquieta nõ esset: nec *obnoxia virtute*, sed libera & potentissima *Deus fœcundat* vteros fœminarum, etiam vasa diabolica parituros. Sicut enim hominibus malis, ita & seminibus ex origine vitiatis, in quibus bona est ab illo creata substantia, incrementum, formam, vitam, salutemque largitur gratuita bonitate, nulla necessitate, insuperabili potestate, irreprehensibili veritate. Cùm ergò vtrumque in potestate sit Dei, & *quod perfunditur* scilicet & *quod nascitur*, à cuius potestate alienus nec ipse diabolus invenitur, tu duo ista quomodo posuisti? Vtrùm melius esse voluisti nasci quam perfundi? An melius esse perfundi, quia ibi est & nasci? Non enim perfundi poterit qui natus non fuerit. An vtrunq; æqua lance perpendis? Si nasci putas esse meliùs, regenerationi spiritali facis iniuriam, cui generationem carnalem sacrilego errore præponis. Non enim frustrà crederis noluisse dicere, quod renascitur, sed *quod perfunditur*: vt quoniam diabolum & Deum quasi partes inter se fecisse per nostrum sensum de-

monstrare cupiebas, partem Dei faceres verbi vilitate viliorem. Potuisti enim dicere, quòd renascitur; potuisti, quod regeneratur; potuisti postremò, quod baptizatur. Hoc enim verbum ex Græco Latina consuetudo sic habet, vt non soleat alibi nisi in sacramento regenerationis intelligi. Nihil horum dicere voluisti, sed elegisti verbum, quo fieret contemptibile quod dicebas. Nemo enim legentium præferre posset natum renato, vel regenerato, vel baptizato; sed facilè putasti natum præferri posse perfuso. Si autem quantùm distat cœlum & terra, tanto melius est perfundi, vt *portetur hominis imago cælestis*, quàm nasci vt *portetur hominis imago terreni*, evanuit iam tua ista invidiosa partitio. Neque enim mirandum est, si *cælestis hominis imaginem*, quæ sacrâ perfusione suscipitur, sibi vendicat Deus: *imaginem* verò *terreni hominis* terrena labe sordentem sinit esse sub diabolo, donec ad suscipiendam *cælestis hominis imaginem* renascatur in Christo. Porrò si perfundi & nasci æquali abs te pensantur examine, vt ideò parvuli nondùm renati non credantur esse sub diabolo, ne partes æquales inter se Deus & diabolus facere videantur, si Deus sibi perfusos, diabolus autem vendicet natos: profectò quia secundùm istum sensum tantum valet perfundi quantùm valet nasci, superfluum persuadetis esse perfundi, quoniam quod tantundem valet sufficit nasci. Et tamen agimus gratias quia non hoc putatis. Non enim ad *regnum Dei* natos, nisi perfundantur, admittitis: atque ita perfundi multò melius iudicatis esse quàm nasci. Iam itaque vobis ipsis reddite rationem ne putetis indignum, vt qui non admittuntur in *regnum Dei*, sint sub illo qui cecidit de regno Dei: & qui non habent vitam, sint sub illo qui perdidit vitam: non autem habere parvulos vitam, nisi habeant Christum (quem proculdubio habere non possunt, nisi induerint eum, eo modo quo scriptum est, *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.*) Non ergo eos habere vitam, nisi habeant Christum, Ioannes Evangelista testatur, dicens in Epistola sua: *Qui habet filium, habet vitam; qui non habet filium, vitam non habet.* Meritò ergo intelliguntur mortui qui non habent vitam, pro quibus est Christus mortuus vt habeant. *Vnus* enim *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Ideo autem mortuus est, sicut legitur ad Hæbreos, *vt per mortem evacuaret eum qui potestatem habebat mortis, id est, diabolum.* Quid ergo mirũ si parvuli quãdiù mor-

Contextim de baptismo loquitur Iulianus.

1. Cor. 15. 49.

Ga. 3. 27.

1. Ioa. 5. 12.

2. Cor. 5. 14

Heb. 2. 14.

mortui sunt antequam incipiant eum habere qui mortuus est pro mortuis, sub eo sunt *qui potestatem habet mortis*?

CAPVT X.

ENumeras quæ fides verè non dubitet Christiana; in quibus ea commemoras, quæ penè omnia prædicamus & nos, & de quibus nullo modo dubitandum esse censemus; vsqueadeo vt etiam illud quod dicis, *sine opere liberi arbitrij nullum hominis esse posse peccatum*, verum esse fateamur. Non enim & hoc esset peccatum, quod originale traheretur sine opere liberi arbitrii, quo primus homo peccavit, *per quem peccatum intravit in mundum, & in omnes homines pertransiit*. Quod autem dicis, *alienis peccatis alterum obnoxium non teneri*: interest quatenùs rectè possit intelligi. Nec nunc ago quod peccavit David, & pro peccato eius tot hominum millia ceciderunt: & quod de anathemate contra interdictum, quia vsurpavit vnus, in eos qui hoc non fecerant, nec factum fuisse noverant vindicta processit. Alia disputatio est, neque nunc tenere nos debet, de hoc genere peccatorum sive pœnarum. Parentum autem peccata modo quodam dicuntur aliena; & rursùs modo quodam reperiuntur & nostra. Aliena quippè proprietate sunt actionis; nostra sunt autem contagione propaginis. Quod si falsum esset, profectò *grave iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum*, nullo modo iustum esset. Quod autem Apostolum dixisse commemoras: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisque propria corporis sui prout gessit sive bonum sive malum*; quomodo in parvulis accipis? Vtrùm & ipsi *ante tribunal Christi manifestabuntur*, an non? Si non manifestabuntur, quid te adiuuat ista sententia, quando ad eos non pertinet, quorum nunc agitur causa? Si autem manifestabuntur; quomodo reportat eorum quisque quod gessit, qui nihil gessit; nisi quia pertinet ad eos, quod per corda & ora gestantium, sive credunt, sive non credunt? *Propria corporis sui* enim dixit, quod ad vnumquemque in seipso iam viventem pertinet. Nam quomodo *reportat bonum vt intret in regnum Dei*, si hoc *reportat quisque quod gessit*; nisi quia pertinet ad parvulum etiam quod per alterum gessit, id est, credidit? Sicut itaque quod credidit, pertinet ad eum, vt *reportet bonum*, hoc est percipiat *Dei regnum*; sic ad eum etc.

Rom. 5. 12.

2. Reg. 24. 1. & 15.

Iosue 7. 1. & 5.

Parentum peccata quodam sensu & aliena & nostra.

Eccles. 40. 1

1. Cor. 5. 10

Etiam parvuli ante Christi tribunal referent propria corpora.

eum pertinet etiamsi non credidit, vt reportet condemnationis iudicium, quia Evangelica est & ipsa sententia dicendo; *Qui non crediderit, condemnabitur.* Et Apostolus dicendo, *Omnes nos manifestari oportet, vt recipiat vnusquisque prout gessit sive bonum sive malum*; nihil voluit intelligi medium. Vide ergò quàm importunè nolis parvulum de alieno peccato reportare malum; & velis eum de alieno rectè facto reportare bonum, non qualecunque, sed *Dei regnum*. Alienum quippè opus est cùm credit per alterum, sicut alienum opus fuit cùm peccavit in altero. Nec nos dubitamus, quia baptismate delictum omne mundetur, sed renascendo quisq; mundatur. Quod ergo non adimit nisi regeneratio, non cessat trahere generatio. Sanè dicendo *concupiscentiam non vsquequaque animo esse rebellem*, proculdubio confiteris rebellem; & supplicium non fateris, quod adversùs te ipsum bellum geris. *Dicatur*, inquis, *parvulorum creator Deus talium, quales Dei manibus digni sunt*, & addis, *id est innocentium*. Nonnè te pietate, & Dei laudatione vincere videtur, qui dixeritetiam pulchra & sana opera decere manus Dei? Et tamen multi deformes, multi morbidi, multi horridi monstruosique nascuntur; nec ideò illam totam substantiam, omnesque partes eius, & quicquid in ea substantialiter existit & vivit, potuit creare nisi vnus bonus & verus Deus. Iubes *vt asseram, quemadmodum in Christo, id est, in virtute eius creatos parvulos sibi audeat diabolus vendicare*. Tu asserè si potes, quomodò sibi non obscurè, sed apertè vendicet parvulos, quos immundi spiritus vexant. Si ei traditos dicis; videmus ambo supplicium, tu dic meritum. Ambo cernimus pœnam, tu qui nulla mala merita dicis ex parentibus trahi, cùm Deum iustum ambo fateamur; demonstra ista pœna dignam si potes in infantibus culpam. An verò non agnoscis etiam hoc ad illud *grave iugum* pertinere, quod est *super filios Adam à Dei exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepultura in matrem omnium?* Sub quo *iugo* diversis cladibus ita conteritur genus humanum, vt appareat hoc quod ex *filiis iræ* fiunt, homines tanquam pignore accepto filii misericordiæ, in futurum seculum præparari: in hoc autem seculo à die ortus vsque ad diem obitus, etiam ipsos sub eodem *gravi iugo* conteri. Quandoquidem etiam baptizati parvuli inter alia mala vitæ huius nonnunquam & istos dæmonum patiuntur incursus quàmvis *eruti de potestate tenebrarum*

Marc. 16. 16.
2. Cor. 5. 10.
Eccl. 40. 1.

brarum, ne ab eis trahantur in ſupplicium ſempiternum. Iterùm dicis, quod iam quidem dixiſti, ad quæ reſpondi, ſed etiam nunc non debeo præterire, *quòd cùm Deus parvulis nihil de proprio tam boni quàm mali merentibus gloriam regenerationis attribuit, hoc ipſo eos ad ſuam curam, ad ſuum ius, ad ſuum dominium pertinere docet, quod eorum voluntatem ineffabilis prævenit beneficii largitate.* Quid igitur eum offenderunt quos pariter innocentes, mundos, à ſe ad imaginem ſuam creatos, innumerabiles ab iſto munere alienat, nec *eorum voluntatem* huius *ineffabilis prævenit beneficii largitate*, ſeparans tot imagines ſuas à regno ſuo? Si hoc eis non erit malum, non ergò amabunt *regnum Dei* tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, & tantùm amabunt quantùm innocentes amare debent regnum eius, à quo ad ipſius imaginem creantur, nihil ne mali de hâc ipsâ ſeparatione patientur? Poſtremò vbilibet ſint, quomodolibet ſint ſub Deo iudice, qui nec fato premitur, nec *perſonarum acceptione* corrumpitur; in illius regni fœlicitate non erunt, vbi erunt qui pariter nihil boni, malive meruerunt. Sed ſi nihil meruiſſent mali, nunquam privarentur in communi causâ communione tanti boni. In eis ergò, vt ſæpè diximus, *iræ vaſis notas facit*, ſecundùm Apoſtolum, *Deus divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ*, ne glorientur tanquam de meritis vitæ ſuæ; cùm cognoſcunt hoc ſibi iuſtiſſimè reddi potuiſſe, quod vident reddi paribus conſortibus mortis ſuæ. Si ergò rectè vis ſapere, etiam de parvulis ſape quod ait Apoſtolus de Deo patre: *Qui eruit nos de poteſtate tenebrarum & tranſtulit in regnum filij charitatis ſuæ*, & illud alterum, *Fuimus enim & nos aliquando natura filij iræ, ſicut & cæteri.* Omnes enim *eruuntur de poteſtate tenebrarum*, & *filii* erant *iræ*, qui *peccato moriuntur*. Omnes autem vt *Deo vivant*, *peccato moriuntur*, *qui in morte Chriſti baptizantur*. Omnes porrò *in morte eius baptizantur*, *quicunque baptizantur in Chriſto*: ergo quia & parvuli *baptizantur in Chriſto*, *peccato moriuntur*, & *à poteſtate tenebrarum*, vbi *natura filii iræ fuerant*, *eruuntur*. Quod autem dicis, *vbi ait Apoſtolus, Natura filii iræ, poſſe intelligi prorsus filij iræ*: Nonne hinc admoneri debuiſti, antiquam contra vos defendi catholicam fidem: quia non fere invenitur Latinus codex ſi non à vobis nunc incipiat emendari, vel potiùs in mendum mutari, vbi non

Quod parvuli baptizati interdum & damonũ patiantur incurſus ex meritis veniũ originalis peccati. *Sup. lib. 5. cap. 15.*

Rom. 9. 23.

Coloſſ. 2. 13

Epheſ. 2. 3.

Ibidem.

Natura eſſe noxiæ filios, quomodo Iulianus intellexerit.

Iudicat hoc Hieronymus.

non *natura* sit scriptum? Quod vtique cavere debuit interpretum antiquitas, nisi etiam fidei hæc esset antiquitas, cui cœpit vestra resistere novitas.

CAPVT XI.

SEd homo egregius, in grege non vis esse vulgari. Rursùs enim sententiam vulgi respuis, post tanta quibus eum reddità ratione adversus me concitaveras graviùs, quàm in te fuerat concitatus. Sed nimirum tua disputata considerans, nihil te talibus argumentis apud populum in catholicæ fidei veritate & antiquitate fundatum agere potuisse vel posse sensisti. Vnde ad eum spernendum contumacia rursùs ora convertis, eiusque partes quibus constat non immeritò vobis Christianorum infensissima multitudo, singillatim describendo & deridendo percurris, in quibus & *auditoriales scholasticos* tangis, & dicis *contra me clamaturos: O tempora, o mores!* & tamen vulgi iudicium reformidas, vbi tam clamasos tibi suffragatores invenire potuisti, qui Tullianis me vocibus territent, quod *aliundè quàm vnde totum est, esse partem genitalem corporis partem.* Quibus ego cùm retulero, non hoc dico, mentitur: libidinem culpo, non membra; vitium denoto, non naturam: iste autem qui mihi apud vos calumniatur, audet in Ecclesia Christi ante magistrum in cœlo sedentem recitare libidinis laudem, quod ei recitandum si vobiscum studeret, magistrorum nemo proponeret, ne offenderet omnium vestrum pudorem. Nonne alia in te Tulliana verè convenientia verba convertent, dicentes tibi *Ex hac parte pudor pugnat, abs te petulantia: hinc continentia, illinc libido.* Nescio quos etiam quasi desertores dogmatis vestri, ad fidem catholicam conversos arguis vel reversos. Quos tamen significasti ita te metuere, vt eorum nomina exprimere non auderes; ne fortè audientes abs te sua falsa crimina, mox tibi si non vera, certè credibiliora reponerent. Quod quidem quicunque sunt isti, si graviter sapiunt, non facerent, & parcerent tibi secundùm Apostolum, *non reddentes maledictum pro maledicto.* Tu autem saltem illum monentem ne digneris audire, de cuius literis exclamare te libuit *O tempora, o mores!* Saltem, inquam, ipsum audi, *vt quantum à rerum turpitudine abes, (si tamen abes) tantum te à verborum libertate seiungas; & ea in alteros ne dicas, quæ cùm tibi falsò*

Sup. lib. 2. cap vltimo.

Orat. 1. in Cæsil.

Cicero orat. 2. in Cæsil.

Iulianus calumniatur sectæ suæ desertores.

1. Pet. 3. 9.

falsò obiecta sint, erubescas. Talia te sanè in istos nescio quos, dixisse qui legunt, sciant qualia in aliquibus omninò non novimus, quos in proposito continentiæ recessisse à Pelagianis hæreticis novimus. Tui verò, vel tuæ quales sint, nihil mea interest, quos tu vel quas tu sic fallis, vt dicas me definire, *nec in carioso quidem corpore libidinem posse frænari.* Imò quia frænari posse & frænari oportere decerno, ideò malum intelligo. Quod qui negat malum, viderit quo modo habeat bonum, cui repugnantem, velit nolit, fatetur frænandam esse libidinem. Ego itaque non solùm à senibus, verùm & à iuvenibus dico libidinem posse frænari; sed multùm miror à continentibus libidinem posse laudari. Quis autem nostrûm dicit, *malum hoc quod parvuli originaliter trahunt, sine substantia, in qua est, aut esse posse aut vnquam fuisse?* Quod tanquam dicamus, ita quæris dialecticos iudices, & irrides vulgum, quasi ad ipsum te iudicem adducam, à quo iudicari ista non possûnt: quæ tu si non didicisses, Pelagiani dogmatis machina sine architecto necessario remansisset. Si vis vivere, noli amare *sapientiam verbi, qua evacuatur crux Christi.* Quomodo de aliis substantiis in alias substantias vel bonæ vel malæ transeant qualitates, non migrando sed afficiendo, iam libro superiore tractavimus. Si vulgi spernis iudicium, illos iudices intuere, quos tibi duobus prioribus meis libris luculentissimâ in Ecclesiâ Christi præditos authoritate proposui.

1. Co. 1. 17

Lib. 5. c. 14

CAPVT XII.

QVale est autem, quod beatæ memoriæ Zosimum apostolicæ sedis Episcopum, vt in tua pravitate persistas, prævaricationis accusas: qui non recessit à suo prædecessore Innocentio, quem tu nominare timuisti, sed maluisti Zosimũ, quia egit primitùs leniùs cum Celestio: quoniã se in his sensibus vestris *si quid displiceret paratum esse dixerat corrigi, & Innocentii literis consensurum esse promiserat.* Memento sanè quem admodùm de constituendo Episcopo dissensionem populi Romani insultabundus obiectas. Quod abs te quæro, vtrùm homines sua fecerint voluntate. Quod si negas, quomodo liberum defendis arbitrium? Si autem fateris, quomodo eam vocas *vltionem Dei*, atq; à vestro dogmate exorbitas, dùm putari divinitùs vindicatum affectas? An tandem aliquãdò con-

Iulianũ Zosimum Romanum pontificem prævaricationis accusat.

Lib. de pec. originali c. 6. & 23.

cedis, quod obstinatissima contentione negaveras, occulto Dei iudicio fieri, vt in ipsis hominum voluntatibus inveniatur aliquid, quod & peccatum sit & pœna peccati? Hoc enim nisi in ista tua sententia sapuisses, nullo modo factum hominũ *vitionem Dei* esse dixisses. Sed quandò ante annos plurimos tale tibi quiddam de beato Damaso & Vrsicino contigit, nondùm Pelagianos Ecclesia Romana damnaverat. Dicis *me quoque ipsum innovasse sensus meos, & initio conversionis meæ hoc sensisse quod tu.* Sed fallis, aut falleris, sive calumniando iis quæ nunc dico; sive non intelligendo, vel potiùs non legendo ea quæ tunc dixi. Nam ego *per vnum hominem in mundum intrasse peccatum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertransisse, in quo peccaverunt omnes*; ab initio conversionis meæ sic tenui semper, vt teneo. Extant libri quos adhuc laicus recentissimâ meâ conversione conscripsi, etsi nondum sicut posteà sacris literis eruditus; tamen nihil de hac re iam tunc sentiens & vbi disputandi ratio poposcerat dicens, nisi quod antiquitus didicit & docet omnis Ecclesia: in has videlicet magnas manifestasque miserias, in quibus *homo vanitati similis factus est*, vt *dies eius sicut vmbra pertranseant*, & sit *vniversa vanitas omnis homo vivens*, merito peccati originalis genus humanum fuisse collapsum, vnde non liberat nisi qui dixit, Veritas liberabit vos: &, *Ego sum veritas. Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Non enim à vanitate nisi veritas liberat, sed secundũ gratiam, non secundum debitum; per misericordiam, non per meritum. Sicut enim iudicii fuit, vt vanitati subiiceremur, ita misericordiæ est, vt veritate liberemur, & ipsa bona merita nostra non nisi Dei dona esse fateamur.

Dissensio populi Romani ob Damasi Pontificis electionem.

Rom. 5. 12.

Psal. 143. 4.

Psal. 38. 6.

Ioan. 8. 6.

Ioan. 4. 36.

CAPVT XIII.

IAm nunc illam tuam discutiamus calumniã, qua me dixisse criminaris, *baptizatos ex parte mundari. Quod melius* dicis *meis sermonibus apparere*, eosq; sermones meos, quibus hoc apparere posse asseveras, cõsiderãdos in tua disputatione proponis. Ago gratias, nempè isti sunt: *Carnis*, inquam, *concupiscẽtia non est nuptiis imputanda, sed toleranda: Non enim est ex naturali connubio veniens bonum, sed ex antiquo peccato accidens malum. Propter hanc ergo fit, vt etiam de iustis & legitimis nuptiis filiorum Dei, non filii Dei, sed filij seculi generentur: quia & hi qui generant, si iam regenerati sunt, non ex hoc generant, quo filii Dei sunt, sed ex quo adhuc filij seculi.* Dominica quippè sententia est: *filii huius seculi generant & generantur. Ex quo itaque*

Lib. de nup. cap. 17.

Ibid. c. 18.

Luc. 20. 34

2.Cor.4. 16. *sumus adhuc filij huius seculi, exterior homo noster corrumpitur, ex hoc & huius seculi filij generantur. Ex quo sumus filij* Dei, *interior homo renovatur de die in diem. Quamvis & ipse exterior per lavacrum* 1.Cor.3.16. *sanctificatus sit, & spem futuræ incorruptionis acceperit propter quod & templum* Dei *meritò dicitur; sed hoc non solùm propter præsentem sanctificationem, sed propter illam spem dictum est, de quâ dicitur:* Rom.8.13. *Et nosipsi primitias habentes spiritus ingemiscimus, adoptionem expectãtes redẽptionẽ corporis nostri, si ergò redeptio corporis nostri secundũ Apostoli expectatur, profectò quod expectatur adhuc speratur, nondũ tenetur.* Nihil habent hæc verba mea quod non in se baptizatus agnoscat, qui cũ Apostolo dicit, *& ipsi in nobismetipsis ingemiscimus.* Vnde & alibi ait: *Etenim qui sumus in hac habitatione, ingemiscimus gravati.* Quò pertinet etiã illud, quod in libro Sapientiæ *Sap* 9.15. legimus: *Corpus enim corruptibile aggravat animã, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Sed tu tanquàm in cœlo iam inter angelos immortaliter habitans, verba infirmitatis & mortalitatis irrides, & ea exponens non secundùm meum sensum, sed secundùm dolum tuum, dixisse me affirmas, *quod gratia non perfectè hominem novum faciat.* Non hoc dico: Attende quod dico: Gratia perfectè hominem novum facit, quandoquidem & ad corporis immortalitatem plenamque felicitatem ipsa perducit. Nunc etiam perfectè innovat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omninò peccatis, non quantum ad liberationem attinet ab omnibus malis, & ab omni corruptione mortalitatis, quâ nunc *corpus aggravat animam.* Vnde est gemitus, quem suum quoque confitetur *Rom.* 8.23. Apostolus dicens: *Et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus.* Sed ad illam quoq; perfectionem, quæ speratur, eodem baptismate, quod hic accipitur, pervenitur. Non autem omnes *filij seculi* filij sunt diaboli quàmvis omnes filij diaboli *filij* sunt *seculi.* *Ioan.* 1.13. Sunt enim etiam *filij Dei*, qui tamen adhuc *filij* sunt sæculi: propter quod & coniugio copulantur, sed *filios Dei* carne non gignunt, quia & vt ipsi essent *filij Dei* non ex carne, *non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* Sanctificatio ergò per baptismum etiam nunc confertur & corpori, non tamen nunc corruptio eius aufertur quæ ipsam quoq; *aggravat animam.* Et ideò quamvis casta sint corpora, *Gal.* 5.17. cum desideriis peccati membra non serviunt, propter quod ad templum Dei pertinere cœperunt; est tamen quod gratia in tota ista ædificatione perficiat, quamdiu *caro concupiscit adversus spiritũ*, vt motus malos qui refrænãdi sũt incitet: &

Baptismatis beneficio ad futuri etiam seculi perfectionem pervenitur.

Baptismo sanctificatus & corpus.

spiritus adversus carnem, vt sanctitas perseveret.

CAPVT XIV.

IDeò dicis *carnem concupiscere*, *quia carnaliter anima concupiscat. Siquidem sine anima caro nec sentiat. Concupiscere autem viventis sentientisque natura est, sine quo sensu membra moveri non possunt, id est, per semetipsa concupiscere nequeunt, & qui sensus concupiscit etiam sine membris, vt in spadonibus.* Quis autem nescit quod nobis egregius doctor inculcas, ideò dici *carnem concupiscere, quia carnaliter anima concupiscit*? Non enim sine anima vlla potest esse *carnis concupiscentia*. Nam vtique *concupiscere viventis sentientisq; natura est*, ita vt non desit concupiscentia, quã spadonum quoq; castitas frænat: minus quidem laboriosa; quia vbi materiam de quâ operetur non invenit, minùs adversus eam libido consurgit. Est tamen, pudicèq; comprimitur, ne concumbendi quàmvis irritus ipse conatus in eam turpitudinem veniat, propter quam Calligonum Valentiniani iunioris eunuchum gladio novimus vltore punitum, meretricis confessione convictum. Neque enim & in libro Ecclesiastico adhiberetur inde similitudo atq; diceretur: *Videns oculis & ingemiscens, quasi spado complectens virginem & suspirans*: nisi & ipsi moverentur concupiscentiæ carnalis affectibus, licet destituti carnis effectibus. Motibus igitur suis anima quos habet secundùm spiritum, adversatur aliis motibus suis, quos habet secundùm carnem, & rursus motibus suis quos habet secundùm carnem, adversatur aliis motibus suis, quos habet secundùm spiritum: & ideò dicitur, *caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Sed propter hoc & de ipsâ anima dictum est: *Renovatur de die in diem.* Neque enim ipsa in sanctitate non proficit, cùm magis magisq; minuit eas quibus non consentit, carnales cupiditates. Iam baptizatis quippè dicebat Apostolus: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* Ibi & *fornicatio* & *mala concupiscentia*, & *avaritia* nominatur. Quomodò ergò mortificat iam baptizatus fornicationem, quam non iam perpetrat, & secundùm te *nec habet aliquid quod mortificet*? Quomodò, inquam, obtemperat Apostolo dicenti: *Mortificate fornicationem*, nisi cùm desideria eius quibus non consentit expugnat, quæ in benefacientibus, & omninò non fornicantibus nec consensione, nec opere, & si non desunt,

Carnem concupiscere quid.

Calligonus eunuchus ob meretricem attentatam gladio percussus.

Eccl. 30. 21.

Imminutio malarum cupiditatum sanctitatis est profectus

Gal. 5. 17.

2. Cor. 4. 16.

Coloss. 3. 7.

Cæsi quomodo fornicationem mortificent.

desunt, tamen quotidie minuuntur. Hoc agitur in *templo Dei*, quandò adiuvante Deo agitur quod præcepit Deus. Opera
Rom. 8.13. spiritus eriguntur, opera carnis mortificantur. *Si enim secundùm carnem vixeritis*, inquit, *moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Et vt scirent se hoc non facere nisi
Ibidem 14. gratia Dei, continuò subdidit: *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei.* Ac per hoc *quicunque aguntur Dei spiritu*, ipsi *facta carnis mortificant spiritu.* Habent ergò iam baptizati quid agant in seipsis, hoc est, in *Dei templo*, quod ædificatur
Psal. 2. hoc tempore, vt dedicetur in fine. Ædificatur autem post cap-
Psal. tivitatem, eiecto scilicet foras qui captivaverat, inimico. In ordine quippè Psalmorum, quod mirum videri potest, prior est Psalmus dedicationis domus, & posterior ædificationis. Sed dedicationis ideò prior est, quia illam domum cantat, de quâ eius architectus ait: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus*
Ioan. 2. 19. *exuscitabo illud.* Iste autem posterior, *quandò domus ædificabatur*
Psal. 95. 1. *post captivitatem*, Ecclesiam prophetavit: Deniq; & sic incipit: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.* Nemo igitur ita desipiat, vt vnumquemq; baptizatum ideò exi-
1. Cor. 3.17 stimet iam esse perfectum, quia dictum est: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et, *Nescitis quia corpora vestra templum in*
2. Cor. 6.19 *vobis est spiritus sancti, quem habetis à Deo?* Et in alio loco: *Nos*
2. Cor. 6.16 *enim templum Dei vivi sumus.* Et cætera huiusmodi. Iam enim hoc vocatur, & cùm ædificatur, cùm *mortificantur* hic *membra*
Rom. 6. 11. & 12. *nostra, quæ sunt super terram.* Quàm vis enim iam *peccato mortui, Deo vivamus*; est tamen quod in nobis mortificemus, vt *non regnet peccatum in nostro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis eius*, à quibus nos solvit, ne his essemus obnoxij, plena atque perfecta remissio peccatorum, & remanserunt in nobis cum quibus gerantur bella castorum. Ex his est & illa qua pudicus benè vtitur coniugatus; sed cùm benè fit, de malo nascitur bonum non sine malo, & ideò renascitur vt liberetur à malo. Quod enim Deus creat & homo generat, profectò bonum est, in quantum homo est. Sed ideò non sine malo, quia sola regeneratio solvit à malo, quod trahit generatio de primo magnoq; peccato. Sic autem incredibile vis videri, *quod in vtero baptizatæ, cuius corpus est templum Dei, formatur homo futurus sub diabolo, nisi Deo renascatur ex Deo*: quasi non maioris admira-
Sap. 1.4. tionis sit, quod Deus & vbi non habitat operatur. *Non enim habitat in corpore subdito peccatis*: & tamen operatur hominem

in vtero meretricis. *Attingit* enim *vbique propter suam munditiam & nihil inquinatum in eum incurrit.* Et quod multò est mirabilius, Sap. 7. 24. & 25.

Occulta Dei iudicia.

aliquandò adoptat in filium, quem formar in vtero immundissimæ fœminæ: & aliquandò non vult esse suum filium, quem formar in vtero suæ filiæ. Ille quippè ad baptismum nescio quâ prouisione peruenit; iste repentinâ morte non peruenit. Atq; ita Deus, in cuius potestate sunt omnia, facit esse in Christi cõsortio quem formauit in diaboli domicilio; & non vult esse in regno suo, quem formauit in tẽplo suo. Aut si vult, cur non facit quod vult? Non enim quod soletis de maioribus dicere, Deus vult, & parvulus non vult. Certè hic vbi fati nulla est immobilitas, nulla fortunæ temeritas, nulla personæ dignitas, quid restat nisi misericordiæ & veritatis profunditas? Vt sciamus, & ex hoc incomprehensibili comprehendamus iuxta duos homines, *vnum per quem peccatum intrauit in mundum*, alterum *qui tulit peccatum mundi*: omnes filios cõcupiscentiæ carnalis vndecunq; nascantur, ad *iugum grave filiorum Adam* meritò pertinere; & ex his omnes filios gratiæ spiritalis vndecunq; nascantur, ad iugum suave filiorum Dei sine merito peruenire. Proinde conditionem suam gerit, qui in alterius corpore, quod est *templum Dei*, ita constituitur, vt non ideò sit & ipse *templum Dei*, quia ædificatur in *templo* Dei. Matris quippè corpus vt esset *templum* Dei, gratiæ beneficium est, non naturæ: quæ gratia non conceptione, sed regeneratione confertur. Nam si ad matris corpus id quod in eâ concipitur pertineret, ita vt eius pars deputaretur; non baptizaretur infans, cuius mater baptizata est, aliquo mortis vrgente periculo, cùm eum gestaret in vtero. Nunc verò cùm etiam ipse baptizatur, non vtiq; bis baptizatus habebitur. Non itaq; ad maternum corpus cùm esset in vterò pertinebat, & tamen creabatur in *templo Dei*, non *templum Dei*. Ita in fœmina fideli creatus est infidelis, & in eum parentes infidelitatem traiecerunt, quam non habebant, quandò ex ipsis natus est; sed tunc habebant quandò & ipsi similiter nati sunt. Traiecerunt ergò quod iam non erat in eis, propter semen spiritale quo regenerati sunt; sed erat in eorum carnali semine, quo eum generauerunt. Quàmvis itàque sacro baptismate sanctificetur & corpus; ad hoc tamen sanctificatur, vt per remissionem peccatorum non solùm præteritis peccatis omnibus, verùm etiam ipsi quæ ineſt *carnis concupiscentia* non sit obnoxium; cui ne-

Ecclus. 40. 1.

Infans in vtero matris non est pars corporis matris.

Infidelitas in infantem traicitur.

Corpus baptismate quatenus sanctificetur.

necesse est obnoxius omnis homo nascatur, etiam moriturus obnoxius, si non renascatur. Vbi ergò me audisti sive legisti dicentem, *non innovari homines per baptismum, sed quasi innovari; non liberari, sed quasi liberari; non salvari, sed quasi salvari*: absit vt ego inanem dicerem gratiam *lavacri* illius, in quo *renatus sum ex aquâ & spiritu*, quâ liberatus sum à reatu omnium peccatorum, vel quæ nascendo traxeram, vel quæ malè vivendo contraxeram? Qua gratia liberor vt scio, ne intrem in tentationem, *à concupiscentiâ meâ abstractus & illectus*, atque vt exaudiar dicens cum consortibus meis; *Dimitte nobis debita nostra*: qua liberabor, vt spero in æternum, vbi iam nulla *lex in membris meis repugnet legi mentis meæ*. Non igitur ego inanem facio Dei gratiam; sed tu eius inimicus inanem quæsisse videris iactantiam, vt in tuam disputationem introduceres Epicurum, *qui negavit esse corpus deorum, sed tanquam corpus; nec sanguinem, sed tanquàm sanguinem*, & hâc occasione de philosophorum literis ad rem quæ inter nos agitur non pertinentibus, tantò ineptius quantò velut doctius delirares. Quis autem nostrûm dicit, *quidquid in præsenti sæculo agitur esse culpandum*; cùm hic ipse Christus tanta egerit bona, sed vt nos eueret de præsenti sæculo malo?

Mat. 6. 12.

Rom. 7. 23.

Cicero lib. 3 de naturâ Deorum.

CAPVT XV.

Quam porrò diligenter & congruenter exponas Apostolicum testimonium, vbi ait, *Spe salvi facti sumus*; & cætera, vsq; ad redemptionem corporis nostri, operæpretium est intueri. Dicis enim quod *illa resurrectio non peccata dimittat aliquorum, sed expurget merita singulorum. Reddit enim vnicuique*, inquis, *secundùm opera sua*: nec tamen dicis, secundùm quæ opera sua regnum Dei parvulis reddat. Et peccata quidem nulla remittuntur in regno: sed si nulla remitterentur in iudicio illo novissimo, puto quod Dominus non dixisset de quodam peccato: *Non remittetur neque in hoc sæculo neque in futuro*: quâdò sibi remitti sperabat latro ille, qui dicebat; *Memento mei cùm veneris in regnum tuum*. De quâ re quoniam profundissima quæstio est, non est modò præcipitanda sententia. Cur autem in regno nulla peccata remittit Deus filiis suis, nisi quia nõ invenit quod remittat? Non enim poterunt ibi esse peccata, vbi spiritus non dico non consentit *concupiscentiæ carnis*, sed nec cõcupiscit *adversus carnem*, quia nec *caro adversus eum*; illa ineffabili salute perfecta; quæ nunc non fit in baptismo, vbi remit-

Rom. 8. 24.

Mat. 12. 23.

Luc. 23. 42.

Etiam in futuro sæculo peccata quadam remittuntur.

In cælo cur peccata nulla remittuntur.

mittuntur quidem cuncta peccata, sed remanent carnalium concupiscentiarum mala, cum quibus post baptismum, si tamen proficiunt, *exercean*t sive coniugati *gloriosa*, sive continentes gloriosiora *certamina*, quod & ipse confiteris. Sed nescio quâ miseriâ quandò pro veritate loqueris, tunc te ipse non audis. Describens quippè illam summam resurrectionis fœlicitatem, dicis *neminem iam ibi iustorum lividum facere corpus suũ, & seruituti subiicere; neminem humiliare animam suam stratis duris & pædore membrorum.* Respondè ergò cur hic ista faciat, qui omni malo in baptismate caruit, cur audet *lividum facere templum Dei?* Nonnè membra eius membra sunt vtiq; *templi Dei?* Cur ergò non suavi odore, sed pædore templi eius, aut invitat præsentiam, aut impetrat misericordiam, aut placat iram eius? Nihil ne mali castigat, domat, vincit, opprimit in *templo Dei*, etiã livore & pædore ipsius *templi Dei*? Nonne attendis, nonne perspicis, quia tàm vehementer corpus suum persequens, si nihil ibi persequitur, quod displicet Deo, frustrà persequendo templum eius, facit iniuriam magnam Deo? Quid tergiversaris, quid cunctaris apertiùs confiteri? Illud profectò, illud est quod iste cuius livorem pædoremq; prædicas, in suâ carne persequitur. Vndè dicebat Apostolus: *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne meâ bonum.* Quam vocem baptizati esse cur negas, cùm opera vocis huius in livore corporis, & membrorum pædore cognoscas? Neque enim hæc sancti, vel Dei flagellis, ab inimicis tolerant patiendo, sed ipsi sibi ingerunt continendo. Et vt quid hoc, nisi contrà *carnis concupiscentiam* spiritu concupiscendo? Quod nimirùm & ipse sensisti. Cùm enim describens fœlicitatem futuræ vitæ, addidisses atque dixisses, *Nemo conuitijs fœlicem impudentiam, nemo maxillas palmis, nemo subiiciet terga verberibus, nec conflare studebit de infirmitate virtutem, nec cum inopia frugalitatem, nec cum mœstoribus magnanimitatem*: quare dicere noluisti, nec cum *carnis concupiscentiâ* castitatem? Sed festinasti sensum concludere, atque dixisti, *nec patientia cum dolore lætabitur*; nihil aliud commemorans nisi quod forinsecùs irruens fortitudine toleratur, non quod intùs se commovens castitate comprimitur. An fortè nos arguis tarditatis quod non intellexerimus, hoc te iam significasse superiùs, cùm de livore corporis diceres & labore ac pædore membrorum? Quandò enim non ab hoste, sed à seipso affligitur fortis, in ipso intùs est, qui vincendus est hostis.

Sup. lib. 3. cap. 21.

Displicet Deo etiam in baptizatis mala cõcupiscentia.

Rom. 7. 18.

Fortis cùm à seipso affligitur, intus est qui vincendus est

Me-

Rom. 8. 23. Memento sanè non te exposuisse cur Apostolus dixerit, *Adoptionem expectantes*, qui iam in *lavacro regenerationis* fuerat adoptatus. Iterùm dicis, *quod carnem suam nullus oderit*. Quis enim hoc negat? Sed tamen disciplinæ rigore asseris conterendam. Iterùm ergò pro veritate loqueris, & audire te non vis. Cur enim caro conteritur a fidelibus, si nihil remansit in baptismo quod *adversus spiritum concupiscat*? Cur, inquam, conteritur à seipso *templum Dei*, si nihil ibi est quod resistat *spiritui Dei*? Non autem tantùm inesset, verùm & graviter obesset, nisi reatus qui nos obstrinxerat, per remissionem peccatorum solutus esset. Solvitur ergò per indulgentiam, quia tenebat in noxa; conteritur per continentiam, ne vincat in pugnâ. Agitur itaque ne obsit, donec ita sanetur vt non sit. Quapropter dimittuntur in baptismate cuncta peccata, & originaliter tracta, &
Iac. 1. ignoranter vel scienter adiecta. Sed cùm dicit Apostolus Iacobus, *Vnusquisq; tentatur à concupiscentiâ sua abstractus & illectus, deindè concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum*: profectò in his verbis partus à pariente discernitur. Pariens enim est concupiscentiâ, partus peccatum. Sed *concupiscentia* non *parit*, nisi *conceperit*; non concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit volentis assensum. Quod ergò adversus eam dimicatur, hoc agitur, ne concipiat pariatq; peccatum. Dimissis itaq; in baptismo peccatis omnibus, id est, omnibus concupiscentiæ fœtibus, si illic etiam ipsa consumpta est, quomodò contrà eam ne concipiat, dimicant sancti *livore corporis, pædore membrorum, contritione carnis*? Quæ verba tua sunt. Quomodò, inquam, livore, pædore, contritione *templi Dei* contrà eam belligeratur à sanctis; si & ipsa est ablata baptismate? Manet igitur; nec ea *regenerationis lavacro* caruimus, si non ibi caruimus sensu, quo eam manere sentimus. Quis autē ita sit imprudēs atq; impudēs, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremò insanus & demēs, qui cùm peccata mala esse fateatur; neget esse malam concupiscentiam peccatorum, etiam si adversus eam concupiscente spiritu, peccata concipere ac parere non sinatur? Tale porrò ac tam magnum malum, tantum quia inest, quomodò non teneret in morte, & pertraheret in vltimā mortem; nisi & eius vinculum, in illâ quæ fit in baptismo remissione peccatorum omnium solveretur? Propter hoc enim vinculum quod connectitur ex primo Adam, nec solvi potest nisi in secundo Adam: propter hoc, inquam, vinculum mortis, mortui

Quia mala peccata sunt, mala est etiā eorum concupiscentia & desiderium

Concupiscentia quātum malum

mortui reperiuntur infantes, non istâ morte notissima quæ à corpore animam separat; sed eâ morte, quâ tenebantur omnes, pro quibus *mortuus est Christus. Scimus enim*, ait Apostolus, quod à nobis sæpissimè repetendum est, *quoniam vnus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est, & resurrexit.* Illi ergò viuunt, pro quibus vt viuant, mortuus est qui viuebat. Quod apertius ita dicitur: Illi sunt à mortis vinculo liberi, pro quibus mortuus est *inter mortuos liber.* Vel sic multò apertius: Illi sunt liberati à peccato pro quibus mortuus est, qui nunquàm fuerat in peccato. Et cùm semel sit mortuus, tamen pro vnoquoque tunc moritur, quandò in eius morte quantælibet ætatis fuerit, baptizatur: ideſt, tunc ei proderit mors eius, qui fuit sine peccato, quandò *in eius morte baptizatus, mortuus* fuerit etiam ipse *peccato*, qui mortuus fuerat in peccato.

Tunc pro vno quoque moritur Christus quãdo mortis eius in baptismo sit particeps.

2. Cor. 5. 14. & 15.

Pſal. 87. 6.

CAPVT XVI.

INgeris Apostoli testimonium, vbi ait: *Nolite errare, neque fornicarij, neque simulacris seruientes*, & cætera; quibus commemoratis, concludit quod *regnum Dei non possidebunt.* Sed agunt talia qui concupiscentiæ quam laudas, motibus ad mala & turpia quæque consentiunt. Quod ergò ait: *Et hæc quidem fuistis, sed ablati estis, sed sanctificati estis:* mutatos eos dixit in melius, non vt ea carerent, quod in hâc vitâ fieri potest; sed vt ei non obedirent, quod in bonâ vitâ fieri potest, atque vt ab eo quo erant vinculo eius obnoxij, liberatos se esse cognoscerent, quod nisi regeneratione fieri non potest. Tu autem, qui putas, *quod si malum esset concupiscentia, careret ea qui baptizatur*, multùm erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planiùs ita dicitur: omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Numquid enim caret corruptione corporis? An non est malum quod *aggrauat animam?* &, erravit qui dixit, *corpus enim corruptibile aggrauat animam?* Nunquid caret ignorantiæ malo, per quod à nescientibus innumerabilia perpetrantur mala? An parvum malum est, per quod *homo non percipit quæ sunt spiritus Dei?* De baptizatis nempè dicebat Apostolus; *Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei*; stultitia est enim illi, & non potest scire, quoniam spiritaliter diiudicatur. Deindè paulò pòst: *Et ego*, inquit, *fratres, non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quasi*

1. Cor. 6. 9. & 10

Ibidem 11.

Sap. 9. 15

Ignorantia malum etiã in baptizatis relictũ

1. Cor. 2. 14.

1. Cor. 3. 1. 2. & 3.

parvu-

parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. Nondùm enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. Adhuc enim estis carnales. Cùm enim sint inter vos æmulatio & contentio, nònne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? Vide quæ dicat mala de ignorantiæ malo veniētia. Et puto quod non de catechumenis ista dicebat. *Parvuli* quippè *in Christo* quomodò essent, nisi iam renati essent? Quod si nondùm credis, quid eis post pauca dicat,
1.Cor.3.16 attende: *Nescitis quia templū Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* An adhuc dubitabis vel negabis, non eos potuisse esse *templum Dei*, in quo *habitaret spiritus Dei*, nisi baptizatos? Saltem ergò illud respice quod eis dixit: *Nunquid in nomine Pauli baptizati estis?* Non igitur caruerant tanto ignorantiæ malo
1.Cor.1.13 in *lavacro regenerationis*, vbi tamen omnibus caruerant sine
1.Cor 2.14 dubitatione peccatis. Et per hoc ignorantiæ malum *templo Dei* in quo *habitabat spiritus Dei*, *stultitia* erant *quæ sunt spiritus Dei*: sed de die in diem si proficerent, & in quod pervenerant, in eo ambularent, sanâ profectò accedente doctrinâ minueretur hoc malum. Credamus etiam non tantùm minui, verùmetiam in hâc vitâ posse consumi, tamen post baptismum. Nunquid in baptismo? Concupiscentiam verò quis ambigat in hâc vitâ posse minui, non posse consumi? Horum itaque malorum præteritus omnis reatus sacro fonte diluitur. Remittuntur ergò in renascentibus, minuuntur in proficiētibus. Ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente. Con-
1.Cor. 2.12 cupiscentia minuitur charitate magis magisque fervente. Nihil boni horum duorum est à nobis. *Non enim spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Ex hoc autem concupiscentia peior est quàm ignorantia, quia ignorantia sine concupiscentiâ minus peccat; concupiscentia verò sine ignorantiâ gravius peccat. Et nescire malū, non semper est malū; concupiscere autē malū, sēper est malū. Bonū quoq; ipsū vtiliter aliquādò ignoratur, vt opportunè sciatur. Nullo autem modo fieri potest, vt carnali concupiscentiâ bonum hominis concupiscatur, quandoquidem nec ipsa proles libidine corporis, sed voluntate animi concupiscitur, quàmvis non sine libidine corporis seminetur. De
Gal.5.17. hâc quippè agimus concupiscentiâ. quâ *caro concupiscit adversus spiritum*; non de illâ bonâ, quâ *spiritus concupiscit adversus carnem*; & quâ concupiscitur continentia, per quam concupiscentia vincatur. Hâc ergò concupiscentiâ carnis nunquàm cō

Cōcupiscentia minui in hâc vitâ potest, consumi non potest.

Concupiscētia quare peior sit ignorantiâ

Sup. lib. cap. 15.

Opinio Dimonachi de summo bono

cupiscitur hominis vllum bonum, si voluptas carnis non est hominis bonum. Si autem vt aliquo loco significasti, *placet tibi secta Dimonachi, honestatem voluptatemque coniungens*, quod philosophi quoq; huius mundi, qui honestiores videbantur, Scyllæum bonum esse dixerunt, ex humanâ scilicet naturâ beluinâque compactum. Si hoc ergò monstrum tuâ opinione sectaris, satis est nobis, quod confiteris aliam esse illicitam, aliam licitam voluptatem. Ac per hoc mala est concupiscentia quæ indifferenter vtrunq; appetit, nisi ab illicitâ voluptate licitâ voluntate frænetur. Hoc autem malũ non in baptismate † punitur; sed baptizatis per gratiam regenerationis ab eius obligatione iam liberis, ne ad illicita pertrahat, salubriter vincitur. Vt autem resurrectionis tempore, non sit omninò in vivente corpore, nec dolente, præmium est eorum qui contrà eam fideliter certaverunt, qui, languore sanato, immortalitate sanâ, & beatissimâ vestientur. In eis verò qui non ad vitam resurgent, non feliciter, sed pœnaliter erit: non quia tunc ab eâ quisquam mundabitur, sed quia tunc malis non in delectamenta excitabitur, sed in tormenta vertetur.

For. ponitur

Concupiscẽtia carnis quæ nunc impunè est oblectamento, post in tormenta vertetur.

CAPVT XVII.

Lib. 1. de nup. c. 25.

IAm videamus illud excellentissimũ acumen tuũ, quo vidisti quemadmodum refelleres quod à me dictum est, *demittit concupiscentiam carnis in baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur; quàmvis autem reatu suo iam soluto, manet tamen.* Advursus hæc mea verba sic argumentaris homo acutissimus, *tãquàm ipsam concupiscentiã dixerim per baptismũ reatu liberari*, quoniã dixi, *reatu suo iam soluto*: velut suo dixerim, quo ipsa rea est, eoq; soluto illa permaneat absoluta. Quod vtique si sensissem, profectò eam malã esse non dicerẽ, sed fuisse. Ac per hoc secũdùm mirabilẽ intelligentiã tuam, quandò audis in aliquo homicidii reatum solutũ non hominem, sed ipsum homicidium à reatu existimas absolutũ. Sic intelligat quis, nisi qui non erubescit laudare cum quâ compellitur dimicare? Et quomodò te iactas exultasq; in redarguenda ista sententia, non mea planè, sed tua. Talia quippè dicis, qualia dicenda sunt in eos, qui per baptismum sanctificatam & fidelem factam *concupiscentiã carnis* affirmant, in eis, in quibus regeneratis manet tamen. Sed hoc tibi potius qui eam bonam prædicas, cõvenit dicere, *vt bono eius naturali*, sicut de infantibus dicitis, bonũ sanctificationis accedat, & sit *carnis concupiscentia* sancta Dei filia. Nos autẽ qui eã malã dicimus, & manere tamẽ in baptizatis, quàmvis rea-

tus eius non quo ipsa erat rea, (neq; enim aliqua persona est,) sed quo reū hominē originaliter faciebat, fuerit remissus atque vacuatus; absit vt dicamus sanctificari, cum quâ necesse habēt regenerati si non in vacuū Dei gratiam susceperunt, intestino quodam bello tanquàm cum hoste confligere, & ab eâ peste desiderare atq; optare sanari. Nā si propterea dicis nulla mala remanere in baptizatis, ne ipsa mala baptizata & sanctificata credantur, vide quantate sequatur absurditas. Si enim quidquid est in homine quandò baptizatur, baptizari & sanctificari putandum est; dicturus es & ipsa in illo baptizari & sanctificari, quæ in intestinis & vesica sunt per digestiones corporis egerenda. Dicturus es baptizari & sanctificari hominem in matris vtero constitutum, si ad hoc sacramentum accipiendū gravidam necessitas cogat; & ideò baptizari iam non debere qui nascitur. Postremò dicturus es & ipsas baptizari & sanctificari febres, quandò baptizantur ęgroti, ac per hoc baptizari & sanctificari etiam opera diaboli. Velut si mulier illa baptizaretur antequàm curaretur, quam Satanas in infirmitate alligaverat per decem & octo annos. Quid de malis ipsis ipsius animi loquar? Cogita quantum mali sit *stultitiā* putare *quæ sunt spiritus Dei*: & tamen tales erant, quos Apostolus alebat lacte, non cibo. Nunquid & *stultitia* illius tàm mągnum malū, quia non fuerat baptismate ablatum, baptizatū sanctificatumq; dicturus es? Sic ergò & concupiscentia, quæ manet oppugnanda atque sananda, quàm vis in baptismo dimissa sint cuncta omninò peccata, non solùm non sanctificatur, sed potiùs ne sanctificatos ętern̄e morti obnoxios possit tenere, evacuatur: quia & illi qui lacte alebantur, non solido cibo, & adhuc *animales, non percipientes quæ sunt spiritus Dei*, quoniā *stultitia illis* adhuc *erat*; si in illâ mentis ætate, (in quâ ætate novi homines appellabantur) non carnis, de corpore existēnt *parvuli in Christo*, nullo reatu *stultitiæ* illius tenerentur: quia hoc eis beneficiū fuerat regeneratione collatum, vt omnium malorum, quibus & postea vel moriendo vel proficiendo fuerant exuendi, reatus continuò solueretur remissione peccatorū omnium, nondùm omniū sanitate morborum. Qui tamen reatus teneat necesse est eum, qui secundùm carnem generatur; quia non nisi ei remittitur qui secundùm spiritum regeneratur. A morte quippè iustissimæ dānationis per *vnū mediatorē Dei & hominū* liberatur genus humanū non à morte corporis tantùm, sed à morte quâ *mortui sunt* pro quibus *vnus mortuus est*. Et *quia pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt*.

Intestinum cum hoste concupiscentia bellum.

Luc. 13. 11.
1. Cor. 2. 14
1. Cor. 5. 2.
2. Cor. 5. 14

CAPVT XVIII.

Lib. 1. de nup. cap. 25.

QVod verò te libuit tàm multùm de qualitatum differẽtiâ disputare, quia ego semel non minavi qualitatem, dicens *non substantialiter manere concupiscentiam, sicut corpus aliquod aut spiritum; sed esse affectionem quandam malæ qualitatis, sicut est languor.* Itàne nihil ad rem pertinere non sentis? Primò enim dicis *me mutasse sententiam, & immemorem totius libri mei professum fuisse substantiam esse libidinem.* Reverà evoluto & enucleato libro meo non reperturus es me libidinem substantiam dixisse vel semel. Dixerunt eam quidam philosophi partem animi esse vitiosam. Et vtique pars animi substantia est, quia substantia est ipse animus. Sed ego ipsum vitium, quo animus vel vlla pars eius isto modo vitiosa est, libidinem dico, vt omni vitio sanato salva sit tota substantia. Quia & illi philosophi locutione tropicâ mihi videntur vitiosam partem animi appellasse libidinem, in quâ parte est vitium, quod vocatur libido, sicut appellatur domus pro eis qui sunt in domo. Deindè te nimis acutis dialecticorum telis incautius exercendo, nosque iactantius territando, sectam vestram lethaliter vulneratti. Dividens quippè ac definiens vel etiam describens differẽtias qualitatum inter cætera: *Tertiâ species qualitatis est,* inquis, *affectio & affectionalis qualitas. Affectio autem in qualitate ob hoc ponitur,* ais, *quia principium qualitatum est; cui etiam reputantur ad momentum accedentes recedentesq; aut animi aut corporis passiones. Affectionalis verò qualitas,* inquis, *omnibus quibus evenerit, ex maioribus orta causis ita inhæresci, vt aut magnis molitionibus, aut nullis omninò separetur.* Hæc quidem satis explicasti scientibus; sed quia contemnendi non sunt; qui lecturi libros nostros disciplinæ huius ignari sunt; quod deesse video, faciam vt à me illustrentur exemplis. Quantum ad animum attinet: Affectio est timere, affectionalis qualitas timidum esse. Sic aliud est iratus, aliud iracundus; aliud ebrius, aliud ebriosus. Illæ affectiones, istæ affectionales sunt qualitates. Quantum autem ad corpus, sicut aliud est pallens, aliud pallidus; aliud rubens, aliud rubicundus, & si qua huiusmodi, quorum plurimis desunt vsitata vocabula. Cùm itaque dixeris *affectionalem qualitatem ortam ex maioribus causis atque ita inhæresce re, vt aut magnis molitionibus, aut nullis separetur;* quandò secundùm eam dicitur animus malus, vel potiùs homo malus; nònne metuis ne voluntas bona, aut non ibi esse possit, aut valere nihil possit? Nònne concedis hominem miserum, quicunque ille sit vel

Libidinem vitiosam esse animi partem, quo sensu philosophi dicere potuerunt.

Aliud affectio, aliud affectionis qualitas.

Rom 7.18. fuerit, certè adversus talem clamasse qualitatem, *Velle adiacet mihi; perficere autem bonum non invenio*: Hic saltem fatemur esse
Ibidem 24. & 25. istorum verborum gemitum necessarium: *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quapropter quantolibet te adversus oculos imperitorum dialecti.o tegmine involvas, manifestâ veritate nudaberis Egò tanquàm valetudinem malam ex origine vitiatâ ingenitum esse homini dico vitium, quo *caro concupiscit adversus spiritum*; & hoc malo benè vti pudica coniugia, cùm eo vtuntur generandi causa; sed isto mali vsu bono laudari vtentem, non ipsum malum. Neque enim malum ipsum est innocens, sed homo, qui facit vt malum suum quo benè vtitur, ei nocere non possit. Sicut mors cùm sit supplicii peccatoris, bono mali vsu accedente fit meritum martyris. Percipitur autem in baptismate Christiano perfecta novitas, & perfecta sanitas ab eis malis nostris quibus eramus rei; non ab eis cùm quibus adhuc confligendum est ne simus rei, cùm & ipsa in nobis sint, nec aliena sed nostra sint. Nam & vinolentiæ consuetudini vtique malæ quam sibi homines fecerunt, non nascendo traxerunt, resistunt post baptismum, ne eos ad mala solita pertrahat; & tamen malo resistitur, dùm concupiscentiæ per continentiam denegatur, quod per consuetudinem concupiscitur. Vndè etiam contra istam genitalium concupiscentiâ, quæ ingenita nobis est per originale peccatũ, vehementius vidua quã virgò; vehementius meretrix quandò casta esse voluerit, quàm quæ semper fuit casta confligit: & tantò amplius in ea superanda voluntas laborabit quantò maiores ei cõsuetudo vires dedit. Ex isto & cũ isto hominis malo nascitur homo, quod malum per seipsum tam magnum est, & ad hominis damnationem atque à regno Dei separationem tantum habet obligationis, vt etiam si de parentibus regeneratis trahatur, non nisi quemadmodum in illis solâ regeneratione solvatur, atque isto vnico remedio præpositus mortis à prole pellatur, quo à parentibus est pulsus. Qualitas affectionalis mali de substantiâ ad substantiam non emigrando transit, sed quodam operante contagio.id est concupiscentiæ affectu, sicut de parentibus morbidis morbida soboles procreatur. Qualitas autem mali non in substantiâ de substantiâ tanquã de loco in locũ migrat.vt deserat vbi erat, & quæ fuit ibi, ipsa sit alibi: sed alia eiusdem generis quodam operante contagio, quod etiã

Vitium originis est tãquàm valetudo mala.

de morbidis parentũ corporibus solet evenire nascentibus. Quid autem dicere voluisti, quasi *laudens* (vt loqueris) *Aristotelis palestrã, vt indè ad sacras literas revertaris*? A is enim, *Sensus est igitur concupiscentia, & mala qualitas non est: Ergò quandò minuitur cõcupiscentia, sensus minuitur.* An nõ per concupiscentiã castitatis & continentiæ, quotidie *carnis concupiscẽtia* magis magisq; minuitur? Vellẽ itaq; mihi diceres, vtrùm à morbo fornicationis sanior nõ fiat quẽ fornicari minùs minusq; delectat; quàmvis opus illud malũ vnâ conversione sibi amputaverit, nec vnquàm hoc fecerit ex quo *lavacrum regenerationis* accepit. Item q; post consuetudinẽ vinolentiæ baptizatus, & nunquã se deinceps prorsus inebrans, vellẽ diceres, vtrũ ab isto morbo non fiat in dies sanior quàm fuerat, cùm potationis gurgitem minùs minùsq; desiderat quàm solebat. Sensus est igitur non ipsa concupiscentia, sed ille potius quo nos eam maiorem minoremve habere sentimus: sicut in corporis passionibus non sensus est dolor, sed ille sensus est quo sentitur dolor. Nec sensus est morbus, sed ille sensus est quo nos morbũ habere sentimus. Porrò si continuò fit bonus, & vtiq; bonâ qualitate fit bonus, qui fornicationi vinolentiæq; renuncians ab huiusmodi operibus sese abstinet, nònne rectè audit: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare:* rectèq; appellatur castus & sobrius? Deindè si provectu cõcupiscẽtiæ bonæ, quâ concupiscentias malas fornicãdi potãdiq; debellat, talis efficitur qualis recenti cõversione nondũ fuit, vt illorũ in eo desideria peccatorum minùs minùsq; moveãtur, vt adversus ea mala nõ tanta quanta priùs exerceat, sed minora certamina, non virtutũ diminutione, sed hostiũ; nec deficiente pugnâ, sed crescente victoriâ, dubitabis eum pronunciare meliorẽ? Vndè obsecro, nisi quia bona qualitas aucta, & mala minuta est? Auctum est igitur quo bonus esse cœpit; minutũ est quo malus fuit, & hoc egit post baptismum, nõ peregit in baptismo. Ita quàmvis ibi peracta fuerit plena peccatorũ remissio, remansit tamen quâ proficeretur in melius, adversus catervas desideriorum malorum in nobisipsis vtiq; tumultuantiũ vigilanter exerenda & instanter exercenda luctatio, propter quã dicitur etiã baptizatis, *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram*: &, *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*: &, *Exuite vos veterem hominem.* Nullo modo reprehenditur baptisma, quia asseritur curatio quæ fit post baptisma: quia potius totum hoc per baptisma actum est, id est, vt & à præteritis languoribus sanaretur, & à futuris

Cõcupiscẽtia non est sensus.

Operis ergò difficultas non semper auget meritũ rationem.

Ioan. 5. 14.

Coloss. 3. 5. Rom. 8. 13. Coloss. 3. 9.

incipiat, ſtudeat, mereaturque ſanari. Ita baptiſma totius ſit cauſa ſanitatis, per quod & incipitur omnis ſanitas & impletur. Nempè dicuntur hæc magnâ conſenſione veritatis, nullâ reprehenſione baptiſmatis. Si ergò nolis eſſe contentioſus, putato quod iam videas quàm rectè intelligatur, quod aliter conaris exponere, quod Propheta cùm dixiſſet, *Qui propitius ſit omnibus iniquitatibus tuis*: quod ſit vtique remiſſione omnium peccatorum continuò ſubiecit, *Qui ſanat omnes languores tuos*: ea mala volens intelligi, cum quibus donec ſanentur, vel quàtum poſſunt in hâc vitâ magis magiſq; minuantur, non quieſcunt inteſtina bella ſanctorum. Nec; enim nullus eſt languor quo *caro concupiſcit aduerſus ſpiritũ*, etiã manente virtute caſtitatis inuictâ. Si nullus languor eſt, non ergò *aduerſus eum ſpiritus concupiſcat*. Ad hoc enim cõcupiſcit, vt ſi nõ poteſt non certandi, ſaltem non conſentiendi obtineat ſanitatem. Hoc quippè vndè nunc agimus, quod nobis reſiſtere ſentimus in nobis, aut aliena eſt natura ſeparanda, aut noſtra ſananda. Si alienam dicimus ſeparandam, Manichæis fauemus. Fateamur ergò noſtram eſſe ſanandam, vt Manichæos ſimul Pelagianoſque vitemus.

Baptiſmus totius eſt cauſa ſanitatis.

Pſal.102.3.

Lib.1.de nup.cap.25.

CAPVT XIX.

HOc ergò generi humano inflictum vulnus à diabolo, quidquid per illud naſcitur, cogit eſſe ſub diabolo tanquàm de ſuo frutice fructum iure decerpat. Hæc verba de libro meo tibi refellenda poſuiſti. Quibus ita inſidiaris, tanquàm *naturæ humanæ authorem dixerim diabolum, & ipſius quâ homo conſtat ſubſtantiæ conditorem*: quaſi vulnus in corpore poſſis appellare ſubſtantiam. Sed ſi propterea me putas dixiſſe diabolum ſubſtantiæ conditorem, quia in eâ ſimilitudine quæ à me adhibita eſt, fruticem dixi, frutex quippè nullo dubitãte ſubſtãtia eſt: cur vſqueadeò te vel oſtendis, vel fingis indoctum, vt eis rebus quæ ſubſtantiæ nõ ſunt, adhibendas de ſubſtantiâ ſimilitudines non exiſtimes? Niſi fortè & ipſi Domino dialecticè calumniaberis, quia dixit, *Arbor bona bonos fructus facit, & arbor mala malos fructus facit.* Quis enim malitiam ſiue bonitatem, vel opera bona ſeu mala, quos velut fructus illarum arborum voluit intelligi, dicat eſſe ſubſtantias, niſi neſciens quid loquatur? Quis verò arbores & earum fructus neget eſſe ſubſtantias, ſi novit quod loquitur? De his ergò rebus quæ ſubſtantiæ ſunt, videmus adhibitas ſimilitudines eis rebus quæ non ſunt ſubſtantiæ. Quod ſi arbor bona vel mala, non bonitas hominis vel malitia, ſed ipſi homines accipiendi ſunt, in quibus ſubiectis iſtas eſſe intelligimus

Lib.1.de nup.cap.23

Matt.7.17.

qualitate. bonitatẽ scilicet in homine bono, malitiamq; in homine malo, vt ipsæ substantiæ sint arbores, id est, ipsi homines; cerè fructus eorum (quæ nihil aliud quàm opera intelliguntur) nemo nisi imperitus dicit esse substantias: cùm omnium arborum fructus, vndè istæ similitudines datæ sunt, nemo nisi imperitus neget esse substantias. Ac per hoc ei rei quæ non est substantia, fas est adhibere similitudinẽ de substãtiâ. Propter quod ego vitio, quod generi humano diabolus tanquàm vulnus inflixit, quamvis nullo modo substantia sit, rectè tamen adhibui de substãtiâ similitudinẽ: vt fruticẽ dicerem, & fructus eius vitia etiã illa cum quibus homines, vobis quidem negantibus, sed veritate convincente, nascuntur, & ex quibus in æternum Dei regno pereunt, si veritate liberante non renascuntur. Proindè vitiatorẽ, nõ conditorẽ substãtiæ diabolũ dixi. Subdit autẽ sibi quod nõ cõdidit, per id quod inflixit, Deo tutto tribuẽte hanc potestatẽ; cuius nõ substrahit potestati, nec quod sibi est subditũ, nec seipsũ. Ideò est enim secunda nativitas instituta, quia nativitas est prima dãnata. Cui tamen etiã dãnatæ Dei bonitas exhibetur, vt de maledicto semine rationalis natura formetur, quâ eius affluentissimâ bonitate apertissimè malorum hominum tãta multitudo nutritur, & occulto Dei opere vegetatur. Quæ bonitas operationis eius si subtrahatur formãdis promovẽdisq; seminibus, & vivificãdis quibusq; viventibus nõ solùm gignẽda nõ aguntur, sed ad nihilum penitus etiã genita rediguntur. Cùm ergò Deum nisi stulta impietas nõ reprehendat, quod homines vitiosâ voluntate dãnabiles illo vivificãte vivunt, qui vivificat omnia: cur putamus ab eius operibus abhorrere, quod origine vitiatâ dãnabiles illo creante nascuntur, qui creator est omnium & per *mediatorẽ* regenerati à dãnatione liberãtur debitâ, sed gratuitâ miseratione non debitâ, *quos elegit antè constitutionem mundi per electionem gratiæ, non ex operibus* vel præteritis, vel præsentibus, vel futuris? *Alioquin gratia iam non est gratia.* Quod maximè apparet in parvulis, quorum nec præterita dici possunt opera, quia non fuerunt; nec præsentia, quia nihil operantur; nec futura quandò in illâ ætate moriuntur. Dixi sanè, *quomodo manent peccata reatu, quæ præterierunt actu: sic è contrario fieri potest, vt cõcupiscentia maneat actu, & prætercat reatu.* Quod error quidẽ tuus falsũ esse dicit, sed veritas verũ esse convincit.

Iustitia est secunda nativitas, quia prima est damnata.

Si Dei bonitas se subtrahat rebus cõditis, ad nihilum relabuntur.

Lib. 1. de nup. cap. 26 & 27.

Peccata trã sire actu, manere reatu: concupiscentiam transire reatu, manere actu.

Rom. 11. 6.

Nam

Nam tu id non valendo refellere, primò dialecticas tenebras imperitis conaris offundere, dicens *te cognitare non posse in qua dialexi inveneris contrariorum omnium reciprocationem.* Quam sententiam tuam si exponere voluero, & ad eorum perducere intelligentiam, qui nunquam ista didicerunt, opus erit pleno fortasse volumine. Sed nunc satis est, quod ipse dixisti, *in nulla dialexi posse inveniri contrariorum omnium reciprocationem.* Hinc enim ostendisti aliquorum esse posse, non omnium. In his ergo aliquibus & hoc reperi. Si enim dixisses, contrariorũ reciprocationem esse nullorum, & per hoc ostenderes ea quæ posui contraria reciproca esse non posse, quia nulla esse possunt; ego aliqua esse posse ostendere debui, ac deindè in his esse quod posui. Sed esse aliqua iam ipse concedis, qui non dicis nullorum contrariorum esse reciprocationem, sed non omnium. Est igitur aliquorum. Sed vtrùm in his etiam hoc sit quod à me positum est, restat ostendere: id est, vtrùm, sicut verum est, reatu manere peccata, quæ præterierunt actu; ita sit verum, quòd cõcupiscẽtia maneat actu, & prætereat reatu. Quod tu fieri non posse volens ostendere, hoc dixisti quod ego non dixi. Ego enim de concupiscentia dixi, *quæ est in membris repugnans legi mentis*, quàmvis reatus eius in omnium peccatorum remissione transierit: sicut econtrariò, sacrificium idolis factum, si deinceps non fiat; præteriit actu, sed manet reatu, nisi per indulgentiam remittatur. Quiddam enim tale est sacrificare idolis, vt opus ipsum cùm fit prætereat, eodẽq; præterito reatus eius maneat veniâ resolvendus. Tale est *carnis concupiscentia*, vt maneat in homine, secum per continentiã confligente, quàmvis eius reatus qui fuerat generatione contractus, iam sit regeneratione transactus. Actu enim manet, non quidem abstrahendo & illiciendo mentem, eiusq; consensu concipiendo & pariendo peccata, sed mala, quibus mens resistat, desideria commovendo. Ipse quippè motus actus est eius, quamvis mente non consentiente desit effectus. Inest enim homini malum & præter istum actum, id est, præter hũc motum, vnde surgit hic motus, quem motum dicimus desiderium. Non enim semper est desiderium contra quod pugnemus, sed si tunc non est, quandò non occurrit quod concupiscatur, sive animo cogitantis, sive sensibus corporis; fieri potest, vt insit qualitas mala, sed nulla sit tentatione commota: sicut ineſt timiditas homini timido, & quandò non timet.

Rom. 7, 23.

Motus concupiscentiæ, actus est eius.

Inesse potest qualitas mala, etiãsi nulla sit tentatione commota.

Cùm verò occurrit quod concupiscatur, nec desideria mala nobis etiam nolentibus commoventur, sanitas plena est. Hoc ergò vitium non potest nisi reatu tenere hominem, quàmvis eiusdem mali bono vsu de castis coniugibus procreatũ. Qui reatus quámvis eo manente malo, solvitur in remissione omnium peccatorum per Dei gratiam quâ liberamur ab omni malo, cùm dominus non solùm *propritius fit omnibus iniquitatibus nostris*, verùm etiam *sanat omnes languores nostros*. Nam recole quid responderit liberator ipse atque salvator his qui ei dixerant, vt exiret de Hierosolymis: *Ecce*, inquit, *eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia consummor*. Lege evangelium, & vide post quantum tempus passus fuerit & resurrexerit. Ergò mentitus est? Absit. Sed significavit aliquid, quod ista inter nos quæstione versatur. Expulsio quippè est dæmoniorum remissio peccatorum: perfectio sanitatum quæ fit proficiendo post baptismum. Tertia consummatio est, quam suæ quoque carnis immortalitate monstravit, incorruptibiliũ beatitudo gaudiorum. Et vtique expulsio dæmoniorum est remissio peccatorum; tanquam resoluta causa, per quam hominis animam possidebat. Perfectio sanitatum, dum de die in diem proficit Ecclesia, & corruptionis, cuius reatus ablatus est, palsio quotidiana renovatione minuitur. Tertia consummatur, dum resurrectionem in seipso initiandam monstravit Ecclesiæ, qua ad incorruptionis consummationem, summamque perveniat sanitatem. Se verò consummari dixit: Et initium & finis ipse, ipse caput & plenitudo corporis, in membris suis ipse perficitur. Tu autem in exemplum rei, de qua loquebaris, sacrilegum sacrificium posuisti, atque dixisti, *quidquid ad hoc genus pertinet de isto vno posse monstrari: quoniam si semel aliquis idolis sacrificaverit, potest donec consequatur veniam, premi impietate commissi, & manet reatus actione finitâ. Nullo autem pacto*, inquis, *fieri potest, vt maneat actio, & abscedat reatus: id est vt dæmonibus*, inquis, *sacrificare non desinat, & tamen liber à prophanitate videatur*. Hoc de sacrificio idolis oblato verissimè dicis: actus est enim qui opere ipso peragitur, & non erit: etsi iterùm fit, alterum fit. Impietas verò ipsa quâ hæc fiunt, tamdiu manet, donec idolis renuncietur, & credatur in Deum. Idolis itaque sacrificatum factum est transiens, non vitium manens. Impietas verò quâ sacrificatum est, quia & illo peracto manet, videtur esse con-

Videtur ergo inversus.

Luc. 13. 3 2

cu-

cupiscentiæ similis, qua commissum est adulterium. Sed errore sublato, quo illa impietas pietas etiam putabatur, nunquid idolis aliquem sacrificare delectat, & in illo huiusmodi desiderium commovetur? Nullo modo igitur simile est, quod pro simili ponendum putasti. Nullo modo, inquam, simile est sacrificium transiens manenti concupiscentiæ, quæ hominem iam non committentem quod solet ei consentiendo committere, iam plena fide & cognitione retinentem non esse talia facienda; stimulus tamen illicitorum desideriorum, quibus resistit castitas, inquietare non cessat: neque scientiâ finitur vt non sit, sed continentiâ refrænatur, vt quò tendit, pervenire non possit. Quapropter sicut idolis immolatio, quæ iam nec in actione est, quia præteriit; nec in voluntate, quia error quo fiebat, absumptus est; manet tamen reatus eius, donec in *lavacro regenerationis* peccatorum omnium remissione solvatur: sic econtrariò quàmvis reatus malæ concupiscentiæ eodem baptismate sit solutus; manet tamen ipsa, donec ab eo qui post eiecta dæmonia perficit sanitates, medicina perficiente sanetur. Sed quæso te, cùm & ipse concedas peccati facti atque transacti reatum manere, nisi sacro fonte diluatur: dic mihi reatus iste quis sit, & vbi maneat iam homine correcto rectèq; vivente, nondùm tamen peccatorum remissione liberato? Subiectum est reatus iste, id est substantia, sicut spiritus, sicut corpus; an in subiecto sicut febris, aut vulnus in corpore; sive avaritia, vel error in animo? In subiecto esse dicturus es. Neque enim reatum affirmabis esse substantiam. In quo igitur tibi videtur esse subiecto? Cur quæram quid respondeas, & non potius verba tua ponam? *Actu*, inquis, *prætereunte, manet eius reatus in illius conscientia qui deliquit, donec dimittatur.* Ergò in subiecto est, hoc est in animo eius qui deliquisse se meminit, & scrupulo angitur conscientiæ, donec fiat delicti remissione securus. Quid si obliviscatur se deliquisse, nec eius conscientia stimuletur, vbi erit reatus ille quem transeunte peccato manere concedis, donec remittatur? Non est certè in corpore, qui non est eorum accidentium quæ accidunt corpori. Non est in animo, quia eius memoriam delevit oblivio; & tamen est. Vbi est igitur cùm iam benè vivat homo, nihil tale committens? Nec dici possit, eorum peccatorum eius reatum manere qui meminit; eius verò qui oblitus est, non manere. Manet quippè omninò donec re-

Reatus quid & vbi sit.

Nulla iniquitas impunita nisi quã sanguis mediatoris expiaverit. Signo crucis baptismatis vnda consecratur.

mittatur. Vbi ergò manet, nisi in occultis legibus Dei, quæ conscriptæ sunt quodammodò in mentibus angelorum, vt nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis *mediatoris* expiaverit; cuius signo crucis consecratur vnda baptismatis, vt ea diluatur reatus tanquàm in chirographo scriptus, in notitiâ spiritalium potestatum, per quas pœna exigitur peccatorum? Huic chirographo nascuntur obnoxii omnes in carne, de carne carnaliter nati; eius ab hoc debito sanguine liberandi, qui in carne quidem & de carne, non tamen carnaliter, sed spiritaliter natus est. Natus est enim de spiritu sancto, ex virgine Maria. De spiritu scilicet sancto, ne esset in illo *caro peccati*; ex virgine autem Maria, vt esset in illo *similitudo carnis peccati*. Ideò illi chirographo non venit obnoxius, & ab illo solvit obnoxios. Neque enim nulla est iniquitas, cùm in vno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur. Hanc iniquitatem si homo ab homine altero forinsecus adversante pateretur, quia in illo non esset, sine illo vtiq; puniretur. Quia verò in illo est, aut cum illo punietur, aut illo ab eius reatu liberato, sic in certamine adversùs spiritum perseverat, vt hominem iam non reum ad nulla pòst mortem tormenta transmittat, non alienet à regno Dei, nullâ damnatione faciat detineri; neque vt ea penitus careamus, velut aliena natura seiungatur à nobis, sed quia nostræ naturæ languor est, sanetur in nobis.

Iniquitas est carnem spiritui reluctari.

CAPVT XX.

Lib. de nupt. cap 23.

PRropter hoc ergò vitium, sicut in eo libro cui resistis à me positum est, *humana natura damnatur: & propter quod damnatur, propter hoc & damnabili diabolo subiugatur, quia & ipse diabolus spiritus immundus est. Et vtiq; bonum quod spiritus, malum quod immundus: quoniam spiritus est naturâ, immundus est vitio. Quorum duorum illud à Deo est, hoc ab ipso. Non itaq; tenet homines sive maioris sive infantilis ætatis propter quod homines, sed propter quod immundi sunt.* His verbis meis ex libro meo abs te positis, ita resistendum putasti, vt liceret *hanc formam etiam in homine malo debuisse servari, quæ servatur in diabolo; ne quisquam damnetur nisi ex vitii sui proprie voluntatis, at ideo nullum sit originale peccatum: Alioquin opus eius*, vt dicis, *qui etiam diabolum bonum condidit, non potest approbari.* Nec attendis quòd diabolum non ex alio diabo-

lo

lo creavit Deus, nec ex aliquo angelo licet bono, cuius tamẽ *lex esset in membris repugnans legi mentis*, per quam & cum quâ de homine nascitur omnis homo. Adiuvaret itaq; te fortasse hoc argumentum, si vt homo, ità diabolus gigneret filios, eosque paterno peccato negaremus obnoxios. Nunc verò aliud
Ioan. 8.44. est *ille*, qui *homicida erat ab initio*, quia hominem ab initio quo est homo institutus, occidit per fœminæ seductionem, & in veritate per liberum arbitrium non stetit, cadensq; deiecit ho-
Rom. 5. 12. minem: & aliud est quod *per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Vbi evidenter expressum est, exceptis cuiusq; hominis propriis, cõmune omnibus hominibus origi-
Ibidem. nale peccatum. Quod autem dixi, *Qui miratur quia creatura Dei subditur diabolo, non miretur; subditur enim creatura Dei creaturæ Dei minor maiori*: cur ità posuisti, vt sequentia mea verba non adderes, quibus ostendi, quemadmodùm dixerim, *minor maiori*, humana scilicet angelicæ: nisi vt minus intelligeretur sensus meus, vt faceres tibi locum, vbi, sicut soles, de Aristotelicis categoriis obtenderes nebulas imperitis, in quibus latenter putarent te aliquid dicere, quid diceres nescientes. Ad hoc enim redacta est hæresis vestra, vt gemant sectatores vestri non inveniri dialecticos iudices in Ecclesia, de scholis Peripateticorum sive Stoicorum, à quibus possitis absolvi. Quò enim pertinet, quid sibi vult, vt quid dictum est quod dixisti, *quia maior & minor ad finitam speciem pertinet quantitatis? Sed quãtitas*, inquis, *non solũ contrariorum capax non est, quod ei cum qualitate atq; alijs prædicamentis; verũetiam nec contrarium habet, quod ei cum substantiæ est definitione commune: bonum verò & malum contraria sunt*. Hæc profectò nunquã diceres, si lectores vel auditores librorum tuorum putares intellecturos esse quod dicis. Itàne verò ideò immundus homo immũdo angelo subdẽdus non fuit, quoniam quantitas quâ homine maior est angelus, non solùm contrariorum capax non est, verùmeriam nec cõtrarium habet: quasi tunc diabolo fuisset homo subdendus, si ei reperiretur esse contrarius: & mala subdenda non sint malis, quia bona malis, non mala malis videntur contraria? Quid vaniùs cogitari, quid ineptiùs dici potest? Nõnè domino subditur servus, & bonus bono, & malus malo; & malus bono, & bonus malo? Nonne vxor subditur viro, & bono bona, & malo mala; & bono mala, & malo bona? Quid igitur pertinet

ad vim sive rationē, quâ quidq; cuiq; subdendum est, vtrùm hæc res aut illa possit, vel non possit capere vel habere contrarium? Verùm tu planè inconsideratè ista non funderes, si stultitiæ quæ tibi ista suggerit, sapientiam contrariam cogitares. Iam porrò illa qualis est argumētatio tua: *Si res*, inquis, *quæ decenter ordinata est, ad Deum pertinet, & res quæ ad Deum pertinet, bona est, bonum est itaq; subditum esse diabolo, quoniam institutus à Deo per hoc ordo servatur. Sequiturq;*, inquis, *vt malum sit rebellare diabolo, quoniam per resultationem institutus à Deo ordo turbatur.* Possēs dicere Deo resistere agricolas, eiusq; ordinē perturbare, purgando agros à spinis & tribulis, quæ ille peccatoribus nasci iussit in pœnam. Quid quòd ista tua ratione dici potest: si res quæ decenter ordinata est ad Deum pertinet, & res quæ ad Deum pertinet bona est, bonum est malis esse in gehennâ, quoniam institutus à Deo per hoc ordo servatur? Quod verò tu addis, *sequiturque vt malum sit rebellare diabolo, quoniam per resultationem institutus à Deo ordo turbatur*: cur hoc dicis? Quis enim rebellat diabolo, nisi ab eius potestate per *mediatoris* sanguinem liberatus? Melius ergò fuerat hostē non habere, quā vincere. Sed quia peccati merito humana natura subdita est hosti, priùs homo vt adversus eum pugnare possit, ab eius eruitur potestate. Deindè si vita est in hâc carne prolixior, certans adiuvatur, vt superet. Postremò victor beatificatur, vt regnet dicturus in fine: *Vbi est mors contentio tua?* Vel sicut dicit Apostolus: *Vbi est mors victoria tua, vbi est mors aculeus tuus?*

Gen. 3. 18.

Plant. primus.

Osea. 13. 1. Cor. 15. 55.

CAPVT XXI.

QVin etiam visa sunt tibi de Manichæi libris nonnulla esse ponenda, quibus meam sēntiam comparares, cùm ego cōmixtionem duarum naturarum, boni scilicet & mali, vndè illorum tota fabulosa manat insania, non solùm fide verboq; detester & damnem; verumetiam tibi ipsi suffragatori eorum resistendo, teq; refellendo convincam. Cùm enim contra eos veritas clamet, mala nisi de bonis orta non esse, nonne tu pro ipsis & cum ipsis contra veritatem reclamas, *per opus Dei opus diaboli transire non sinitur? Non potest mala radix in bono Dei locari. Rerum ratio non sinit, vt de bono malum, & de iusto iniquum aliquid proferatur. Non nascuntur peccata, de ea re quæ libera est à peccato. De hoc opere quod non habet culpam, nasci culpa non potest.* Quibus omnibus vocibus tuis conficitur, non esse mala exorta de bonis; vt restet se-

Sup. lib. 1. c. 8 & 9.

Lib. 6 c. 16 lib. 5. c. 17.

cundum Manichæos, non esse mala exorta nisi de malis. Quomodò ergò quemquam Manichæorum nomine, tanquã eorum adversarius criminaris, cùm sic ab eorum parte consistas, vt vinci omninò non possint, nisi cum illis & ipse vincaris? Quod in primo huius operis libro aliquantò copiosiùs; & in quinto breviùs, & hic hactenùs nos egisse sustecerit. Ipsa verò quæ communis est vobis hæresis vestra quantùm Manichæos adiuvet, iam quidem sæpè monstravi, sed ne hic quidem est omittendum. Enumerant Manichæi mala quæ in parvulis monstrant, quæ Cicero quoq; commemorat in libris de republicâ, vndè ipsa eius verba iam transtuli. In quorum malorum commemoratione dicit, *non vt à matre natura, sed vt à noverca, hominem in has ærumnas esse proiectum.* Huc accedunt etiam illa quæ non quidem omnes parvulos, sed tamen plurimos cernimus perpeti multa & varia mala, vsque ad dæmonum incursus. Atque concludunt dicentes, cùm sit iustus & omnipotens Deus, vndè ista mala patitur imago eius in parvulis; nisi quia vera est, inquiunt, quam nos asserimus duarum naturarum, boni scilicet maliq; commixtio? Hos catholica redarguit veritas, confitens originale peccatum, per quod factum est dæmonum ludibrium genus humanum, & laboriosæ miseriæ destinata propago mortalium. Non autem ità esset, si humana natura per liberum arbitrium in quo statu primùm condita est, perstitisset. Vos autem negantes originale peccatum, profectò aut cogemini dicere Deum, vel invalidum, vel iniustum; sub cuius potestate imago eius in parvulis sine vllo; vel proprii, vel originalis peccati merito tantis affligitur malis: non enim per hæc exercetur virtus, quod rectè de bonis hominibus maioribus dicitur, in quibus rationis est vsus. Aut quia Deum vel impotentem vel iniquum dicere nõ potestis; Manichæi contra vos errorem suum nepharium de duarum inter se inimicarum substantiarum permixtione firmabunt. *Non* igitur me *ab infectione Manichæorum, vlla,* sicut dicis, *mundat herba fullonis.* Quibus petulantibus verbis facis *lauacro regenerationis iniuriam,* quod in sinu catholicæ matris accepi. Sed vobis tam malitiosum venenum antiqui draconis irrepsit, vt & catholicos horrore Manichæi nominis infametis, & Manichæos perversitate vestri dogmatis adiuvetis.

Cap. 8. Cap. 16. & 17

Sup. lib. 4. cap. 13.

Merito originalis peccati genus humanum ludibrium factum est dæmonum.

CAP.

CAPVT XXII.

Lib. 1. de pec. merit. & remiss. cap. 28.

ILlud verò de alio libro meo, quod ad Marcellinum scribens dixi: *Filios mulieris quæ serpenti credidit, vt libidine corrumperetur, non liberari nisi per filium Virginis, quæ angelo credidit vt sine libidine fœtaretur:* ita posuisti, atque ita voluisti accipi, tanquàm dixerim *quod Evæ serpens commixtus fuerit concubitu corporali*, sicut Manichæi principem tenebrarum eiusdem mulieris patrem cum illa concubuisse delirant. Hoc ego de serpente non dixi. Sed nunquid tu contra Apostolum negas, mentem mulieris à serpente corruptam? An eum non audis: Vbi dicit: *Timeo ne sicut serpens Evam sefellit in versutia sua, corrumpantur mentes vestræ à simplicitate & castitate, quæ est in Christo?* Ex ista vtique corruptione serpentis, qualis fit etiam quandò corrumpunt mores bonos colloquia mala, pervenit libidopeccandi in mentem mulieris & viri: vt prævaricationis corruptio deindè illa, de qua erubuerunt & pudenda texerunt, sequeretur in carne, non diaboli accedente concubitu corporali, sed spiritali Dei gratiâ recedente. Non igitur *totâ disputatione tuâ contrivisti*, sicut te iactas, *assertionem meam, de malo carnalis concupiscentiæ originalisque peccati*, manente laude nuptiarum, quæ benè vtuntur malo, non quod fecerunt, sed quod invenerunt: verùm nec ipsos Manichæos contrivisti, quos potiùs adiuvisti, tum maximè & in commune omnes Pelagianæ novitatis erroris que participes, sicut iam demonstravi. De testimoniis etiam tractatorum catholicorum sancti Basilij Cæsarienſis, & sancti Ioannis Constantinopolitani, quorum dixisti sensum vestris convenire sententiis, in primo huius mei operis libro, tibi sufficientissima & certissima veritate respondi; ostendens quemadmodùm non intelligendo quædam verba eorum, adversùs dogma eorum, quod est dogma catholicum, mirabili cæcitate pugnetis. In secundo quoque libro satis egimus, vt appareat quàm non sit, quemadmodùm convitiaris, *conspiratio perditorum*, sed sanctorum & eruditorum Ecclesiæ catholicæ patrum pius fidelisq; consensus, qui hæreticæ vestræ novitati resistunt, pro antiquissima catholica veritate. Vnde etiam *populi murmur, quod solum vobis à nobis dicis opponi*, nec solum est, quia tantorum

2. Cor. 11. 3

Cap 5. & 6

Sup. lib. 1. cap. 7.

niti-

nititur authoritate doctorum; & iustum est, quia non vult vt evertatis sibi quoque notissimam salutem parvulorum, quæ in Christo est.

CAPVT XXIII.

Rom. 7. 18. QVod autem verba apostolica, vbi dicit, *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum*; & cætera vique ad illud, vbi ait, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius: me affirmas aliter intelligere quam totum ipsum caput debet intelligi*, nescienis mihi plurimùm tribuis. Non enim ego solus aut primus sic istum locum intellexi, quo evertitur hæresis vestra, quemadmodùm verè intelligendus est: imò verò ego priùs eum aliter intellexeram, vel potiùs non intellexerã quod mea quædam illius temporis etiam scripta testantur. Non mihi enim videbatur Apostolus & de seipso dicere potuisse, *Ego autem carnalis sum*, cùm esset spiritalis; & quòd captivus duceretur sub *lege peccati*, quæ in membris erat eius. Ego enim putabam dici ista non posse, nisi de iis quos ità haberet *carnis concupiscentia* subiugatos, vt facerent quicquid illa compelleret; quod de Apostolo dementis est credere: cùm etiam innumerabilis multitudo sanctorum, ne concupiscentias carnis perficiat, contra carnem spiritu concupiscat. Sed posteà melioribus & intelligentioribus cessi, vel potiùs ipsi quod fatendum est veritati, vt viderem in illis Apostoli vocibus gemitum esse sanctorum, contra carnales concupiscentias dimicantium. Qui cùm mente sint spiritales, adhuc tamen isto *corruptibili corpore quod aggravat animam*, rectè intelliguntur esse carnales, quia erunt & corpore spiritales, quandò *seminatum fuerit corpus animale, & resurget corpus spirituale*. Et rectè adhuc intelliguntur eâ parte captivi sub *lege peccati*, quæ desideriorum quibus non consentiunt, motibus subiacet. Hinc factum est vt sic ista intelligerem, quemadmodùm intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & cæteri Ecclesiæ sancti notiq; doctores, qui & ipsum Apostolum adversùs carnales concupiscentias quas habere nolebat, & tamen habebat, strenuè conflixisse, eundemque conflictum suum illis suis verbis contestatum fuisse senserunt. Contra quos motus priùs vtique debellandos ne dominentur, & posteà sanandos vt penitus extinguantur; etiam ipse *gloriosa certamina*, sanctos exercere

Apostolum Rom. 7. ex sua instorũque persona fuisse locutũ. Vide sup. lib. c. 3. & 4. & lib. de gratiã Christi cap. 39.

Ibid. 14. & 23.

Sap. 9. 15. 1. Cor. 15. 44.

Sup. lib. 2. c. 3. & 4.

exercere confessus es. Simul itaque cognoscamus verba pugnæ tium, si pugnamus. Hoc enim modo non vivimus nos, sed vivit Christus in nobis, si & ad pugnam contra concupiscentias exercendam, & ad victoriam vsque ad consumptionem eorundem hostium capessendam, in illo fidimus, non in nobis. *Ipse* quippè *factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in domino gloriatur.* Non est ergò *contrarium* sicut putas, *vt qui dicit: Vivo non ego iam, vivit verò in me Christus: dicat etiam, Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum.* Inquantum quippè in illo *vivit Christus*, intantum expugnat & superat, quod *non habitat bonum in eius carne*, sed malum. Neq; enim rectè cuiusquā *spiritus concupisceret adversus carnem suam*, nisi habitaret in illo spiritus Christi. Absit ergò vt dicamus, quod nos dicere insimulas *Apostolum sic ista dixisse, quasi qui se vellet intelligi renitentē, in scorta, aliqua manu pestifera voluptatis abduci:* cùm dicat, *Non ego operor illud*, ostendens concupiscentias carnis solùm impulsum libidinis operari, sine consensione peccati. Quid est quod *in Iudaorum superbiam* frustra conaris *ista verba transferre, tanquam ipsos in se transfiguraris Apostolus, qui contemnebant dona Christi, velut sibi non necessaria?* Sic enim suspicaris: atq; vtinam ipsa dona Christi saltem ità saperes, vt ad vincendam concupiscentiam valere aliquid crederes. Sed ideò dicis à Iudæis fuisse contēpta, *quòd veniam daret ille peccatis, qua ipsi legis admonitione vitassent.* Quasi hoc conferat homini remissio peccatorum, vt *caro* non *concupiscat adversus spiritum*, vndè illa verba nata sunt: *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum*: & cætera eiusmodi. Verùm tu à vestro dogmate non recedis, quo putatis *gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*, sic in solâ peccatorum remissione versari, vt non adiuuet ad vitanda peccata, & desideria vincenda carnalia, *diffundendo charitatem in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui ab illo datus est nobis.* Neque consideras eum qui dicit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: & ab hoc malo non se liberari clamat, nisi *gratiâ Dei per Iesum Christum dominum nostrū*; nec Iudæum esse, nec quia peccavit, sed ne peccet potius laborare. *Exasperat*, inquis, *Apostolus vim consuetudinis.* Tu ergò respondes, vtrùm contra istam vim non dimicet baptizatus? Quod si negas, omnibus Christianis sensibus contradicis. Si autem dimicat, cur non in verbis Apostoli vocem dimicantis agnoscis

1. Cor. 1. 30. & 31. Ierem. 9. 23. & 24. Gal. 2. 20. Rom. 7. 18. Ibid. 20. Gal. 5. 17. Rom. 5. 5. Rom. 7. 23.

Gratiā Dei per Iesum Christum Pelagiani in sola remissione peccatorum constituunt.

agnoscis? *Per legem*, inquis, *bonam & per mandatum sanctum pravorum animi feroces erant, quoniam sine voluntate propria, nulla eruditio poterat inspirare virtutem.* O acutum intellectorem! O divinorum eloquiorum egregium tractatorem! Quid agis de
Rom. 7. 19. verbis dicentis: *Non quod volo ago:* &, *Velle adiacet mihi:* &, *Quod*
18. & 22. *nolo hoc ago:* & *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem?* Audis hæc & dicis, quia voluntas defuit; ideò defuisse virtutem. Quid quòd non solùm voluntas, verùm etiam virtus affuit, ne consentiret *concupiscentiæ carnis*, quæ *legi peccati* pra-
Rom. 6. 13. vis ipsis motibus serviebat? Quibus ille non cedens, *nec arma iniquitatis exhibens membra peccato*, & tamen quod nollet sentiens in *carne contra spiritum concupiscente*, & *adversus eam* vicissim *spiritu concupiscens*; verissimâ castitatis voce dicebat:
Rom. 7. 25. *Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Illa sa-
Ibid. 12. & 13. nè verba quæ posuisti, vbi ait Apostolus: *Lex sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum: quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit: Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, vt fiat supra modum peccatum peccans per mandatum:* benè intelligitur de vitâ suâ dixisse præteritâ, quâ-
Ibid. 7. & seq. dò sub lege fuerat, nondùm subgratiâ. Nam & verbis præteriti temporis vtitur dicendo: *Peccatum non cognovi, nisi per legem:* &, *Concupiscentiam nesciebam:* & *Operatum est in me omnem concupiscentiam:* &, *Vivebam aliquando sine lege:* vtique quandò nondùm poterat vsum habere rationis: &, *Adveniente mandato peccatum revixit, ego autem mortuus sum:* & *peccatum occasione accepta per mandatum fefellit me, & per illud occidit, & per bonum mihi operatum est mortem.* His omnibus tempus significare intelligitur, quo sub lege vivebat, & nondùm adiutus gratiâ, concu-
Ibid. 14. piscentiis carnalibus vincebatur. Vbi verò iam dicit: *Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum:* iam quod confligens patiebatur ostendit. Non enim dixit, *carnalis* fui vel eram, sed *sum*. Et
Ibid. 17. apertiùs tempora ipsa distinguit, vbi dixit: *Nunc autem iam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum.* Iam enim motus desideriorum malorum non ipse operabatur, quibus non consentiebat ad perpetranda peccata. *Peccati* autem nomine *quod in illo habitabat*, ipsam nuncupabat concupiscentiam, quia peccato facta est, & si consentientem traxerit atque illexerit, concipit paritque peccatum, & cætera vsque ad eum locum, vbi ait: *Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati:* verba sunt iam sub gratiâ constituti, sed adhuc contra concu-

piscentiam suam dimicantis, nec ei consentientis vt peccet; sed tamen quibus renititur, peccati desideria patientis. Nemo nostrum substantiam corporis, nemo naturam carnis accusat: frustrà purgatur abs te, quod non culpatur à nobis. Concupiscentias malas, quibus si benè vivimus non consentimus, tamen esse non negamus in nobis: castigandæ sunt, frænandæ sunt, expugnandæ sunt, vincendæ sunt, tamen sunt, nec alienæ sunt. Nec bona ista nostra, sed mala sunt. Nec sicut dicit Manichæa vanitas, separata extra nos erunt, sed sicut dicit catholica veritas, sanata, non erunt.

CAPVT XXIV.

Reiicit falsum commentarium Iuliani loco illius ad Rom. 5. Per vnum hominem peccatũ est.

DE illis quoque Apostolicis verbis in quibus impudentiâ mirabili, imò dementia resistitis fundatissimæ fidei, vbi ait: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt:* frustrà sensum alium novum atque distortum, & à vero abhorrentem moliris exculpere, affirmans *eâ locutione dictum esse. In quo omnes peccauerunt: acsi diceretur, propter quod omnes peccauerunt; sicut dictum est: In quo corrigit iunior viam suam;* vt scilicet, non in vno homine omnes homines peccasse intelligantur originaliter, & tanquàm in massæ vnione communiter; sed propterea quia primus hominum ille peccavit, id est, cùm imitantur illum, non cùm generantur ex illo. Non ergò huic sensui convenit illa locutio, ità dictum esse, *In quo*, velut dictum esset, *propter quod.* Nam propter hoc quisque peccat, quod sibi proponit vt peccet, vel quoquo modo quod illi est causa peccandi. Quis verò ab omni humano sensu tam sit absurdus, vt dicat, propter hoc fecit homo iste homicidium, quia in paradiso Adam de ligno prohibito cibum sumpsit; cùm iste latrocinando occiderit hominem nihil de Adam cogitans, sed propter hoc vt aurum quod ferebat, auferret? Sic & cætera cuncta peccata, quæ propria quisque committit, habent causas propter quas fiant, etiamsi nemo cogitet quod ille primus homo commisit, neque illud sibi ad peccandum proponat exemplum. Propter hoc itaque id est, quoniam peccavit Adam, nec ipse Cain peccasse dicendus est, qui eundem patrem suum noverat. Propter quid enim fratrem suum occiderit notum est: quia non propter

Rom. 5. 12.

Psal. 118. 9

hoc

hoc quod peccavit Adam, sed quia bono eius invidit. Denique nec ipsa tibi ad hunc vestrum sensum quæ posuisti testimonia suffragantur. Rectè enim dicitur: *In quo corrigit iuuenior viam suam:* Propter quid *corrigit?* Quoniam sequitur, *in custodiendo verba tua.* Propter hoc enim *corrigit viam suam*, quia verba Dei sicut cogitanda sunt cogitat, & cogitando custodit, custodiendo rectè vivit. Ipsa ergò illi causa est vt *viam suam corrigat*, quia *Dei verba custodit.* Et quod ait beatissimus Stephanus: *Fugit Moyses in verbo hoc:* benè intelligitur, propter verbum hoc: quia hoc audivit, hoc timuit, hoc cogitavit vt fugeret, hæc illi causa fugiendi. Nunquid in his locutionibus aliquid dictum est, quod pertineat ad imitationem, quâ sic alterum alter imitatur, vt eum omninò non cogitet: & ideò nullo modo dici possit propter hoc peccasse, quia ille peccavit in quo nec originaliter fuit, nec de illo quicquam in peccato proprio cogitavit? *Sed,* inquis, *si de peccati traduce loquebatur, nusquam congruentiùs diceret, ideò pertransiit peccatum, quia omnes sunt de coniugum voluptate generati: & adderet, in eo transiit, in quo ex tabidâ primi hominis carne fluxerunt.* Nec vides eodem modo tibi posse dici: Si de imitatione peccati Apostolus loquebatur, *nusquam congruentiùs diceret, ideo pertransiit peccatum*, quia primi hominis præcessit exemplum: *& adderet, in eo transiit in quo* omnes illius vnius imitatione peccaverunt. Aliquo enim duorum istorum modorum loqueretur Apostolus hoc loco, si ad tuum vel meum loqueretur arbitrium. Quia ergò nec illud dixit quod tu, nec illud quod ego, nunquid vis vt credamus in his eius verbis, nec originale secundùm catholicos, nec imitatorium secundùm Pelagianos intelligendum esse peccatum? Puto quod nolis. Remove igitur ista quæ possunt ex vtraque parte momentis æqualibus dici, etsi tibi placet sine contentione quid Apostolus dixerit intuere; adverte, vt hoc diceret quid agebat, & invenies per vnum hominem iram Dei super humanum genus, & per vnum hominem reconciliationem Deo, eorum qui ex condemnatione totius generis liberantur gratis. Ille est primus Adã factus ex terrâ, iste est secundus Adam factus ex fœminâ. Sed ibi per verbum caro facta est, hic autem ipsum *verbum caro factum est*; vt per eius mortem vivamus, quo relicto, mortui fueramus. *Commendat,* inquit Apostolus, *suam charitatem Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis*

Psal. 118. 9.

Act. 7. 29.

Rom. 5. 8.

mortuus est; multò magis iustificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab irâ per ipsum. De hâc irâ dicitur: *Eramus & nos naturâ filij iræ, sicut & cæteri.* De hâc irâ dicit Hieremias Propheta; *Maledictus dies in quo natus sum:* De hâc irâ dicit sanctus Iob: *Pereat dies ille in quo natus sum.* De hâc irâ autem dicit item ipse: *Homo enim natus ex muliere, brevis vitæ, & plenus iracundiæ, sicut flos surgit & decidit, fugit autem sicut umbra, & non stabit. Nonne & huius curam fecisti, & hunc fecisti intrare in consp ectu tuo in iudicium? Quis enim erit mundus à sordibus? Nevnus quidem, etiamsi vnius diei fuerit vita eius super terram.* De hâc irâ dicit liber Ecclesiasticus, *Omnis caro sicut vestis veterascit, testamentum enim à seculo; morte morieris.* Item q; ipse: *A muliere, inquit, initium est peccati, & propter illam morimur omnes.* Et alio loco: *Occupatio magna creata est omni homini, & iugum grave super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* De hâc irâ dicit Ecclesiastes: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quæ abundantia hominis in omni labore suo, quo ipse laborat sub sole?* De hâc irâ vox Apostolica est: *Omnis creatura vanitati subiecta est.* De hâc irâ plangit Psalmista: *Ecce veteres posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te, verumtamen vniversa vanitas omnis homo vivens.* De hâc irâ plangit & alias: *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt: Mane sicut herba transeat, mane floreat & prætereat, vespere decidat, durescat, & arescat. Quoniam defecimus in irâ tuâ, & in indignatione tuâ conturbati sumus. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, seculum nostrum in illuminatione vultus tui. Quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in irâ tuâ defecimus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Nemo liberabitur ab hâc irâ Dei, nisi per *mediatorem* reconcilietur Deo. Vnde dicit etiã ipse *mediator*: *Qui non credit filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum* non dixit veniet: sed *manet super eum.* Ideò ergò credunt atque confitentur & maiores per cor & os proprium, & parvuli per alienum, vt *reconcilientur Deo per mortem filij eius*, ne *ira Dei maneat super eos*, quos etiam origo vitiata efficit reos. De hâc itaq; loquens Apostolus, *Cùm adhuc*, inquit, *peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multò magis iustificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab irâ per ipsum. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati salvi erimus in vitâ ipsius, non solùm autem, sed & gloriantes in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & nunc reconciliationem accepimus. Propter hoc sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit,*

Eph. 2. 3.
Hier. 20. 14.
Iob. 3. 3.
Iob. 14. 1. seq. iuxta 70.
Eccles. 14. 18. & 12.
Ibid. 25. 33
Ibid. 40. 1.
Eccles. 1. 2. & 3.
Rom. 8. 20.
Psal. 38. 6.
Psal. 89. 6. 7. 8. & 9.
Ioan. 3. 36.
Rom. 5. 8. & seq.

& per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Nempè manifestum est vt hoc diceret, quid agebat Apostolus. Ite adhuc & huic reconciliationi quæ fit *per mortem filij* Dei, qui sine peccato venit in mundum, subtrahite parvulos, vt propter eum *per quem peccatum intravit in mundum, ira Dei maneat super eos.* Quid hic facit imitatio, quæ-
Ibid. 16. so te, vbi audis: *Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem gratia autem ex multis delictis in iustificationem?* Vndè *gratia ex multis delictis in iustificationem*; nisi quia præter vnum illud originis, addita multa quæ simul deleret, inveniè? Alioquin sic esset ex multis condemnatio, quæ homines vnum imitando commiserant; sicut ex eisdem multis iustificatio, quibus remissis in gratiam respirabant. Sed quia *vnum* illud sufficiebat, propter quod etiam solùm fieret *condemnatio*; gratiæ verò non sufficiebat illud *vnum* delere, sed & multa quæ adiecta sunt, vt omnium remissione fieret *iustificatio*; ideò vtiq; dictum est: *Iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Nam sicut non imitantur Christum parvuli, quia nondùm possunt, & tamen ad eius gratiam spiritalem pertinere possunt: ita sine imitatione primi hominis, contagione tamen ex ipso carnalis generationis obstricti sunt. Si autem propterea vis eos à primi hominis alienos esse peccato, quia eum non sunt imitati propriâ voluntate: istâ ratione alienabis eos & à iustitia Christi, quia nec ipsum imitati sunt propriâ voluntate. Cùm verò *multos*, quod dixit posteà, non vis intelligi *omnes*, quod prius dixerat, *ideò existimans dictum fuisse, multos, ne omnes intelligerentur*: poteris hoc dicere & de semine Abrahæ, cui promissæ sunt omnes gentes, non om-
Gen. 17. 5. nes gentes ei fuisse promissas, quia dictum est alio loco, *Patrem multarum gentium posui te.* Est autem sanus intellectus, ideò sic locutam scripturam, quia possunt esse aliqua omnia, quæ non sunt multa. Sicut omnia dicimus Evangelia, & tamen brevi numero, id est quaternario continentur. Et rursus possunt aliqua esse multa, non tamen omnia. Sicut multos
2. Thes. 3. 2 dicimus credere in Christum, nec tamen omnes credunt. *Non*
Gen. 22. 18 *enim omnium est fides*, ait Apostolus. Quod autem dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*: &, *Patrem multarum gentium posui te*: eadem *omnes, multas* & eadem *multas omnes* esse monstratum est. Ità etiam cùm dictum est: *Per vnum in omnes transisse peccatum*; & posteà *per vnius inobedientiam peccatores*

Quos multos appellat Apostolus, cum ait, Peccatores constituti sunt multi.

catores constitutos multos: ipsi sunt *multi* qui & *omnes*. Similiter cùm dictum est: *Per vnius iustificationem in omnes homines, ad iustificationem vitæ*. Et rursùs dictum est, *Per vnius obedientiã iusti constituentur multi*, non aliquibus exceptis, sed eosdem *multos*, *omnes* oportet intelligi: non quia omnes homines iustificantur in Christo, sed quia omnes qui iustificantur, non aliter possũt iustificari quam in Christo. Sicut possumus dicere, in aliquam domum per vnam ianuam intrare omnes; non quia omnes homines intrant in eandem domum, sed quia nemo intrat nisi per illam. Omnes ergò ad mortem per Adam, omnes ad vitam per Christum. *Quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*: id est, ex primâ origine generis humani nemo ad mortem nisi per Adam, & nemo per Adam nisi ad mortem. Et nemo ad vitam nisi per Christum, & nemo per Christum nisi ad vitam. Vos autem dùm non omnes, sed multos, sive per Adam condemnatos esse, sive per Christum liberatos vultis intelligi, horrendâ perversitate Christianæ religioni estis infesti. Si enim salvi erunt aliqui sine Christo, & iustificantur aliqui sine Christo, *ergò Christus gratis mortuus est*. Erat enim & alius modus, sicut vultis, in naturâ; in libero arbitrio, in lege naturali, sive conscripta, quo possẽt salvi & iusti esse qui vellent. Iustas autem imagines Dei, quis nisi iniustus prohiberet à *regno Dei*? Hic fortè dicis: Sed faciliùs per Christum. Nunquid non posset etiam de lege dici: *Per legem iustitia*, sed faciliùs per Christum? Et tamen ait Apostolus: *Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est*. *Non est* itaq; *præter vnum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat salvos fieri nos*. Et ideò dictum est *In Christo omnes vivificabuntur*, quoniam *in illo Deus definivit fidem omnibus, suscitans illum à mortuis*. Vestrum autem dogma id persuadere conatur, velut inculpatæ prædicatione naturæ, & potentiæ liberi arbitrii, & legis sive naturalis sive per Moysen datæ, vt etsi opus sit, necesse tamen non sit ad Christum pro æternâ salute transire: eò quod per sacramentũ mortis & resurrectionis eius, si tamen vel hoc putatis, commodior via sit, non quod alia via esse non possit. Vndè quantùm vos detestari debeant Christiani considerantes, renunciant vobis etiam tacentibus nobis.

Rom. 5. 18.
Ibidem 19.
Similc.
1. Cor. 15. 22.
Gal. 3. 21.
Occupatio.
Ibidem.
1 Tim. 2. 5.
Act. 4. 12.
Act. 17. 31.

CAP.

CAPVT XXV.

QVod verò causæ tuæ postremum & quasi fortissimum firmamentum, Propheticum testimonium esse voluisti,
Ezech.18. 2.3.&4. ubi per Ezechielem dictum legimus, *Quod non erit parabola, quâ dicebant parentes uvas acerbas edisse, & dentes obstupuisse filiorum: Nec morietur filius in peccato patris, nec pater in peccato filij, sed anima quæ peccat ipsa morietur*: non intelligis hanc esse promissionem testamenti novi & spiritalis hæreditatis ad alterum seculum pertinentis. Id enim agit gratia redemptoris,
Coloss.2.14. ut paternum *chirographum deleat*, & unusquisque pro se rationem reddat. Cæterùm quàm multa sunt divinarum testimonia literarum quæ parentum peccatis obligant filios, numerare quis possit? Cur enim peccavit Cham, & in ejus
Gen.9.22. & 25. filium Chanaan vindicta prolata est? Cur pro peccato Salomonis, filius ejus diminutione regni punitus est? Cur pec-
3.Reg.12. 19. 3.Reg.21. 29. catorum Achab Regis Israël in ejus posteros pœna dilata est? Vt quid legitur in sanctis libris: *Reddens peccata patrum*
Esai.65. 6.&7. *in sinu filiorum eorum post eos, & reddens peccata patrum filijs usque in tertiam & quartam progeniem?* Qui numerus etiam pro
Exod.20.5. universitate accipi potest. Nunquid hæc falsa sunt? Quis hoc dixerit, nisi divinorum eloquiorum apertissimus inimicus? Sed carnalis generatio etiam populi Dei pertinens
Gal.4.24. ad testamentum vetus, quod *in servitutem generat*, parentum peccatis obligat filios; spiritalis autem regeneratio sicut hæreditatem, ita pœnarum atque præmiorum comminationes promissionesque mutavit. Quod Prophetæ in spiritu prævidentes ista dixerunt, sed apertiùs Hieremias: *In diebus illis*,
Hier.31. 29.&30. inquit, *non dicent: Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt, sed unusquisque in suo peccato morietur, ut eius qui manducaverit uvam acerbam, obstupescant dentes ipsius.* Nempè manifestum, ita hoc propheticè pronunciari, sicut ipsum testamentum novum quod prius occultum fuit, & per Christum postea revelatum est. Denique ne nos moverent ea quæ commemoravi, & cætera hujusmodi plurima de reddendis in filios peccatis parentum, quæ utique veraciter scripta sunt, ne huic prophetiæ contraria putarentur; continuò solvit istam molestissimam quæstionem, conjun-

gendo atque dicendo: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo domui Israël & domui Iuda testamentum novum, non secundum testamentum quod disposui patribus eorum.* In hoc igitur *testamento novo* per sanguinem testatoris *deleto* paterno *chyrographo*, incipit homo paternis debitis non esse obnoxius renascendo, quibus nascendo fuerat obligatus, ipso *mediatore* dicente: *Ne vobis patrem dicatis in terra*: secundum hoc utique, quòd alios natales quibus non patri succederemus, sed cum patre sempet viveremus, invenimus. *Ibidem* 31. & 32. Matt. 23. 9.

CAPVT XXVI.

Epilogus totius operis.

AD omnia me tibi respondisse Iuliane, & omnia refelliisse, quibus disputasti voluminibus quatuor credendum non esse originale peccatum, & *concupiscentiam carnis* non posse culpari sine damnatione nuptiarum; puto quod perspicis, si pervicax non sis. Demonstratum enim est, eum tantùm paterno antiquo debito non teneri, qui hæreditatem patremque mutavit; ubi cohæredem invenit unicum per naturam, adoptatus ipse per gratiam, eique tantùm concupiscentiam carnalem mortem non inferre post mortem, qui in Christi morte invenerit mortem, quâ *moriatur peccato*, & evaserit mortem, quâ natus fuerat in peccato. *Vnus* enim *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*: nec aliqui poterunt vivere pro quibus non est mortuus, quia pro mortuis unus est mortuus. Hæc negans, his repugnans, ista convellere moliens Catholicæ fidei munimenta, ipsosque nervos dirumpere Christianæ religionis, veræque pietatis: audes insuper dicere, *quòd contra impios bella susceperis*, cùm adversum matrem quæ te spiritaliter peperit, armis impietatis induaris. Audes *te agmini Sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum Sacerdotumq; miscere*: cùm tibi dicant Patriarchæ, etiam pro parvulis natis oblata sacrificia pro peccatis, eo quod non *sit mundus à sordibus, nec infans diei unius super terram.* Cùm tibi dicant Prophetæ: *In iniquitatibus concepti sumus.* Cùm tibi dicant Apostoli: *Quicunque baptizati sumus in Christo* IESV, *in morte ipsius baptizati sumus; ut existimemus nos mortuos quidem esse peccato, vivere autem Deo in Christo* 2. Cor. 5. 14 *al. unùs* *Levit.* 12. *Iob.* 14. *iuxta* 70. *Psal.* 50. 7. *Rom.* 6. 3. & 11.

In Christo IESV. Cùm tibi dicant Martyres: *Secundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ, primâ nativitate contrahere, unde parvulis dimittantur in baptismo, non propria, sed aliena peccata.* Cùm tibi dicant Sacerdotes: *Carnali voluptate concretos prius subire delictorum contagium, quàm vitæ huius haurire munus.* His te consociare præsumis, quorum fidem debellare conaris. Audes dicere, quod à Manichæorum consortio vincaris, qui Manichæos invictos facis, nisi cum eis & ipse vincaris. Falleris fili, miserabiliter falleris, vel etiam detestabiliter falleris: quando animositatem quâ teneris viceris, tunc veritatem poteris tenere, quâ vinceris.

Cypria. lib. 3. cap. 8.

Ambros. lib. de sacra. regen. c. Vide sup. lib. 2. c. 6.

Libri sexti & ultimi contra Iulianum

FINIS.

Sequuntur libri duo B. AVGVSTINI, dicti Operis imperfecti contra IVLIANVM.

Ex correctione quorundam Theologorum Lovanienſium.

Quibus ad æternam Amplissimi Viri D. CLAVDII MENARDI *Iuliomagi, Andium Prætoris memoriam, eiusdem elegantissimam Dedicatoriam Epistolam Primæ editioni per* Sebastianum Chappelet *Lutetiæ Parisiorum an.* 1617. *præfixam, grato & memore animo (quod eius indefesso labori & curæ Respublica litteraria eos debeat) præmittimus.*

Illustrissimo & Reverendiss. Domino

D. DIONYSIO DE MARQVEMONT,

Archiepiscopo & Comiti Lugdunensi

GALLIARVM PRIMATI.

QVod his accidit (Illustrissime Primas) qui peregrini littoris uniones, summam luxuriæ gloriam legunt: ut maceratis media corporibus alto sese immergant mari, lustratoq; diu fundo, vestigatis, & per mortes mille pauperatu scopulis, tenaci, ac longo spiritu terram repetant, naturæ miracula, deliciasq; profusuri: Id in hac assidua communiq; veterum undecumque membranarum urinatione, fatali at felici æstro percitis, evenire sentio, ut post attritas, insano labore vires, profundis bibliothecarum sinibus immersi, reptent hinc inde; & per varias disquisitionum sortes, frustrationum mortes, enatent tamen, publicoq; radiantium orbe toto, litterarum soli, reconditas ingeniorum seculorumq; dotes exponant: In his, esse me, ni profitear, vanus sim, qui aliquot annis propellente genio, nihil in votis habui sanctius, quàm ut ovanti litterarum gloriæ, parens patria, nutrix charaq; civitas assurgeret, pampinos suas attexeret, literatas laurus offerret. Et volente Deo factum, ut penè consumptis in ea cogitatione curis, insperato beneficio per olidas tinearum pulverumq; sordes, hæc cali, soliq; Margarita caneret, cuius ignoratâ possessione, delusus annos aliquot, aliud agens omninò, sensi tandem, vix parabili thesauro me felicem. Quantum hâc beatitate gaudij succreverit nobis, loquatur ipsa res, & si cui talium cupienti rerum par lux affulsit; eò nunc plenior, quò inter omnes militantis Ecclesiæ Patres, altior hæc, diviniorq; Aquila pervadit, eò purior, quò non ætatis loquentiaq; prærogativa turgens hic liber, sed ultimi spiritus contestatione, vegetior, & defungentem exhibet & pugnantem. Pugnantem rectè; cuius vitæ, quot momenta, tot acies, quot verba, tot laureæ; impius ergo sim, beatiq; nominis, quo tinxit Mater Ecclesia prophanus Andabata, si demersum altè, tot annorum fluctibus, oblatumq; desiderijs elenchum, novus urinator attineo. Cuius renovato nunc primùm,

lumini,

lumini, quod te potius dixerim laudatorem publica causa est. Eius enim contesseratione debuit Africanus Præsul, tot olim Synodorum genius, Episcoporum lingua, calamusq; foveri; qui veris pallij iustisq; mysteryis & tractus nostri, & Gallorum Legatus audit.

Narrant Annales Hispanarum rerum, sub Eram. D. C. LXXXV. principante Gotho Cindasunida, collectos Toleti Præsules XXX. cum moralium liber, quem olim Leandro Hispalensi sollicitante dictaverat magnus sanctissimusq; Gregorius, haud supereſſet amplius, delectum suffragantibus Episcopis Taionem Cæsar Augustanum religione literaturaq; præstantem, qui Romana scrinia consulens, amissos custodum negligentia libros, Hispanis redderet suis. Quod dum procurat, Martino primo Pontifice, nec in sacris archivis præ multitudine codicum quari, aut divinari possent, indicante locum Angelo repertos & descriptos. Efflaverat scilicet in Siciliæ scopulis primum feralis doctrinæ virus Rufini Pelagijq; vafrities, cum indicante Presbytero tunc Hilario, post Arelatensi Episcopo, divinus sanctissimi senis animus sumpta fidei propugnatione, deforme monstrum longo decennalique bello confecit: quod igitur Callis instigante Præsule suo laboratum est, quod magnis post animis, eodem defendente consumptum, *cuius potius auspicys comitivaq; potuit, post tot annorum funera dieſcere, quam eius qui post ventilatas longum in ipsa urbis, orbisq; arce, ingenij divitis opes,* Perpetua Galliarum Legatione blatteatur: *quem non inter famosos latrocinijs Numidas, incultos animis Mauros, dissertantem, sed in amplissimo Galliæ, I. elegantiæ omnis theatro, aut pro Catholici nominis restitutione detonantem, aut de severioris disciplinæ cultu anxium & perorantem tanta pendentis stupentisq; coronæ gratulatio secuta est, ut in amplissimo honoris throno non pietas posuisse, sed ad purpuras, aut si quid maius haberet Gallicana fortuna exercere videatur. Macte virtutibus* (Illustris. Comes) *quæ te ad tanti muneris apices evectum, licet onerent verius quàm honorent, debebant tamen feraci vitys cœlo specimen exempli potius quàm præmij,* Religio, Fides, Constantia, Pietas, *quæ palantes usque pannosasq;, sic revocas & devincis, ut ex hinc, non ab his effictum te, sed ex te natas, à te doctas, ipsa tantarum virtutum admiratio glorietur. At, est & privata ratio, quæ me tanti operis reddat obnoxium; quàm si tacitis adniventibusq; oculis neglexisse potuerim, magni me sceleris impiatum rea conscientia postulabit. Tu fratrem charissimum, quietis privatæ delitijs, severioriq; propositi cogitationibus immersum; vix & cognitum, nec sperantem, solemni benignitatis luce perfundis,* Conc. Tol. 7.

& reſtitantem penè, ſic occupas, ut ad tanti Solis radios, & vita ſe omnis, & reliqua ſi quæ eſt fortuna, committat. Stet igitur in foribus auguſtiſſimi operis, ſacrum ſolemneq́, hoc anathema, quod amori tuo beneficuſſ, lubens meritò familia omnis privatis ſenſibus, publicâ devotione ſuſpendit. Quam, æternum tuum, ſacra hæc nec moritura unquam tabella damnabit. Iuliomagi And. Pridie Nonas Aug. 1616.

Illuſt. A. T. deditus

CLAVD. MENARDVS

Proprætor Vrb.

Epiſtola S. AVGVSTINI, *in qua horum Librorum mentionem facit. Habetur tom. 6. in principio, præfixa eius Libro de Hereſibus.*

Domino ſinceriter dilectiſſimo Fratri & Condiacono Quodvultdeo, Auguſt. Epiſcop.

Epiſt. 4. CVm mihi hæc ſcribendi offerretur occaſio per Fuſalenſem Presbyterum, quem commendo charitati tuæ, relegi epiſtolam tuam, in qua petis, ut de hæreſibus quæ oriri potuerunt ex quo Domini in carne nunciari cœpit adventus, aliquid ſcriberem. Hoc autem feci, ut viderem utrùm jam deberem opus ipſum aggredi, & inde tibi aliquid mittere: ubi conſiderares tantò eſſe difficilius, quantò eſſe vis brevius. Sed ne hoc quidem potui, talibus curis ſuperuenientibus impeditus, à quibus omninò diſſimulare non poſſem. Nam me & ab eo quod habebam in manibus averterunt. Hoc autem eſt, ubi reſpondeo libris IVLIANI, quos octo edidit poſt illos quatuor, quibus antè reſpondi. Hos enim cùm Romæ accepiſſet frater Alipius, nondum omnes deſcripſerat, cùm oblatam occaſionem noluit præterire, per quam mihi quinque tranſmiſit: promittens alios tres citò ſe eſſe miſſurum & multum inſtans ne reſpondere differrem. Cujus inſtantiâ coactus ſum remiſſiùs ſemper agere quod

quod agebam, ut operi utrique non deessem, uni diebus, alteri noctibus: quando mihi ab alijs occupationibus hinc atque hinc venire non desinentibus parceretur. Agebam verò rem plurimùm necessariam. Nam retractabam opuscula mea: & si quid in eis me offenderet, vel alios offendere posset, partim reprehendendo, partim defendendo quod legi deberet, & posset, operabar. Et duo volumina jam absolveram, retractatis omnibus libris meis, quorum numerum nesciebam: eosque ccxxxii. esse cognovi. Restabant epistolæ & tractatus populares, quos Græci homilias vocant. Et plurimas epistolarum legeram, sed adhuc nihil inde dictaveram, cùm me etiam isti Iuliani libri occupare cœperant, quorum nunc quarto respondere cœpi. Quando ergo id explicavero, quintoque respondero, si tres non supervenerint, dispono (si Deus voluerit) & quæ poscis incipere, simul agens utrumque, & hoc scilicet, & illud de retractatione opusculorum nostrorum, nocturnis & diurnis temporibus in singula distributis. Hoc ideò insinuavi sanctitati tuæ, ut quantum tibi desiderium est sumendi quod poscis, tantò flagrantiùs à Domino mihi poscas adjutorium, quo serviam laudabili studio tuo, atque utilitati eorum quibus id existimas profuturum. Domine sinceriter dilectissime frater, commendo iterum perlatorem, & negotium propter quod eò perrexit, si cognoveris apud quem agendum sit, peto ne pigeat adjuvare. Non enim possumus necessitates hominum ejusmodi deserere, qui nostri non coloni, sed quod majus est, fratres sunt, & in charitate Christi ad curam pertinent nostram. Deo vivas.

D. AVRE-

D. AVRELII

AVGVSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI,

Contra ſecundam IVLIANI reſponſionem,

OPVS IMPERFECTVM.

LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

Occaſio & materia ſcriptionis.

SCRIPSI librum ad Comitem Valerium, cujus libri eſt titulus *De nuptijs & concupiſcentia:* eo quòd ad illum perveniſſe cognoveram, dicere Pelagianos, damnatores nos eſſe nuptiarum. Denique in illo Opere, nuptiarum bonum à concupiſcentiæ carnalis malo, quo benè utitur pudicitia conjugalis, quali potui diſputatione, diſcrevi. Quo libro accepto, memoratus Vir illuſtris miſit mihi in chartulis nonnullas ſententias decerptas ex opere Iuliani hæretici Pelagiani (in quo opere libris quatuor reſpondiſſe ſibi viſus eſt illi uni, quem de nuptijs & concupiſcentia me ſcripſiſſe memoravi) miſſas ſibi à neſcio quo, qui eas, ut voluit, ex primo Iuliani libro decerpendas putavit: quibus ut quantociùs reſponderem idem Valerius popoſcit. Et factum eſt, ut ſub eodem titulo etiam ſecundum librum ſcriberem, contra quem Iulianus alios octo nimiâ loquacitate conſcripſit. His nunc reſpondeo, ejus verba proponens, eiſque ſubjungens reſponſionem meam ad loca ſingula, ſicut refutatio eorum viſa eſt eſſe tradenda. Cùm jam priores quatuor ejus libros, poſtquam in manus meas venerunt, ſatis aperteque refelleram.

IVLIA-

IVLIANVS DIXIT. *Magnis licet impeditus angoribus, quos intuenti mihi hâc tempestate Ecclesiarum statum, partim indignatio ingerit, partim miseratio: non obieceram tamen promissionis meæ fidem; videlicet ut qui fueram factus debitor promittendo, solvendo quoque esse curarem. Nam in libris quos ad fratrem nostrum Turbantium Episcopum, virum magno virtutum fulgore conspicuum, contra Augustini dictavi scripta, pollicitus sum, si nihil, quod studijs obsisteret, eveniret incommodi, occursurum me protinus eorum argumentis omnibus, qui ex sententia Manichæorum traducem peccati, id est, malum naturale defenderent: à quo sum hactenus munere varia & indissimulabili necessitate suspensus.* CAP. 1.

AVG. RESP. Vtinam imiteris Turbantium post illa tua scripta, & post has tuas laudes, quibus eum dicis magno virtutum fulgore conspicuum, à vestro errore liberatum. Responsum hoc est illis libris tuis, & demonstratum tibi, quæ Catholicâ lumine in sanctarum scripturarum tractatione clarissima hoc opprobrio, id est, Manichæorum appellatione, offuscare coneris. *Turbantius Episcopus à Pelagiano errore liberatus tui.*

IVL. DIX. *Verùm, ut primùm respirare licuit, consilium erat, quantùm maximè tulisset ipsius rei natura, breviter promissa complere, nisi me actuosiorem denuò ingredi provinciam, Beatissime pater Flore, voluisses; qui, quoniam tantùm vales reverentiâ sanctitatis, ut præceptis tuis segniter obedire inreligiosum iudicem obtinuisti facilè, ut in longiores vias compendium illius, quam elegeram, brevitatis extenderem. Favebis itaque operi tuâ auctoritate suscepto, cuius ob hoc potissimùm nomen inserui, ut stilus securior & hilarior gradetur sub tantæ patrocinio iussionis. Fuit igitur concepta animo non importuna ratio brevitatis: quia in illis quatuor libris cuncta se ie quæ inventa à Manichæis, Augustini contra nos fuerant ore prolata, Catholicæ fidei brevitas, pro qua & cum qua labentis mundi odia promeremur, tam disputationibus invictis, quàm sacræ legis testimonijs armata, protriverat: nec quicquam penè reliquum erat, si æquis iudicibus uteremur.* CAP. 2. *Florum incitat Iulianũ ad scribendum.*

AVG. RESP. Contra tuos illos quatuor libros sex libri à me scripti sunt; post commemorationem quippe Catholicorum Doctorum, (quos Manichæos facis, mihi sub hoc crimine obijciendo quod illi in Catholica Ecclesia didicerunt atq; docuerunt) quam duobus voluminibus explicavi, sequentes quatuor singulos, tuis singulis reddidi: redarguens tenebras hæresis vestræ, luce Catholicæ veritatis, quam dese-

rendo cæcatus insanis, & rei, de qua nulla unquam in Ecclesia Christi controversia fuit, sicut novus hæreticus, æquos judices quæris : quasi tibi videri æqui judices possint, nisi quos vestro errore deceperis. Quem verò judicem potes reperire meliorem, de quo magister tuus *Pelagius* ait, quòd *eius fidem & purissimum in Scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere?* Nunquid ergo iste sensu in Scripturis purissimo impuriſſimi Manichæi dogma retineret, dicens, *omnes sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est?* Tu ergò jam judica quàm non puro sensu hoc Catholicum dogma reprehendas, teque corrigere Ambrosio judicante ne differas.

lib. 3. de lib. arb. apud Aug. de gra. Christ. c. 45.

Ambros. l. 1. de pœnit. c. 2

CAP. 3. IVL. DIX. *Testimonia tamen Scripturarum, quibus contra nos agi aliquid posse existimant, nonnulla præterieram; quæ me explanatum ire pollicitus eram, ut docerem ambigua quæque legis verba quæ ab inimicis nostris assumi solent, nec veritati præiudicare perspicor, & secundùm hoc esse intelligendæ, quod absolutissimis Scripturæ auctoritatibus & insuperabili ratione firmatur. Si quidem hoc ipso, quàm sit divinæ legis imperitus interpres & prophanus appareat, quisquis putat eius sanctione defendi quod iustitia non potest vindicari.*

AVG. RESP. Vos quod dicitis, potiùs non potest ullâ justitiæ ratione defendi : quia miseria generis humani, à qua nullum hominum ab exortu usque ad obitum videmus alienum, non pertinet ad omnipotentis justum judicium, si non est originale peccatum.

Prosp. sent. 2. 76.

CAP. 4. IVL. DIX. *Nam si lex Dei fons est ac magistra iustitiæ, auxilijs quoque eius, Dei æquitas adiuvari potest, impugnari non potest. Nullum ergo adminiculum iniquitati de illius scripturæ viribus comparari natura rerum sinit, quæ hanc unam promulgationis causam habuit, ut eius testimonijs, remedijs, minis, ultionibus iniquitas deleretur.*

AVG. RESP. Ejus *testimonijs* declaratur quòd *homo vanitati similis factus est, dies eius velut umbra prætereunt.* Cum qua eum vanitate nasci non solùm veridica scriptura, quâ plangitur, verùm etiam laboriosa & ærumnosa cura, quâ eruditur, ostendit. In ejus *remedys* legitur, etiam cùm parvulus natus fuerit, offerendum esse sacrificium pro peccato. In ejus *minis* legitur, interituram fuisse animam parvuli, si die non circumcideretur octavo. In ejus *ultionibus* legitur, jussos interimi etiam parvulos, quorum parentes ad iracundiam provocaverunt Deum, ut internecione bellica delerentur.

Psal. 143. 4.

Levit. 12. 6.

Gen. 17. 14.

Num. 21. 35

Deut. 2. 34.

IVL.

IVL. DIX. *Nihil ergo per legem Dei agi potest contra Deum legis auctorem: quo uno compendio excluditur quidem quidquid ab erantibus consuevit objici: sed nos ad docendum quàm sit veritas locuples cui credimus, illis quoque Scripturarum locis, quæ intellectum sententiæ elocutionum perplexitate velaverunt, expositionis lucem solemus adferre; ut originis suæ dignitatem vetustata posideant, nec ab stemmate sacro, velut notha aut degenerantia separentur.* CAP. 5.

AVG. RESP. Imò verò Scripturarum sanctarum lumina certâ veritate fulgentia vos pravarum disputationum perplexitate obscurare conamini. Quid enim lucidius, quàm id quod modo dixi, *Homo vanitati similis factus est, dies eius velut umbra pretereunt*? quod utique non fieret, si ad Domini similitudinem in qua est conditus, permaneret. Quid lucidiùs, quàm id quod dictum est; *Sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur*? Quid lucidiùs, quàm id quod dictum est; *Quis enim est mundus à sorde? nec infans, cuius est unius diei vita super terram*? & alia plurima, quæ vestris tenebris involvere, & in vestrum perversum sensum molimini vanâ loquacitate convertere.

Psal. 143. 4.

1. *Cor.* 15. 22.

Iob. 14. *apud* 70.

IVL. DIX. *Hoc ergò ex nostro more adhuc solùm exequi cogitabam: id est, ut à Traducianorum interpretationibus membra divina legis, quæ subiacebant contumeliæ, liberarem: quæ erant scilicet divina, quod essent iusta, monstrando.* CAP. 6.

AVG. RESP. Contumelioso ore Traducianos vocas *Cyprianum, Ambrosium, Gregorium* cæteroscque socios eorum confitentes originale peccatum. Sed non est mirum quòd novi hæretici Catholicis à quibus exeunt, novum nomen imponunt. Hoc & alij fecerunt, quando similiter exierunt. *Iulianus Traducianos vocat Catholicos.*

IVL. DIX. *Verùm quia id impendio popposcisti, imò indixisti auctoritate patria, ut libro tractatoris Pœni, quem ad Valerium Comitem vernula peccatorum eius Alipius nuper detulit, obviarem, hinc mihi est longior facta responsio.* CAP. 7.

AVG. RESP. Magna tibi pœna est disputator hic Pœnus, & longè antequam nasceremini magna pœna hæresis vestræ Pœnus præparatus est Cyprianus.

IVL. DIX. *Dedit enim ingenij sui denuo fideiq; documenta ut intelligantur agerrimè, exponantur difficillimè, vix sine horrore audiantur, convincantur autem facillimè, confodiantur acerrimè, & propter honestatis reverentiam oblivioni exterminata mandentur.* CAP. 8.

AVG. RESP. Non quomodo vis judicant qui legunt.

CAP. 9. l. 1. de nup. cap. 1.

IVL. DIX. *Primus igitur eius liber, qui ante hunc solus est editus, novos nos esse hæreticos criminatur: quia repugnemus opinioni, quæ dealbata instar sepulchri, quod secundùm Euangelij sententiam mundo extrinsecus colore vestitum, spurcitia est, & iniquitate confertum, sub laude Baptismatis eructat Manichæorum sordes, naturale peccatum; ut Ecclesiæ Catholicæ pura hactenus sacramenta contaminet.* Matt. 23. 27.

AVG. RESP. Novos hæreticos vos antiqua Catholica fides, quam modò oppugnare cœpistis, à præclarissimis, qui fuerunt ante nos, Doctoribus prædicata demonstrat. Non autem omnibus respondendum est convitijs potiùs quàm accusationibus tuis, quæ non in me, sed etiam in *Ambrosium, Hilarium, Gregorium, Cyprianum*, aliosque prædicatissimos Ecclesiæ Doctores fronte impudentissima & lingua procacissima jacularis.

CAP. 10. l. 1. de nup. cap 2. *Notat subreptionis Acta Romana & Africana.*

IVL. DIX. *Laudat etiam potentem hominem, quòd nostris petitionibus, qui nihil aliud quàm dari tanto negotio iudices vociferabamur, ut ea, quæ subreptitionibus acta constabat, emendarentur potius, quàm ponerentur examini, mole suæ dignitatis obstiterit; nec disceptationi tempus aut locum permiserit impetrari. Quod utrùm ille, ad quem scribitur, tam nequiter fecerit, quàm testatur ipsa laudatio, ipse viderit. Nos tamen quantùm de eo meliùs æstimaverimus, nominis illius commemoratio opusculo meo honorificè inserta patefecit. Verùm liber ille de patrono suo falsa fortasse contineat. Porrò fideliter quid scriptor eius cupiat ostendit: videlicet, ut contra rationem, contra fidem, contra omnem morum, & dogmatum sanctitatem, & ferâ & cœcâ impotentiâ dimicetur.*

AVG. RESP. Absit à Christianis potestatibus terrenæ Reipublicæ, ut de antiqua Catholica fide dubitent, & ob hoc oppugnatoribus ejus locum & tempus examinis præbeant; ac non potiùs in ea certi atque fundati, talibus, quales vos estis, inimicis ejus disciplinam coërcitionis imponant. Quod enim propter Donatistas factum est, eorum violentissimæ turbæ fieri coëgerunt, ignorantes quid antè sit gestum, quod eis fuerat ostendendum; quales vos turbas Dominus avertat ut habeatis: Deo tamen propitio non habetis.

CAP. 11.

IVL. DIX. *Quibus gestis inter voluminis primas partes progressus est ad distinctionem nuptiarum & concupiscentiæ, sicut fuerat tituli inscriptione pollicitus: deditq; toto deinceps opere documentum*

artis

artis & virtutis suæ. Inter negationem enim confessorum, & negatorum confessionem ultimâ necessitate vexatus, quid arumnarum pateretur fœda conscientia publicavit.

AVG. RESP. Convitiare quantùm potes: quis enim convitiosus hoc non potest?

IVL. DIX. *Priori ergo operi quatuor libellis ea, quam suppeditavit veritas, facultate respondi. Præfatus sanè prætermissurum me ea quæ pro dogmate illius nihil habere ponderis apparebat, & me possent arguere multiloquij, si fuissem imbecilla quæque & inania persecutus: quamquam, si hanc regulam, ut decuit, servare licuisset, id est, ut nec oppugnationem ex professione inepta mererentur, penè omnia eius inepta publico fuerant spernenda silentio. Sed quoniam, rebus in peiorem partem properantibus (quod mundi fini suo incumbentis indicium est) in Ecclesia quoq; Dei, adepta est stultitia & turpitudo dominatum: pro* Christo legatione fungimur, *& pro virili portione quantum valemus opis ad defensionem Catholicæ religionis afferimus: nec piget mandare litteris remedia, quæ contra errorum venena conficimus.* CAP. 12.

AVG. RESP. Stultitia & turpitudo vos peperit: sed si in Ecclesia dominatum & adepta esset, ibi vos utique tenuisset.

IVL. DIX. *Testatus utique, ut dixi, fueram, nec contra omnes me species defendenda traducis in primo disserturum opere, nec cuncta, quæ liber ille tenebat, replicaturum: sed cum his conflicturum, in quibus summam & vim sui dogmatis collocasset. Hoc autem me spopondisse fideliter, quicunque vel obliquè sit tantùm diligens utriusque operis lector agnoscet. Ego autem conscientia honestate securus inimicum nostrum adhortor, & stimulo; ut si aliquod à se prolatum, à me prætermissum æstimat argumentum, quod cuiuspiam momenti vel ipse iudicet, in medium proferat, & me timoris doliq; convincat.* CAP. 13.

AVG. RESP. Non credo quod ea quæ prætermisisti nullius esse momenti putaveris; quamvis, & si hoc te putasse concedam, non tamen ita esse, Catholicus & intelligens, si & unum illum meum & tuos quatuor habuerit, diligentiamque adhibuerit, lector inveniet.

IVL. DIX. *Scripturarum sanè testimonia quædam latiùs exposui, quædam breviùs: quia me plenè eo quod sequitur opere factu-* CAP. 14.
rum spopondi. Nihil itaque ibi de omnibus Augustini argumentis & propositionibus inexplosum remansit, nihil à me impletum est aliter quàm promissum: multa in inventis eius falsa, multa stolida, sacrilega multa convici.

CAP. 15. AVG. RESP. Hoc quidem dicitur, sed tu dicis: qui autem legit & intelligit, si non Pelagianus est, non hoc dicit.

IVL. DIX. *Quâ professione non est nobis arrogantiæ fama metuenda: quia non ingenio meo veritatem defensam, sed imbecillitatem nostri ingenij veritatis viribus confitemur adiutam.*

AVG. RESP. Elisam, dixisses, si verum dicere voluisses.

CAP. 16. IVL. DIX. *Cùm hæc itaque haud aliter quàm dixi constet impleta, mirari satis nequeo hominis impudentiam, qui in hoc recenti opere suo, libros meos falsitatis accusat, quos tamen necdum in manus suas venisse testatur. Durum quidem quod consuetudo peccandi amorem delicti facit: sed nihil durius quàm quòd extinguit pudorem, quod licet ex impr[illegible]tatis usu esse constaret, tamen amplius præsentia pericula docuerunt, quàm quisquam nostrùm poterat autumare. Quando enim crederem eousque Numida induratam esse frontem, ut in uno opere & in uno versu utrumque fateretur, & me falsa dixisse, & se non legisse quod dixerim?*

l. 2. de nup. cap. 2.

AVG. RESP. Sententia ista ita in Augustino falsa est sicut in Iuliano vera. Si hoc non feci[illegible], ille fecit qui de libris tuis ea quæ Comiti Valerio putavit mittenda esse, decerpsit. Quod eum non credens ego feci[illegible] mendaciter, auctori tribui quod decerptori debui: tuos quippe libros nondum legeram, sed quæ ille ex eis decerpserat, legeram. Si te hominem cogitares, hoc fieri potuisse cùm cerneres, nequaquam tam invidiosam quæreres homini hâc occasione calumniam.

CAP. 17. IVL. DIX. *Nam scribens ad eum quem miratur studiosum esse librorum suorum, cùm sit militiæ sudoribus occupatus, invocat ab Alipio chartulas ad se fuisse delatas, quæ ita superscriptæ essent:* CAPITVLA DE LIBRO AVGVSTINI QVEM SCRIPSIT, CONTRA QVÆ DE LIBRIS PAVCA DECERPSI. Hic video eum, qui tuæ præstantiæ ista scripta direxit, de nescio quibus libris, ea, causâ (quantum existimo) celerioris responsionis, ne tuam differret instantiam voluisse decerpere. Qui autem sunt isti, libri cùm cogitarem, eos esse arbitratus sum, quorum mentionem Iulianus facit in Epistola quam Romam misit, cuius exemplum simul ad me usque pervenit. Ibi quippe ait: *Dicunt etiam istas, quæ modò aguntur, nuptias à Domino institutas non fuisse: quod in libro Augustini legitur, contra quem ego modò quatuor libellis respondi. Et post hæc verba infert iterum suis sermonibus.* Credo ex his libellis ista decerpta sunt, unde melius fortasse

lib. 2. de nup. cap. 2.

fortasse fuerat ut universo ipsi operi ejus quod quatuor vo-„ luminibus explicavit, refellendo & redarguendo nostra la-„ boraret intentio; nisi & ego responsionem differre noluis-„ sem, sicut nec tu transmissionem scriptorum, quibus res-„ pondendum est, distulisti. *Ostendit ergò hîc apertissimè excerpta [illegible] suspicari se de opere meo tumultuariè fuisse collecta; integros autem ignorare libros, quibus tamen audet dicere se respondere potuisse.*

AVG. RESP. Cur non auderem, qui te in eis vana dixisse dubitare utique non deberem? Non enim contra vera posses loqui nisi vana. Neque meus animus me fefellit, eos namque libros tuos tales inveni, cùm legerem, quales præsumpseram esse antequam legerem.

IVL. DIX. *Facit quoque Epistola mentionem, quam à me ait Romam fuisse directam, sed verba quæ posuit, nequivimus quo de scripto loqueretur, agnoscere. Nam ad Zozymum quondam illius civitatis Episcopum super his quæstionibus duas Epistolas destinavi: verùm eo tempore, quo adhuc libros exorsus non eram.* CAP. 18. *Iulianus ad Zozymum duas Epistolas scripsit.*

AVG. RESP. Hæc Epistola non est ad Zozymum: sed ad eos seducendos, qui Romæ possent tali suasione seduci. Sed si eam non cognoscis, Ecce, non sit tua, utinam & illi libri non essent tui, sed alieni: ne per eos tu longè à veritate fieres alienus.

IVL. DIX. *Porrò utatur indicio Epistolæ, quam aut accepit, aut finxit, me responsionem contra novos Manichæos, quia vetus dedignatur videri, quattuor voluminibus explicasse, cur non curavit ecquid obiecissemus addiscere? Cur non studuit qui cum esset congressurus, agnoscere? Sed levitate turpissimâ concitatus in certamen maximum luminibus involutis Andabatarum more processit. Quod factum, eiusmodi allegatione defendit, ut dicat se Patroni sui festinationem, quam ille in transmittendis schedis habuit, imitari præcipiti responsione voluisse: quasi non honestissimè potuerit intimare tempus sibi aliquod debere concedi, quo ad lectionem editi operis perveniret, flagitium esse inter eruditos in scribendi gravitate delinquere; & impatientia deliberandi impugnare quod nescias. Huc accedit, quòd nobis callidè tacturus invidiam, qui dictorum eius seriem truncaverim, his excerptis fidem accommodavit, quæ verisimilius falsitate eius & malignitate, quàm cuiusquam nostrûm imperitâ simplicitate videntur esse composita. Verum id quovis animo, quovis authore contigerit, nobis tamen duobus suffragatur modo;* CAP. 19. *Andabatarum mos.*

modis ; quia simul patuit & quanta sit levitas , & quanta imbecillitas in veritatis inimico ; qui se approbavit , & cùm loqui non debeat tacere non posse , & paucis semiplenis disceptis magis quàm congregatis sententijs , de primo tamen solùm libro meo ita cessisse fractum , ut vulgi in nos fœmineis admodum vocibus pectora commoveret ; quod disputationis nostræ processibus apparebit.

AVG. RESP. Quid mihi irasceris ; quod ad me libri tui pervenire tardiùs potuerunt ; vel quod eos quærens non potui celeriter invenire ? tamen potui & omninò debui , & quod mihi missa chartula continebat , cujuscumque & qualiacumque essent , ne putarentur invicti planè , apertis , & non involutis oculis inspicere & sine dilatione refellere ; quia etsi numquam libros tuos reperire possem , oportuit ut eâ quæ alicujus momenti esse credidit qui tanto viro arbitratus est esse mittenda , quantùm valerem , ne quisquam legens eis deciperetur , arguerem ; non ergo mihi quod objecisti objicerres , nisi tu potiùs ista , ut non dicam extinctis , certè clausis oculis loquereris. Nullo modo autem diceres vulgi à nobis in vos pectora commoveri , nisi scires multitudinem Christianam in utroque sexu fidem Catholicam nou latere , quam conaris evertere.

CAP. 20. IVL. DIX. *Admoneo tamen hic quoque , sicut priore à nobis opere factum est , non me omnia ex amussim eius verba positurum , sed ea capita , quibus destructis , naturalis mali opinio conteratur.*

AVG. RESP. Ea quæ prætermittis colligentur fortasse vel à nobis , vel ab alijs , ut appareat cur prætermiseris.

CAP. 21. IVL. DIX. *Quod licet plenè primo opere constet effectum ; tamen quoniam nunc nonnulla de uno duntaxat libro meo sibi refellenda proposuit , meq́ , ut prolocutus sum , arguit , quod capita dictorum eius quæ inserui , magna ex parte truncaverim ; ostendam primò id quod reprehendit , nec à me esse factum , & ab illo impudentißimè in hoc eodem opere frequentatum. Tunc probabo illis ipsis concisis , brevibusq́ , sententijs , quas de scriptis meis quibus fuerat impugnatus , interserit ; ita nullu eum solidis responsionibus obstitisse , ut & illa invexata permaneant , & hic planiùs sua detestanda fateatur , quàm nostra oratio laboraverat explicare.*

Divisio operis.

AVG. RESP. Iam superiùs ad ista respondi.

CAP. 22. IVL. DIXIT. *Attoniti ergò quid contra me scripserit audiamus.* Verba , *inquit* , de libro meo à me misso , tibi-„ que notissimo ista posuit quæ refutare conatus est , dam-„ natores

Forte attēti l. 2. de nup. cap. 2.

natores nos esse nuptiarum, operisque divini quo ex maribus, & fœminis Deus homines creat, invidiosissimè clamitant, quoniã dicimus eos qui de tali commixtione nascuntur trahere originale peccatum, eosque de parentibus qualibuscunque nascantur, non negamus adhuc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo: his verbis meis testimonium Apostoli quod interposui prætermisit, cuius se premi magnâ mole sentiebat: ego enim cùm dixissem homines trahere originale peccatum: mox subiunxi, de quo apostolus ait, *per vnũ hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*: quo testimonio vt diximus prætermisso cætera illa contexuit, quæ suprà commemorata sunt. Novit enim quemadmodùm soleant hæc verba Apostolica quæ prætermisit, accipere Catholicorum corda fidelium, quæ verba tam recta, & tantâ luce fulgentia, tenebrosis & tortuosis interpretationibus novi hæretici obscurare, & depravare moliuntur. Deindè alia, mea verba subtexuit, vbi dixi; Nec advertunt quod ita nuptiarum bonum malo originali quod indè trahitur non potest accusari; sicut adulteriorum & fornicationum malum, bono naturali quod indè nascitur, non potest excusari. Nam sicut peccatum, sive hinc sive indè trahatur, opus est diaboli; sic homo, sive hinc sive indè nascatur, opus est Dei: Etiam hîc ea prætermisit in quibus aures Catholicas timuit, nam vt ad hæc verba veniretur, suprà dictum erat à nobis, Hoc ergò quia dicimus quod antiquissima atque firmissima Catholicæ fidei regulâ continetur, isti novelli atque perversi dogmatis assertores, qui nihil peccati esse in parvulis dicunt, quod lavacro regenerationis abluatur, tanquàm damnemus nuptias, & tanquàm opus Dei, hoc est hominem qui ex illis nascitur, opus diaboli esse dicamus, infideliter vel imperitè calumniantur. His ergò nostris prętermissis sequuntur illa nostra, quæ posuit, sicut suprà scriptum est. *Quousque simplicitati, qui hæc loqueris, religiosorum pectorum & imperitis auribus persuades inludere? quem ad finem sese impudentia effrenata iactabit? Nihil te cùm hæc scriberes censura doctorum virorum? nihil reverentia futuri iudicij? nihil ipsa litterarum monumenta moverunt? Patêre iam fallaciam tuam; & deprehensam teneri non vides? Quid in primo, quid in secundo opere conscripseris, quem nostrûm ignorare arbitraris? Libuit enim prorsus, & decuit bis te compellare modis, quibus in parricidam*

Rom. 5. 12.

publicum eloquens Consul infremuit.

AVG. RESP. Benè feci ſti indicare nobis, ne fortè non cognoſceremus, de invectivis Ciceroni ſte iſta ſumpſiſſe, atq; veriſſe. Sed non timemus, Iuliane, cùm videmus factum eſſe
* *Fot. quē.* Te Tullianum. Imò potiùs dolemus inſanum,* cùm videmus ſenſum perdidiſſe Chriſtianum. Quid enim inſanius, quàm prohibere à parvulis medicum Chriſtum, dicendo non eſſe in eis quod venit ille ſanare? Cicero invectus in patriæ parricidam, eam defendebat civitatem, quam Rex eius Romulus congregatis vndecumque peccatoribus condidit. Tu autem tot parvulos, qui ſine ſacro baptiſmate moriuntur, & clamas peccatum nullum habere, & ad civitatem Regis, ad cuius imaginem facti ſunt, non permittis accedere.

23. IVL. DIX. *Apoſtoli teſtimonium me prætermiſiſſe confingis: quod nec tibi opitulari poteſt, & à me prætermiſſum non eſt, ſed in eo*
Vide Aug. lib. 6. contrà Iul. cap. 24. *inſertum ordine, quo à te fuerat collocatum, vtque in primo fideliter commemoratum, ita etiam in quarto operis mei libro, licet curſim & breviter, explanatum eſt. Commemorationem quoque Catholicæ Eccleſiæ quam tu ad hoc feceras, vt Catholicam fidem deſererent à te decepti, & Catholica miſerabiles appellatione gauderent, non prætermiſi. Et quàmvis nulla argumentorum vis in eiuſmodi verbis eſſet, tamen à me haud aliter dictorum tuorum caput propoſitum eſt, quàm à te fuerat ordinatum. Lege editos libros meos; reſponſioniſq; fidem, quam tu arguis fraudis, aſpiciens, me interim pronuntia, vera dicere. Tu verò, ſi conſuetudo tua permiſerit, erubeſce. Sed iam oſtenſa inexcuſabili falſitate, quæ ſemper quidem turpis ſit, tamen turpior cùm locum cenſoris invadit, & deformitatem ſuam dedecore exprobrat alieno: reſponde, quid Manichæis ſenſibus, aut nomen Eccleſiæ, aut Apoſtoli verba conducant, vt ea cùm tam magnâ invidiâ prætermiſſa cauſeris?*

AVG. RESP. Iam ſuperùs reſpondi huic calumniæ tuę, quâ mihi verborum tuorum minùs integrè poſitorum obiicis falſitatem. Sed quod fecit ille decerptor, tu mihi tam libenter non tribueres, ſi eorum qui hæc legunt, nolles eſſe deceptor.

24. IVL. DIX. *Hoc ſemper fuit maximum inter Manichæos Catholicoſque diſcrimen, & limes quidam latiſsimus, quo à ſe mutuò piorum & impiorum dogmata ſeparantur, Imò magna moles, quaſi*
Supple aſcribant. *cœli à terra profunditate diſiungens, quod Nos omne peccatum voluntati mala: Illi verò mala eorum natura. Qui cùm diverſos ſequuntur errores (ſed velut de capite fontis iſtius effluentes) conſequenter ad ſacrilegia flagitiaq; perveniunt; ſicut Catholici è regione à bono inchoan-*

tes

tes exordio, bonis auctì proceſsibus, ad religionis ſummam, quam ratio munit & pietas, proveniunt. Tu igitur malum naturale conatus aſſerere, profano quidem voto, ſed ineffi cacì intentione vſurpaſti Apoſtoli teſtimonium: quem hac eadem præſcriptione oſtendo nihil tale ſenſiſſe, quale tu perſuadere conaris, quòd repugnantibus modis & illum Catholicum confiteris, & dicta eius Manichæo aſtimas ſuffragari.

AVG. RESP. Quos doctores Catholicos Manichæis aſſeris ſuffragari (quia in verbis Apoſtolicis intellexerunt tra here parvulos originale peccatum; nec veſtro more inſano velut ſanam laudavere naturam; ſed ei ſanandæ adhibuerunt medicinam potiùs Chriſtianam) ſi Chriſtiano corde cogitares; erubeſceres, contremiſceres, ommuteſceres. *Pelagiani velut ſanã laudabant naturam.*

CAP. 25.

IVL. DIX. *Nunquid non idem Adimantus, & Fauſtus (quem in libris confeſsionis tuæ præceptorem tuum loqueris) hæreſiarca ſua traditione fecerunt, obſcuriores quaſque vel de Evangelio vel de Apoſtolorum Epiſtolis ſententias rapientes & corradentes, vt profanum dogma nominum authoritate tuerentur? Quamquam quid dico de Manichæis? omnes prorſus hæreſes inventa ſua quibus à pietate & fide exorbitaverant, ſcripturarum elocutionibus, ſententiaſque communiunt.* L. 5. Confeſſ. cap. 6. & 7.

AVG. RESP. Illi obſcuras ſententias in ſuum dogma convertere: Vos apertas ipſo veſtro dogmate obſcurare conamini. Quid enim apertiùs quàm quod ait Apoſtolus, *Peccatum in hunc mundum per vnum hominem intraſſe, & per peccatum mortem; & ita in omnes homines pertranſiſſe.* Quod ſi probare idem cogeretur Apoſtolus, ipſam humani generis miſeriam teſtem daret, quæ incipit à gemitibus parvulorum, & vſque ad decrepitorum gemitus pervenit. Nullo enim modo ſub cura omnipotentis & iuſti eadem tam magna miſeria naturæ irrogaretur humanæ, niſi in duobus hominibus tota de paradiſi felicitate in hanc infelicitatem peccati merito pelleretur. Rom. 5. 12. *Miſeria naturæ humanæ, vnde.*

IVL. DIX. *Num igitur ideò aut libri ſacri authores probantur errorum: aut crimina percuntium, ſcripturarum dignitas expiabit?* CAP. 26

AVG. RESP. Hoc vobis dicite.

IVL. DIX. *Extinguatur itaque indiſciplinatarum expoſitionũ libido: nihil agere contrà manifeſtam Dei iuſtitiam verba credantur. Quæ, ſi eius perſonæ ſunt, quam venerari neceſſe eſt, defendantur explanationibus divinæ congruentibus æquitati: ſin autem non metuendo* CAP. 27.

sunt auctore prolata, etiam ineliquata pellantur. Igitur nunc de Dei iudicio disputatur, de quo dicitur, Deus fidelis in quo non est iniquitas, iustus & sanctus Dominus Deus. *Et iterùm* Iustus Dominus iustitiam dilexit: æquitatem vidit vultus eius. *Et item*, Omnia iudicia tua æquitas. *Innumera sunt testimonia quibus æquitas divina sacris voluminibus prædicatur. De quâ nemo tamen vel Gentilium vel Hæreticorum, præter Manichæos Traducianosque dubitavit.* Deut. 32. 4. apud. 70. Psal. 10. 8. Psal. 118. 75.

AVG. RESP. Ex hâc æquitate, *Grave iugum est super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum*, quod omninò esse asseris iniquum, qui negas originale peccatum. Eccl. 40. 1.

AP. 28. IVL. DIX. *Ita enim omnibus generaliter & docente naturâ inculcatum est, Deum iustum esse; vt manifestum sit, Deum non esse, quẽ constiterit iustum non esse. Potest igitur & homo iustus esse; Deus verò esse nisi iustus non potest.*

AVG. RESP. Tibi dic.

CAP. 29. IVL. DIX. *Qui cùm est hic vnus verus cui credimus, & quem in Trinitate veneramur, dubio procul in omnes iudicij est ratione iustissimus.*

An iustum esset naturâ innocentem cum tantâ miseriâ nasci

AVG. RESP. Tibi dic; & ostende iustum esse, vt cùm tam manifesta miseria, vel adtàm manifestam miseriam nascatur, à quo peccatum originale non trahitur.

CAP. 30. IVL. DIX. *De huius itaque legibus id probari & vindicari non potest, quod esse cõstat iniustũ. Et si hoc fieri posset, illius divinitas tota vilesceret. Ab eo igitur probabitur de scripturis sanctis iniustitiæ dogma firmari, à quo approbari quiverit Trinitatem cui credimus, divinitatis gloria posse privari.*

AVG. RESP. Verum dicis; sed vobis dicite qui gloriam Christo, quâ parvulos sanat molimini auferre.

CAP. 31. IVL. DIX. *Quod quoniam nec ratio sustinet vlla, nec pietas; aut doce vel posse esse, vel iustum esse imputari cuiquam naturale peccatum: aut à scripturarum sanctarum contaminatione discede, à quarum sententijs sanciri æstimas quod iniustum cogeris confiteri.*

AVG. RESP. Erratis. Vos potiùs iniquum cogimini confiteri *Grave* super parvulos *iugum*, si quemadmodum nullum habent proprium, ità nullum trahunt originale peccatum.

CAP. 32. IVL. DIX. *Quod si nec vtrumque horum quæ diximus facies; & huic Deo te asseris credere, cuius institutis iniustitiam communiri æstimas; agnosce multò te novum, antiquo Manichæo esse peiorem, qui talem*

talem Deum habeas, qualem Manichæus Dei sui est commentus inimicum

AVG. RESP. Vos peiùs quàm Manichæi, sævitis in parvulos. Illi quippè animam saltem, quam partem Dei putant, sanari per Christum, in parvulo volunt: vos autem quem nec in anima nec in carne vllum malum habere dicitis, per Christum sanari nulla ex parte permittitis. Et præclari prædicatores sic prædicatis Christum, vt eum negetis parvulorum esse *Iesum*. Vndè namque hoc nomen accepit, in Evangelio legite: & nolite *Salvatorem* non salvis parvulis invidere.

Mat. 1. 12.

IVL. DIX. *Quas mihi ergò tu hic ambages, quæ cervicalia mendaciorum & ineptiarum (quæ Hierusalem fornicanti* Hiezechiel *Propheta imputat) ammovebis, in quibus muliebres animæ cubent, nomina mysteriorum tenentes; cùm in ipsam divinitatem, retectâ prophanitate commiseris. Sed remotis omnibus præstigijs, advocatarumque sæpè à te plebecularum catervis, doce iustum esse quod per scripturas firmare conaris.* Cap. 33.

Ezech. 13. 18.

AVG. RESP. Plebecularum quas inrides catervæ, noverunt Catholicam fidem quæ Salvatorem confitetur infantiæ: & ideò Pelagianorum, qui hoc negant, detestantur errorem.

IVL. DIX. *Ne ergò in infinita volumina extendatur oratio, sic harum de quibus agimus rerum genus, species, differentia, modus, qualitasque cernatur; imò sollicitiùs vtrùm sint, vnde sint, quid etiam mereantur, & à quo. Hoc enim modo nec diù per disputationum anfractus errabitur: & certum quod teneri debeat apparebit.* Cap. 34.

AVG. RESP. Ideò contrà vnum librum meum libros octo scripsisti; quia per tua compendia dialectica diù disputare noluisti.

IVL. DIX. *Creatoris hîc igitur & Creaturæ ratio vertitur, id est, Dei & hominis. Iudicat ille, iudicatur iste. Itaque iustitia & culpa qua sit natura videatur. Iustitia est, & vt ab eruditis definiri solet, & vt nos intelligere possumus, Virtus (si per Stoicos liceret alteri alteram præferre) virtutum omnium maxima, fungens diligenter officio ad restituendum sua vnicuique, sine fraude, sine gratia.* Cap. 35.

AVG. RESP. Dic ergò quâ iustitiâ retributum sit parvulis *grave iugum* tam magnæ manifestæque miseriæ? Dic etiam, de quâ iustitiâ ille parvulus adoptatur in baptismo; ille sine hâc adoptione moriatur? Cur non sit ambobus honor iste com-

Iustitia Dei circa parvulos.

communis, aut ab isto honore alienatio, cùm sit ambobus seu bona seu mala causa communis? Non dicit, quia nec Dei gratiam, nec Dei iustitiam, homo magis Pelagianus, quàm Christianus, sapit.

Cap. 36. IVL. DIX. *Quod si eam maximam dici Zeno non siverit, qui tantam virtutum copulam vnitatemque confirmet, vt vbi fueris vna, omnes dicat adesse virtutes; & vbi vna non fuerit, omnes deesse; atque illam veram esse virtutem, quæ hâc quadruâ iugalitate perficitur; tunc quoque nobis plurimum præbebit auxilium, cùm docuerit nec prudentiam, nec fortitudinem, nec temperantiam posse sine iustitia contineri. Secundùm quam veritatem, & Ecclesiastes pronunciat*, qui in vno peccaverit, multa bona perdet. Eccl. 9. 18.

AVG. RESP. Audi eundem Ecclesiasten dicentem, *Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Quæ abundantia hominis in omni labore suo, quem ipse laborat sub sole?* Et dic mihi, quare *homo* etiam *vanitati similis factus est*, qui factus erat similis veritati? An hinc excipis parvulos, quos videmus crescendo, & si benè erudiantur, proficiendo, tam magnam imminuere, cum qua nati sunt, vanitatem: nec eô totâ carere, nisi omnes *dies* vanitatis, *velut vmbra* transierint? Ibid. 1. 1. & 3. apud. 70. Psal. 143. 4. Ibidem.

Cap. 37. IVL. DIX. *Hæc igitur angusta virtus, expunctrix vniuscuiusque meritorum, in operibus quidem imaginis Dei, id est, humanæ animæ, pro creaturæ ipsius modo & viribus internicat. In ipso vero Deo, omnium quæ sunt, ex nihilo conditore, immenso & claro pro æterno orbe resplendet. Origo eius divinitas est, ætas eius æternitas; & æternitas vltrò citrò nescia vel desinere vel cæpisse. Vt ergò genus eius (quo nomine nihil aliud quàm originem intelligi volo) Deus est, ita species eius in legum promulgatione iudiciorumque apparet effectibus.*

AVG. RESP. Si origo iustitiæ Deus est, vt fateris; cur homini ab ipso dari iustitiam non fateris? & potiùs humanæ voluntatis arbitrium, quàm Dei donum, vis esse iustitiam? vt sis in eis de quibus dictum est, *ignorantes Dei iustitiam & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Erubescite tandem, obsecro, & ab illo iustitiam poscite, qui est, vt fateri compulsi estis, origo iustitiæ.

Iustitia, est Dei donum.

Rom. 10. 3.

Cap. 38. IVL. DIX. *Differentiam verò, non absurdè intelligere possumus, variam pro opportunitate temporum dispensationem. Verbi gratia, quæ de pecoribus in veteri Testamento fuerant imperata, id tunc pertinebat ad reverentiam rei sionis. Nunc verò indicta eorum dissimulatio, ita servit iustitiæ præcipienti, vt tunc oblatio serviebat. Modus*

verò

verò eius est vel status, quod nec cuiquam amplius quàm vires patiuntur, indicit: vel quod misericordiam non retundit. Qualitas autem eius intelligitur, per quam pijs mentibus sapit dulciter. Est igitur procul dubio iustitia, sine qua divinitas non est; qua si non esset, Deus non esset; est autem Deus, est itaque sine ambiguitate iustitia. Non est autem aliud, quàm virtus omnia continens & restituens suum vnicuique, sine fraude, sine gratia: consistit autem maximè in divinitatis profundo.

AVG. RESP. Definisti esse iustitiam virtutem omnia continentem & restituentem suum vnicuique sine fraude, sine gratiâ. Proindè videmus eam sine fraude restituisse denarium
Matth. 20. eis, qui per totum diem in opere vineæ laboraverant. Hoc enim placuerat, hoc convenerat, ad hanc mercedem se fuisse conductos negare non poterant. Sed quid? dic mihi quæso te; quomodò eis sine gratiâ tantumdem dedit, qui vnâ horâ in illo opere fuerant? an amiserat fortasse iustitiam? Cohibe itaque potiùs. Neminem quippè fraudat divina iustitia: sed multam donat non merentibus gratiam. Cur autem huic sic, illi autem sic, aspice quod secutus adiungis. Verissimè quippè
Rom. 9. 16. dicis eam *consistere maximè in divinitatis profundo*, id est; *Quod neque volentis, neque currentis, sed miserentis Dei est.* In illo profundo est, quod ille parvulus in honorem adoptatur per *regenerationis lavacrum*: ille in contumelia relinquitur, non admittendus ad regnum, cùm amborum in neutram partem sit meritum per voluntatis arbitrium.

Iustitia Dei multam donat non merentibus gratiam.

Divinitatis profundum.

IVL. DIX. *Testimonium verò vt ab auctore suo, ita etiam vel à probis vel ab improbis meretur, quod & illos iure provexerit, & istos iure damnaverit. Cùm verò nec boni quicquam nec mali merentibus, misericordiam liberalem esse permittit, nihil sentit iniuriæ, quia hoc ipsum vt sit clemens operi suo Deus, cùm in severitatem non cogitur, pars magna iustitiæ est.* Cap. 39.

AVG. RESP. Saltem misericordiæ nomen attende, & vndè dicta sit, respice. Quid igitur opus est misericordiâ, vbi nulla est miseria? Porrò in parvulis si nullam esse dicitis culpam, eis misericordiam præbendam negatis; si miseriam esse dicitis, malum meritum ostenditis. Neque enim sub Deo iusto, miser esse quisquam nisi mereatur, potest. Ecce duo parvuli iacent, vnus eorum baptizatus, alter non baptizatus expirat. Cui eorum dicis Deum fuisse clementem? Si vni, doce alterius malum meritum, qui negas esse originale peccatum:

Misericordia miseriâ respicit.

Sub Deo iusto an miser esse, innocens posse.

&

& ostende in baptizato vllum bonum meritum, qui negas gratiam, vbi nulla est acceptio personarum. Si ambobus, dic, si potes, cur ambos adoptare noluerit, qui certè ambos ad imaginem suam condidit? An ita iustus est, vt non sit omnipotens: si voluit & non potuit? Vbi certè illorum nullus noluit (ne impedimentum potestatis divinæ referatis ad meritum voluntatis humanæ) hic certè nulli eorum dicere potest Deus, *Volui & noluisti.* Aut, si propterea non vult infans, quia plorat cùm baptizatur, ambo ergò relinquuntur, ambo enim nolunt. Et tamen vnus assumitur, & vnus relinquitur: quia magna est gratia Dei, & vera iustitia. Sed quare ille potiùs quàm ille? *Inscrutabilia sunt iudicia Dei.* Mat. 23. 37

Vnus gratia assumitur: alter iustitiâ relinquitur.

Cap. 40. Baptismum vocat consecrationem.

IVL. DIX. *Quos enim fecit quia voluit: nec condemnat nisi spretus; si, cùm non spernitur, faciat consecratione meliore, nec detrimentum iustitiæ patitur, & munificentia miserationis ornatur.*

An Deus spernat imaginem suam, non spretus. Vt spernantur omnibus debetur per iustitiam.

AVG. RESP. Si non condemnat nisi spretus, dic vtrùm spernat suam imaginem nisi spretus? quod si non audes, dic vndè spernat eos quos parvulos non adoptat, in quibus eum spretum non invenies, nisi eos invenias in Adam; vbi simul invenies, vt spernantur deberi omnibus per iustitiam, nec tamen sperni omnes propter ineffabilem & inscrutabilem gratiam?

Cap. 41.

IVL. DIX. *His igitur iustitiæ quas præmisimus definitionibus explicatis, discutiamus quæ sit definitio peccati. Equidem affatim mihi tam philosophantium quam eorum qui Catholici fuerunt, quod quærimus scripta suppeditant. Sed vereor nè frangaris: & si philosophorum ego Senatum advocavero, tu continuò sellularios opifices, omnemq; in nos vulgus accendas.*

AVG. RESP. Contumeliosus es in *infirma mundi* quæ *Dominus elegit vt confunderet fortia.* Itaque ipsi confundunt eos, *qui confidunt in virtute sua.* Vbi, quid dicam, Vos? Estis prorsus: sed me tacente apparetis, cùm vos non tacetis. 1. Cor. 1. 27

Cap. 42.

IVL. DIX. *Vociferans cum fœminis cunctisque calonibus & tribunis (quibus octoginta aut amplius equos tota Africa faginatos illega tuus nuper adduxit Alipius.)*

AVG. RESP. Aut calumniaris, aut nescis quid loquaris; & ideò, aut mendax aut temerarius ista loqueris. Quid autem nequius, si hoc ipse finxisti? quid stolidius, si fingentibus credidisti? Iam verò quod etiam scribere ausus es, neque veritus ne ad ea loca libri pervenirent tui, quæ terra mariq; tran-

transeuntem seu venientem collegam meum Alipium susceperunt, vbi legi apertissima tua falsiloquia sine tua inrisione vel detestatione non possunt, cui non dico impudentiæ, sed dementiæ comparatur?

IVL. DIX. *Nequaquàm te acquiescere eruditorum sententijs,* CAP. 43.
1.Cor.1.20 *sed, quod intellectui tuo congruit, dixisse Apostolam*, quia stultã fecit Deus sapientiam mundi. *Disputatores verò nostros sine metu à te posse despici quod nullâ auctoritate talium premaris.*

AVG. RESP. Tu eos despicis, qui eis docentibus originale peccatum ita resistis, vt tanquàm Manichæos insuper crimineris, me nominans, illos significans.

IVL. DIX. *Quid ergò? adquiescamprorsus tibi. Faciam in hoc* CAP. 44.
loco iacturam omnium quorum adminiculo vti possem; contentusque ero definitione, quæ ad iudicium bonæ naturæ post Manichæorum secretum Cap. 11.
de ore tuæ honestatis effugit. In eo igitur libro cui titulus est, vel de duabus animabus, *vel* contra duas animas, *ita loqueris:* Expecta Peccati definitio.
„ sine priùs peccatum definiamus. Peccatum est voluntas
„† ammittendi vel retinendi quod iustitia vetat, & vndè libe- * For. retinendi vel consequendi.
„rum est abstinere. Quamquàm si liberũ non est, nec volũtas
„ dici potest: sed malui ea grossiùs quã scrupulosiùs definire.

AVG. RESP. Hîc peccatum definitum est, quod tantùm modò peccatum est, non quod etiam pœna peccati. De hoc quippè agendum fuit, quandò mali origo quærebatur, quale commissum est à primo homine ante omnes homines malum. Sed tu aut non potes intelligere, aut non vis.

IVL. DIX. *O lucens aurum in stercore! quid verius, quid ple-*
nius dici à quoquam vel orthodoxo potuisset? Peccatum est, *inquis,* CAP. 45.
voluntas† ammittendi quod iustitia vetat, & vndè est liberum abstinere. *Ostendit hoc Ecclesiasticus.* Deus, *inquit*, fecit hominem, * Fortè consequendi
Eccl.15.14 & 18. & dimisit eum in manibus consilij sui. Posuit ante eum vitam & mortem, aquam & ignem; quod placuerit ei, dabitur illi.
Esa.1.19. & 20. *Et per Esaiam dicitur.* Si volueritis, *inquit*, & audieritis me, quæ
1.Cor.15. 34. bona sunt terræ edetis. Si nolueritis nec audieritis, gladius vos
Gal. 6.7. & 8. comedet. *Et Apostolus*, resipiscite iustè, & nolite peccare. *Atq; iterùm* nolite errare, Dominus non inridetur: quæ enim seminaverit homo, illa & metet.

AVG. RESP. Hęc testimonia propter illam voluntatem dicta sunt, in qua quisque id quod vult, agit: vt si non Scriptura cur voluntatẽ conveniãt
habetur, ab eo poscatur qui *in nobis operatur & velle.* Si autem habetur, fiant operà iustitiæ, & ei qui illam operatus est, agantur gratiæ

Cap. 46. IVL. DIX. *Voluntas itaque motus est animi in iure suo habentis vtrùm sinisterior ad prava decurrat, an dexterior ad celsa contendat.*

AVG. RESP. Quid est ergò, *ne declines in dextram neque in sinistram?* Prov. 4.27

Cap. 47. IVL. DIX. *Motus autem animi eius iam est, qui per etatem iudicio rationis vti potest: cui cùm pœna monstratur & gloria, aut contrà, commodum vel voluptas, adiutorium & velut occasio offertur, non necessitas imponitur partis alterutra. Hac igitur voluntas quæ alternatur, originem possibilitatis in libero accepit arbitrio: ipsius verò operis existentiam à se suscipit. Nec est prorsus voluntas antequàm velit: nec potest velle, antequàm potuerit & nolle: nec vtrumque habet in parte peccati, id est velle & nolle, antequàm vsum rationis adipiscitur. Quibus collectis, apparet te verissimè definisse peccatum esse,* voluntas retinendi vel † ammittendi quod iustitia vetat, & vndè liberum est abstinere. *Hoc ergò peccatum quod clarum est nihil esse præter voluntatem, constat genus, hoc est, ipsam originem ab appetitu proprio suscepisse. Huius species tam in vnoquoque quæ dicuntur abomina reperitur. Differentia verò & in varietate culparum, & in rationibus temporum. Modus est ipsa immoderatio: nam si modus est, servire cui debeas, qui hoc prætermittit, veri modi transgressione delinquit. Hîc tamen dici subtiliter potest, modum esse peccati, quia nemo plus quàm potest delinquit; nam super vires, inefficaci voluntate peccatur, & hoc ipsum fieri vel sola potuit voluntate. Qualitas autem adscribatur vitio, per quam ostenditur quid amaritudinis vel dedecoris * conveniat, vel doloris. Est ergò peccatum, quia si non esset, nec tu requireres errores. Nihil est autem aliud, præter voluntatem excedentem ab eo calle cui debet insistere, & vndè liberum est non deflectere, Fecit autem id appetitus inconcessorum: & nusquam est nisi in eo homine, qui & habuit voluntatem malam, & potuit non habere.*

Voluntas operis existentiam a se suscipit.

† Fortè consequēdi.

* Fortè convehat.

AVG. RESP. Ipse est Adam quem nostra illa definitio quæ tibi placuit, intuebatur cùm dicerem, *peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere.* Adam quippè omninò quandò peccavit, nihil in se habebat mali, quo nolens vrgeretur ad operandum malum; & propter quod diceret, *Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago*: ac per hoc id egit peccando, quod iustitia vetabat, & vndè illi liberum fuerat abstinere. † Nam ei qui dicit, *quod nolo malum hoc ago*, abstinere indè, liberum non est. Ac pro hoc, sic tria ista discernas, & scias aliud esse peccatum, aliud pœnam

Cuius peccatum definierat Augustinus?

Rom. 7.19.

* Nunc

pœnam peccati, aliud vtrumque; id est, ita peccatum, vt ipsum sit etiam pœna peccati. Intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, vbi *voluntas est agendi quod iustitia vetat, & vndè liberum est abstinere.* Peccatum namque illo modo definitum est, non pœna peccati, non vtrumque. Habent autem tria ista genera etiam species suas, de quibus nunc longum est disputare. Horum sanè trium generum si requirantur exempla, *Primi* generis in Adam sine vllo nodo quæstionis occurrit. Multa quoque sunt quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum est abstinere. Sed nulli tam liberum est, quàm illi fuit, qui Deo suo à quo erat conditus rectus, nullo prorsùs vitio depravatus adstabat. *Secundi* autem generis vbi tantùmmodò est pœna peccati, exemplum in eo malo est, quod quisque ex nullâ parte agit, sed tantùmmodò patitur: velut cùm pro suo scelere, qui peccavit, occiditur, sive alia corporis pœna quacumque cruciatur. *Tertium* verò genus, vbi peccatum ipsum est & pœna peccati, potest intelligi in eo qui dicit, *quod nolo malum, hoc ago.* Ad hoc pertinent etiam omnia, quæ per ignorantiam cùm aguntur, mala non putantur mala, vel etiam putantur bona. Cæcitas enim cordis, si peccatum non esset, iniustè argueretur: arguitur autem iustè. vbi dicitur, *Pharisæe cæce*, & aliis plurimis divinorum eloquiorum locis. Eademque rursùs cæcitas, si peccati pœna non esset, non diceretur, *Excæcavit enim illos malitia illorum.* Quod si de Dei iudicio non veniret, non legeremus, *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva.* Quis porrò volens cæcus est corde, cùm velit nemo cæcus esse vel corpore? Proindè originale peccatum nec ad illud pertinet, quod *Primo* loco posuimus, vbi est voluntas malum operandi, vndè liberum est abstinere: alioquin non esset in parvulis, qui nondùm voluntatis vtuntur arbitrio. Nec ad illud quod *Secundo* commemoravimus. De peccato enim nunc agimus, non de pœna, quæ non est peccatum, quàmvis peccati merito subsequatur: quam quidem patiuntur & parvuli, quia inest eis *corpus mortuum propter peccatum.* Non tamen mors corporis ipsa peccatum est, vel corporalis quicunque cruciatus. Sed pertinet originale peccatum ad hoc genus *Tertium*, vbi sic peccatum est, vt ipsum sit & pœna peccati: quod inest quidem nascentibus; sed incipit apparere, quandò est insipientibus necessaria sapientia, & mala concupiscentibus continentia. Origo tamè etiam

Aliud est peccatum, aliud pœna peccati, aliud vtrúq;

Peccatum simul & peccati pœna.

Mat. 23. 26

Sap. 2. 21.

Psal. 68. 24.

Rom. 8. 10.

Originale peccatũ peccatũ est, & peccati pœna.

Amb lib. 7. in Luc. c. 15 etiam huius peccati descendit à voluntate peccantis. *Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes : periit Adam, & in illo omnes perierunt.*

CAP. 48. IVL DIX. *Meretur autem & ab hostibus execrationem, & ab illa iustitiæ, cuius hic tota causa vertitur legitimam condemnationem. Omnibus itaq; aulæis reductis profer aliquando lucepalàm, propter quid doceas naturale esse peccatum. Certè nihil superiùs falsò vel de divinæ laude iustitiæ, vel de culpæ definitione collectum est. Ostende ergò, hæc duo in parvulis posse constare. Si nullum est sine voluntate peccatum : Si nulla voluntas, vbi non est explicata libertas : si non est libertas, vbi non est facultas per rationem electionis ; quo monstro peccatum in infantibus inventur qui rationis vsum non habent ? Igitur nec eligendi facultatem, ac per hoc nec libertatem, nec voluntatem, atque his irrefutabiliter concessis, nec aliquod omninò peccatum. His igitur molibus pressus, videamus quà eruperis.* Nullo, inquis, peccato parvuli premuntur suo, sed premuntur alieno. *Necdum claruit quid malisentias. Suspicemur enim te ad invidiam cuiuspiam hominis, cuius iniquitatem vt velut orator exprimeres, hæc in medium protulisse. Apud quem igitur, impollutam innocentiam scelus gravavit externum? Quis ille fuit, qui hos adiudicaret reos? tam excors? tàm trux? tàm oblitus Dei, & æquitati barbarus perduellis ? Laudamus prorsus ingenium tuum. Apparet eruditio. Non potuisti aliter, dignam odio generis humani, iudicis nescio cuius, immò tyranni, allegare personam, quàm iurando, non solùm eum non pepercisse his qui nihil peccavissent ; verùm etiam his qui nec peccare potuissent. Solet quippè apud suspicionum animum bona conscientia laborare pro defensione sui ne fortè deliquerit, quia delinquere potuit. Absolutè autem vindicatur à crimine, qui ipsâ rei impossibilitate defenditur. Pande igitur, quis est iste innocentium addictor ?* Respondes, Deus. *Percussisti equidem animum. Sed quia vix tantum sacrilegium fidem meretur, quid dixeris ambigamus. Scimus enim homonymè vsurpari nomen hoc posse.* Sunt quippè Dij multi & Domini multi : nobis tamen vnus est Deus, Pater ex quo omnia ; & vnus est Dominus Iesus Christus per quem omnia. *Quid igitur? Deum inexorabilem vocas? Hîc tu sacerdos religiosissime rhetorq; doctissime, exhalas tristius & horridius aliquid, quàm vel Consentis vallis, vel puteus Averni : imò scelestius quàm ipsa in his locis idolorum cultura commiserat.* Deus, *ais*, ipse, qui commendat suam charitatem in nobis, Qui dilexit nos & proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit, *ipse sic iudicat. Ipse est nascentium persecutor, ipse pro mala voluntate æternis ignibus par-*

1. Cor. 8. 5. & 6.

Rom. 5. 8. Rom. 8. 32.

parvulos tradit, quos nec bonam nec malam voluntatem scit habere potuisse. Per hanc ergò sententiam tam immanem, tam sacrilegam tamque funestam, si sanis iudicibus vteremur, nihil praeter execrationem tui referre deberem, Iustitiâ enim & probabili gravitate indignum in disputatione censerent, qui eò vsque à religione, ab eruditione, à communibus postremò sensibus aufugisses, vt quod vix vlla barbaries, Dominum tuum crudelissimum putaris.

AVG. RESP. Non est magnum, quod vides non habere parvulos propriam voluntatem ad eligendum bonum, malum. Illud vellem videres, quod videns qui scribit
Heb. 7. 9. & 10. Hebræos dixit, filiũ Israëlis in lumbis Abrahã patris sui se, quandò est ille decimatus, & ideò etiam istum in illo fuisse decimatum. Ad hoc si haberes oculum Christianum, fide cerneres, si intelligentia non valeres, in lumbis Adam fuisse omnes qui ex illo fuerant per concupiscentiam carnis
Gen. 3. 7. orituri; quam, post peccatum, quo illi sua nuditas nunciata est, sensit, ac respexit: erubuit, operuit. Vndè *Ambrosius* doctor meus, tui quoque doctoris excellenter ore laudatus. *Quod igitur gravius est* (inquit) *hâc se Adam interpretatione succinxit, eo loco, vbi fructum magis castitatis se accingere debuisset. In lumbis enim quibus præcingimur quædam semina generationis esse dicuntur. Et ideò malè ibi succinctus Adam foliis ficulneis, vbi futuræ generationis non fructum futurum, sed quædam peccata signaret.* Meritò etiam dicit quod paulò ante memoravi, *Fuit Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Hoc tu non videns, mihi cæcus oblatras, sed in me quidquid dicis, profectò & in ipsum dicis. Vtinam ergò ita mihi cum illo commune sit præmium, sicut abs te audio, cum illo commune convitium! Quid est quod clamas? & dicis, *Si sanis iudicibus vteremur nihil praeter execrationem tui referre deberem?* Possumne tecum largiùs, beneficentiùs, liberaliùs agere; quàm vt ipsum inter nos constituam iudicem, de quo tui doctoris *Pelagij* iudicium iam tenemus? En adest ille, qui inter latinæ linguæ scriptores, *flos quidam speciosus emicuit: cuius fidem, & purissimum in scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere.* Hoc *Pelagius* de *Ambrosio* iudicavit. Quid ergò de hoc quod inter nos agitur iudicavit *Ambrosius*? Dixi superiùs eius de peccato originali sive vllâ obscuritate vel ambiguitate sententias. Sed si parum est, adhuc audi. *Omnes homines*, inquit, *sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est.* Quid ad ista respondes? Illa

Per peccatũ Adæ nunciata nuditas.

Lib. 2. de parad. c. 13.

Lib. 7. in Luc. c. 15.

Lib. 3. de libero arbit.

Lib. 1. de pœnitentia, cap. 2.

de *Ambrosio* dixit præclara *Pelagius*. Ista pro me contra te manifesta pronunciavit *Ambrosius*. Iustum reprehende, de quo dicit magister tuus, quòd eum *ne inimicus quidem ausus est reprehendere*, & qui sanos iudices quæris, istum nega sanum, vt te planè profitearis insanum. Sed indignaris, homo piissimus, quod parvuli non renati, si moriantur ante propriæ voluntatis arbitrium, propter aliena dicantur peccata damnari, ab eo qui *commendat charitatem suam in nobis, qui dilexit nos, & filio suo non pepercit, sed pro nobis illum tradidit*: quasi non de illo graviùs conquerantur stulti & indocti similes tui, qui dicunt, Vt quid creat, quos impios futuros & damnandos esse præscivit? Vt quid eos postremò, donec ad impietatem damnabilem perveniant, facit vivere, quos, antequàm fierent, ex hâc vitâ, posset auferre? quibus si dicatur, *O homo tu quis es qui respondeas Deo? inscrutabilia sunt iudicia eius*: irascuntur potiùs quàm miteſcunt. Animaris, si *commendat charitatem suam in nobis*: si *filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum*. Sed *novit Dominus qui sunt eius*. Si ergò sanis iudicibus vti cupis, audi iudicem sanum singulariter à tuo doctore laudatum; *Fuit*, inquit, *Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt*. Sed *peccatis*, inquis, *alienis non vtique perire debuerunt*. Aliena sunt, sed paterna sunt: ac per hoc iure seminationis atque germinationis & nostra sunt. Quis ab hâc perditione liberat, nisi qui *venit quærere quod perierat*? In eis ergò quos liberat, amplectamur misericordiam: in eis autem quos non liberat agnoscamus iudicium, occultissimum quidem; sed sine vlla dubitatione iustissimum.

Querela stultorum & indoctorum.

Amb. lib 7. in Luc. c. 15.

Originalia peccata, aliena sunt, sed paterna: ac per hoc iure germinationis nostra.

Rom. 5. 8. Rom. 8. 32. Rom. 9. 20. Rom. 11. 33 2. Tim. 2. 19. Luc. 19. 10

Cap. 49. IVL. DIX. *Pugnantem siquidem cum principe tenebrarum, Deum lucis Manichæus finxit & credidit; addiditque, eius captivam teneri in hoc orbe substantiam. Sed tantam infelicitatem colore pietatis nititur excusare, affirmans eum quasi bonum pro patria dimicasse civem, atque ideò obtrectasse membra, ne perderet regna. Tu, qui hæc didiceras, quantum ea vel ad tempus deserendo profeceris, intuere. Dicis Deum necessitatem non pertulisse belli, sed iniquitatem admisisse iudicij: nec tenebrosis hostibus, sed perspicuis subiacere criminibus; non imperitisse postremò substantiam suam, sed æternam violasse iustitiam. Quis vestrùm peior sit, alijs æstimandum relinquo. Illud tamen liquet, ad vnum vos opinionis nefas redire. Nam & Manichæus subscribit iniquitatem Deo suo, cùm eum allegat damnaturum se in vltimo die membra quæ tradidit. Et tu per hoc illum asseris infelicem, per quod corrupit*

pit gloriam quâ cluebat, & persequendo innocentiam quam creavit, perdidit iustitiam quâ sacerrimus fuit. Tantum igitur huic quem tu inducis Deo, ille quem magister tuus commentus fecerat, antecellit, quantùm excusabilius est prælio superatum esse, quàm vitio.

AVG. RESP. Si tibi placet innocentia parvulorum, remove ab eis si potes, *Grave iugum* quod est *super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum.* Sed puto quod scriptura quæ hoc dixit, meliùs te, noverat quid esset innocentia creaturæ, & quid iustitia creatoris. Quis autem non videat, si habent parvuli qualem prædicas innocentiam, in *gravi iugo* eorum, Dei non esse iustitiam? Porrò quia in *iugo gravi* eorum, divina iustitia est; non est in eis talis, qualem prædicas innocentiam Nisi fortè tibi in hâc quæstione laboranti, Deus iustus quidem sed infirmus, quodammodò subvenire poterit; qui suis imaginibus, ne innocentes *gravi iugo* miseriæ premerentur, subvenire non potuit: vt eum dicas voluisse quidem, quia iustus est; sed non potuisse, quia omnipotens non est. Atque ita de his angustiis exeas, vt fidei caput perdas: qua fide primitus in symbolo confitemur credere nos in Deum patrem omnipotentem. Deus igitur tuus, in tot ac tantis malis quæ parvuli patiuntur, aut iustitiam, aut omnipotentiam, aut ipsâ curam rerum humanarum est perditurus: quodlibet autem istorum dixeris, vide quid egeris.

Eccl.40.1.

Parvuli innocentes an gravi iugo premerentur?

Cap. 50.

IVL. DIX. *Amolire te itaque cum tali Deo tuo de Ecclesiarum medio. Non est ipse, cui Patriarchæ, cui Prophetæ, cui Apostoli crediderunt: in quo speravit & sperat* Ecclesia primitivorũ, quæ conscripta est in cœlis. *Non est ipse quẽ credit iudicẽ rationalis creatura: quem Spiritus Sanctus iustè iudicaturum esse denunciat. Nemo prudentium, pro tali Domino suum vnquam sanguinem sudisset. Nec enim merebatur dilectionis affectum; vt suscipiendæ pro se vnus imponeret passionis. Postremò iste quem inducis, si esset vspiam, reus convinceretur esse, non Deus, iudicandus à verò Deo meo non iudicaturus pro Deo. Vt igitur prima fidei fundamenta cognoscas; noster Deus Ecclesiæ Catholicæ Deus, substantia nobis ignotus est, & ab aspectu similiter remotus; quem vidit nemo hominum, nec videre potest: vt æternus sine principio, ita sanctus iustusque sine vitio; omnipotentissimus, æquissimus, misericordissimus, innoxescens solus splendore virtutum; factor omnium quæ non erant, dispensator eorum quæ sunt; examinator cunctorum qui & sunt & futuri sunt & fuerunt, in vltimo die: Terram, cœlum, & cuncta simul elementa moturus: Excitator cinerũ, & corporũ restitutor: Sed propter solã iustitiã hæc quæ diximus cuncta facturus.*

Heb.12.23.

AVG. RESP. Si Deũ *Patriarcharũ* colis, quare non credis circunci sionem octavi diei, quæ præcepta est Abrahæ, præfigurationem fuisse regenerationis in Christo? hoc enim si crederes, videres non potuisse iustè animam parvuli exterminari de populo suo, si die non circuncideretur octavo, nisi alicui fuisset obligata peccato? Si Deum *Prophetarum colis*, cur non credis, quod per eos toties dixit, *reddam peccata patrum in filios?* Si Deum *Apostolorum* colis, cur non credis, *corpus mortuũ propter peccatum?* Si Deum colis, in *quo speravit & sperat Ecclesia primitivorum quæ conscripta est in cœlis*, cur non credis baptizãdos parvulos, erui de potestate tenebratum, cùm eos propter hoc exsufflet, atque exorcizet Ecclesia; vt ab eis potestas tenebrarum mittatur foras? Ille verò quem sperat iudicem rationalis creatura, quæ in sanctis eius est, & fidelibus, lege nobis vbi præter regnum bonis, & supplicium malis, tertium quoque locum præparaverit & promiserit non regeneratis innocentibus tuis? Quomodò autem dicis neminem prudentum pro Domino, quem colimus, sanguinem fundere, cùm eũ coluerit, & pro eo sanguinem fuderit gloriosissimus *Cyprianus*, qui vos in ista quæstione suffocat, dicens, *parvulum ex Adam carnaliter natum, contagium mortis antiqua, primâ nativitate contrahere?* Vide, ne tu potiùs reus sis, qui blasphemas istum sanctorum martyrum Deum. Diciste colere *omnipotentissimum, aquissimum, misericordissimum Deum.* Sed ipse est *omnipotentissimus* qui *iugum grave*, quo premuntur *filij Adam, ex die nativitatis suæ*, proculdubiò ab eis posset auferre, imò nec vllo modo illud imponeret, imponi-ve permitteret, nisi peccata in eis cum quibus nati sunt inveniret: quorum reatum renatis idem ipse *misericordissimus* solveret. Si ergò te delectaret divina iustitia, videres profectò quòd ex ipsa veniat, non vtique iniustè à parvulis incipiens, nota omnibus humana miseria: qua peragitur hæc vita à primis fletibus nascentium, vsque ad extremos halitus morientium; sanctis tantùm & fidelibus, sed in alia vita, felicitate promissa.

Exsufflationes & exorcismi Ecclesiæ.

An sit tertius locus præter regnum & supplicium?

Lib. 1. Epist. 8.

An iugum grave parvulis innocentibus imponeretur

Gen. 17. 10
Ibidem 14.
Exod. 34 7.
Ierem. 34. 18.
Rom. 8. 10.
Hebr. 12. 23.

CAP. 51. IVL DIX. *Pro hoc igitur* DEO *meo, quem mihi qualem credo, omnis creatura & sancta Scriptura denunciat, rectius dixi facere, si nec librorum te concertatione dignum putarem. Verùm quoniam mihi hoc potissimùm à sanctis viris nostri temporis confessoribus munus impositum est, vt dicta tua quid habeant ponderis rationisque discutiam, oportunum fuit ostendere prius, non à te, credi ei Deo, qui in Catholico-*

licorum semper Ecclesia prædicatus est, & vsque ad finem vbi illa fueris prædicabitur.

AVG. RESP. Ego potiùs nõ te ostendisse, quod te ostẽdisse dicis, ostendi: & ei me Deo, credere, qui à Catholicorũ semper Ecclesia prædicatus est, si nimirum non sis cæcus edocui.

IVL. DIX. *Nunc verò consequenter inspiciam, quibus hoc quod* CAP. 52.
expugnat fides piorum, testimonys affirmare coneris. Sed quoniam instituis libro tuo secundo, quem Alipius detulit, obviare, ne confundatur rescriptis veritas, paucis adhuc vsque dum ad testimonium Apostoli, quo plurimum tibi videris muniri, sermo perveniat, respondendum est. Lib. 2. de nup. cap. 2.
Illis ergò quæ supra posui verbis tuis, hæc quæ sequuntur adiungis. In
„ his itaque quę prætermisit, hoc timuit, quia cuncta Ecclesiæ
„ Catholicæ pectora convenit, fidemq; ipsam antiquitùs tra-
„ ditam atque fundatam, clara quodammodò voce compel-
„ lat, & adversùs eos vehementissimè promovet quod dixi-
„ ximus, quia nihil esse peccati in parvulis dicunt quod lava-
„ cro regenerationis abluatur. Omnes enim ad Ecclesiam nõ
„ propter aliud cum parvulis currunt. Nisi vt in its origina-
„ le peccatum generatione primæ nativitatis attractum, rege-
„ neratione secundæ nativitatis expietur. Deindè ad nostra
„ superiora verba revertitur, quæ nescio cur repetat. Eos au-
„ tem qui de tali commixtione nascuntur dicimus trahere
„ originale peccatum, eosque de parentibus qualibuscumque
„ nascantur, non negamus adhuc esse sub diabolo, nisi renas-
„ cantur in Christo. Hæc verba nostra, & paulò ante di-
„ xerat. Deindè subiunxit quod de Christo diximus, qui de
„ eadem sexus vtriusque commixtione nasci noluit. Sed etiam
„ hic prætermisit quod ego posui, vt per eius gratiam eruti
„ de potestate tenebrarum, in regnum illius, qui de eadem
„ sexus vtriusque commixtione nasci noluit, transferantur.
„ Vide obsecro te, quæ nostra verba vitavit, tanquàm inimi-
„ cus omninò gratiæ Dei, quæ venit per Iesum Christum
„ Dominum nostrum. Scit enim ab illâ Apostoli sententia,
Coloss. 1. 13 „ quâ dixit de Deo Patre, *qui nos eruit de potestate tenebrarum,*
„ *& transtulit in regnum filij charitatis suæ* improbissimè & im-
„ piissimè parvulos separari. Ideò procul dubio verba ista prę-
termittere quàm ponere maluit. *Ego-ne sum inimicus gratiæ*
Dei, homo omnium impudentissime, qui in primo libro meo, vnde ista contextu suo avulsa rapuisti vt aliquid sine ratione garrires, professione purâ & plena os tuum mysterijs Manichæorum madens, tuorumq; damnavit

AVG. RESP. Nunquid vt habeas causam bonam conviciando facturus es? Doctorum meorum os, sicut me, damnasse te nactus. Dicturus es me Manichæum; sed vt maledicus, non vt veridicus. Ego enim & Manichæos detestor, & adiutores eorum in quibus appetis principatum, & vtrosque adiuvante & subveniente Domino Deo nostro Catholicâ veritate redarguo. Sed ostendam meos, quos in me tantò nequiùs, quantò iustiùs criminaris. In hâc enim causa vbi originalis peccati vertitur quæstio, propter quod me nomine Manichæorũ atrocissimis dignum arbitraris opprobriis; Meus est *Cyprianus*, qui cùm peccasse nihil dixerit parvulum, non tamen tacuit, *eum contraxisse peccati ex Adã primâ nativitate contagiũ.* Meus est *Hilarius*, qui cùm exponeret quod in Psalmo legitur. *Vivet anima mea & laudabit te: vivere se*, inquit, *in hac vita* Psal. 118.
L. 1. Ep. 59. *non reputat, quippè dixerat: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Sentit sub peccati origine & sub pec-* Psal. 50. 7.
In Ps. 118. *cati lege esse se natum.* Meus est qui à tuo Doctore excellentissimè laudatur Ambrosius, qui dixit, *omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente David: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea; ideò Pauli artus & caro, corpus mortis erat.*
Lib. 1. de quæst. c. 2. Meus est *Gregorius*, qui cum de baptismo loqueretur, *venerare*, inquit, *nativitatem, per quam terrena nativitatis vinculis liberatus es.* Meus est *Basilius*, qui cùm ageret
Orat. in natalem Christi serm. 1. de ieiunio. de ieiunio, *quia non ieiunavimus*, inquit, *decidimus de paradiso, ieiunemus vt ad eum redeamus.* Meus est *Ioannes Constantinopolitanus* dicens, *Adam peccavit illud grande peccatum, & omne hominum genus in commune damnavit.* Hi omnes, & alij socij eorum eadem sentientes, quos commemorare longum est,
Homilia de Lazaro resuscitato. mei sunt, si agnoscis, & tui sunt; sed mei doctores, improbatores tui. Quomodò igitur *os meum meorumque damnasti?* cùm istorum, (quos esse conspicis meos, & concordissimos & veracissimos) potiùs ore ipse damneris? Istis ne tu lumimbus civitatis Domini, mente tenebrosissimâ, fronte impudentissimâ, linguâ procacissimâ audes crimen obiicere Manichæi? Si autem non audes, cur mihi non ob aliud audes, nisi quia hoc dico, quod dicunt, quibus non audes?

CAP. 53. VL. DIX *Ibi namque hic est à me conlatus ordo verborum. Cùm dixissem auctorem* DEUM *cœli & terræ, omniumque quæ in eis sunt ac per hoc & hominum propter quos cuncta facta sunt. Non au-*

tem

rem me fugit, quod cùm hæc dicimus illud de nobis diſſeminandum eſt, quia gratiam Chriſti Domini neceſſariam parvulis non putemus: quod Chriſtianos populos laudabiliter & vehementer offendit, ſi tamen dicti per ſe neſarij, non nos arbitrarentur auctores. Eo enim modo nec de fratribus ſuis falsa credendo, crimen incurrerent; & ſtudioſos ſe circà amorem fidei comprobarent. Munienda igitur nobis iſta pars eſt, contrà impetum vanitatis, & confeſſione brevi ſubloquentium errori conſulendum. Nos igitur in tantum gratiam baptiſmatis omnibus vtilem ætatibus confitemur, vt cunctos qui illam non neceſſariam etiam parvulis putant, æterno feriamus anathemate. Sed hanc gratiam locupletem ſpiritalibus donis credimus, quæ multis optima muneribus, ac reverenda virtutibus; pro infirmitatum generibus & humanorum ſtatuum diverſitatibus, vnâ, tam remediorum collatrice quàm munerum, virtute medicatur. Quæ cùm admoveatur, non eſt mutanda pro cauſis: iam enim ipſa, dona ſua pro accedentûm capacitate diſpenſat. Si enim artes omnes non pro diverſitate materiarum quas accipiunt excolendas, ipſa quoque aut detrimenta aut augmenta patiuntur, ſed eodem ſemper atque vno modo ſe habentes multiplici decorantur effectu, ita & ſecundùm Apoſtolum, vna fides, vnum baptiſma, *& multiplicantur & dilatantur in donis, nec tamen in myſteriorum mutantur ordinibus. Sed hæc gratia non adverſatur iuſtitiæ, quæ maculas elimit iniquitatis. Nec facit peccata, ſed purgat: quæ abſolvit reos, non calumniatur innocuos. Chriſtus enim qui eſt ſui operis redemptor, auget circà imaginem ſuam continuâ largitate beneficia: & quos fecerat condendo bonos, facit innovando adoptandoque meliores. Hanc igitur gratiam per quam reis venia mortalibus datur, qui aliquibus negandam putat, omnium bonorum exercitationem meretur.*

Eph. 4. 5.

Parvulos creatione bonos fieri, adoptione verò meliores.

AVG. RESP. In his omnibus quæ commemoraſti gratiæ Dei muneribus, illud quod poſteriùs poſuiſti, dari per illã reis veniam, non vis ad parvulos pertinere, quos vllum reatum negas ex Adam trahere. Cur ergò cætera multis negat Deus parvulis, qui ſine hâc gratiâ in illâ ætate moriuntur? Cur, inquam, non eis datur illuminatio ſpiritalis, adoptio filiorum Dei, municipatus Hieruſalem cœleſtis, ſanctificatio, atque in Chriſti membra tranſlatio, & poſſeſſio regni cœlorũ? Hæc-nę tot munera, tam neceſſaria, tot imaginibus ſuis nullum ſecundùm vos peccatum habentibus negaret Deus, penes quem ſumma poteſtas eſt, cùm hoc beneficium non à ſe prohibeat voluntas contraria parvulorum? Tu certè vt hanc

An munera gratiæ neceſſaria Deus denegaret parvulis innocentibus.

à Vobis amolireris invidiam, quâ dicimini baptismi gratiam parvulis denegare, dixisti, quòd *eam gratiam qui aliquibus negandam putat, omnium bonorum execrationem mereatur.* Non igitur eam Dei omnipotentis æquitas negaret innumerabilibus parvulis, qui sine hâc sub eius omnipotentia moriuntur, si mali nihil in eius occulto iudicio mererentur. A quo iudicio de stirpe Adam venientibus omnibus debito, quicumque secundùm gratiam non secundùm debitum liberantur, non in suis meritis, sed *in Domino glorientur.* Vos ergò si carere vultis opprobrio, quo Ecclesiæ Catholicæ detestabiles facti estis, sinite Christum parvulis esse *Iesum.* Quod omninò non erit, si non eis confert propter quod hoc nomen accepit, id est, si nõ eos *salvos faciet à peccatis eorum.* Hoc igitur de ista gratia dicite, vt offensione Christianorum, de qua conquerimini, careatis, quod dixit Catholicus doctus, doctorque *Gregorius: venerare nativitatem, per quam terrena nativitatis vinculis liberatus es.* Nullo itaque modo ad istam gratiam pertinere parvulos confitemini, quamdiù negatis eos nativitate cœlesti à terrenæ nativitatis vinculis liberari.

Christus etiam parvulis Iesus.

CAP. 54. IVL. DIX. *Quæ quoniam, vt locus interim hic patiebatur, munivi, revertamur illò vnde digressi sumus; de hoc ipso vbicumque opportunum fuerit pleniùs locuturi. Ecce quanta confessionis luce & eos qui baptisma parvulis denegarent, & vos qui eius præiudicio iustitiam Dei audetis maculare, reprobavi; Protestans aliud me non tenere quàm instituta mysteria, ijsdem quibus tradita sunt verbis, in omni prorsus ætate esse tractanda, nec pro causarum varietate debere mutari; verùm fieri peccatorem, ex malo perfectè bonum, innocentem autem qui nullum malum propriæ voluntatis, ex bono fieri meliorem, id est optimum, vt ambo quidem in Christi membra transeant consecrati: sed vnus deprehensus in mala vita, alter in bona natura. Ille enim innocentiam quam exortus acceperat pravâ actione corrupit: hic verò sine laude, sine crimine voluntatis hoc solum habet quod à Deo conditore suscepit; qui infucatâ primævitate felicior, bonum simplicitatis suæ vitiare non potuit, nullum habens de actibus meritum; sed hoc solum retinens, quod tanti opificis dignatione possedit.*

Innocentia parvulorũ.

AVG. RESP. Quare ergò *grave iugum* super eum *à die exitus de ventre matris eius?* cur tanta corruptibilitas corporis, vt aggravaretur anima eius? Cur tanta mentis obtusio, vt etiam plagis erudiatur tarditas eius? Quousque Iuliane, gravis es corde? Quousque *diligis vanitatem & quæris mendacium* quo

Sap. 9. 15.

Miseria vitæ humanæ, vndè

Psal. 4. 3.

quo vestra hæresis fulciatur? Nunquid si nemo peccasset: si natura humana in qua condita est bonitate mansisset, etiam in paradiso ad istas homo miserias, vt alia taceam, nasceretur?

IVL. DIX. *Ætas igitur illa sicut misericordiam Christi prædicat innovata, id est, innovantis mysterij virtute provectá; ita iniquitatem iudicis, infamiam iustitiæ, aut accusata, aut aggravata convincit.* CAP. 55.

AVG. RESP. Ex qua vetustate ætas illa dicitur innovata, cùm sit ortu nova? Labia dolosa sunt ista. Si vis agnoscere vetustatem ex qua parvuli Christiana gratia renovantur, audi fideliter quod ait homo Dei *Reticius* Augustodunę Episcopus; qui cum Melchiade Romano Episcopo quondàm iudex sedit, Donatumque damnavit hæreticum. Hic enim cùm de Christiano baptismate loqueretur, *Hanc igitur*, inquit, *principalem esse in Ecclesia indulgentiam, neminem præterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ nostræ facinora prisca delemus: vbi & veterem hominem cum suis gemitis sceleribus exuimus.* Audisne non posteà perpetrata, sed *ingenita scelera veteris hominis*? Nunquid Manichæus fuit iste *Reticius*? quomodò ergò non dolosè, innovari parvulos dicitis Christianâ regeneratione, qui mala, quæ generavit *antiqui criminis pondus*, *in vetere homine* non vultis agnoscere? Deindè si *aggravata ætas illa iniquitatem iudicis convincit*, vt dicis; itane non est aggravata *gravi iugo super filios Adam*? & tamen non est hinc iniquus Deus; ac per hoc meritò est aggravata. Nullum est autem huius ætatis meritum malum, si non est originale peccatum.

Reticius Augustodunę Episcopus.

IVL. DIX. *Non ergò vnitate sacramenti rea monstratur infantia: sed veritate iudicij nihil aliud quàm innocens approbatur.* CAP. 56.

AVG. RESP. Inveniste te putas quare baptizetur, dic quare exsuffletur? Certè Pelagii authoris vestri magna & invicta est putata sententia, vbi ait: *Si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergò Christi iustitia etiam non credentibus prodest.* Quid ergò de parvulis dicis quandò baptizantur? credunt, an non credunt? Si dixeris, non credunt: quomodò eis Christi iustitia etiam non credentibus prodest, vt cogimini confiteri? Sic igitur eis nocuit Adæ peccatum nondum peccandi habentibus voluntatem, quomodò eis prodest iustitia Christi, nondũ credendi habentibus voluntatẽ. Si hoc dixeris, per alios credunt: sic etiam per aliũ peccaverunt. Et quoniam verum est, quod per alios credunt (propter hoc enim & fideles per totam Ecclesiam nuncupantur) profectò non pertinẽt

Exsufflatio in baptismo parvulorum.

Parvuli per alios credũt, atq; fideles sunt.

ad illud quod ait Dominus *Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Condemnabuntur ergò si per alios non credant, cùm per se ipsos non valent credere. Condemnari autem iustè nullo modo possent, si non sub peccato, ac per hoc & sub peccati principe nascuntur Propter hoc ergò & exsufflantur. Removete ab eis deceptoriam vanitatem vestram. *Sinite parvulos venire ad Iesum, qui salvum facit populum suum* (in quo vtique ipsi sunt) *à peccatis eorum.* *Marc. 16.* 16. *Mar. 10. 14* *Matt. 1. 21.*

CAP. 57. IVL. DIX. *Quamquam mihi, vt de statu explicando immorer parvulorum, consequentia rationis indicit; quæ res sua lege coniunctas, dividi non sinit. Cæterùm facilior esset tractura nascentium, si non cum eis periclitaretur ipsa maiestas. Excusa igitur Deum, & accusa parvulum. Iustum doceatur ille quod facit qui sine iustitia Deus esse non potest, quamvis suscipiat personam supplicium. Cæterùm nunc, extra sacrilegium, res quas putas esse conseras, mutuò sibi vehementer repugnant. Dicis enim, quoniam mysteriis vt idololatræ & parricidæ imbuuntur & parvuli, hos omnes scelestos posse convinci. Et addis rem multò absurdiorem Sacramenti huius, de quo agnus auctorem, aliena peccata innocentibus imputare. Hoc est quod pugnare dixi, quia non capit rerum natura, vt vno tempore & adeò sit misericors Deus, vt propria vnicuique confitenti peccata condonet; & adeò crudelis vt innocenti impingat aliena. Horum prorsus cùm alterum dederis, alterum sustuleris. Si donat veniam reis, non calumniatur innoxijs: si calumniatur innocuis, nunquam parcit obnoxijs.*

AVG. RESP. Tu potiùs facis iniustum Deum, cùm tibi videtur iniustum *peccata patrum reddere in filios*, quod se ille facere verbis sæpè testatur & rebus ostendit. Tu, inquam, facis iniustum Deum, sub cuius omnipotentis cura, cùm videas *gravi iugo* miseriæ parvulos premi, nullum eos peccatum habere contendis, simul accusans & Deum, & Ecclesiam: Deum quidem, si gravantur & affliguntur immeriti; Ecclesiam verò, si exsufflantur à iure diabolicæ potestatis alieni. Vbi autem somniasti, *idololatris, & parricidis*, originalia parvulorum nos æquare peccata? Verùntamen mysterijs indita remissio peccatorum, in peccatis & maioribus & minoribus: & pluribus & paucioribus & singulis, vera est; in nullis verò peccatis, sicut esse parvulos dicitis, falsa est. Sic autem aliena sunt originalia peccata propter nullũ in eis nostræ voluntatis arbitriũ, vt tamẽ propter originis contagiũ esse inveniantur & nostra. Quid est ergò quod clamas & dicis, non posse Deum,

An sub iusto Deo parvuli innocẽtes gravi iugo miseria premerẽtur

Originàle peccatum quomodo alienum, & quomodò proprium?

&

& dimittere peccata maioribus propria, & imputare, parvulis aliena? nec vis attendere, quod non nisi in Christo renatis vtraque: non renatis autem in Christo, neutra dimittantur.

Matt. 11. 25 Ipsa sunt enim Christianæ gratiæ sacramẽta *abscondita à sapientibus & prudentibus, & revelata parvulis.* In quibus, ô si elles, nec quasi magnus in tua virtute confideres, profectò intelligeres, sic imputari generatis parvulis iniustitiam primi hominis ad subeundum supplicium, quemadmodùm imputatur parvulis regeneratis iustitia secundi hpminis ad obtinendum regnum cœlorum: quàmvis voluntate atque opere proprio nec illum in malo, nec istum in bono reperiantur imitati. *Quemodò imputetur parvulis peccatum Ada.*

IVL. DIX. *Nihil itaq; in verbis tuis coactus, vt dicis, timore prætexi. Quid enim in tam elegantis ingenij possem pavere monumentis; nisi forte hoc solùm, quod horrorem de obscœnitatis tuæ impugnatione perpetior?* CAP. 58.

AVG. RESP. Si emeres ista convitia, prodigum te dicerem; gratis tibi adiacent, cur non eis fruaris, quibus maledicum animum pascis?

IVL. DIX. *Audi igitur contra ea quæ dixisti, breviter. Non sunt* Ecclesię Catholicæ pectora, *quæ sermo tuus* convenit, *si à pietate & ratione discordant. Sed in vtrumque committunt, cùm nec de* DEI *æquitate benè æstimant: nec mysteriorum, quæ criminantur sapientiam & divitias intelligunt. Non est hæc* fides antiquitùs tradita atque fundata, *nisi in conciliis malignantium inspirata à diabolo, prolata à Manichæo, celebrata à Marcione, Fausto, Adimanto, omnibusq; eorum satellitibus, & nunc à te in Italia, quod graviter geminus, eructata.* CAP. 59. *Laboria Iubani.*

AVG. RESP. Quo ore, quâ fronte concilium malignantium dicis, consensionem tot Catholicorum, qui doctores Ecclesiarum fuerunt antè nos? quasi verò in concilio Episcoporum, (quod non salubriter, sed iactanter propter vestras quæstiones debere dicitis congregari) si sederent Episcopi quos suprà memoravi, vt alios omittam, *Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Basilius, Ioannes Constantinopolitanus*, aliique eorum, qui nunc manent, facilè inveniretis quos eis in doctrina Ecclesiastica antiquitùs tradita, æquare, nedum præferre possetis. Cùm ergò ipsi contra vos de peccato originali proferant apertas claraſque sententias, & quas paulò ante posui & alias plurimas; horumne in catholica veritate consensum audetis malignantium appellare concilium? & cogitatis, quid ad ista contradicatis, ac non potiùs quos fugiatis, si eis consentire

non vultis? Sed quoniam *me* dixisti *eructasse in Italia quod gemat*, eundē illum Episcopum Italiæ à tuo Doctore laudatum in tuam frontem replico Ambrosium; *Omnes homines*, inquit, *sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est: sicut habes lectum dicente David, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Ideò *Pauli caro, corpus mortis erat, sicut ipse ait, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Christi autem caro damnavit peccatum, quod nascendo non sensit quod moriendo crucifixit, vt in carne nostra esset iustificatio per gratiam, vbi erat ante colluvio per culpam* Hanc ergò fidem antiquitùs traditā dico atq; fundatam, Tu renuis; & cui reluctaris, non respicis? Numquid huic eam à diabolo dicere poteris inspiratam? Numquid iste Manichæus est? Numquid Marcion? Faustus? Adimantus? Non vtique, sed longè his dissimilis, longèq; contrarius. *Pelagius* certè dicat quis iste sit; Ille, ille est *cuius fidem & purissimū in scripturis sensum, ne inimicus quidem ausus est reprehendere.* Quid est, Iuliane? vbi te vides? Ille *cuius ne inimicus quidē reprehendere ausus est fidem*, hanc habebat fidem, quam tu ita reprehendis, vt eam tribuas conciliis malignantium. Ecce non est eorum, sed *Ambrosii*, quia vera est, quia sana est, quia, vt dixi, antiquitus tradita atque fundata est, hæc & mea est Non ergò hanc in Italia (quod vos gemere dicitis) eructavi: sed potiùs ab illo Episcopo, Italiæ hanc prædicante & docente, *lavacrum regenerationis* accepi. Quomodò fides ista Catholica est, & tamen tua non est? Tu ergò vbi es? vide obsecro, & redi: videre tibi expedit, non invidere, redire te cupimus, non perire.

Tit. 1. de pec. c. 2.

Psal. 50. 7.

Rom. 7. 24

CAP. 60. *Augustinus ab Ambrosio baptizatus.*

IVL. DIX. *Nihil est peccati in homine, si nihil est propriæ voluntatis, vel assensionis. Hoc mihi hominum gemus, quod vel leviter sapit, sine dubitatione consentit. Tu autem concedis nihil fuisse in parvulis propriæ voluntatis. Non ego, sed ratio concludit: Nihil igitur in eis esse peccati. Nequaquàm ergò propter hoc ad Ecclesiam deferuntur, vt infamentur, imò vt infament Deum: sed deferuntur vt laudent Deum, quem & bonorum naturalium, & donorum spiritualium protestantur auctorem.*

AVG. RESP. Non infamantur, cùm exsufflantur: sed eruuntur de potestate tenebrarum. Nec infamant Deū, sed quo creatore nati sunt, hoc indigent salvatore. Et ideò renascendo, ex Adam transferuntur ad Christum. Vbi autem dixisti, *nihil peccati in homine, si nihil est propriæ voluntatis, vel assensionis* plenius verum diceres, si adderes, *vel contagionis.*

IVL.

IVL. DIX. *Originale autem peccatum si generatione prima nativitatis attrahitur, nuptias quidem à Deo institutas damnare potest; caterùm à parvulis auferri non potest; quoniam quod innascitur vsque ad finem eius, cui à principiorum causis inhaserit, perseverat.* CAP. 61.

AVG. RESP. Nec nuptias damnat, quia non ipsæ sunt causa eius: & aufertur ab omnipotente illo, qui & homo nasci potuit sine illo. *Nuptiæ non sunt causa peccati originalis.*

IVL. DIX. *Nullam itaque tibi calumniam commovemus quasi damnes nuptias, & quasi hominem, qui ex illis nascitur, opus diaboli esse dicas. Nec infideliter hoc obicimus, nec imperitè colligimus, sed qui sit consequentium sententiarum effectus, & sollicitè & simpliciter intuemur. Nusquam enim sine commixtione nuptiæ corporales. Tu dicis, quicumque ex illa commixtione nascuntur, ad diabolum pertinere; dubio procul pronuntias nuptias ad ius damonis pertinere.* CAP. 62.

AVG. RES. Nunquid nos dicimus, sine commixtione corporis in paradiso nuptias esse potuisse? Sed si nemo peccasset, non ibi esset malum, quo nunc benè vtitur pudicitia coniugalis. Illud autem malum est à vulnere, quod diabolica inflixit astutia. Hinc rea tenetur propago mortalium: hinc est qui nascitur sub principe peccatorum, donec renascatur in Christo, qui nullum habuit omninò peccatum, à quo solo vinculum solvitur mortis, quia solus fuit *liber in mortuis.* *Concupiscentia vnde, & quis eius effectus.* *Psal. 87. 6.*

IVL. DIX. *Dicis trahi naturæ conditione peccatum, qui vis hoc malum à voluntate primi hominis accidisse. Differo hic responsionem, quâ convincendus es, quod sine verecundia mentiaris. Sed quod ad præsentem locum spectat, colligo, & sapientiæ ratiocinanti credo, quod naturam videlicet diabolicam sine ambiguitate definias. Nam si in ea vel per eam est, propter quod homo à diabolo possidetur, irrefutabiliter diaboli est, per quod Dei imaginem sibi potuit vindicare. Imò nec imago Dei est, quæ per exortum suum in regno diaboli est.* CAP. 63.

AVG. RESP. Credis, sed opinanti stultitiæ non ratiocinanti sapientiæ. Sine parvulos *eruis de potestate tenebrarum*, vt *Christi transferantur in regnum.* Nam dicendo eos veteris delicti non habere contagium, & sic removendo à misericordiâ Salvatoris, *Qui salvum facit populum suum à peccatis eorum:* vndè vocatus est, *Iesus*, nihil agis, nisi vt ira Dei maneat super eos, de qua locutus est *Iob*, dicens, *Homo natus ex muliere, brevis vita, & plenus ira, & sicut flos fœni decidit, fugit autem sicut* *Mat. 1. 21.* *Iob. 14. 1. & seq. iuxta 70.*

vmbra, & non ſtabit. Nonne & huius curam feciſti? & hunc feciſti intrare in conſpectu tuo in iudicium? Quis enim erit mundus à ſordibus? Ne vnus quidem, etiamſi vnius fuerit diei vita eius ſuper terram. Sed videlicet, homo miſericors, miſereris imaginem Dei, ne dicas, eam ſub peccato carnaliter naſci. O quàm crudelis eſt iſta vana miſericordia tua, quæ ab illo prohibet, miſericordiam ſalvatoris ſui, qui *venit quærere quod perierat!* Per illas igitur ſordes (ſine quibus homo Dei dicit eſſe neminem; etſi *vnius diei ſit vita eius ſuper terram*) ſibi vindicat diabolus imaginem Dei noſtri: non per ſubſtantiam, quam creavit Deus. Vitiata eſt enim natura, non vitium eſt. Sed tu, *nec imago Dei eſt*, inquis, *quæ per exortum ſuum in regno* DIABOLI *eſt.* Quid ſi tibi alius dicat, non eſt imago Dei quæ nullo rea peccato, non tamen intrat in regnum Dei; nònne, quid reſpondeas non habebis, ſi vana reſpondere nolueris? Et certè propterea homo eſt imago Dei, quia factus eſt ad ſimilitudinem Dei. Cur ergò *& vanitati ſimilis factus eſt*, propter quod *dies eius velut vmbra pratereunt?* Non enim ab hâc vanitate ſeparaturus es parvulos, cùm *dies eorum velut vmbra pratereant.* Poſtremò nunquid eos & à viventibus ſeparabis? Audi ergò eum qui dicit in Pſalmo, *Ecce veteres poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihil ante te: veruntamen vniverſa vanitas, omnis homo vivens.* Cùm ergò ſit imago Dei *omnis homo vivens*, dic vndè ſit etiam *vanitas omnis homo vivens?* Sed quid dicturus es, qui non vis agnoſcere, aliud horum eſſe ex conditione Dei, aliud accidiſſe ex conditione peccati. Permittite, quæſumus, vt homo vivens qui ad Dei ſimilitudinem factus eſt, *eruatur à poteſtate tenebrarum*, ſub qua *vanitati ſimilis factus eſt.* Eruatur autem nunc interim à reatus obligatione: poſt hanc verò corruptibilem vitam, ab omni etiam vanitate.

Crudelis miſericordia Pelagianorum.

An innocēs imago Dei ſepararetur à regno Dei.

Pſal. 143. 4

Pſal. 38. 6.

CAP. 64. IVL. DIX. *Si igitur legas opus meum, deſines mirari, cur ad verba tua, quæ ſuprà poſueram, reverterim. Promiſeram quippe me de ſcriptis tuis probaturum, quod tu inter impietatem, quam biberas, & eius invidiam, quam timebas, † pariter vtrumque dixiſſes, & quod à Catholicis, & quod à Manichæis aſſeri ſolet. Eſt itaque ibi talis ordo verborum animotus tuo capiti, quod nunc fronte Sycophantæ interpolatum fuiſſe mentitus es. Scio me magna pollicitum, id eſt, vt de adverſarij ſermonibus approbarem, & eos qui homines opus Dei negant, iure damnari: & iſtum ipſum, qui hoc confitetur, nihil aliud agere quam vt peculium diaboli confirmet eſſe, quidquid de ruptis-*

* Fortè medius.

rum

rum fœcunditate procedit. Hoc enim genere patrocinij, suis quoque legibus Manichæorum opinio destruetur. Verum id tota libri eius exordia publicarunt. Ait enim, opus esse diuinum homines, qui ex nuptiis, id est, ex maribus nascuntur, & fœminis: *quâ sententiâ, omne quod erat acturus, euertit, nobisque assentitur dicentibus esse impios, qui hæc audeant denegare. Absoluta igitur iam vna pars est, superest vt ostendam, id eum, quod nuper impugnarat astruere. Quibus dictis partem tui capitis retraclavi, in qua dixeras* eos qui de tali commixtione nascuntur, dicimus trahere originale peccatum, eosque qui de parentibus qualibuscumque nascuntur, adhuc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo, vt per eius gratiam eruti de potestate tenebrarum, in regnum illius, qui ex eadem sexus vtriusque commixtione nasci noluit, transferantur. *Cur ergo putas hinc te excusari posse ab errore Manichæorum, quia ausus es sententiam, cum qua omnibus ingenij viribus luctabaris, inferere, cùm hoc non patrocinium erroris tui, sed testimonium sit stultitiæ singularis, qui putas Calliphontis more virtutem & vitia, iustitiam & iniquitatem posse in fœdera conuenire?* *Calliphontis error.*

Coloss. 1.13. *Quod autem ait Apostolus,* Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, *lege quartum operis mei librum, & tunc tibi quid magister gentium senserit, innotescet.*

AVG. RESP. Sexto nostro, responsum est quarto tuo, & nunc ego magis admoneo vt illa tua & mea legant, qui volunt scire, quantùm fueris à veritate devius, & quanta sis veritate convictus. De hâc autem chartulâ, in quâ ex tuis libris quædam decerpta conscripta sunt, liberum tibi est mihi imputare quod ille fecit, qui eam misit homini, à quo missa est missi. Ille quippè quod voluit, in ea posuit, &, quod voluit, prætermisit. Vndè tibi iam suprà, breviter satisq; respondi.

Ibidem. Quid te obscuris tuis adversùs Apostoli manifesta conaris involvere? Ille Deum prædicans, ait, *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suæ,* & tu dicis hoc ab illo, exceptis parvulis, dictum? Si ergò non *eruuntur* parvuli *de potestate tenebrarum*, non sunt mortui: si non sunt mortui, non pro eis mortuus est Christus. Tu autem etiam pro ipsis Christum mortuum confiteris, & idem Apostolus

2. Cor. 5. 14 dicit, *Vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Conclusio hæc Apostoli invicta est, ac per hoc quia & pro parvulis *mortuus est*, profectò etiam parvuli *mortui sunt.*

Mortuus est porrò Christus, vt evacuaret eum, qui potestatem habebat mortis, id est diabolum. Sine igitur parvulos, vt vivant, *erui de potestate tenebrarum.* Quid est autem quòd mihi *Calliphontis morem* obiicis, vel errorem, in eo quòd me putare dicis *virtutem & vitia, iustitiam & iniquitatem* oratione meâ *posse in fœdera convenire?* Ego quidem absit vt hoc vel corde teneam, vel sermone suadeam. Sed tam benè te intellexisse istum philosophum gratulor. Etenim cùm ille putaverit in virtute animi & voluptate corporis esse hominis bonum, tu eum dicis virtutes & vitia voluisse coniungere, ac per hoc, sicut decuit, vitium iudicasti esse corporalis appetentiam voluptatis. Vitium est igitur libido quam laudas. Subrepsit itaque vndecumque sensibus tuis veritas, vt susceptæ tuæ causam paululum deserens, quod dicimus, diceres.

Sicut & Dinomachus.

Libido vitium est.

CAP. 65. IVL. DIX. *Argui ergo, & iure argui, deiectam & debilem varietatem, quâ fuerat effectum, vt & nuptias te non damnare promitteres, & diceres, ob viri & fœminæ commixtionem, quam de nuptiarum conditione & natura, venire perspicuum est, imo in qua sola, (quantum ad conflictum nostrum respicit) nuptiarum veritas est, homines in diaboli iura transcribi.*

AVG. RESP. Si in sola viri & fœminæ commixtione est veritas nuptiarum, eadem ergo est veritas adulteriorum, quæ nuptiarum, quia in vtrisque est ista sexus vtriusq; commixtio. Quod si absurdissimum est, non in sola, vt deliras, commixtione maris & fœminæ nuptiarum veritas est, quamvis sine illa nuptiæ filios propagare non possint. Sed alia sunt ad nuptias propriè pertinentia, quibus ab adulteriis nuptiæ discernuntur, sicut est thori coniugalis fides, & cura ordinatè filios procreandi, & (quæ maxima differentia est) bonus vsus mali, hoc est, bonus vsus *concupiscentiæ carnis.*

Bona Matrimonij.

CAP. 66. IVL. DIX. *Quam commixtionem ita execrabilem persuadere conatus es, vt velis intelligi Christum non propter signi splendorem, sed propter damnandam sexuum conunctionem nasci de Virgine matre voluisse. Quid ergo vnquam à quoquam dici improbius aut impudentius potuit, quam hoc, quod duo velut Reges de humanitatis possessione certantes, his signis duo eorum regna separasti, vt diceres, diaboli esse quidquid nuptiæ protulissent, Dei verò solum quod virgo peperisset? Quid est aliud Virginis fœcundatorem, & egentissimum ostendere inopiâ portionis suæ, & eundem negare eorum, qui prodeunt de nuptus hominum conditorem? Tenear igitur verbi tui tenor diligens chirographum*

phum, sciatq; te, fidelē discipulum Manichaeorum & Traducianæ nationis primatem, nihil aliud quā commixtionem legitimi dānasse cōiugij.

AVG. RESP. Non habes exercitatos sensus ad separandum bonum à malo. Et hominum & angelorum natura atq; substantia vel bonorum, vel malorum Deo creatore subsistit: sed vitia naturarum atq; substantiarum (quæ Manichæi naturas dicunt esse atq; substantias, Veritas autem negat) Deus iustus atq; omnipotens ordinatione iudiciaria esse permittit, & ipsa sunt mala, quæ nisi ex bonis & in bonis naturis esse non possunt. Sic sunt autem in diaboli potestate, quæcumq; illi, Deo iudicante, subduntur: vt à Dei potestate, sub quâ & diabolus ipse constitutus est, aliena esse non possint. Cùm igitur omnes angeli, & omnes homines sub Dei sint potestate, inanis est loquacitas tua, quâ dicis Deum & diabolum divisisse inter se, quis eorum quosdam habeat sub propriâ potestate. In quem verò crudo pectore evomas istas, quibus pasceris, contumelias, paulisper attende. En adest ille *Ambrosius*: de hoc in quem inveheris, quid dicat vide: *Quis solus*, inquit, *potuit iustus esse, cùm generatio omnis erraret, nisi natus ex virgine, generationis obnoxiæ privilegio minimè teneretur?* Audi adhuc, audi, & præter linguam, frontis elationem compesce: *Non, enim*, inquit, *virilis coitus vulvæ virginalis secreta reseravit, sed imma ulatum semen inviolabili utero spiritus sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de fœmina sanctus dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ, immaculati partus novitate non senserit, & cœlesti maiestate depulerit.* Cernis nempè quod dico, quis dixerit? Cernis quidquid contra me dicis, contra quem dicas? Si enim ego hinc sum discipulus Manichæi, hoc est & ille; non est autem hoc ille, qui hæc ante nos dixit. Non est hoc igitur, quisquis hæc dicit: sed hæreticus manifestus est, quisquis huic antiquo catholico dogmati contradicit.

Manichæi vitia naturas & substantias statuebant.

De arca.

l. 1. in Luc. c. 2.

IVL DIX. *Sed iam pergamus ad cætera. De me itaque scribens post illa quæ supra texui verba tua, hæc, quæ sequuntur, adiungis;* CAP. 67.

„ Post hæc illud nostrum posuit vbi diximus: Hæc enim quæ „ ab impudentibus impudenter laudatur pudenda concupis- „ centia, nulla esset, nisi homo antè peccasset; fieret quippè si- „ ne illo morbo seminatio filiorum. Hucusq; ille verba mea „ posuit, timuit enim quod adiunxi, in corpore vitæ illius, si- „ ne quo fieri non potest in *corpore mortis huius*. Et hîc vt meā „ sententiam non finiret, sed eam quodāmmodò detruncaret,

l. 2. de nup. cap. 2.

„illud Apostoli testimonium formidavit, vbi ait; *Miser ego* Rom. 7.24.
„ *homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ie* & 25.
„ *sum Christum Dominum nostrum.* Non enim erat *corpus mortis*
„ *huius* in paradiso ante peccatum: propter quod diximus, in
„ corpore vitæ illius, quæ ibi erat, sine isto morbo semina-
„ tionem fieri potuisse filiorum; sine quo in *corpore mortis huius* fieri non potest. *Tenes quidem tu consuetudinem tuam, equidem in hoc potissimùm opere consequenter; vt qui contra veritatem agis, nihil verum loquaris. Sed numerosis eruditionis tua peccatis, correptionum multitudo vix sufficit. Ideò hic iam breviter adnotabo, te fallere, me autem vel per hoc opus intelliges insolentem esse mendacij. Tibi ergò huius vitij vindicato iam possessionem: vt ab Euangelio, nec sanè iniuriâ, audire possis; quia ab initio mendax es, sicut & pater tuus,* Ioan. 8.44. *vel, ille ad cuius te dicis dominium pertinuisse nascentem; vel Alter secundarius, qui te elegantibus, qua tamen inter honestos nominari non queunt, imbuit sacramentis. Totum ergò hoc protuli in opere meo priore, quod tu prætermissum esse confingis. Quod quanta sit disputationis veritate ac luce convictum, si propè vltimas primi voluminis mei partes legas, etiam ipse poteris confiteri. Non ergo tua detruncata sententia, sed integra, valenti est responsione destructa. Nunc autem aud. breviter, Apostolus quod ait:* Miser ego homo, quis liberabit me de Rom. 7.24, corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Do- & 25. minum nostrum: *non ad mortalitatem nostri corporis retulit, quam caro animalium de naturæ institutione suscepit; sed ad consuetudinem delinquendi, à quo reatu posti incarnationem Christi, per testamentum nouum, quisquis ad virtutis studia migraverit, liberatur. Ibi ergo sub* Apostolum loqui in persona Iudæorum extendit. *persona loquens Iudæorum, inlecebrarum cupiditate etiam post interdictum sacræ legis errantium, ostendit vnicum esse in illa tempestate subsidium, si crederent Christo, qui sic indicebat cautionem de futuris, vt veniam condonaret peractis: nec insistebat legi intentatione supplicij, sed concurrentes liberalissimo gremio confovebat, non exanimans terrore depressos; sed reparans benignitate correctos. Quam benignitatem ipse iam senserat, qui dicebat,* Humanus sermo: Quoniam Chri- 1. Tim. 1. stus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, 15. & 16. quorum primus sum ego. Sed ideò misericordiam consecutus sum, vt in me ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad exemplum eorum, qui crediturí sunt illi in vitam æternam. *Quod vt intelligeres ad vitam malam, non ad naturam hominũ pertinere, ne per aduentus Christi causam, putares, ab eo etiam paruulos peccatores pronunciatos, ait;* In me ostendit omnem patientiã.

Pa-

Rom. 2. 4. et 5. *Patientia autem Dei illa est, de qua ad Romanos loquitur*: Num ignoras quoniam bonitas Dei ad patientiam te adducit, secundũ autem duritiam tuam, & cor impœnitens thezaurizas tibi iram in die iræ, *Exercetur ergo patientia Dei, cùm non exiguo tempore expectatur humana conversio. In parvulis autem non potest apparere patientia. Si enim essent peccata naturæ, quæ eis salvator ascriberet, patiens quidem salvò, savus verò certissimè diceretur. Non potest autem Dominus nisi pius & iustus esse, quod est Deus meus Iesus Christus: cuius patientiam, vel Paulus persecutor, vel alii, sub quorum persona loquitur, experti sunt, quia diu expectati sunt, licet sero liberati. Ac per hoc ab Apostolo vitia hominum, non natura hominum damnatur. Commendans ergo hanc gratiam Iudæis, quia Lex punit sceleſtos, nec habet illam efficientiam misericordiæ, quam Baptisma, in quo, confessione brevi, actuum delicta purgantur, ostendit debere illos currere ad Christum: implorare opem huius indulgentiæ, & advertere, quod Lex morum vulneribus commonetur: Gratia verò efficaciter celeriterq; medeatur.* Corpus *itaque* mortis, *peccata dixit esse, non* carnem. *Nam si de membrorum miseria pronunciasset, quam peccato æstimas contigisse, vel citiùs* mortem corporis, *quàm* corpus mortis *vocasset. Verum, vt scias secundum consuetudinem scripturarum, peccata membra dici; lege ad Colossenses, vbi ipse Apostolus ait*: Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, & avaritiam, quæ est simulachrorum servitus, propter quæ venit ira Dei in filios incredulitatis, in quibus & vos aliquandò ambulastis, cum viveretis in illis. *Ecce quomodo* membra *appellat, quæ* peccata *pronunciat.* Corpus *autem* peccati, *hoc ipsum ad Romanos*, vetus homo noster *inquit*, simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non serviamus peccato. *Hoc itaque more, & hic exclamavit sub persona, vt dicimus, Iudæorum*, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? *id est, quis me liberabit à reatu peccatorum meorum quæ commisi, cùm vitare potuissem; quæ legis severitas non donat. sed vlciscitur? quis me ab his membris, id est, a vitiis, quæ improborum imitatione collegi, vt peccati plenum corpus extruerem, poterit vindicare? Quis? inquam: Et respondet quasi rerum ipsarum voce commonitus,* Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. *Gratia Dei, qua* acceptam fert iustitiam *fidelium* sine operibus, *secundum quod David dicit*, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. *Qui ergo facit hominem beatum, etiam ipse beatus est, iustitiâ sempiternâ, per quam non donat peccatum, nisi*

Col. 3. 5. 6. et 7.

Rom. 6. 6.

Paulum loquentem in persona Iudæorum.

Rom. 7. 24.

Rom. 7. 25. Ibid. 4. Psal. 31. 1. et 2.

quod iure potuit imputare. Non autem iure potuit imputare, si non illud cui imputatur potuit & cavere. Nemo autem potest cavere naturalia; Igitur nullius prorsùs habere potest de natura necessitate peccatum. Hæc breviter dixisse sufficiat.

AVG. RESP. Conatus es quidem quod ait Apostolus, *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* In sensum vestrum disputando convertere; sed hoc te non posse ille meliùs vidit, qui Viro inlustri chartulam misit, Et ideò mea verba commemorans id prætermisit, ne tua rideretur expectata & prolata responsio. Quis enim non videat (quod nescio vtrùm vobis persuadere potueritis, & tamen aliis persuadendum putatis) Iudæi Apostolum non induxisse personam, nondùm sub Christi gratia constituti, atque dicentis. *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum.* Ita ne verò Iudæus nondùmq; Christianus est, qui dicit, *Dei gratia me liberabit per Iesum Christum Dominum nostrum?* Verùm hoc omitto. Illud autem quis ferat, de præteritis suis peccatis putari hominem dicere, *Quis me liberabit de corpore mortis huius*; vt ei per ignoscentis Christi gratiam remittantur, cùm dilucidè appareat, vndè ad ista verba pervenerit? Ecce verba eius sunt in auribus nostris. Videamus ergò, vtrùm ex eo quod egit volens, an ex eo quod agit nolens, miserum se esse fateatur. Clamat homo, *Non quod volo ago, sed quod odi, illud facio*, Clamat, *Iam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, Hoc est, in carne mea bonum. Velle enim adiacet mihi: perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo, facio bonum: sed quod nolo malum, hoc ago.* Non ait, *feci*, sed, *facio*: Non ait, *operatus sum*, sed *operor*: Non ait, *egi*, sed *ago*: & hoc *non quod volo, sed quod nolo.* Postremò, Cur *delectatur lege Dei secundùm interiorem hominem, videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ*: quâ lege, vtique compellitur non quod vult, facere bonum; sed quod non vult, malum, hoc agere. Propter hoc exclamat, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et tu contra clarissimam veritatem oculos claudis, gemitumque eius exponis, non vt omnibus patet, sed vt tibi placet, dicens, *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Hoc est, *Quis me liberabit à reatu peccatorum meorum, quæ commisi?* Ille dicit, *Quod nolo malum hoc ago*; & tu dicis, *quæ com-*

Paulum non loqui, in persona Iudæorum.

Rom. 7. 14. & 25.

Rom. 7. 15. 17. 18. & 19.

Ab pro præteritis an vero pro præsentibus Paulus se miserum fatetur.

Ibid. 22. & 23.

Ibid. 24.

commisi. Itaque adeo-né desperas de omnibus qui hæc legunt, ut non ipsum malint audire, quàm te: & ipsi potiùs quàm tibi credere? Sine hominem gratiam Dei non solùm quia peccavit ut absolvatur; verùm etiam ne peccet; ut adjuvetur, expoſcere, quod isto loco agitur. Qui enim dicit, *Quod nolo malum hoc ago,* non est locus ut dicat, *dimitte nobis debita nostra;* sed, *ne nos inferas in tentationem. Vnusquisque autem tentatur,* sicut ait Apostolus Iacobus, *à concupiscentia sua abstractus & inlectus.* Hoc malum est de quo ait, *scio quia non habitat in me,* hoc est, *in carne mea bonum.* Hoc malum est in *corpore mortis huius.* Hoc malum non fuit in paradiso ante peccatum, quia nondum erat hæc caro *corpus mortis huius,* cui dicetur in finem, *ubi est mors contentio tua?* Sed tunc dicetur, cùm *corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem.* Nunc autem *corpus* est *mortis:* quia idem ipse dixit Apostolus, *corpus mortuum est propter peccatum.* Audi Catholicos intellectores Apostoli. Accipe eorum verba, non mea, cum quibus accipio convitia tua. Audi non *Pelagium,* sed *Ambrosium. Etiam Pauli caro,* inquit, *corpus mortis erat;* sicut ipse ait, *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Audi non *Cælestium,* sed *Gregorium; Intra-nosmetipsos,* inquit, *propriis vitijs ac passionibus impugnamur, & die noctuq;, ignitis stimulis corporis humilitatis huius, & corporis mortis urgemur, nunc latenter, nunc etiam palàm, provocantibus ubique & irritantibus rerum visibilium illecebris, luto hoc fœcis, cui inhæsimus, cœni sui fœtorem venis capacioribus exhalante, sed & lege peccati, qua est in membris nostris, legi spiritûs repugnante.* His tu luminibus cælestis civitatis oblatrans, *corpus mortis* (inquis) *peccata dixit esse, non carnem,* negans Apostolum *hoc ad mortalitatem nostri corporis retulisse, quàm caro,* inquis, *animalium de natura institutione suscepit.* Hoc enim sapis quod *Pelagius* in judicio Palæstino ficto corde damnavit, *Adam* scilicet *mortalem factum, ita ut sive peccaret sive non peccaret, moriturus esset.* Ac sic resistens his viris, & alijs eorum socijs fidei sanctæ, tot tantisque Doctoribus, cogeris implere paradisum, etiamsi nemo peccasset, dolore parturientium, labore nascentium, gemitibus languentium, funeribus morientium, mœrore lugentium. Quid igitur mirum, si & de isto Paradiso, quod est Ecclesia; foras istis, qui Paradisum illum, de quo foras ierunt, qui nos in istas miserias peccando miserunt, talem fecistis, qualem non dico Christianorum nullus, sed

Matt.6.12. & 13.

Iac.1.14.

1. Cor.15. 55.& 53.

Rom.8.10.

Concupiscentiæ, malum non fuit ante peccatum.

Lib. 1. de pœnit.c.2.

Apolog.1. de fuga sua.

l. De gest. Pelagij c.11. 33.

Qualem fuisse paradisum dicerent Pelagiani.

sed nec hominum quisquã suspicari auderet, si non sit insanus.

CAP. 68. IVL. DIX. *In primo enim opere latiùs disputata sunt, quamvis nec tu dilucidè loquaris, quam mortem intelligi velis, cuius corpus dicis in paradiso non fuisse ante peccatum, quia in libris, quos ad* Marcellini *nomen edidisti, mortalem Adam factum fuisse professus es.* l. 1. de pec. merit. c. 3. & 4. *Quod verò adiungis, morbum esse nunc negotium nuptiarum, leniter audiri potest, si hoc solùm de tuis parentibus dicas. Conscius enim fortè esse potes matru tuæ morbi alicuius occulti, quàm in libris confessionis, ut ipso verbo utar, meribibulam vocatam esse signasti.* l. 9. c. 8. *Cæterùm in sanctorum connubio & in omnium honestorum, nullus omninò morbus est: quia nec Apostolus morbum pro remedio concessit, cùm per reverentiam nuptiarum à morbo fornicationis Ecclesiæ homines muniebat: qui sensus quomodo & frontem tuam & dogma penitus eraserit, primi voluminis mei propè ultimâ parte monstratur, quod & in toto ipsius responsionis corpore, pro-ut locorum opportunitas attulit, explicatum est.*

AVG. RESP. Nusquam sic apparuit dolus tuus, & per scientiam damnata conscientia. Scis enim, scis omninò; (tam quippe compertum est, ut qui libros illos legit, hoc nescire non possit) scis, inquam, in libris, quos ad *Marcellinum* edidi, vehementer egisse contra insipientem surgere tunc hæresim vestram, ne crederetur, Adam, etiam si non peccasset, fuisse moriturum. Sed *mortalem* hactenus dixi, quia poterat mori, poterat namque peccare. Tu eis qui libros illos non legerunt, nec fortasse lecturi sunt; fuco insidioso, si hæc tua legerent, subripi voluisti; quasi ego ita dixerim, Adam mortalem factum, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Hoc enim vobiscum agitur, hinc tota de hac re inter Nos & Vos vertitur quæstio, quòd Nos dicimus, Adam si non peccasset, nec corporis mortem fuisse passurum, Vos autem, sive peccasset, sive non peccasset, corpore fuisse moriturum. Quid est ergò, quòd ignorare te fingis, quam mortem intelligi vellem, cujus corpus dico in paradiso non fuisse ante peccatum? cùm scias, in libris illis quid egerim, quamque apertè dilucideque egerim non fuisse Deum puniendo dicturum peccatori, *terra es, & in terram ibis,* (quod de morte corporis dictum quis non intelligit?) si Adam, etiam nullâ iniquitate commissâ, iturus esset in terram, id est, vel corpore moriturus. Gen. 3. 19.

Adam quomodo mortalis factus?

Quod autem etiam Matrem meam, quæ te nihil læsit, nec contra te aliquid disputavit, convitio lacerandam putasti, victus

victus es maledicendi libidine, non timens quod scriptum
1.Cor.6.10. est, *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* Sed quid mirum est, quòd Te inimicum etiam ejus ostendis, cùm sis inimicus gratiæ Dei, quâ eam dixi ab illo puellari vitio liberatam? Ego verò parentes tuos tanquam Catholicos Christianos honorabiles habeo, eisque gratulor, quòd ante defuncti sunt, quàm hæreticum te viderent.

Nuptiarum negotium non est morbus sed libido.

Non autem dicimus, *morbum esse negotium nuptiarum*, quod est liberorum procreandorum causa concumbere, non satiendæ libidinis: quam tu negas morbum, cùm fatearis adversus eam provisum fuisse conjugale remedium. Nam utique ne fornicatio perpetretur, libidini, quam laudas, contradicitur, obsistitur, repugnatur. Vt si eum, qui procreandis filijs constitutus est, transgrediatur limitem, saltem qui ei cedit in conjuge, venialiter peccet. Conjugibus enim loquebatur Apostolus cùm dixisset; *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad*
1.Cor.7.5. *tempus, ut vacetis orationi. Et iterum ad idipsum estote, ne vos tentet Sathanas propter intemperantiam vestram*, continuò subjecit atq;
Ibid.6. ait, *Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium.* Hoc itaque malo sola benè utitur intentione propagandæ prolis pudicitia conjugalis. Huic malo in conjuge venialiter ceditur non causâ prolis, sed carnalis tantummodò voluptatis. Huic malo resistitur, ne appetitus damnabilis voluptatis expleatur. Hoc malum habitat in *corpore mortis hujus*, propter cujus motum, etiam mente non consentiente importunum, dicitur,
Rom.7.18. *Scio quoniam non habitat in me*, hoc est, *in carne mea bonum.* Hoc malum, non erat in corpore vitæ illius; ubi aut voluntati servientibus etiam genitalibus membris, libido nulla erat; aut omninò se unquam contra voluntatis arbitrium non move-
Gen.2.25. bat. Hujus mali repente exorti repuduit eos, qui priùs quàm peccarent, nudi erant, & non pudebat eos. Hujus mali laudes impudenter sparsisti; etiam quatuor illis libris tuis, quibus coactus sum respondere sex meis.

Quis legitimus, & quis venialis concubitus conjugalis?

In Paradiso nulla erat libido: aut motus voluntatis subjacebat.

IVL. DIX. *Vt autem ad istam commemorationem humanæ* CAP. 6.
Rom.7.23. *miseriæ & divinæ gratiæ veniret Apostolus, suprà dixerat*, video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. *Post hæc verba exclamavit;*
Ibid.24. & 25. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per IESVM Christum Dominum nostrum. *Constat quidem præmissis illis quæ posuisti, subdidisse Apostolum.* Miser ego homo, quis me

liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per IESVM Christum Dominum nostrum. *Sed non quærimus impræsentiarum, utrùm hoc Apostolus dixerit, verùm quâ fide, quo sensu, quâ ratione dixerit quærimus. Ille enim* in membris legem *per flagitiorum usum sanctis consiliis, inter principia tamen emendationis, rebellem, consuetudinem malam vocabat, quæ ab eruditis etiam sæculi dici solet secunda natura. Ante pauca enim eos ad quos loquitur, cum exprobratione conveniens dixerat*; Humanum est quod dico propter infirmitatem carnis vestræ, sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. *Vtque ostenderet quia* carnem, *non hoc* corpus, *quod vitiosas in seminibus habet, sed* vitia *abusivè vocaret, post duo capita ortasse subiungit*; cùm essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem ostenduntur, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti, *sic dixit*: Cùm essemus in carne, *quasi eo tempore, cùm disputaret, in carne non esset. Sed qui scripturas novit, genus hoc locutionis agnoscit. Et ideo ubi verborum communitas ingerit quæstionem, adhibeatur regula rationis, ad cuius æqualitatem quæ putabantur deflexisse, tendantur. Cæterùm* Faustus *Manichæorum Episcopus præceptor tuus, hoc maximè Apostoli testimonio contra nos nititur, dicens ab eo nihil aliud quàm his sermonibus,* legis scilicet quæ repugnans cõsilio in membris habitat, *naturam malam significatam fuisse. Vnde nihil minùs à te fieri debuit, quàm hic locus sic intelligi, quomodo ab illis exponitur, ne, cùm per easdem lineas, quas* Faustus *torsit, ingrederis, non disputasse, sed prætexta reddidisse videaris.*

Legem in membris interpretatur esse contrariam consuetudinem.

Rom. 6. 19.

Ibid 7. 5.

AVG. RESP. Tibi non *Faustus* Manichæus, sed Catholicus doctus, doctorq́; *Gregorius*, qui non *inter principia*, ut dicis, *emendationis, in membris legẽ per flagitiorũ usum sanctis consilijs rebellem consuetudinem malã vocabat, quæ ab eruditis etiam sæculi dici solet secunda natura*; sed legem peccati quæ est in membris nostris repugnans legi mentis, mortali huic terrenoq́ue corpori nostri planè aperteq́; tribuebat dicens; *Legem peccati, quæ est in membris nostris, legi spiritus repugnare, dum imaginem regiam, quæ intra nos est, captivam ducere studet, ut spolijs eius cedat quidquid illud est, quod in nos beneficio divinæ ac primæ illius conditionis influxit. Vnde vix aliquis*, inquit, *fortasse, nisi longâ se & districtâ regens Philosophiâ paulatim nobilitatem animæ suæ recolens, naturam lucu quæ in se est, humili & tenebroso luto coniuncta, revocet ac reflectat ad Deum.*

Greg. Naz.

Apolog. 1. de fuga sua.

Certamen Sanctorum.

Deum. Vel si certè propitio Deo agat, utrumque pariter revocabit; si tamen longâ & assiduâ meditatione insuescat sursum semper aspicere, & deorsum malè trahentem ac gravantem materiam sibimet astrictam frænis arctioribus sublevare. Hæc dicebat *B. Gregorius* non inter principia emendationis suæ, sed jam Episcopus, volens exponere, vel potiùs quæ nota sunt admonere, in quali quantoque certamine cum vitijs interioribus propter *corpus* quod *adgravat animam*, constituti sunt sancti. Quod certamen utique *Sap. 9. 15.* non fuisset in illo beatæ pacis loco, id est, paradiso deliciarum sanctarum, si nemo peccasset. Non enim *corpus mortis huius* ibi esset: cujus corruptibilitate anima gravaretur, sed corpus vitæ illius, ubi non *caro concupiscceret adversus spiritum*, ut necesse *Gal. 5. 17.* esset *spiritui concupiscere adversus carnem*, sed felici utriusque concordiâ, natura lætaretur humana. Si ergò Manichæos introducentes aliam naturam mali atque substantiam, expugnare velles, non adjuvare; profectò istas omnibus apertas à parvulis incipientes humanæ vitæ miserias cum tuis deceptoribus non negares: sed unde in eas conlapsa sit nostra natura, quæ beata est primitùs instituta, cum Catholicis fidelibus & præclarissimis Doctoribus diceres.

In paradiso non fuisset corpus mortis huius.

Miseria humana, unde?

CAP. 70. IVL. DIX. *Vt igitur quod egimus colligatur. Nec ego dictis fraudem intuli: nec Tu attulisti aliquid, quod, licet dilutiore pietatis colore perfunderes, nedum scripturis testibus approbares: nec hoc quod tu putas, intellexit Apostolus: nec alia prorsus in paradiso fuit commixtionis conditio, quam qualis nunc in coniugys agitur, quæ à se instituta Deus tam ipsorum conditione sexuum, & qualitate membrorum, quàm frequentatâ benedictione perdocuit. Quibus absolutis claret cunctis, qui à te decipiuntur, irâ esse quàm misericordiâ digniores, quoniam in excusationem criminum suorum, quæ malâ voluntate committunt, Te auctore infamant nativitatem, ne corrigant actionem.*

* PROSPER *sent. 294.*

AVG. RESP. * Actio pia est, in hac vita Deum colere, & ejus gratiâ contra vitia interna pugnare: eisque ad inlicita instigantibus cogentibusvé non cedere. Et ubi ceditur indulgentiam: & ut non cedatur, adjutorium Dei affectu religiosæ pietatis exposcere. In paradiso autem, si nemo peccasset, non esset actio pietatis expugnare vitia, quoniam permansio felicitatis esset, vitia non habere. * Sed non est indicium hominum contra vitia veraciter dimicantium, ea quæ impudenter frequentatur à vobis laudatio vitiorum. Ita-né verò, Iuliane, quando dicebat Ambrosius, *Omnes homines sub peccato nascimur,*

Qui contra vitia non dimicant veraciter? l. 1. de pœnit. cap. 2.

quorum ipse ortus, in vitio est, aut me dicebat auctore, aut infamabat nativitatem, ne corrigeret actionē? Ita-né verò Gregorius, quando dicebat, *Venerare nativitatem, per quam terrena nativitatis vinculis liberatus es*: aut quando dicebat de Christo loquens, vel de Spiritu Sancto, *Per hunc primæ nativitatis macula purgantur per quas in iniquitatibus concipimur, & in delictis genuerunt nos matres nostræ*: aut quando dicebat Hilarius de Rege David; *Scit se sub peccati origine, & sub peccati lege esse natum*; infamabant isti viri nativitatem, ne corrigerent actionem? Audebisné persuadere cordi tuo, quòd Pelagianorū actio actioni præferatur istorum? Date veniam, nunquam vos vitam meliùs illis agere credemus, nec si non sic amaretis *concupiscentiā carnis*, ut eam, qualis nunc est contra spiritum concupiscens, etiam in Paradiso ante peccatum collocare velletis. Nam, si, ut dicitis, *non alia fuit in Paradiso conditio commixtionis, quàm qualis nunc in coniugijs agitur*; erat ibi & ante peccatum libido carnalis, sine qua, non potest sexus uterq; misceri. Si ergò non vultis in illa beatitudine, membra genitalia nondum pudenda, ad opus suum peragendum, quo proles seminaretur, voluntati hominum sine libidine potuisse servire, adhuc quæro, Eandem libidinem qualem tunc fuisse credatis? voluntatem certè quando esset necessaria, sequebatur? An etiam, quando non erat, propter propagandos filios necessaria, stimulabat tamen animum, & propellebat in concubitus vel quosq; damnabiles, vel in conjuge veniales? Si enim talis erat qualis nunc est, hoc sine dubitatione faciebat, sive illi resisteretur per temperantiam, sive per intemperantiam cederetur. Ac sic homo libidini aut peccando servire cogeretur, aut bello intimo repugnare: quorum alterum honestati, alterum paci felicitatis illius, si humanum sensum habetis, non convenire sentitis. Remanet igitur, ut si libido ibi esset, ita esset subdita voluntati; ut rectam quietamque mentem, nec ad delictum traheret, nec ad prælium provocaret: & spiritum obedientem Deo, ac fruentem Deo, nec peccare nec pugnare compelleret. Quę, quoniam nunc talis non est; sed ipsa licita inhianter, non obtemperanter appetit: in inlicitis autem, aut spiritum deijcit, aut contra spiritum concupiscit: Agnoscite malum vitiatâ naturæ integritate contractum: quo malo benè utitur propagandi officio castitas conjugum, de quo malo ducitur generationis obnoxiæ vinculum, regeneratione solvendum.

Ora. in nat. Dom.

Orat. in Pentec.

In Ps. 118. v. 175.

Pelagiani concupiscentiam carnis in Paradiso ante peccatū collocabant.

An, & qualis libido esse potuerit in paradiso.

Malum libidinis, qua nunc est, in quo cōsistat?

IVL.

IVL. DIX. *Sed de hoc satis sit, nunc quæ sequuntur, arripiam.* CAP. 71.
„In *corpore* igitur *mortis huius*, quale in paradiso ante peccatum „non fuit, profectò non erat alia *lex in membris nostris repugnans* „*legi mentis*; quia & quando nolumus, & quando non consen- „timus. nec ei membra nostra, ut impleat quod appetit, ex- „hibemus, habitat tamen in eis, & mentem resistentem repu- „gnantemq; sollicitat ut ipse conflictus, etiamsi non sit dam- „nabilis, quia non perficit iniquitatem; sit tamen miserabi- „lis, quia non habet pacem. *Naturalem esse omnium sensuum voluptatem testimonio universitatis docemur. Hanc autem voluptatem & concupiscentiam ante peccatum in Paradiso fuisse, res illa declarat, quia ad delictum via per concupiscentiam fuit: quæ cùm pomi decore oculos incitasset, ipsem etiam iocundi irritavit saporis. Non ergo potuit hæc concupiscentia (quæ cùm modum non tenet, peccat: cum verò intra limitem concessorum tenetur, affectio naturalis & innocens est) non, inquam, potuit fructus esse peccati, quæ docetur non suo quidem vitio, sed voluntatis, occasio fuisse peccati. Lege & de hoc secundum librum meum, invenies hoc quod dicimus etiam tuo posse animo persuaderi. Quod verò quasi acutulè posuisti.* Legem quidem peccati esse in membris nostris; sed tunc habere peccatum quando ei consentimus; tunc verò solùm prælium suscitare, quando non consentimus, & inducere miseriam pace turbatâ, *quis non prudens pugnare prospiciat? Nam si lex peccati, id est, peccatum, & necessitas peccati membris est inserta naturaliter, quid prodest non eis præbere consensum, cùm propter hoc ipsum quod est, necesse sit subire supplicium? Aut si lex quidem peccati est; sed quando ei non consentio, non peccat; mæstimabilis potentia voluntatis humanæ, quæ (si dici permittat absurditas) cogit ipsum non peccare peccatum. Sed revertitur eò, ut quod dicis asystaton sit. Nam si non peccat, nec lex peccati est: si lex peccati est, peccat. Si verò peccat solùm quia est, quomodo ei obsisti potest, ut non peccetur, quæ repelli non potest, ut à peccati opere desinatur.*

l. 2. de nup. cap. 2.

Concupiscentiam in paradiso introducit ante peccatum: naturalemq; as innocentem affectionem vocat.

AVG. RESP. Secundo libro tuo jam respondi quarto meo, Teque inania dixisse convici. Sed videant qui legunt, utrùm respondendum sit homini qui in tantam progreditur insaniam, ut confiteatur malum esse peccatum; bonam esse dicat concupiscentiam peccatorum. Et tamen respondere compellimur, nolentes deserere hominum ingenia tardiora, ad quos istæ litteræ potuerint pervenire. Quid est ergo quod loqueris, nesciens quid loquaris? Ergo-ne & in Paradiso ante male-

Concupiscentia peccati, an bona dici possit.

maleſuadi venena ſerpentis, ante corruptam ſermone ſacrilego voluntatem, inliciti cibi libido jam fuit? Et, quod intolerabiliùs dicitur, ad malum provocabat, & mala non fuit? & videbant illi homines fructum ligni prohibiti, & concupiſcebant: ſed ut non manducarent, concupiſcentiâ ſpiritûs, *carnis concupiſcentiæ* repugnabant? & vivebant in loco illo tantæ beatitudinis non habentes in ſe-ipſis pacem mentis & corporis? Non uſque adeo dementes eſtis, ut iſta credatis: non uſque adeò impudentes, ut iſta dicatis. Ergo intelligite, vel intelligentibus obſtrepere vanâ loquacitate nolite. Præceſſit mala voluntas, qua ſerpenti ſubdolo crederetur: & ſecuta eſt mala concupiſcentia, qua cibo inhiaretur inlicito. Non itaque ibi qualiſcumque cupiditas, qualicumque reluctata eſt voluntati, ſed ei potiùs depravata ſervivit. Ac per hoc, quamvis jam utraque mala eſſet; tamen voluntas cupiditatem, non voluntatem cupiditas duxit: nec præceſſit voluntatem, nec reſtitit voluntati. Deniq; ſi ante peccati conſummationem ab opere inlicito averteretur voluntas, ſine labore ullo cupiditas illicita ſedaretur. Sic loquens B. Ambroſius, *Caro*, inquit, *in naturam regreſſa vigoris ſui agnoſcit altricem, atq; auſu depoſito contumacia, moderantis animæ coniugatur arbitrio, qualis fuit cum inhabitanda paradiſi ſecreta ſuſcepit, antequam veneno peſtiferi ſerpentis infecta ſacrilegam famem ſciret, divinorumq; memoriam præceptorum animæ ſenſibus inhærentem edacitatis ſtudio præteriret. Hinc peccatum manaſſe proditur tanquam corpore animaq; genitoribus: dum corporis natura tentatur, anima malè ſana compatitur, quæ ſi appetentiam corporis refrenaſſet, in ipſo ortu eſſet extincta origo peccati.* Vides-né quemadmodum Doctor Catholicus, & Chriſtiana ſapientia præditus, ipſam cibi inliciti concupiſcentiam, quàm tu, ſi non permittatur implere quod appetit, aſſeris *innocentem*, jam *famem ſacrilegam* nuncupavit? Et tamen, ſi anima, utique voluntate correctâ, *hanc appetentiam corporis refrenaſſet, in ipſo*, ut ait, *exortu extincta eſſet origo peccati.* Sed quoniam non repreſſo appetitu inliciti cibi, ad peccati conſummationem perventum eſt, non extincta eſt origo peccati, ſed etiam manavit in poſteros. Et tanta eſt *carnis & ſpiritus diſſenſio* ſubſecuta, ut in *naturam*, ſicut idem Doctor alio loco dicit, *per prævaricationem primi hominis verteretur.*

Concupiſcentiam præceſſit mala voluntas.

l. 7. in Luc. c. 12. v. 52.

Ambr. l. 7. in Luc. ſup.

Sed tu adversùs hæc *naturalem eſſe omnium ſenſuum voluptatem, teſtimonio univerſitatis doceri* te dicis, quaſi non poſſet in corpore,

corpore, non mortis hujus, sed vitæ illius, ita esse omnium sensuum voluptas naturæ sufficiens, ut sine injuriâ virtutis, summâ animi carnisque concordiâ, nulla concupiscerentur inlicita. O quàm multùm erras, qui ex ista, quæ nunc est, corruptibilitate atque infirmitate naturæ, sanctas Paradisi delicias, atque illam beatitudinem cognoscis! Alia erat illa immortalitas, ubi homo poterat non mori. Alia est ista mortalitas, ubi homo non potest nisi mori. Alia erit summa immortalitas, ubi homo non poterit mori. Quid litigas de Concupiscentia litigante, hoc est, de *lege in membris repugnante legi mentis?* Lex peccati dicitur, quia suadet peccata, atque ut ita dixerim, jubet: &, si ei mente serviatur, sine excusatione peccatur. Peccatum dicitur, quia peccato facta est, & appetitione peccat. Reatus ejus regeneratione solutus est: conflictus ejus ad agonem relictus est: malum ejus clarum est, non viribus nostræ voluntatis, ut putas, huic obsistimus, nisi divinitùs adjuvemur. Debellandum hoc malum est, non negandum: vincendum est, non defendendum. Postremò si ei consentis, malam agnosce peccando: si ei resistis, malam agnosce pugnando.

Aliud est sensuum voluptas, aliud concupiscentia.

Concupiscentia litigat.

Cur lex peccati dicatur?

Cur peccatùr?

Mala est concupiscentia.

IVL. DIX. *Vel quid prodest eius rei modestia, cuius accusat ipsam præsentia? Vide ergò quò tua acumina provehantur. Primò quia peccat natura sine voluntate, quod non potest. Secundò, quia est peccatū, & non peccat, id est, una res est & non est. Deinde, quando turbat pacem, miserabilis est: nec pro tanto crimine plectitur disparata quietis. Quando autem perficit iniquitatem, damnabilis est. Sed lex peccati sicut meretur ipsa tormentum, ita excusat hominis voluntatem: quia lex, & cogens, & naturalis, & nunquam recedens, superari utiq; à voluntate non potest: & nemo propter hoc reus est, quod vitare non potuit. Sed nec ipsa lex peccat, quæ aliud facere non potuit. Deus autem inevitabili reatum ascribit: nec ut hoc tantùm mali faciat ab ullo cogitur. Omnibus igitur absolutis, hic solus in crimine reperitur, qui mirâ fronte imputat alys necessitatem; cùm ipse sine necessitate delinquat. Macte virtute prudentiæ, nobilissime disputator, qui gradibus punicæ dialexeos ut commendares dona, evertisti iudicia: ut simulares gratiam, subruisti: ut infamares naturam, criminatus es hominum conditorem: & ita criminatus, ut non solùm aliquo peccatore, sed ipsâ lege peccati, Deus tuus nocentior appareret. Et post hæc profanissimè Catholicis Sacerdotibus convitium facis, ut dicas eos negare gratiam Christi, cuius æquitatem tuentur; cùm nos Laudemus quidem clementiam remediorum, sed legum manente iustitia,*

CAP. 72.

Nemo propter hoc reus, quod vitare non potuit.

fortè addem. iustitiam.

Non pauci Pelagiani Sacerdotes erant.

AVG. RES. Vtinam Catholicos agnoſceres Sacerdotes, qui longè priuſquam eſſe cœpiſtis, dixerunt *concupiſcentiam carnis*, quæ *concupiſcit adverſus ſpiritum*, quamvis *adverſus eam* etiam *ſpiritus concupiſcat*, quæ lex intelligitur eſſe peccati reſiſtens legi mentis, per peccatum quod in Paradiſo perpetratum eſt, humanam vitiaſſe naturam: unde ſine illa modò naſcitur nemo, eiúque ſpiritus adverſatur in ſanctis, ut juſtè viuant pugnando contra illam, donec perfectâ hominis ſalute, & carne cum ſpiritu pleniſſimè concordante, jam non ſit. Dicit Ambroſius, *Per prævaricationem primi hominis in naturam vertiſſe diſſenſionem carnis & ſpiritûs.* Eamque diſſenſionem ſic Cyprianus oſtendit (in quo Pœno *punicam dialexim*, ut puto, inridere non audes, quod facere in me auſus es) *Eſt*, inquit, *inter carnem & ſpiritum colluctatio, & diſcordantibus adverſùm ſe invicem quotidiana congreſſio, ut non quæ volumus, ipſa faciamus; dum ſpiritus cæleſtia & divina quærit: caro terrena & ſæcularia concupiſcit. Et ideo petimus inter duo iſta, ope & auxilio Dei concordiam fieri, ut dum & in ſpiritu & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata eſt, anima ſervetur. Quod apertè atque manifeſtè Apoſtolus Paulus ſuâ voce declarat, Caro*, inquit, *concupiſcit adverſus ſpiritum & ſpiritus adverſus carnem. Hæc enim invicem adverſantur ſibi, ut non quæ vultis, ipſa faciatis.* Hanc tu concordiam Carnis & Spiritûs, quam nos optare & à Domino dicit orare *Cyprianus*, nec in Paradiſo ante peccatum fuiſſe concedis: aut ſi fuit, cur non fateris eam per prævaricationem primi hominis vitiatâ periiſſe naturâ, beatæque paci animi & corporis miſeram ſucceſſiſſe diſcordiam? Et indignaris nobis quòd velut *Catholicis Sacerdotibus*, id eſt, Vobis, *faciamus* noſtro ſermone *convitium*, quòd dicimus *vos negare gratiam Chriſti*: cùm Vos, iſtis verè Catholicis Sacerdotibus impudentiſſimè ac profaniſſimè convitiemini, his verbis, quæ in me, qui eorum fidem ſequor & tueor, indigeſto furore ructatis.

Concupiſcentia ex peccato orta eſt.

l. 7. in Luc. c. 12. v. 52.

De orat. Domin.

Apoſtolus dicit, *Spiritu ambulate, & concupiſcentias carnis ne perfeceritis.* Rogo, Cur eas appellat, ſi nullæ ſint? Cur eas perfici vetat, ſi bonæ ſint? Sed adhuc quales ſint, oſtendit & dicit: *Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem. Hæc enim invicem adverſantur, ut non ea quæ vultis faciatis.* Quibus dicebat, *ut non ea quæ vultis faciatis?* Nunquid Iudæis ſecundùm mirabilem veſtram intelligentiam nondum ſub Chriſti gratia conſtitutis, & non eis quibus dixerat,

Gal. 5. 17.

Ibid. 16.

Concupiſcentiæ carnis malæ ſunt.

Gal.3.2. dixerat, *Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Fidelibus itaque Christianis dicebat, non ea quæ vellent facere concupiscente adversùs spiritum carne. Quid ita? nisi quia volebant inferiorem partem suam consentire superiori, id est, Carnem Spiritui, nec valebant perficere quod volebant: eisque restabat non consentire illi vitio, sed adversùs carnem spiritu concupiscere. Verùm, etsi hoc in eis erat, quod vos putatis, ut propter consuetudinem malam etiam nolentes malè viverent; quid ergo est quod dicis, *Naturam sine voluntate peccare non posse*, cùm istos non volentes peccare fatearis? Cur autem dicta sit concupiscentia carnis peccatum, lex-vé peccati, jam suprà diximus: cui si bonum non est consentire ad inlicita, profectò ipsa malum est, quâ concupiscuntur inlicita, etsi nullâ consensione, nulloque opere perpetrantur. Iudicia Dei porrò vos evertitis, qui generis humani miserias incipientes à parvulis, sine ullo peccati merito fieri dicitis: nec donum Dei poscitis, *ne intretis in tentationem*, hoc est, ne peccetis. In vestra enim virtute confiditis, & vos in Psalmo secundo notatos esse atque damnatos, vel non videtis cæci, vel stolidi non doletis.

Concupiscentia mala est.

Miseriæ humanæ ex iusto Dei iudicio.

Matt.26.41

CAP. 73.

IVL. DIX. *Verùm iam pergamus & ad verba mea, quæ de præfatione sublata, sibi impugnanda proposuit.* Satis igitur monuerim, „sic istum verba mea quasi refellenda sibi proponere voluisse, „ut alibi medijs detractis sententias interruperit, alibi extremis non additis decurtarit, & cur hoc fecerit sufficienter „ostenderim. Nunc ad ea, quæ sicut voluit, nostra proposuit; „quæ sua opposuerit, videamus. Sequuntur enim verba ejus; „& sicut iste insinuavit, qui tibi chartulam misit, priùs aliquid „de præfatione conscribit, proculdubio librorum illorum de „quibus pauca decerpsit. Id autem ita se habet. Doctores, inquit, nostri temporis, Frater beatissime, & nefariæ quæ adhuc fervet seditionis auctores, ad hominum, quorum sanctis studijs uruntur, contumelias & exitium decreverunt „per ruinam totius Ecclesiæ pervenire; non intelligentes „quantum his contulerint honoris, quorum ostenderunt gloriam, nisi cum Catholica religione non potuisse convelli. „Nam si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum „esse nascentium conditorem dixerit, Celestianus & Pelagianus vocatur. Ne igitur vocentur hæretici, fiunt Manichæi: „& dum falsam infamiam vitant, verum crimen incurrunt,

Lib. 2. de nup. c.2.

Ibid.c.3.

Verba Iul. apud Aug.

Ibid.

„instar ferarum, quæ circumdantur pennis ut cogantur in „retia. Quibus quoniam deest ratio, in verum exitium vanâ „formidine contruduntur. *Cognosco dicta mea: sed non à te cum integritate perlecta. Et licèt non in his certaminis summa consistat, quia de præfatione est, tamen ut levitas tua liqueat* (frater beatissime) *in eo loco positum non est, sed in primo statim versu libri. Itaque cùm dixissem*, ad hominum, quorum sanctis studijs uruntur, contumelias & exitium; *addidi*, (quoniam iter aliud non patebat) decreverunt per ruinam totius Ecclesiæ pervenire. Postquàm etiam dixi, quia liberi confessor arbitrij, & Dei conditoris, Celestianus & Pelagianus vocatur, quo simplices (*inquio*) sermone perterriti, ut ab invidia nominis exuantur, etiam sanam fidem deserunt, crediturí procul-dubio, nec liberum esse in hominibus arbitrium, nec Deum nascentium conditorem, quando illud quod priùs affirmaverant, utrumque deseruerint. *Hoc autem à te prætermissum est. Post quod sunt illa quæ posuisti, quàm sanè vera, & quàm inexpugnabilia, haud difficilis erit opera comprobare. Nec ego igitur quidquam de dictis tuis minùs: nec tu vel primum caput, ita ut à me ordinatum fuerat, retulisti. Quod ideo inculco, ut gravitas Pœnis scriptoris emineat.*

AVG. RESP. Qui de libris tuis, quæ voluit decerpta, cui voluit legenda transmisit, ipse quod mihi imputas fecit: nec aliud etiam te ipsum existimo credere. Neque enim in eodem libro meo, contra quem latras, non sum prælocutus, cui sim chartulæ respondere compulsus. Sed quæris convitiando quid dicas, sentiens te nihil validũ dicere disputando. Quanquam & in his meis verbis, quę mox tibi quasi refellenda proponis, id quod dico advertere potuisti. Non enim dicerem. *Non est ita ut loqueris quicumq; ista dixisti*, si certus essem Te illa dixisse. Nam is qui cui voluit, & qualem voluit scripturam misit quam mihi missam refutare susceperam. Sed Deo gratias, quòd universo ipsi operi tuo, unde quæ voluit, sicut ei placuit, iste decerpsit, ita Domino adjuvante respondi, ut omnia tua, quæ contra antiquissimam Catholicam fidem novus hæreticus erexeras machinamenta subverterem.

for. del. qui.

CAP. 74. IVL. DIX. *Contra hæc ergò verba mea, quæ rescripseris audiamus*, Non est ita, ut loqueris, quicumque ista dixisti: non „est ita. Multùm falleris, vel fallere meditaris. Non libe- „rum negamus arbitrium, sed, *si vos filius liberaverit*, ait Ve- *Ioan. 8. 36.* „ritas, *tunc verè liberi eritis*. Hunc vos invidetis liberatorem, quibus

„ quibus captivis vanam tribuitis libertatem. *A quo enim quis*
2. Pet. 2. 19. „ *devictus est*, sicut dicit Scriptura, *Huic & servus addictus est*,
„ nec quisquam nisi per gratiam liberatoris isto solvitur vin-
„ culo servitutis, à quo est hominum nullus immunis, *Per*
Rom. 5. 12. „ *unum* quippe *hominem peccatum intravit in hunc mundum, &*
„ *per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransyt, in quo*
omnes peccaverunt. Amplissimam esse nostri negotij dignitatem, tum
& ipsa rerum consideratio & appensio indicat, quam tuemur: tum
etiam vester pavor; qui contra nostrorum sanguinem, pecuniarum
effusione, hæreditatum largitate, equorum transmissione, populorum
seditione, potestatum corruptione pugnantes, & fidem vestram, quæ
à nobis impugnatur, erubescitis profiteri: & ad nostra sententiæ à qua
deviatis, verba confugitis.

AVG. RESP. Aut sciens calumniaris, si tu ista mentiris: aut nesciens quid loquaris, cùm mentientibus credis. Sed jam satis sit, quod superiùs tuæ vanitati vel etiam malignitati ad ista respondi.

IVL. DIX. *Tam enim scelestum est, quod suscepit prævaricatio* CAP. 75.
pudenda Babylonis, ut cùm à nobis objcitur, à vobis negetur: & tam
sanctum est, quod à nobis creditur, ut sub umbra eius delitescere, licet
adversariâ mente cupiatis. Nam cùm ego quidquid disputationis vestræ
sparsim membris tenebatur, exprimerem, & summam quæstionis in bre-
vitatem cogerem, ut Ecclesiasticæ dissensionis causa, quanta & qualis
esset, sine fumo & nebulis proderetur, dixi, liberum à vobis arbitrium negari, & Deum nascentium conditorem: *porrò à nobis*
utrumq; defendi, & ob hoc vos imperitis auribus, de nominibus Catho-
licorum Virorum (qui propter fidem Apostolicam quam tuemur, nobis-
cum laborant) ciere maiorem fragorem: ut qui timuissent Cœlestiani *à*
vobis dici, amitterent cœlestis fidei dignitatem: & qui expavissent, ne à
vobis Pelagiani *dicerentur, in Manichæorũ* Pelagus *præcipitarentur,*
putarentq;, se imperiti quique, non posse Christianos appellari, si eos
Traduciani Pelagianos vocassent; cùm è regione prudentes statuerent,
quamvis nominum invidiam sibi & iniuriam sustinendam magis quàm
fidem Catholicam relinquendam. Sed ne vel hoc ipsum convitij genus
vestro inventum ingenio glorieris, recordamini, ab omnibus quidem
hæreticis diversa vocabula solere suscipere, sed in Synodo Ariminensi
vehementiùs claruisse, quid apud plumbeos animos, vel ambiguitas
verbi vel comminatio novi vocabuli, posset sceleris obtinere. Nam cùm
sub Ariano Principe, vir magnæ constantiæ, fidei sanissimæ Athana-
sium Alexandrinum Episcopum, dilapso à fide Apostolorum omni penè

Ita moderni hæretici Catholicis convitiantur.

mundo, & impietate temporum obstitisset, atque ob hoc in exilia coactus esset, de sexcentis & quinquaginta, ut fertur, Episcopis, vix septem inventi sunt, quibus charior esset Dei præcepta quàm Regis; videlicet, ita ut nec in Athanasy damnationem convenirent, nec Trinitatis confessionem negarent. Illa verò omnis delectorum peccatorum multitudo, extra iniuriarum metum, hac est potissimùm vel nominis commina-tione, ne Athanasiana vocaretur, vel interrogationis calliditate decepta.

Ex 650. Episcopis, vix septem Athanasio adhæserunt.

Catholici Athenasiani vocabantur ab Arianis.

AVG. RESP. Athanasianos vel Homousianos Ariani Catholicos vocant, non & alij hæretici. Vos autem non solùm à Catholicis, sed etiam ab hæreticis, vobis similibus & à vobis dissentientibus Pelagiani vocamini; quemadmodum non tantùm à Catholica, sed ab hæresibus vocantur Ariani. Vos verò soli nos appellatis Traducianos, sicut illi Homousianos, sicut Donatistæ Micarianos, sicut Manichæi Pharisæos, & cæteri hæretici diversis nominibus.

Solent hæretici Catholicos agnominare.

CAP. 76. IVL. DIX. *Nos cùm proponerent Ariani, qui rerum eâ tempestate potiebantur, Homousion sequi vultis, aut Christum? responderunt continuò, quasi in nomen religiosi, Christum se sequi, Homousion repudiare. Atque ita exeunt gestientes, velut qui Christo crederent, quem iam negaverant, Homousion, id est, unius cum patre substantiæ denegando. Ita ergo & nunc Vos, fabricatores doli, imperitas territis aures, ut si nolunt laborantium pro fide virorum appellatione respergi; & liberum arbitrium negent, & Deum hominum conditorem. Hoc igitur à me, in illo loco constat obiectum, & quàm non falsò, præsens disputatio palam faciet: Respondisti ergo hoc modo,* Non negamus liberum arbitrium, *& nihil aliud subiunxisti de tuo; consequens enim fuerat, ut impleres sine tergiversatione sententiam; cùm præmisisses non te negare arbitrij libertatem; adderes, sed confitemur datam à Deo libertatem arbitrij in hominum permanere natura.*

AVG. RESP. Quomodo manet libertas in eis, qui ut liberentur à servitute, quâ victori peccato addicti sunt, divinâ indigent gratiâ, nisi quia liberi sunt & ipsi, sed iustitiæ? unde dicit Apostolus, *Cùm essetis servi peccati, liberi fuistis iustitiæ.* *Rom. 6. 20.*

CAP. 77. IVL. DIX. *Impleveras enim hoc sermone aliquid: contra quod si fuisses locutus ulteriùs, nimiùm impudens; sin autem omnia consequenter, licet tarde, posses apparere correctior. Nunc verò me dicis fallere, qui quod obieci, per te probo: & tu statim in eo quod te putas consequenter instruxisse, mentiris. Ais quippe;* non liberum negamus arbitrium: *& subiungis testimonium Euangely,* sed si vos *Ioan. 8. 36.*

filius

filius liberaverit, *ait Veritas*, tunc verè liberi eritis, *cùm hoc in illo loco, à Domino nostro* IESV *constet in liberum arbitrium non fuisse prolatum. Cuius expositionem sententia paululùm differentes definitionibus & divisionibus, quid nostrum alteruter sentiat, explicemus. Debet quippe secundùm omnium Doctorum disciplinam, inchoatio disputationis à definitione sumi.*

AVG. RESP. Apostoli ergò qui disputationum suarum inchoationes non à definitione sumpserunt, non erant docti: & tamen erant Doctores Gentium, & contemptores Doctorum talium, de quibus te delectat inflari. Quòd autem ait
Ibid. Dominus, *si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis*, conaberis quidem in tuam detorquere sententiam; sed quàm te non sequatur, cùm conari cœperis, apparebit.

IVL. DIX. Omnis quippe (*ut ait ille*) quæ ratione susci- CAP. 78.
pitur de aliqua re disputatio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id de quo disputatur. *Ita ergo & nos, sicut suprà de iustitia & peccati definitione disseruimus, nunc quoque videamus, quæ libertati arbitrij definitio competat, ut planum sit, quis nostrûm consentiat, quis repugnet. Libertas arbitrij, quâ à Deo emancipatus homo est, in admittendi peccati & abstinendi à peccato possibilitate consistit.*

Incipit de libertate disputare.

AVG. RESP. Emancipatum hominem dicis à Deo: nec attendis hoc cum emancipato agi, ut in familia patris non sit.

IVL. DIX. *Factum est enim animal rationale, mortale, ca-* CAP. 79.
pax virtutis & vitij, quod posset ex concessa sibi possibilitate vel servare mandata, vel transgredi, vel magisterio naturali conservare ius humanæ societatis, liberumq; haberet alterutram velle partem. In quo peccati & iustitiæ summa est. Nam cum aliquid secundùm virtutem indigentibus, aut de misericordiæ fontibus, aut de iustitiæ immulget uberibus, hoc operatur foris iam ipsa iustitia, quam intus voluntas sancta concepit & peperit.

AVG. RESP. Vtrùm de suo justitiam conceperit, hoc vobiscum agitur, qui *ignorantes Dei iustitiam, vestram vultis constituere*, cùm voluntas sancta utique justitiam sanctâ cogitatione concipiat, de qua scriptum est, *Cogitatio sancta servabit te.*
Prov. 2. 11. apud 70. Dicit autem Apostolus, *Non quia idonei sumus cogitare aliquid*
2. Cor. 3. 5. *quasi ex nobis-metipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Hoc si intelligatis, non aliud intelligitis esse arbitrium laudabiliter liberum, nisi quod fuerit Dei gratiâ liberatum.

IVL.

IVL. DIX. *Quod ut breviter absolvatur, possibilitas est ad hoc solum excubans, ne homo vel in peccatum à quoquam impellatur, vel à peccato abstrahatur, voluntate captivâ. Quam non posse capi, si dedi ipsa noluerit, testatur fortitudo, cuius lacerti in contemptu dolorum & per Gentiles & per Christianos assiduè claruerunt.* CAP. 83.

AVG. RESP. Hoc est utique, quod ait hæresis vestra. Ad hoc enim additis *& Gentiles*, ne piæ fortitudinis opus, Dei gratiâ Christiani facere potuisse aut fecisse credantur: quæ Christianis est propria; non Christianis Gentilibusque communis. Audite ergo & intelligite, * Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas: Fortitudinem autem Christianorum *Dei charitas* facit, quæ *diffusa est in cordibus nostris*, non per voluntatis arbitrium, quod est à nobis; sed *per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* *Rom. 5. 5.*

Pia fortitudinis opus, sit Dei gratiâ. Christianis propria.

* PROSPER *Sent. 295.*

IVL. DIX. *Si ergò est, ut ratio prodidit, arbitrij libertas propulsatrix necessitatum, ut nemo sit vel bonus vel malus, cui non sit liberum esse contrarium, quemadmodum Tu, aut confessus es liberum arbitrium, usus iam tali testimonio quod captivos convenit: aut, tale testimonium subdidisti, postquam liberum fueras confessus arbitrium?* CAP. 84.

Ioan. 8. 36. *Ais enim*, Non negamus arbitrium liberum; *sed*, si vos Filius liberaverit, *ait Veritas*, tunc verè liberi eritis; *Manifestum est Christum in illo loco ad captivam conscientiam verba fecisse, quam liberam non esse prodebat, sed obnoxiam ei ultioni, quæ condemnat peccata, liberâ voluntate commissa. Quam sententiam tu malè intelligens, id est, non intelligens, aut fortè intelligens, & huc naturâ suâ repugnantem trahens, in eo posuisti loco, ubi à tuis sermonibus totâ sui proprietate discordat. Vt enim ipsa verba iungamus, quod liberatur, captivum est; quod captivum, liberum non est: quod liberum est, captivum non est.*

AVG. RESP. Alia est remissio peccatorum, in eis quæ mala facta sunt: alia charitas, quæ facit liberum ad ea quæ bona facienda sunt. Vtroq; modo liberat Christus, quia & iniquitatem ignoscendo aufert, & inspirando tribuit charitatem.

IVL. DIX. *Tu utrumvis hîc simpliciter confitere, & cavillari desine. Aut dic nobiscum liberum esse arbitrium, & remove testimonium, quod suo tempore congruè prolatum est: Aut sicut in his libris, quos tunc per Alipium ad Bonifacium misisti, dic captivum esse arbitrium, quod nos liberum dicimus, & desine te negare Manichæum.* CAP. 85.

AVG. RESP. Manichæus immutabilem substantiam mali, *Error Manichæi.*

mali, naturæ Dei sui miscet insanus, & eandem naturam Dei potiùs corruptibilem facit, & sub aliena natura vult esse captivam; Fides autem Catholica, bonam, sed tamen mutabilem creaturam in deterius voluntate, ac per hoc, depravatâ suâ vitiataque naturâ, non sub aliena substantia, sed sub peccato suo ream dicit ferviliter detineri. Ac per hoc, & de ipso Liberatore, multùm ab eo nostra diversa sententia est. Manichæus enim dicit opus esse Liberatoris, ut à nobis naturam separet alienam: Nos autem, ut sanet & vivificet nostram. Tu ergò adjutorem Manichæi te non esse ostende, si potes, qui miserias hominum, cum quibus eos nasci, quoniam sine dubio sentit genus humanum, nolens tribuere peccato vitiatæ naturæ nostræ, facis, ut eas ille permixtæ nobis naturæ tribuat alienæ.

Manichæus, ad quid liberatorem necessarium contenderit?

CAP. 86. IVL. DIX. *Caterùm duo ista, quæ iungis*, liberum, *& non liberum, id est* liberum *&* captivum, *illi quidem rei de qua agimus, convenire non possunt: Tibi verò stultitiam singularem, impudentiam novam, impietatem veterem adesse testantur.*

Laudoria Iuliani.

* BEDA *Rom. 6.* AVG. RESP. * Liberos dicimus ad facienda opera pietatis eos, quibus dicit Apostolus, *Nunc autem liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem verò vitam æternam*: Hunc in sanctificatione fructum, qui fructus procul dubiò charitas est atque opera ejus, nullo modo habere possemus à nobis: sed habemus *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* De ipso quippe fructu loquebatur Magister Dominus, quando palmitibus in se manentibus dicebat, *Sine me nihil potestis facere.* *

Rom. 6. 22. *Rom. 5. 5.* *Ioan. 15. 5.*

Sed *stultitiam singularem* nobis inesse convitiaris, quia Deus nobis virtus est, nec in nostra virtute confidimus: & *impudentiam novam*, quia *concupiscentiam carnis*, qua *caro concupiscit adversus spiritum*, non tuâ fronte laudamus: & *impietatem veterem*, quoniam dogmata antiqua Catholica quæ docuerunt, qui Ecclesiam Christi ante nos in ejus gratia verâ pietate rexerunt, contra perversitatem vestram novitiam quantulocumque labore defendimus. In te igitur agnosce stultitiam, in te impudentiam, in te impietatem, non veterem, sed novam.

CAP. 87. IVL. DIX. *Sed iam tempus est, ut de Euangely sententia differatur*, dicebat, *inquit Euangelista Ioannes*, IESVS ad Iudæos eos, qui crediderunt ei, Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, & veritas libera-

Ioan. 8. 31. & 32.

liberabit vos : *Id est, Dominus noster* IESVS *loquebatur ad credentes sibi, ut de nulla sæculi nobilitate gaudentes, nec de Abrahæ sibi semine gloriam vindicantes, niterentur & studerent virtutibus, & nullis post agnitionem Christi servirent peccatis, ut veram libertatem conscientia gaudente retinerent, & spe certorum, id est, æternorum vindicarentur à cupiditate aliorum omnium, quæ propter fragilitatem sui,*
Ibid. 32. *vana frequenter & falsa dicuntur. Tunc* responderunt ei *Iudæi non intelligentes de qua* IESVS *libertate dixisset,* Semen Abrahę sumus, & nemini servivimus umquam; quomodo tu dicis, liberi eritis ? *Multis enim modis* libertas *appellari solet; ut in hoc loco* sanctiRom. 8. 21. tas : *ut* resurrectio *in Apostolo, ubi dicit* creaturam liberari à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei : *ut* libertas *quæ notior est, & ad distinctionem dicitur servitutis. Eo autem nomine &* libertas *nuncupatur arbitrij. Dividantur ergò causæ, ne res multùm distantes confundantur nominis communione. Hîc ergo non arbitrij libertatem Dominus dicit esse liberandam, sed illâ integrâ permanente convenit Iudæos, ut accipientes indulgentiam liberentur à reatibus, & eam, quæ apud Dominum maxima est, libertatem occupent, ut incipiant nihil debere criminibus. Deinde sequitur Euangelista;* Re-
Ioan. 8. 34. 35. & 36. spondit eis IESVS. Amen Amen dico vobis, quoniam omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in Domino in æternum: Filius autem manet in æternum. Si ergò Filius vos liberaverit, tunc verè liberi eritis.

AVG. RESP. Attende quod dictum est, *Omnis qui facit peccatum,* non enim ait, qui fecit; sed, *qui facit.* Et non vis eum ab hoc malo liberare homines : non vis eum hoc loco talem promittere libertatem, quâ peccatum non faciamus ; sed ideo tantummodò liberare, quia fecimus.

IVL. DIX. *Aperuit de qua hîc servitute loquebatur,* Omnis, CAP. 88. *inquit,* qui facit peccatum, servus est peccati : *Hoc autem ipsum quàm vehemens est contra errorem vestrum, quia dicit :* servum non esse peccati, nisi eum qui fecerit ipse peccatum, *nec posse cuiquã adhærere peccatum, quod non is de quo agitur, per se, aut actione, aut sola commiserit voluntate : quin quia etiam ostendit universitatem humani generis non posse à diabolo possideri cùm distinctionem facit inter servum & filium, id est, iustum & iniustum. Hic etenim ut se Christus, ita etiam unumquemque sanctorum à servorum conditione separaba : sicut fuerunt & ante vetus, & in vetere testamento, quos in domo patris sui manere, & in mensa eius denuntiat iocundari. Totum hoc autem exhortationis genus ineptè prolatum esset, si non liberi arbitrij homines conveniret.*

AVG. RESP. Convenit planè ideo facientes peccatum, quia servi sunt peccati, ut acceptâ libertate quam promittit, desinant facere peccatum. *Regnabat* namque *peccatum in eorum mortali corpore*, ita *ut obedirent concupiscentijs eius, & exhiberent membra sua arma iniquitatis, peccato.* Contra hoc ergo malum, quo peccatum faciebant, libertate indigebant quam promittebat. *Omnis enim*, non, qui fecit; sed, *qui facit peccatum, servus est peccati.* Quid verba lucida caliginosis disputationibus obscurare conaris? Etumpunt omninò & te licet obsistente, fulgore suo vincunt tenebras tuas. *Omnis*, ait, *qui facit peccatum, servus est peccati.* Audis, *qui facit*, & tu non exponere, sed supponere vis, *qui fecit.* Audiant ergo, quibus ipse aperit sensum, ut intelligant Scripturas. Audiant, *Omnis qui facit peccatũ, servus est peccati*: & quærant accipere libertatẽ, ut non faciant peccatũ, clamantes ad eum, cui dicitur; *Itinera mea dirige secundùm verbum tuum, & ne dominetur mei omnis iniquitas.* Cur autem inludis sensibus tardis, & † tradita insinuas verba Domini, quasi dixerit, *Servum non esse peccati, nisi eum qui fecerit ipse peccatum?* Fraude agis, non hoc dixit. Non enim ait, *Nemo est servus peccati, nisi qui facit peccatum*, sed ait, *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Sunt enim servi peccati originalis, qui peccatum non faciunt, sed ab hoc vinculo servitutis, regeneratione solvuntur. Non igitur omnis qui servus est peccati, facit peccatum, sed, *omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Sicut non omne animal equus est: sed tamen omnis equus animal est. Vbi est Dialectica tua, quâ te inflare consuesti? Tam doctum & acutum quare Te ista fugiunt? aut quare insidiaris indoctis & tardis, si te ista non fugiunt?

Rom.6.12. & 13.

Ioan.8.34.

Luc.24.45.

Psal.118. 133.

† *fortè ita.*

Quis autem nostrûm dicit *Vniversitatem hominum à Diabolo possideri*, cùm Sanctorum tanta sint millia, quæ non possidentur à Diabolo? Sed dicimus, Eos solos à Diabolo non possideri, quos Christi liberat gratia, cujus gratiæ vos estis inimici. Si enim hanc gratiam non oppugnaretis, sed intelligeretis, procul-dubio etiam ante vetus Testamentum & tempore veteris testamenti, omnes Sanctos à servorum conditione separatos, eâdem liberatos Christi gratiâ videretis.

CAP. 89. IVL. DIX. *Denique ut intelligas non eum naturæ eorum exprobrare, sed vitæ, sequitur*, Scio quia filij Abrahæ estis, *Vide, quia illi se liberos dixerant originis dignitate. Nunc cui servitutis nomen imputet, intuere.* Sed quæritis me interficere, quia sermo meus

Ioan.8.37.

Ibid. & 38.

meus non capit in vobis. Ego quod audivi apud patrem meũ, loquor: & vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.

AVG. RESP. Quid est, *Sermo meus non capit in vobis*? si natura etiam talis, qualis nunc non indiget liberante? jam capax est sermonis ejus, etiamsi sensum non aperiat gratia
Luc.24.45. ejus, sicut *aperuit Apostolis, ut intelligerent Scripturas*: sicut illi Pur-
Act.16.14. purariæ Thyatirenorũ, *ut intenderet in ea quæ à Paulo dicebantur.*

IVL. DIX. *Vide quàm diversa sit* naturæ *ratio &* voluntatis. *Non negavit* IESVS *carnem eorum pertinere ad semen Abrahæ: sed inculcat eis, quòd ad Diabolum patrem, voluntatis iniquitate migraverint: qui ideo genitor eorum dicitur, quia criminum arguitur eruditor.* Responderunt, *inquit*, & dixerunt ei *Iudæi*, Pater no-
Ioan.8.39. 40. & 41. ster Abraham est. Dicit eis IESVS, Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi à Deo. Hoc Abraham non fecit. Vos autem facitis opera patris vestri. *Aspicis-né quas faciat divisiones verborum suorum Sapientia, negans Abrahæ filios esse, quos suprà dixerat esse filios Abrahæ? Sed quoniã diversus est de* natura *ac* voluntate *tractatus, ostendit alterum esse professorem carnis innocuæ, alterum seductorem miseræ voluntatis.* CAP. 90.

AVG. RESP. Verùm dicis incautus. In Paradiso enim diabolus seductor beatæ voluntatis fuit, quam seducendo, miseram fecit. Nunc autem, sicut fateris, seductor est miseræ voluntatis. Ab hac ergo miseria, ne per illlam nunc faciliùs. quàm tunc ab illo seducta est, adhuc seducatur à diabolo, non illam liberat, nisi ille ad quem quotidie tota clamat Ecclesia:
Matt.6.13. Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.

IVL. DIX. *Hîc ergò ubi dixit Dominus*, Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis, *promisit indulgentiam rei: qui peccantes, non arbitrij libertatem, sed conscientiam iustitiæ perdiderunt. Liberum autem arbitrium, & post peccata tam plenum est, quàm fuit ante peccata; si quidem ipsius operâ fiat, ut abdicent plerique* occul-
2.Cor.4.2. ta dedecoris, *& flagitiorum abiectu sordibus, virtutum comas & ir insignibus.* CAP. 91.

AVG. RESP. Te audi saltem, ubi dicis propter consuetudinem peccatorum scriptum esse: *Non quod volo ago, sed*
Rom.7.15. quod odi, hoc facio. Quomodo ergo post peccata liberum est, quorum etsi non propagine (quia non vultis) certè tamen consuetudine (quam solam huic necessitate victi contorti-que conceditis) sic perdidit libertatem ut gemitus ejus feriat *An post peccatum maneat æqualis libertas ad bonum, ei que fuit ante peccatum?*

aures vestras, frontemq; conlidat, cùm auditis, *non quod volo, ago, &, non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago.* *Ibid. & 19.*

CAP. 92. IVL. DIX. *Desine itaque impiare te (si tamen ullum tibi fas aut nefas restat) Christi verba sic exponendo, ut ille arbitrium negasse liberum videatur, sine cuius integritate; æquitas ei proprij non potest constare iudicij.*

Grave iugũ, unde?

AVG. RESP. Imò ideò *grave iugum est super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum*, quia *ei constat æquitas iudicij*; quod omninò iniquum esset, si non traherent originale peccatum, per quod *homo vanitati similis factus est.* *Eccl. 40. 1.* *Psal. 143. 4.*

CAP. 93. IVL. DIX. *Audi sanè, ubi vim humanæ libertatis ostendit.* Ego veni in nomine patris mei, & non suscepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. *Et iterùm*, Aut facite arborem bonam & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. *Et iterùm*, Si mihi non vultis credere, operibus credite. *Atque omnibus vehementius, quod dicit intentionem suam humanâ voluntate impeditam fuisse.* Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos sub alas suas! & noluisti. *Post quod non sequitur*, Sed te nolente collegi; *verùm*, Relinquetur vobis domus vestra deserta, *ut illos ostendat pro malo quidem opere iure puniri; sed ab intentione propria non debuisse ullâ necessitate revocari. Sic enim & per Prophetam locutus erat*; Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ comedetis; Si nolueritis, & non audieritis, gladius vos comedet. *Quomodo ergo tu arbitrium liberum non negas, quod non quidem sermone tuo, sed Euangelij testimonio, sensu autem tuo, non-liberum pronunciasti?* *Ioan 5. 43.* *Matt. 12. 33* *Ioan. 10. 38* *Matt. 23. 37* *Ibid. 38.* *Isa. 1. 19. & 20. iuxta 70*

AVG. RESP. Ignoscendum est, quia in re multùm abditâ, ut homo falleris. Absit, ut impediatur ab homine omnipotentis & cuncta scientis intentio. Parùm de re tantâ cogitant, vel ei excogitandæ non sufficiunt, qui putant Deum omnipotentem aliquid velle, & homine infirmo impediente, non posse. Sicut certum, Hierusalem filios suos ab illo colligi noluisse; ita certum est eum, etiam ipsâ nolente, quoscumque eòrum voluit collegisse. *Deus enim*, sicut homo Dei dixit *Ambrosius, quos dignatur vocat, & quem vult Religiosum facit.* Convenit autem Scriptura plerumque hominis voluntatem, ut quod non habet, & non potest, admonitus sentiat: & ab eo, à quo sunt bona omnia, indigens poscat. Si enim exauditus fuerit in eo quod dicere jussi sumus, *Ne nos inferas in tentationẽ*, procul *Matt. 6. 13.*

Voluntas Dei, hominis voluntate impediri non potest. 1. 2. in Luc. 6. 9. v. 58.

Cur scriptura hominis voluntatem convertat?

procul dubio nullâ decipietur inscitiâ, nullâ cupiditate vin-
Isa.1.20. cetur. Propterea ergò per Prophetam dictum est, *Si nolueritis & audieritis me, gladius vos comedet*, & cætera hujusmodi; ut
cùm inveniissent in seipsis victrices cupiditates ad propellen-
dum in malum, scirent à quo deberent poscere auxilium.
Matt.23.38 Ideò autem dictum est, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, quia plures ibi erant, quos obduratione & desertione judicaverat dignos, occulto judicio, justo tamen. Nam si, ut
dicis, *ab intentione propria*, utique malâ, *non debet homo ullâ*
Act 9.1.& seq. *necessitate revocari*, cur Apostolus adhuc Saulus, cædem spirans & sanguinem sitiens, violentâ corporis cæcitate, & terribili desuper voce, à sua pessimâ intentione revocatur & ex persecutore prostrato, illius Euangelij, quod oppugnabat, laboriosior cæteris futurus pxædicator erigitur? Agnosce gratiam. Alium sic, alium autem sic, Deus quem dignatur, vo-
Ioan.3.8. cat; &, *Spiritus ubi vult spirat.*

Quidã quadam necessitate revocãtur.

CAP.94. IVL. DIX. *Nam in illo opore, quod te suprà dixi nuper Romam misisse, audaciùs quid sentires, aperuisti. In primo enim libro, cùm tibi similiter proposuisses quod nos obijcimus, arbitrium vos liberum denegare, ita disseris constantissimus & subtilissimus disputator.* Quis au-
„ tem nostrùm dicat, quòd primi hominis peccato perierit
„ liberum arbitrium de genere humano? Libertas quidem
„ perijt per peccatum; sed illa quæ in Paradiso fuit, habendi
„ plenam cum immortalitate justitiam; propter quod natura
„ humana divinâ indiget gratiâ, dicente Domino in Euan-
Ioan.8.36. „ gelio suo, *Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis*: utique
„ liberi ad benè justeque vivendum. Nam liberum arbitrium
„ usque adeò in peccatore non perijt, ut per ipsum peccent,
„ maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore
„ peccati, & hoc eis placet, quod eis libet. Vnde & Aposto-
Rom.6.20. „ lus, *Cùm essetis*, inquit, *servi peccati, liberi fuistis justitiæ.* Ecce
„ ostenduntur etiam peccato minimè potuisse nisi aliâ liber-
„ tate, servire. Liberi ergo à justitia non sunt, nisi arbitrio
„ voluntatis: liberi autem à peccato non fiunt, nisi gratiâ
„ Salvatoris. Propter quod admirabilis Doctor, etiam ipsa
Ibid.20,21. „ verba discrevit. *Cùm enim servi essetis*, inquit, *peccati, liberi*
& 22. „ *fuistis justitiæ. Quem ergo tunc fructum habuistis in his, in quibus*
„ *nunc erubescitis? nam finis illorum mors est. Nunc autem liberati à*
„ *peccato, servi autem facti Deo* „ *habetis fructum vestrum in sanctifi-*
„ *catione, finem verò vitam æternam.* Liberos, *dixi* justitiæ, *non*,
liberatos:

l.1. cont.2. Epist.Pel. c.2.

„liberatos: à peccato autẽ non liberos, ne ſibi hoc tribuerent:
„ſed vigilantiſſimè maluit dicere liberatos; referens hoc ad
„illam Domini ſententiam, *Si vos filius liberaverit, tunc verè li-*
„*beri eritis*. Cùm itaq; non benè vivant filij hominum, niſi ef-
„fecti filij Dei; quid eſt quòd iſte libero arbitrio vult benè vi-
„vendi tribuere poteſtatem? cùm hęc poteſtas non detur, niſi
„*gratiâ Dei per* IESVM *Chriſtum Dominum noſtrum*, dicente Eu- *Rom. 7. 25.*
„angelio, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios* *Ioan. 1. 12.*
„*Dei fieri. Et iterum poſt modicum*, Datur ergo poteſtas ut filij
„Dei fiant, qui credunt in eum. Quę poteſtas niſi detur à Deo,
„nulla eſſe poteſt ex libero arbitrio, quia nec liberum in bono
„erit, quod Liberator non liberaverit. Sed in malo liberum
„habet arbitrium, cui delectationem malitiæ, vel occultus
„vel manifeſtus deceptor inſeruit, vel ſibi ipſe perſuaſit. Non
„itaq; (ſicut dicunt nos quidam dicere, & iſte audet inſuper
„ſcribere) omnes in peccatum, velut inviti, carnis ſuæ neceſ-
„ſitate coguntur; ſed, ſi jam in ea ætate ſunt ut propriæ men-
„tis utantur arbitrio; & in peccato ſuâ voluntate retinentur,
„& à peccato in peccatum, ſuâ voluntate præcipitantur. Sed
„hæc voluntas quæ libera eſt in malis, quia delectatur malis;
„ideò libera in bonis non eſt, quia liberata non eſt. Nec po-
„teſt homo boni aliquid velle, niſi adjuvetur ab eo, qui ma-
„lum non poteſt velle. *In his omnibus verbis tuis, quæ poſui, ita vi-*
deo Gratiæ nomen cum Liberi arbitrij negatione conſertũ: ut non tam
mala ſenſus tui, appellatione boni vindicari queant: quàm dignitas no-
minum, dogmatum tuorum adhæſione vileſcat. Non ergo te his ſermo-
nibus honeſtaſti, ſed ornamenta ipſa turpaſti. Nos tamen ea, quæ à te
iuncta ſunt, ſeparamus, ut Gratiæ divinitas obſcœnis conligationibus
enodata, nec reſponſione quatiatur, & gravitate Catholicorum, non
Gratia Pelagiana, in quibus conſtituebatur. *Manichæorum adulatione laudetur. Gratiam ergo Chriſti multiplicem*
confitemur. Hoc primum munus eius eſt, quòd facti ex nihilo ſumus.
Secundum, quòd ut viventibus ſenſu, ita ſentientibus, ratione præſta-
mus: quæ impreſſa eſt animo, ut conditoris imago diceretur. Ad cuius
æquè reſpicit dignitatem, arbitrij conceſſa libertas. Ipſi etiam Gratiæ,
beneficiorum, quæ nobis præſtare non deſinit, augmenta reputamus.
Ipſa Gratia Legem in adiutorium miſit, quia ad eius ſpectabat officium,
ut rationis lumen (quod pravitatis exempla bebetabant & conſuetudo
vitiorum) multimodis eruditionibus excitaret, atque invitatu ſuo fo-
veret. Ad iſtius ergo Gratiæ, id eſt, divinæ benevolentiæ, quæ rebus
cauſam dedit, plenitudinem ſpectant, ut Verbum caro fieret, *Ioan. 1. 14.*
& habi-

Ioan. 1. 14. & habitaret in nobis. *Reposcens enim Deus ab imagine sua amoris vicem, palàm fecit quantum in nos inæstimabili egisset affectu, vt*
Rom. 5. 8. *vel serò redamaremus eum,* qui commendans charitatem suam
Rom. 8. 32. in nobis, filio suo non pepercit, sed pro nobis illum tradidit,
Ibid. 17. *pollicens quia si voluissemus deinceps voluntati eius obedire, vnigeniti sui præstaret nos esse* cohæredes.

AVG. RESP. Homo Pelagiane, Charitas vult bonum, &
1. Ioan. 4. 4. *charitas ex Deo est,* non per legis litteram, sed per spiritum gratiæ. In hoc est prædestinatis adiutorium littera quia iubendo & non iuuando, ammonet infirmos confugere ad spi-
1 Tim. 1. 8. ritum gratiæ. Sic lege legitimè vtuntur, quibus bona est, id est vtilis: alioquin per se, ipsa *littera occidit,* quia iubendo
2. Cor. 3. 6. bonum & non largiendo charitatem, quæ sola vult bonum, reos prauaricationis facit.

Quomodo littera occidat?

IVL. DIX. *Hæc ergo Gratia, quæ in baptismate non solùm peccata condonat, sed cum hoc indulgentiæ beneficio, & prouehit & adoptat & consecrat; hæc, inquam, Gratia, meritum mutat reorum, non liberum condit arbitrium (quod eo accipimus tempore quo creamur: vtimur autem, quandò valentiam inter bonum & malum discretionis adipiscimur) donatq; voluntati innumera adiutorij genera, non vt fabricetur quæ fuerat arbitrij destructa libertas (vt aliquandò ea exclusa vel boni vel mali cuiquam necessitas credatur incumbere) verùm vt arbitrio libero omne adiutorium cooperetur.* XCV.

AVG. RESP. Si non præuenit, vt operetur eam; sed priùs existenti voluntati, gratia cooperatur; quomodò verum est,
Philip. 2. 13. *Deus in nobis operatur & velle?* quomodò *præparatur voluntas à*
Pelag. 8. 35. *Domino?* quomodò *charitas ex Deo est,* quæ sola vult beatificum bonum? Aut, si scientia legis & eloquiorum Dei charitatem operatur in nobis, vt non per donum Dei, sed per no-
Aug. ad 7c. 1. Ioan. 4 7. stræ voluntatis arbitrium diligamus, quod esse diligendum Deo docente cognoscimus; quomodò res minor ex Deo nobis est, & maior ex nobis? Quasi nec Deo donante scientiam,
Eph. 3. 19. hoc est, docente, nosse non possimus: illo autem charitatem, quæ supereminet scientiæ, non donante, diligere possimus. Sic non sapiunt, nisi noui hæretici, & gratiæ Dei nimis inimici.

An sufficere ossit legis scientia?

IVL. DIX. *Hoc ergo arbitrium liberum, propter quod solum.*
2. Cor. 5 10. Nos manifestari ante tribunal Christi *Magister Gentium* scribit, vt reportet vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum, *sicut Catholici quidem confitentur, ita vos non solùm cum Manichæis, sed etiam cum Iouiniano, quem nobis au-* XCVI.

des impingere, diuerso quidem genere, sed impietate simili denegatiu. Quod vt planius fiat, diuisionum adhibeatur examen. Nos dicimus, Peccato hominis non naturam statum mutari, sed meriti qualitatem; id est, & in peccante hanc esse liberi arbitrij naturam, per quam potest à peccato desinere, qua fuit in eo, vt posset à iustitia deuiare.]

An peccato naturæ status sit mutatus?

AVG. RESP. Scimus vos ideò dicere, *Peccato hominis naturæ statum non mutari*, quia deseruistis fidem Catholicam, quæ dicit primum hominem sic factum, vt non haberet moriendi necessitatem: peccato autem, ita hunc statum naturæ fuisse mutatum, vt hominem necesse sit mori. Vsque adeo, vt etiam Rom. 8. 10 & 11. spiritu iam regeneratis atque viuificatis Apostolus dicat, *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter iustitiam. Si ergo spiritus eius, qui suscitauit Iesum ex mortuis, habitat in vobis; qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum in vobis.* Ideò vtique dixit, *viuificabit & mortalia corpora vestra*, quod in carnis resurrectione speramus, quia dixerat, *corpus mortuum est propter peccatum*, & non vultis peccato statum mutatum esse naturę. Veruntamē Pelagio cùm in Palæstino iudicio fuisset obiectum, quòd diceret, *Infantes nuper natos in eo statu esse in quo Adam fuit ante peccatum*, negauit se dicere, idque damnauit. Quod si fecisset corde veraci, iam fortasse vestra hæresis interijsset. Postremò ipse saltem fuisset ab illa peste sanatus. Deindè quæro, Vtrùm vitio careat natura peccatrix? quod si absurdissimum est; habet ergo vitium. Si habet vitium, proculdubio vitiata est. Ac per hoc, excepto peccato illo, de quo *Ioannes Constantinopolitanus* ait, *Adam peccauit illud grande peccatum, & omnes in commune damnauit*, illo ergo excepto, de quo damnationem humana natura originaliter trahit, quomodò sobriè dici potest, statum naturæ in homine non fuisse mutatum qui dicit, *Lex spiritualis est; ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor, ignoro: non enim quod volo, ago*, & cætera huiusmodi? si hanc mutationem non in eo nascendi traxit conditio, sed, vt vultis, contraxit consuetudo peccandi. Cernitis-ne, vanum esse quod dicitis, *peccato hominis, non naturæ statum mutari, sed meriti qualitatem*? nisi fortè dicatis, *Non naturam peccato mutari, sed hominem.* Et quid est hoc, nisi hominem negare esse naturam? quando istud diceretis sana mente, quod dicitis?

L. de Gestis Pelagij c. 11. & 33.

De Lazar. vasas.

Rom. 7. 14. & 15.

Cap. 97. IVL. DIX. *Manichæus dicit voluntatem malam ab ea inspirari*

naturæ,

natura, quæ bonum velle non potest: voluntatem verò bonam ab eâ infundi natura, quæ malum velle non potest. Ita vtrimque naturis singularum rerum imponit necessitatem, vt propria volentes non possint velle contraria. Inter nos & illum certe grande chaos est. Videamus nunc quantum ab eo tu recesseris. Dicis esse liberam voluntatem, sed vt malum tantummodo faciat: nunc autem in hoc esse liberam, vt malum desistat operari, nisi ei fuerit imposita necessitas volendi bonum, ab ea natura, quæ, vt tuis vtar sermonibus, malum non potest velle. *Definis ergo genus hominum per liberum arbitrium nihil aliud quam peccare, nec aliud posse facere. Per quod absolutè pronuncias, humanam naturam vnum semper cupere quod malum est, & velle non posse contrarium. Naturam autem Dei malum non posse velle: & ideo nisi necessitatis sua participem fecerit malam hominum naturam, bonum in ea actionis esse non posse. Post hæc itaque, Vtrùm non multum ames Manichæum, in cordis tui secreto Deus viderit. Quantum tamen ex dogmatum germanitate monstratur, nihil aliud egisti, quàm vt ordine commutato, idem quod ille affirmâras, astrueres.*

AVG. RESP. Vtinam Manichæum fortiter destrueres, non turpiter *adiuuares*? Ille namque nimiâ peruersus insaniâ non dicit naturam mali cogi benè facere ab ea natura boni, quæ malũ non potest velle: sed dicit naturam boni cogi malè facere ab eâ naturâ mali, quæ bonum non potest velle. Ac per hoc mirabiliter demens naturam mali vult esse immutabilem: mutabilem verò uaturam boni. Proindè voluntatem malam ab ea inspirari natura, quæ bonum velle non potest, certum est dicere Manichæum: voluntatem verò bonam ab ea infundi natura, quæ malum velle non potest, non dicit Manichæus (sicut tu de illo mitius suspicaris) quòd boni naturam nullo modo immutabilem credat, quæ malum velle non possit, cui credit inspirari voluntatem malam ab ea natura, quæ bonum non potest velle, itaque fieri per mali naturam vt malum velit boni natura, quam nihil vult esse aliud quàm naturam Dei. Ergo hunc adiuuas, negando humanam peccato primi hominis vitiatam esse naturam, vt naturæ mali quam fingit, attribuat quidquid malorum in manifestissima inuenit miseria paruulorũ. Deindè, cùm displicet tibi hominẽ non posse bonum velle, nisi adiuuetur ab eo qui malum non potest velle, nonnè respicis ei te contradicere, qui dixit, *sine me nihil potestis facere*? & Scripturæ, vbi legitur, *paratus*

Mirabilis error Manichæi.

Ioan. 15. 5.

tur à Domino voluntas: & vbi legitur, *Deus est enim qui operatur in vobis & velle*: & vbi legitur, *à Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet.* Vbi nihil miror, nisi vndè te Christianũ dicas, cùm his diuinis tot, & tam claris vocibus contradicas. Ioan. 15. 5. Prou. 8. 35. apud 70. Philip. 2. 13. Psal. 36. 23.

IVL. DIX. *Iouinianο autem in vna parte coniungeris. Nam dicit in secundo operis sui libro, Baptizatum hominem non posse peccare: Ante baptisma autem & peccare & non peccare posse. Tecũ ergò putat tempore baptismatis imponi hominibus necessitatem boni: quod aequè falsum est, quàm quod tu putas Ante baptisma inesse hominibus necessitatem faciendi mal. Nam cùm dicis tu,* nõ potest homo boni aliquid velle, nisi adiuuetur ab eo, qui malum nõ potest velle, *participatione vtique gratiæ & naturæ bonæ, vũ hominem possibilitatem consequi faciendi boni: quod dicis tamẽ tempore baptismatis posse contingere. Inter impietatem igitur medius & timorem, ad Iouiniani consortium confugisti: sed Manichæi lupanar necdum reliquisti. Verũtamen tantò te innocẽtior Iouinianus, quantò Iouiniano profanior Manichæus. Vt enim adhuc quod egimus breuiùs colligatur, Manichæus dicit,* In omnibus hominibus inspiratrix malæ voluntatis, tenebrarũ natura delinquit, & aliud facere non potest, *Tu dicis,* in cunctis hominibus primi peccati tenebris infecta, & per hoc malæ voluntatis auctor natura delinquit. & bonum velle nõ potest. *Iouinianus* dicit, voluntas quidẽ, sed vsque ad baptisma delinquit: postèà autem nisi bonum velle non potest. *Catholici,* id est, *nos dicimus* quòd ab initio vsque ad finem sine aliquo naturalium coactu, voluntas & ante baptisma, in vnoquoque delinquit, quæ illo ipso tempore quo peccat, potestatẽ habet recedere à malo & facere bonum, vt constet ratio libertatis. *Vestrùm itaque nulli quidem, veritas dogmatum conflat. Tamen cùm ab vno principio erroris fueritis egressi, vel minùs inhonestum erat, si quæ consequuntur amitteres, id est, mancâ libertate delinqui. Et quia cum Manichæo dicis naturam malam, diceres cum eodem, nullo illam pacto posse mundari. Quod quidem alibi affirmes; sed, quod necessariò consequebatur, adiungeres: Ideo et opus non esse baptismatis sacramentis. Aut, si cum Iouiniano à tempore susceptæ fidei imprimi asseris bonas cupiditates, diceres cum eodem, bonam & ante baptisma fuisse naturam: quæ licet haberet possibilitatem mali, non tamen habuerit necessitatem, ac per hoc ad inamissibile bonum consecrata peruenerit. Hoc enim modo, etsi rationi nequaquam, tamen eorum, quos sequeris, dogmatibus contrauenires.*

AVG. RESP. Oblitus es quid dicamus. Recordare, quæso,

nos

nos sumus qui vobis reclamantibus dicimus, etiam iusti quamdiu sunt in hac vita, non deesse, vnde in oratione sua de
Matt. 6. 12. seipsis veraciter dicant, *Dimitte nobis debita nostra. Quod si dixerint se nō habere peccatum, seipsos decipiunt & veritas in eis nō est.*
1. Ioan. 3 Quid est ergo quod inaniter loqueris, me Iouiniani opinioni apertè coniungi, qua dicit *baptizatum hominem non posse peccare*? Absit vt tam simus surdi muti, vt non audiamus eorū, qui baptizati sunt, vocem, vel non cum eis dicamus, *Dimitte nobis debita nostra.* Ex quo autē homo incipit vti volūtatis arbitrio, & peccare & non peccare potest. Sed, alterum horum nō facit, nisi adiutus ab eo qui dixit, *sine me nihil potestis facere*: Alterū verò propria voluntate, siue à seipso, siue ab alio deceptore seductus, vel peccato sicut seruus, addictus. Adiutos autem homines nouimus Dei spiritu, vt ea vellent quæ Dei sunt, ante
Act. 10. 1. & 2. baptismum: sicut Cornelium. Quosdam verò, nec post baptismum: sicut Simonem Magum. *Iudicia enim Dei sunt sicut multa*
Psal. 35. 7. *abyssus*: & *Gratia* eius *non ex operibus, alioquin gratia iam non est*
Rom. 11. 6. *gratia.* Desine igitur cōuitiari. Nobis de Manichæo & Iouiniano. Quibus enim conuitieris in nobis, quos subsequuti negare nō possumus originale peccatum, videres si oculos haberes, & taceres si frontem haberes. Sic autē calumniosus es, vt *alibi affirmasse me dicas, à peccatis hominē nō posse mundari*, cùm ita dicā posse, vteò quoq; perducatur, vbi beatissimus peccare nō possit.

peccare homo vita est: esse non peccare sed cum quadam diuersitate.

Cap. 99.

IVL. DIX. *Nunc autem omnibus perfidus, dicis factam in natura carnis, peccati necessitatem.*

Rom. 6. 20. AVG. RESP. Tu nega dixisse Apostolum, *cum esses serui peccati, liberi fuisti iustitiæ*; Aut si hoc ab eo dictum esse nō negas, non eum rectè dixisse redargue. Si autem non audes; nega, si potes, eos quibus hoc dixit, habuisse in malis liberam voluntatem quandò *fuerunt liberi iustitiæ*: aut habuisse liberam in bonis, quando *fuerant serui peccati*: & ab hac seruitute eos aude dicere per se ipsos, non per Dei gratiam liberatos, quibus di-
Ibid. 19. citur. *Nunc autem liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Si autem dicis à reatu præteritorum malorum, non à dominatu peccati quo quisque iustus esse non sinitur, eos fuisse Dei gratiâ liberatos: vt autem in eis non dominaretur peccatum, ipsos facere potuisse, si vellent, neque ad hoc indiguisse gratiâ.
Rom. 7. 19. Saluatoris; vbi ponis eum qui dicit, *Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago*? Si enim sub lege, non sub gratia constitutus, hæc loquitur, istum nega sub graui necessitatis

pondere ingemere, hunc ad benè viuendum & ad rectè agendum per voluntatis arbitrium asserè liberum, clamantem tibi, *Mentiris, aut falleris, non quod volo, ago.* * Si autem, sicut meliùs sensit *Ambrosius*, hoc etiam de seipso dicit Apostolus; nec iustorum est in hac vita ad perficiendum bonum tanta libertas propriæ voluntatis, quanta erit in illa vita, vbi non dicetur, *non quod volo ago.* *

* BEDA Rom. 7. 19.

Cap. 100

IVL. DIX. *Vt possessione æternitatis amissa, quam quidem nunquam eam per exortum sui constat habuisse, voluntas appetendæ iugiter prauitati incumberet. Et adiungis*, voluntas quę libera est in malis; libera in bonis nō est. *Nō minore planè stultitia professone, quàm profanitate* liberū *vocas, quod dicis nisi vnum velle non posse.*

An libertas necessaria dicat, indifferentiā ad bonum & malū

AVG. RESP. Liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est, bonum & malum? Liber DEVS non est, qui malum non potest velle? de quo etiam ipse dixisti, *Deus esse nisi iustus non potest.* Siccine DEVM laudas, vt ei auferas libertatem? an potiùs intelligere debes, esse quandam beatam necessitatem, quâ DEVS iniustus non potest esse?

Sup. c. 23

Cap. 10.

IVL. DIX. *Sed licet nulla ex parte constet, tamen quid attuleris prudens lector attendat. Consentiamus voluntatem liberam dici posse, quæ bonum velle non potest: hanc autem voluntatem in baptismate asseris liberari. Interrogo, ad quem modum liberatur? An vt bonum semper velle cogatur, & malum velle non possit? An vt vtrumque possit appetere? Hîc tu si responderis, vt bonum semper velle cogatur, quam sis Iouinianista etiam ipse cognoscis. Si autem dixeris; & quomodò potest esse voluntas libera, si bonum semper velle cogatur? Respondeo: & quomodò dicebatur ante voluntas libera, si malum velle tantummodò cogebatur? Si ergo responderis, sic fieri post baptisma liberam voluntatem, vt & peccare & non peccare possit, hoc ipso pronuncialis liberum arbitrium non fuisse, cùm vtrumque non poterat. Clauderis vndique disputationis tuæ laqueis. Si arbitrium ante baptisma liberum fuit; facultatem habuit faciendi bona, sicut facultatem habuit faciendi mala: & omnis dogmatis tui, quo malum naturale persuades, scena conlabitur:*

AVG. RESP. DE Manichæo & Iouiniano iam me tibi superiùs inueniet respondisse, qui legerit. Quomodò autem dicas. Eum, cuius *voluntatem* nos dicimus *à Domino præparari*, ita fieri bonæ voluntatis, *vt bonum velle cogatur*, (quod absit vt dicatur à nobis) viderit præclara intelligentia tua. Si enim cogitur, non vult. Et quid absurdiùs, quàm vt dicatur nolens

velle

velle quod bonum est? De natura etiam Dei vide quid sentias, homo, qui dicis cogi hominem vt bonum velit, si malum velle non possit. Nunquid enim Deus cogitur velle bonum, quia velle non potest malum, quoniam est omninò immutabilis? Natura verò humana, quamuis mutabilis, quantum ad id pertinet quod condita est, bona est: quæ non solùm sine vitio facta est, verùm etiam cùm per vitium mala est, capax est boni, quo bona sit. Hæc vera sententia fallacem Manichæorum euertit insaniam. *Per gratiam non cogimur bonum velle.*

In baptismo autem ita peccata omnia dimittuntur in Dei gratia, quâ & ad ipsum baptismum, homo, præparatâ ab illo voluntate perducitur, vt deinceps, quamuis *concupiscat spiritus* eius *aduersùs carnem* ne consentiat iniquitati; tamen & *caro concupiscat aduersùs spiritum*, vt non faciat & ille quod vult. Vult enim & istam carnis concupiscentiam non habere; sed non potest nunc. Propter quod adhuc in seipso ingemiscit, *adoptionem expectans & redemptionem corporis* sui, vbi sic habeat carnem, vt iam peccare non possit. Nunc ergo, non solùm potest peccare post baptismum, verùm etiam, quia & benè reluctans concupiscentiæ carnis, aliquando ab ea trahitur ad consensionem: & quamuis venialia, tamen aliqua peccata committit; habet cur semper hîc dicat, *Dimitte nobis debita nostra.* Hæc quoque Catholica veritas Iouiniani redarguit vanitatẽ. *Venialia peccata.*

Rom. 8. 23. Matt. 6. 12.

Vtrumque autem, id est, & quod contra Manichæum, & quod contra Iouinianum dicimus, hæresim vestram calumniasque subuertit.

IVL. DIX. *Sin autem liberum ante ad bonum non fuit, & factum est post baptisma liberum vt malum facere non posset; nunquam quidem ei affuit arbitrij libertas: & probatur sine reatu antea peccasse, & postea sine cura, sanctitatis gloriam possidere.* Cap. 102

AVG. RESP. Ergo nec in Deo est arbitrij libertas, quia malum facere non potest sicut *negare seipsum non potest*, qui & nobis summo illo præmio largiturus est, vt non quidem ipsi Deo, sed tamen Angelis eius æquales, nec nos peccare possimus. Hoc enim eis post lapsum diaboli pro merito bonæ voluntatis, qui in veritate steterunt, donasse credendus est, vt postea nullus per liberum arbitrium nouus diabolus fieret. *An libertas necessaria discat, indifferentiam ad bonum & malum?*

2. Tim. 2. 13.

IVL. DIX. *Quo collecto conuinceris inficiari dogmata tua, vt promittas te liberum arbitrium non negare, quod antè mali, postea boni necessitate subuertis.* CIII.

AVG.

Deus non premitur necessitate vt peccare non possit.

AVG. RESP. Dicturus es, vt video, Deum necessitate premi, vt peccare non possit: qui vtique nec potest velle nec vult posse peccare. Imò, si necessitas dicenda est, qu à necesse est aliquid vel esse vel fieri, beatissima ista omninò necessitas, quâ necesse est feliciter viuere, & in eadem vita necesse est nõ mori, necesse est in deterius non mutari. Hac necessitate, si necessitas etiam ipsa dicenda est, non premuntur sancti Angeli, sed fruuntur. Nobis autem futura, non præsens.

Cap. 4.

IVL. DIX. *Verumtamen ad destructionem totam dogmatis tui proficit. Vt enim recordemur definitionum superiorum: Si peccatum non est, nisi voluntas retinendi & ammittendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere, nullum peccatum in rebus penitus inuenitur.*

F. adipiscendi.

Respondet ad definitionem peccati quam vrget Iulianus.

AVG. RESP. Ista definitio peccati, eius est, quod peccatum tantummodò est: non quod etiam pœna peccati, quâ perît libertas non peccandi. A quo malo, non liberat nisi ille, cui non tantùm dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*; verùm etiam *& ne nos inferas in tentationem; sed libera nos à malo.* *Matt. 6. 12. & 13.*

Cap. 5.

IVL. DIX. *Nam si non imputat Iustitia, nisi vnde liberum est abstineret & ante baptismia necessitas mali est (quoniam voluntas, sicut dixisti, ad faciendum bonum non est libera, perq; hoc aliud agere non potest nisi malum) ab infamiâ mali, ipsâ quam patitur necessitate defenditur: quoniam apud eam Iustitiam grauari operibus suis non potest, quæ non imputat malum, nisi à quo liberum est abstinere. Post baptisma autem si necessitas boni est, nullum vtique potest esse peccatum. Vide igitur quàm illud quod esse peccatum ratio demonstrat, inueniri nequeat in seminibus, quandò secundùm definitiones tuas iam nec in moribus inuenitur.*

Necessitas peccandi, an, & qualis sit?

AVG. RESP. Multùm erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi: vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est. Si enim necessitas nulla peccandi est, vt omittam vim mali eius quod originaliter trahitur (hoc enim nullum esse vos vultis) quid patiebatur, quæso, qui secundùm vestrum sensum tantâ mole malæ consuetudinis premebatur, vt diceret, *non quod volo facio bonum sed quod nolo malum hoc ago*? Deindè cogitare te existimo, quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, quanto labore discatur. Qui autem nesciunt, ipsam boni appetendi maliq́ue vitandi ignorantiam, patiuntur peccandi necessitatem. Necesse est enim vt peccet, qui nesciendo quid *Rom. 7. 19.*

quid facere debeat; quod non debet facere facit. De quo genere malorum Deus rogatur, vbi dicitur, *Delicta iuuentutis mea & ignorantia mea ne memineris.* Quod genus delictorum, si non imputaret Deus iustus, non ea sibi dimitti poscere homo fidelis. Vnde dicit & Dei famulus Iob *Signasti peccata mea in sacculo, & annotasti si quid inuitus commisi.*

Psal. 24. 7. Iob 14. 17. apud 70.

Tu quoq; ipse in libro nouissimo tuo eorum, quos contra vnum meum quatuor edidisti, ex affectionibus atq; passionibus animi dicis euenire hominibus *affectionalem qualitatem*, atque *ita inhaerescere, vt aut magnis molitionibus, aut nullis omninò separetur.* Quisquis ergo ea timiditate peccauerit, quæ ab illo non potest separari, quid aliud quàm necessitate peccabit? Sed vos ista peccata ex illis venire peccatis, quæ nulla necessitate commissa sunt, in illo saltem conceditis, qui dicit, *Quod nolo malum, hoc ago.* Qui enim vt istam patiatur necessitatem, non nisi peccandi consuetudine premitur, procul dubio priùs quàm peccaret, nondum necessitate consuetudinis premebatur. Ac per hoc, etiam secundùm vos, peccandi necessitas, vnde abstinere liberum non est, illius peccati pœna est à quo abstinere liberum fuit, quandò nullum pondus necessitatis vrgebat. Cur ergò non creditis, tantum saltem valuisse illud primi hominis ineffabiliter grande peccatum, vt eo vitiaretur humana vniuersa natura, quantum valet nunc in homine vno *secunda natura*? sic enim à doctis appellari *consuetudinem* nos cõmemorandos putasti. Cùm igitur & illa fateamur in hominibus esse peccata, quę committuntur, nõ necessitate, sed voluntate (quæ tantummodò peccata sunt, vnde ab eis liberum est abstinere) & peccatis, de ignorantiæ vel affectionum necessitate venientibus, quæ iam non solùm peccata, verùm etiam pœnæ sunt peccatorum, plenum sit genus humanum; quomodò dicis, *definitionibus nostris peccatum nec in moribus inueniri?* Sed quæ non vultis audite. A peccatis omnibus siue originalibus, siue moralibus, vel quæ facta sunt, vel quæ fiunt, non liberat nisi *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*, in quo regenerati sumus; & à quo didicimus orando dicere, non solùm *Dimitte nobis debita nostra*, id est, quia peccauimus, verùm etiam, *Ne nos inferas in tentationem*, id est, ne peccemus.

Vide Aug. l. 6. cont. Iul. c. 18.

Rom. 7. 19.

Peccatum Adæ ineffabiliter grande. Sup. c. 69.

Rom. 7. 25. Matt. 6. 12. & 13.

IVL. DIX. *Verùm, consignata hac disputationis summa prudentis animo Lectoris, excutiamus quid baptisma tuum, quod pro-* Cap. 10.

pter solam genitalium commotionem dicis fuisse prouisum, crediti sibi muneris exequatur. Profitetur se à peccatis homines expiare. Sed cùm apud Iustitiam causa agitur voluntatis, non pronunciatur rea quæ aliud velle non potuit. Euanescente autem inuidiâ reatus, etiam pompa indulgentis euanuit, quia non potest ignoscere, quod iure non potest imputare. Aut per hoc, promissionis suæ frustratur effectibus, quando non inuenit crimina quorum remissione laudetur: nec habet huius beneficij debitores, quo peccatorum vincula soluantur: quia in necessitatis asylo collocatos, non potest male conuincere voluntatis. Per quæ omnia superuacuum deprehenditur. Verùm quia Gratia, quæ à Christo promissa est, superuacua non est, rationabilis eius munificentia teneatur, per quod rea voluntas conuincitur peccatoris, quæ potuit vtique tam bonum velle, quàm malum voluit. Totum ergo figmentum necessitatis euanuit: ac per hoc, nullum est de natura conditione peccatum sed liberum arbitrium in natura hominum perseuerat. Quod vt tu cum Manichæis negas, ita nos cum Apostolis & omnibus Catholicis confitemur.

Quæda peccanti necessitas ex ignorantia.

AVG. RESP. Necesse est vt peccet, à quo ignoratur iustitia. Nunquid ideo, cùm iustitiam cognouerit, non sunt ei remittenda peccata quę ignorantię necessitate commisit? Aut quia iam cognouit quemadmodum viuere debeat, de se-ipso ei pra sumendum est, vt iustè viuat, & non de illo, cui dicitur *ne nos inferas in tentationem*? Non est igitur impunitatis secu- *Matt. 6.* ritas, in necessitate peccandi: sed, vt non obsit ista necessitas, 13. donat ille cui dicitur, *de necessitatibus meis erue me.* Donat autē *Psal.* 24. duobus modis: Et præteritam dimittendo iniquitatem: & 17. epitulādo, ne intremus in tentationem. *Vnusquisque vero ten-* *Iac.* 1. *tatur à concupiscētia sua abstractus & inlectus*, quæ suscepta tua, 14. tam tibi grata est, vt cùm ab illa in consensionem quisq; non trahitur, ipsam putes esse laudandam, quasi malū non sit res quæ impellit in malū, si non ei cedat, sed resistat ille, qui impellitur. Quamuis tu, etiamsi ei consentiatur, illū qui cecidit non ipsam quæ impulit: illum qui tractus est, non ipsam quæ adtraxit: illū qui inlectus est, non ipsam quæ inlexit, magno vaniloquio cōtendas esse culpandū: quia scilicet, vt definis, malè vsus est bono. Habes quippe tam malum spiritum, vt concupiscentia bona tibi videatur, quâ *caro concupiscit aduersus spiritum.*

Concupiscentia mala est quia impellit in malum.

Bonam eam esse dicebat Iulianus.

Sed eleganter te existimas inrisisse de baptismo sententiam nostrā, mendacissimè affirmans, quòd *propter solam genitalium* *comme-*

commotionem baptismum dicam esse prouisum. Non hoc dicimus Sed illud, quod vos nouâ & hæreticâ peruersitate subuertere conamini, dicimus, ideò diuinitus esse prouisum secundæ spiritualis natiuitatis auxilium, quam fieri in seipso Christus instituit, *Quoniam secundùm Adam carnaliter nati, contrahunt mortis antiquæ prima natiuitate contagium.* Ecce verbis vsus sum Pœni Episcopi Cypriani: contra quem tu, etiam martyrem latras, cùm Ecclesiæ fundatissimam fidem, pro qua Ecclesia fusus est eius sanguis, oppugnas. Sicut enim Paulus Apostolus dixit, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt in quo omnes peccauerunt*; ita & *Cyprianus*, vt intellectus est huius Apostoli, confessus est, *secundùm Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ primæ natiuitate contrahere.* Quid est ergo, quòd te Apostolis & omnibus Catholicis fallaciter iungis; quandoquidem Apostolo fraudulenter: Catholico autem Episcopo & Martyri, in eo quod sentit cum orientali & occidentali Catholica, apertissimè contradicis?

Cypr. l. 2 epist. 59.

Rom. 5. 12.

IVL. DIX. *Expositio sanè, quam Pauli Apostoli sermonibus admouisti, cum risu esset prætereunda; nisi scripturarum terreret ignaros.* Cum essetis, *inquit Apostolus*, serui peccati, liberi fuistis iustitiæ. *Dicere vtique non poterat*, liberatos: *quoniam hic sermo* liberationis *tunc decenter infertur & propriè, cùm homo à noxijs liberatus.* Liberi *autem à virtutibus dici possunt, qui decernunt nihil debere virtutibus.* Liber *ergo & à bono & a malo dici potest, quia alteri seruiens, studet alteri nil debere.* Liberatus *autem nisi a malo dici non potest; quia verbum hoc* liberationis *in se habet iudicium illius, qui propulsator, angoris. Quæ igitur hîc quæstio Apostolo de verbis suis fieri potuit, cùm ille more generis humani, a bono* liberos, *a malo dixerit* liberatos? *Cum ergo*, inquit, *serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem fructum habuistis tunc in his, in quibus nunc erubescitis?*

Cap. 107

Rom. 6. 20.

Sed ne tu æstimares, seruos nos peccato fieri per naturam, audi ipsum Apostolum in ijsdem locis loquentem. An nescitis, quoniam cui exhibetis vosmetipsos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati, siue obauditionis iustitiæ? *Vosmetipsos, inquit, exhibuistis peccato seruos, vt intelligeres eum voluntati non natiuitati imputare peccatum. Ob hoc ergo solùm eos dixit* liberos fuisse iustitiæ, *quia detrectassent eius præcepta seruare.*

Ibid. & 21.

Ibid. 16.

AVG. RESP. Si ob hoc solùm dicti sunt homines *liberi fuisse iustitiæ*, quòd detrectassent eius præcepta seruare: Ergo antequam acciperent præcepta iustitiæ, quæ detrectarent seruare, non erant *liberi iustitia*; *seruique peccati*. Quis hoc dixerit? Ab hac ergò necessitate seruitutis ille liberat, qui non solùm dat præcepta per legem, verùm etiam donat per spiritum charitatem, cuius delectatione vincatur delectatio peccati; alioquin perseuerat inuicta, & seruum suum tentat. *A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est.* 2. Pet. 2. 19.

Cap. 108 IVL. DIX. *Denique statim addit, ita eos seruos esse iustitia sicut fuerant serui ante peccati. Per quod potes eos iam tu, si placet, liberos dicere a peccato, cùm seruiunt iustitiæ; sicut ab illo dicti sunt a iustitia liberi, cum seruirent delicto. Ineptissimè itaque simplicitati Apostolicæ voluisti calumniam commouere. Nequè enim ille, vt putas*, vigilantissimè *hoc quod æstimas intimauit*; *sed Tu somniculosissimè, quod ille protulit, intueris. Argumentaris quippè, ideo illum* liberatos *dicere maluisse, quam* liberos, *vt intelligerem arbitrij libertate malè quidem posse, benè autem fieri non posse. Verum ipse tibi verborum eius ordo reuitur. Nam si hoc, quod tu putas, sit, quia libertate solum peccaretur; debuit dicere*, liberi fuistis peccato, *non*, liberi fuistis iustitiæ: *vt illi dicerentur esse liberi, cui operabatur ipsa libertas. Si enim placet etiam casuum pensare momenta*, huic *illos* iustitiæ *dixit esse liberos*, *non* ab hac iustitia *liberos. Consequentius ergò hac locutione nos adiuuaremur, si etiam tam leues res premere vellemus. Sed absit hoc. Sensum intelligimus Apostoli, & elocutionum simpliciter prolatarum officio contenti sumus. Nihil aliud dixit magister Gentium, nisi* liberi fuistis, non seruistis iustitiæ: liberati estis, peccatorum veniam fuscepistis, *manente arbitrij libertate, per quam potuerunt & ante peccato, & postea obedire iustitia.*

AVG. RESP. Ex isto hæretico sensu, quo dicitis non fieri per gratiam liberationem à peccato, nisi cùm de præterito accipitur venia; non autem ne dominetur peccatum, cùm quisque à concupiscentia sua trahitur in eius assensum, etiam sanctorum orationibus contradicitis. Vt quid enim Deo dicitur, *Ne nos inferas in tentationem*, si, vt hoc non fiat, in liberi arbitrij nostri est potestate, quod nobis naturaliter insitum est? Matt. 6. 13. Vt quid dicit Apostolus, *Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali*, si Dominus non liberat à peccatis, nisi veniam dando præteritis? 1. Cor. 13 1. Cor. 13 7.

IVL.

Rom. 6. 19. v. 20. IVL. DIX. *Denique quid exhortatio ipsius teneret, ostendit, praemittens*, humanum est quod dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra seruire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem: cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. *Ornatissimè prorsus ipsos dicit* liberos fuisse iustitiæ, *quos conuenerat, vt membra sua in omni sanctificatione retinerent.* Cap. 109

Verùm quia non parum hîc immorati sumus, vt ostenderemus certissimum esse quod dixeram, quia negarent liberum arbitrium homines qui vestro fuissent sermone deterriti, & in verum exitium vanâ formidine traderentur, Teq; esse præcipuum arbitrij liberi negatorem: reuertamur ad illum librum, qui est ad Valerium *destinatus, vt probemus primo te negasse conditorem Deum: nunc autem, alibi quidem negare, alibi scelestiùs multò, quàm negaueras, confiteri. Et quidem quàm in illo libro priore absolutè Deum negaueris conditorem hominum, satis cùm discuteretur, apparuit. Dixisti quippè, quod* genus humanum diabolus quasi plantati à se fruticis fructum iure decerperet, *multaq; alia, quæ loco à te argumentorum posita huic cooperantur errori. In hoc verò secundo libro, etsi vniuersitate dogmatis tui idem agas, tamen perniciosiùs niteris emendare sententiam, quam antea protulisti.* Sup. c. 73 L. 1. de nup. c. 23

Rom. 5. 12. AVG. RESP. Si tibi parum est Apostolus, qui dicit *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt*, Ambrosius vtique non quasi Manichæus (quo nomine tales, qualis ille fidei fuerat, criminaris) sed vt Catholicus intellexit Apostolum, eumque intelligens ait, *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est*, Ecce, de quo tanquam de suo frutice diabolus fructum iure decerpsit. Non de natura, quam Deus condidit: sed de vitio, quod ipse plantauit. Neque enim qui nascuntur sub peccato, possunt nisi sub auctore esse peccati, nisi renascantur in Christo. L. 1. de pœn. c. 2.

IVL. DIX. *Verum suppleo breuiter responsionem, qua capiti tuo quod supra posuimus debetur. Constanter itaque fideliterq; respondeo.* Quia non inuideamus liberatorem hominibus Dominum Iesum Christum: *quos conuenimus, ne vobis credentes, emendationis desperatione frangantur, & recedant ab eruditione* Cap. 110 Sup. c. 24

Christi quasi ea præcipientis, quæ capere mortalium natura non possit, quippe mala, aggrauata congenito: Ioan. 5.

AVG. RESP. Sed & mors congenita est: & tamen ab eâ 21.
liberat, *qui quos vult viuificat*, ad quem debent confugere qui Ioan. 6.
volunt à malo congenito liberari. Quod vt faciant, quis at- 44.
trahat, in Euangelio, lege. Matt. 11

Cap. 3. IVL. DIX. *Sed currant ad eum qui clamat*, Iugum meum 30.
suaue est, & onus meum leue est: *qui & mala voluntatis veniam pro inæstimabili liberalitate largitur, & innocentiam quam creat bonam, facit innouando, adoptandoq; meliorem.*

Innocentiam creatione bonam, fieri adoptione meliorem.

AVG. RESP. Ipsi sunt homines quibus inuides liberatorem, quos habere malum, à quo liberentur, negas. Quomodò ergò *constanter fideliterq; respondes, quod non inuideatis liberatorem hominibus Dominum Iesum Christum*, cùm potiùs pertinaciter & infideliter agas, ne ab illo salui fieri credantur paruuli, sicut *saluum facit populum suum à peccatis eorum.* Propter quod Matt. 1.
eum, euangelio loquente, didicimus appellatum esse Iesum. 21.
Non igitur docere poteritis liberatorem Christum vos hominibus non inuidere, quia paruulos non esse homines nullo modo potestis ostendere.

Cap. 11. IVL. DIX. *Demiror itaque ausum te fuisse ponere testimonium, quo dicitur*, à quo enim quis deuictus est, huic & seruus 2 Pet. 2. 19.
addictus est: *quod manifestissimè pro nobis facit, asserentibus non posse quemquam obnoxium esse diabolo, nisi qui fuerit post certamen voluntatis, deditione superatus. A te autem vsurpari non debuit, cui vehementer repugnat persuadenti in regno diaboli esse nascentes, qui sine voluntate propria nec vinci vtique nec certare potuerunt.*

Adam sine certamine victus Amb. l. 7. in Luc. c. 15 32.

AVG. DIX. Quos dicis *nascentes nec vinci, nec certare potuisse*, ab illo originem ducunt, *in quo omnes peccauerunt*, qui homo, quod est peius, sine certamine victus est. *Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes, periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Sinite ergo paruulos inueniri ab eo, *qui venit quærere* Luc. 19.
quod perierat; alioquin hominibus liberatorem Iesum (quo- 10.
niam & ipsi homines sunt) prorsus inuidetis, quantâcumque loquacitate crudelitatem vestri huius erroris obtegendam esse credatis.

Cap. 13. IVL. DIX. *Quod quidem videns contra te valere plurimùm, quasi ipso testimonio interrogatus, per quid ergo paruuli in regno sunt aduersaria potestatis, si Scriptura creditur vnumquemque cùm vincitur,*

Rom. 5. 12. *vincitur, tunc seruum esse victoris, & constat infantiam sine vsu rationis & voluntatis, nec confligere potuisse nec cedere? Addis*, per vnum *quippe* hominem peccatum intrauit in mundum & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Sic est autem Deus nascentium conditor, vt omnes ex vno eant in condemnationem, quorum non fuerit renascentium liberator. Ipse quippè dictus est, *Figulus ex eadem massa faciens vas, aliud in honorem* secundùm misericordiam: *aliud in contumeliam* secundùm iudicium, cui cantat Ecclesia: *Misericordiam & iudicium. Hoc quod dicis per vnum hominem intrasse peccatum, quo testimonio Apostoli, plurimorum, imeruditorum tamen, pectora commouisti, licet in quarto libro breuiter quomodò intelligendum esset ostenderim, tamen adiuuante Christo, in hoc opere plenius exponemus: ita vt in secundo libro, prætermissis aliis, locus ipse Apostolicus cum textu suo plenissimè disseratur.*

L. 2. de nupt. l. 3.

Rom. 9. 21.

Psal. 100 1.

Vide Aug. l. 6. cont. Iul. c. 24.

AVG. RESP. Ad id quod *in quarto libro tuo breuiter ostendisse te* dicis, in sexto nostro tibi responsum est. Quod autem in hoc opere pelliceris, cùm reddere cœperis, ibi quàm sis vaniloquus, apparebit.

IVL. DIX. *Hic autem breuiter ammonuerim, quoniam tibi suffragari non potest ad eius sententiæ confirmationem, quam omnis eruditio, omnis ratio, & lex Dei, conuincit iniquissimam. Diligens ergo lector intendat quod pronunciasti*, Dominum esse factorem malorum & tales eum condere, qui *sine aliquo proprio merito voluntatis* eant in condemnationem prorsus omnes.

Cap. 114.

AVG. RESP. Hoc dixi quia facit hominum naturam, qui vitio mali sunt, quod ipse non fecit: & de quo ipse benè facit, etiam cùm mali sunt homines quos facit, quia in quantum homines sunt, non in quantum mali sunt, eos facit. Neque enim *vasa in contumeliam* fierent, nisi mali essent, qui tamen per naturam quam fecit vtique boni sunt, mali autem secundùm vitium, quod contra naturam quidem, sed tamen naturæ insecuit inimicus, vt ex hoc esset natura mala, hoc est, malus homo. Non potest esse vllum malum nisi in aliquo bono, quia non potest esse, nisi in aliqua natura. Omnis autem natura, in quantum natura est, bonum est. Diligenter attendite, quomodò dicantur quæ velut contraria inter se dici videntur, & non sunt: si tamen non penitus fumo superbæ contentionis oculos perdidistis.

Vasa in contumeliam non fiunt nisi mali. Sententia 296. apud Prosperum. Fumo superbæ contentionis oculi parum.

IVL.

Cap. 115 IVL. DIX. *Ac ne nescirem, de quo tempore loquaris, ab Adam (quem ais vnum omnes fuisse) vsque ad finem, qui baptizati non sunt, damnationi & diabolo obnoxios pronuntias inuenti. In qua sententia, malò te pernitiosiùs curare niteris, quam antea vulnerasti. Nam vt remoueres inuidiam, quæ in te ruebat, quòd diceres diabolum conditorem hominum, correctius confiteris Deum conditorem; sed talium, quales esse scribit Manichæus Principes tenebrarum.*

AVG. RESP. *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est.* Hoc non dixit hæreticus immundus *Manichæus*, sed Catholicus sanctus *Ambrosius*. Porrò autem Manichæus nec omnem naturam in quantum natura est, dicit bonam: nec eam quam dicit naturam malam, vllo modo dicit sanari posse ac fieri bonam, quod Catholica fides dicit de natura humana pusillorum atque magnorum: & contra Manichæos & contra Pelagianos, vtrosque † diuerso morbo, sed pariter insanos.

Amb. l. 1. de pœn. c. 2.

† *Fer. diuersos morbidos*

IVL. DIX. *Enimverò credens malos esse homines conditione nascendi, illum eius deputauit auctorem, per quem mali operis à Deo bono crimen separaretur. Et quoniam erranerat in definitione peccati, vt putaret naturale esse, quod nisi voluntarium esse non potest; consequenter deinceps malæ originis malum est commentus artificè, hic religiosior in Deum, contumacior in naturam. Tu verò dicis, malos quidem nasci, sed Deum esse auctorem malorum; contumacior tu in Deum, honorificentior in Naturam. Hæc quippè auctoris maiestate defenditur; Auctor autem fœditate operis accusatur.*

Cap. 16.

Deformitas & monstrosissimæ corporum, vnde sit?

AVG. RESP. Accusa ergò Deum, si placet, *operis fœditate*, quandoquidem aliqua corpora tam fœda nascuntur, vt nonnulla in eis nimia deformitate etiam monstra dicantur. Non enim alius Deus, sicut Manichæus fingit: aut Dij minores, sicut Plato errat, sunt corporum conditores; sed vtique Deus bonus & iustus operatur etiam corpora talia: quæ si referas ad *graue iugum super filios Adam*, inuenies eum nec malum, qualem Manichæus fabricandis corporibus adhibet: nec victum malisque implicatum atque commixtum, quod Manichæus de Deo bono credere non timet; sed planè iustum propter originale peccatum, qualem fides Catholica nouit, à qua vester error exorbitauit. Neque enim, si nemo peccasset, fœda atque monstrosa etiam in Paradiso corpora nascerentur.

Eccl. 40. 1.

IVL. DIX. *Non timuisti sceleratissimè hoc applicare Deo, quod*

Cap. 117 *ne etiam moueret Manichæus, commentus est alium conditorem,*

Ambo

Ambo estis quidem veritatis inimici: sed putabatur antè, non posse ille impietate superare.

AVG. RESP. Antè me, erat *Ambrosius*, qui non erat Manichæus; antè ipsum *Hilarius*, *Gregorius*; antè hos *Cyprianus*, & cæteri, quos commemorare longum est, qui non erant Manichæi, & tamen Ecclesiam docuerunt, quod in Ecclesia didicerunt trahere paruulos originale peccatum; & exsufflandos in exorcismis, vt eruantur de potestate tenebrarum, & in regnum sui saluatoris & Domini transferantur. Quoniam Christus si etiam pro ipsis mortuus est, quod & tu coactus es confiteri, *ergò omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est*: quod ait Apostolus; qui profectò si secundùm verba tua etiam ipse Manichæus erit, iam tu quid eris?

Coloss. 1. 13. *2. Cor. 5. 14 & 15.*

IVL. DIX. Tu *verò* iustificasti, *vt Propheta ait*, sororem tuam Sodomam. *Absolui putabitur Manichæus, si tuis blasphemijs comparetur. Gloriatus in primo operis mei libro fueram, quòd eo ore lacerarer, quo & Apostoli iniuriam pertulissent. Nunc verò expauescam magnitudinem felicitatis meæ. Ab eo vituperor, qui criminatur Deum.* Cap. 118

Ezech. 16 55.

AVG. RESP. Ab eo *vituperaris*, qui cum *Ambrosio* & socijs eius, etiam paruulorum liberatorem prædicat Christum; quem tu non solùm *criminaris* tanquam mentientem, vbi dicit *se venisse saluare, & quærere quod perierat*; verùm etiam contradicis ei, ne saluandos paruulos quærat.

Luc. 19. 10.

IVL. DIX. *Vnde mihi accedit tanta contumelia dignitas? Nihil in me tale, laudando conferre potuisses. Sensus meos dicis esse reprobandos; sed Dei opera damnanda. Me malè disputare; sed Deum nequiter creare pronuntias. Me errare clamas, illum sæuire. Me asseris nescire legem: Deum verò nescire iustitiam. Me vociferaris Catholicum non esse, qui dicam Christum prouocare quos saluet: Deum verò iuras creare quos damnet, nec ob aliud condere, nisi vt eant omnes in condemnationem.* Cap. 119

AVG. RESP. Hoc & de præscientia Dei, dici potest, quæ tamen à fidelibus negari non potest: puto, quòd nec à vobis. Aut negate Deum præscium multos se damnaturum esse quos creat, ne videatur creare quos damnet: &, quod est mirabilius & inscrutabilius, multos, ne malitia mutet eorum intellectum, de hac vita non rapere, quos malos futuros non potest ignorare, date honorem Deo, altitudini iudiciorum eius cedat vestrorum crepula ruina iam verborum, quasi nitida & aguta: sed vitrea.

Sap. 4. 11

Altitudo iudiciorum Dei.

Cap. 120 IVL. DIX. *Inter te igitur & Manichæum profatorem sensuum tuorum, video per profectum eruditionis tuæ magnam factam esse distantiam. Ille enim, licèt duos induxisset auctores, tamen spem salutis ex ea reliquit parte, quâ dixit bonum Deum esse alienissimum ab iniquitate, & à crudelitate: Tu verò vnum quidem Deum, sed eundem malorum conditorem loquens, vt reuerentiam diuinitatis, ita spem salutis funditus sustulisti.*

Manichæorum error.

AVG. RESP. Manichæi fingunt Deum crudeliter infirmum, qui partem suæ substantiæ & sua membra, naturæ suæ dilectione contaminanda hostibus tradidit, à quibus vastitatem sibi imminere cernebat. Vos autem qui Deum omnipotentissimum non negatis, in *graui iugo* paruulorum credi vultis iniustum, negando originale peccatum.

Cap. 121 IVL. DIX. *Non est enim qui subueniat reis, quando ipse qui est vnus, desiderio creandarum miseriarum, etiam eos punit, in quibus nihil aliud, quam hoc quod ipse fecit, agnoscat.*

AVG. RESP. Agnoscit ibi etiam, quod ipse non fecit. Peccatum quippè ipse non fecit. Alius autem similiter, vt vos, vanus posset dicere, Deum *desiderio creandarum miseriarum*, etiam eos creare, quos damnaturum se esse ignorare nõ potuit, incõparabiliter plures, quàm eos, quos liberaturũ se esse præsciuit.

Cap. 122 IVL. DIX. *Perspectâ igitur abyssο impietatis tuæ, licèt nunquam quicquam profanius inuenerim, tamen quam hoc nihil habeat virium, & quid de illis quæ annexueras, colligatur, breui disputatione monstrabitur. Deus qui hoc appellari nomine voluit, vt omnipotentissimus, ita etiam iustissimus creditur; quorum si vnum defuerit, neutrum aderit: vt conditor benignissimus hominum, ita meritorum explorator æquissimus; omne quod facit, bonũ valdè est; ac per hoc, nemo naturaliter malus est; sed quicumq; reus est, moribus, non exordijs accusatur.*

An sub omnipotenti & iusto Deo, graui iugo premuntur paruuli?

AVG. RESP. Cur ergo *graue iugum* super exordia paruulorum sub Deo potentissimo, atque iustissimo?

Cap. 23. IVL. DIX. *Nec malum itaque naturale est: nec Deus creare reos potest: nec in regno diaboli collocare. Quibus collectis, & tu Manichæus, imò Manichæo peior ostenderis: & sine peccato in hunc mundum humanitatis ingressus: & sub iure Dei, non diaboli, fructus fœcunditatis: & naturalis innocentiæ claruerunt.*

AVG. RESP. Ergò & *Ambrosius* qui dixit, *in primordio naturæ suæ qui baptizati fuerint paruuli, à malitia reformantur*, Manichæus, aut Manichæo peior ostenditur, sicut conuiciaris, aut furis.

IVL.

IVL. DIX. *Hoc igitur consignato, quid processum tuum consequatur attende. Prophetas & Patriarchas omnesq; sanctos veteris testamenti constat baptismatis expertes fuisse: sed à Deo conditos propriis deinceps fulsisse virtutibus. Sub diaboli ergò regno, contrà testimonium legis, esse credentur aeternis supplicijs mancipandi, quia ex Adam omnes pronunciantur à te in condemnationem creati.* Cap. 124

AVG. RESP. Et ipsos antiquos iustos eadem gratia liberauit, cui vos bellum indixistis, quamuis diuersis vsi fuerint pro tempore sacramentis: quoniam quod de Christo credimus, hoc credebant. *Vnus enim Deus, vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*, cuius illis prænunciatus est, nobis autem annunciatus est humiliatis aduentus: claritatis verò, qui in fine futurus est, & illis est prænunciatus & nobis. Et illorum ergò & nostra in isto *vno mediatore* vna fides est: idem spiritus fidei & in illis & in nobis. Vnde dicit Apostolus, *Habentes autem eundem spiritum fidei, secundùm quod scriptum est,* Credidi propter quod locutus sum: *Et nos credimus, propter quod loquimur.* Vndè autem sit hæc fides, ne ita gloriemur tanquam ex nobis sit, eundem audiamus Apostolum, *Gratiâ,* inquit, *salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis; sed Dei donum est.* Et alio loco, *Pax,* inquit, *fratribus & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Iesu Christo.*

1. Tim. 2. 5.
2. Cor. 4. 13.
Psal. 115
Eph. 2. 8.
Ibid. 6. 23.

IVL. DIX. *Quod si dixeris, quàm sis apertè Manichæus, etiam patroni tui poterunt confiteri. Si verò intellexeris tantum veri Regis exercitum contra tuam dimicare sententiam, nec illis te afferre posse præiudicium; adquiesce destructum esse quod struxeras; & per hoc non* ire omnes ex vno in condemnationem: *sed eos tantùm, qui rebelles voluntati Dei, sine potentia, sine correctione, vltimò fuerint deprehensi.* Cap. 125

AVG. RESP. Adde *& generatos, si non fuerint regenerati:* quia in vno omnes peccauerunt.

Rom. 9. 21.

IVL. DIX. *Quod autem Deus dictus est,* Figulus ex eadem massa faciens aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, *à te commemorari omninò non debuit: quia, vt à nobis consequenter exponitur, ita tibi totum repugnat. Nam cùm* alij in honorem, alij in contumeliam *fieri dicuntur, iuuatur sensus Catholicorum, quo secundùm diuersitatem voluntatis humanæ, diuersus etiam vasorum exitus prædicatur.* Cap. 126

AVG. RESP. *Ambrosium* audi, qui dicit, *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est.* Sic quippè intellexit

intellexit cum cæteris condiſcipulis & conductoribus ſuis, ſine vlla dubitatione Catholicis, quod ſcriptũ eſt de peccato & morte, quod *per vnũ intrauerit, & in omnes homines pertranſierit*: & intellige, hanc eſſe *Maſſam*, de qua fiunt vaſa, ſiue illa, ſiue iſta. Nam ſi inſcrutabilis quæſtionis huius iſta eſſet ſolutio, quam tu ſapis, ſecundùm merita voluntatum; manifeſta eſſet, vt nullâ eius difficultate compelleretur Apoſtolus dicere: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* De nondum natis enim agebatur, quorum *non ex operibus*, ſed *ſecũdum propoſitum* ſuum, Deus vnum *dilexit*, alterum *odio habuit*: vndè ad hæc verba peruentum eſt, vt *de eadem maſſa* & *diuerſis vaſis*, & *de poteſtate figuli* loqueretur.

Inſcrutabilis quæſtio.

Rom. 5. 12.
Rom. 9. 20.
Ibid. 22.
Ibid. 22.

Cap. 127 IVL. DIX. *Tu autem qui ſuprà dixeras*, omnes ire in condemnationem, *qua teſtimonium fronte poſuiſti, quo pronunciatur ire* alios in honorem, alios in contumeliam?

AVG. RESP. Sed Gratia liberat à totius maſſæ damnatione quos liberat, quam vos negando, eſtis hæretici. Quantum enim pertinet ad originis meritum, *ex vno omnes in condemnationem*; quantum autem ad gratiam, quæ non ſecundùm merita datur, quicumque ab iſta condemnatione liberantur, dicuntur *vaſa miſericordiæ*: qui verò non liberantur, *ira Dei manet ſuper eos* veniens de iuſto iudicio Dei, quod non ideo vituperabile, quia inſcrutabile eſt. Et propterea *vaſa iræ* nuncupatur, quia & his benè vtitur Deus, vt *notas faciat diuitias gloriæ ſuæ, in vaſa miſericordiæ*. Quod enim Deo iudicante à cæteris exigitur, hoc iſtis commiſerante donatur. Quòd ſi *inueſtigabiles vias* Domini æſtimas improbandas, audi, *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?*

Vaſa iræ cur dicantur?

Rom. 5. 16.
Ioan 3. 36.
Rom. 9. 23.
Ibid. 20.

Cap. 128 IVL. DIX. *Nihil enim ita pugnat quam dicere*, omnes, & non omnes. *Tu dicis*, à figulo Deo omnes fieri in condemnationem, *Apoſtolus dicit, non omnes in condemnationem, nec omnes in honorem, quod quid habeat dignitatis in loco ſuo abſolutam. In ipſa tamen pronunciatione ſententiæ, conflat inter vos magnam eſſe diſcordiam, nec eundem eſſe figulum in condemnationem cuncta fingentem quem Paulus dicit in honorem alios fabricantem; nec te illi credere, qui à Magiſtro admirabili prædicatur, quoniam tunc figulus omnes in condemnationem fingit. Apoſtoli figulus plurimos fingit in gloriam.*

Quomodo dicantur omnes ex vno in condemnationem?

AVG. RESP. Cùm dicuntur *omnes ex vno in condemnationem*, ipſa *maſſa* ſignificatur, ex qua fiunt à figulo, *alia vaſa in honorem*

honorem, id est, quæ assumuntur in gratiam, *alia in contumeliam*, id est, quæ ad luendum debitum relinquuntur: vt filij gratiæ id sibi donari sciant, quod si exigeretur, non esset iniu-
1. Cor. 1. 31. stum; ac sic non in seipsis, sed *in Domino glorientur.*

Cap. 129. IVL. DIX. *Et hæc quidem dixerim, vt statim appareret, te esse aut imperitiæ aut impudentiæ singularis, qui tuorum vice, contrarijs vteris. Cæterùm pietas explanauit & ratio, Deum meum neminem* in contumeliam *formare.*

Omnes homines bonos creauit.

AVG. RESP. Si Deus tuus *in contumeliam* neminem formauit, non est ipse Pauli Apostoli Deus. Ille quippè de Deo vero dicebat, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Sed tu, videlicet artifex magnus, profers ex officina Pelagiana meliorem Deum, qui nullum *vas facit in contumeliam.*

Rom. 9. 20. & 21.

Cap. 130. IVL. DIX. *Sed imaginem suam, id est, omnes homines bonos condere, qui etiam demolitos studiorum prauitate, reformare remediorum desiderat largitate. Ipsi quidem cantat Ecclesia:* Misericordiam & iudicium, *quia & illis est benignus, qui nihil deliquerunt: & iustè iudicat eos, qui boni à Deo conditi, suâ perditâ voluntate peccarunt, ac misericordiæ subsidia respuerunt. Hanc igitur* Misericordiam, *& hoc* Iudicium *cantat Ecclesia Catholicorum. Cæterum in vestra nihil potest tale resonare, quæ dicit sine iustitia, sine iudicio, sine misericordia, Deum conditorem malorum formare quos puniat; atque ob hoc punire, quòd eos ex Adam ipse formauerit.*

Psal. 100 2.

Quomodo Deus faciat vasa in cõtumeliam.

AVG. RESP. Iam quidem tibi superiùs ad omnia ista responsum est; tamen & hîc breuiter audi. Non abstinet Deus bonum formationis suæ, etiam ab stirpe damnata. Sed, si tibi displicet Deum creare quos damnet; contradic ei, si potes, ne creet eos, quos malos futuros, & in malignitate vsque in finem perseueraturos, & ob hoc sine dubitatione damnandos esse præsciuit. Aut ei suggere, si videtur, vt tot millia paruulorum, non baptizatorum, quos nouit perditè esse victuros, & in æternum ignem damnante ipso cum diabolo ituros, rapiat ex hac vita dum sunt innocentes & boni, vt si non in regno eius, certè in loco aliquo secundæ felicitatis, quem talibus ædificauit hæresis vestra, teneat sempiternum. Habes adhuc quod suggeras consiliarius Dei, pro filijs eius quos regenerauit, quos adoptauit, & tamen malos atque damnandos futuros esse

Locum secundæ felicitatis paruulis ædificauit hæresis Pelagiana.

præuidit: vt antè quàm veniant in ream vitam, vitæ ipsius productione priuentur, & ad regnum eius, non ad supplicia æterna pertineant. Cùm enim te inuidiosè dicere putaueris, *Deum creare quos damnet*: cogita quantò inuidiosiùs possit dicere alius similiter vanus, *Deum regenerare quos damnet*, cùm sit in eius omnipotentiæ potestate, antequàm damnabiles fiant, eos de tentationibus mortalis vitæ huius auferre. Si autem non potes ista dicere, nec Deo contradicere, nec illi Sapientiæ tuum præbere consilium: (*quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?*) desine nobis introducere alterum figulum, qui non facit *vasa in contumeliam*, & ab isto, qui ea facit, reprehendendo cohibe te: & agnosce, quia vt non te implices hoc sacrilegio, ideò tibi dicit Apostolus, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* *Isai.* 40. 13. *Rom.* 11. 34. *Rom.* 9. 20.

Cap. 131 IVL. DIX. *Sed iam Apostolicæ sententiæ dignitas asseratur, ne putetur vel de aliquibus hoc sensisse, quod tu de omnibus assumsisti. Apostolus itaque Paulus disputans de quæstionibus Iudæorum, qui generis sui dignitate turgentes dedignabantur coæquari sibi ex gentibus fideles, & iustitiam Dei commendat & Gratiam, disputans ad eorum munificentiam pertinere, quod & primo Iudæos nobilitauerat legis cognitio, & quod deinceps etiam Gentes asciuerat Christi prædicatio. Vnus enim vtriusque populi conditor iudicaturus & illos per legem, & istos sine lege, quia non erat* Iudæorum DEUS tantùm, sed etiam Gentium, *reddens suum vnicuique sine fraude, sine gratia, id est, sine cuiusquam acceptione personæ (quod exprimit nomen gratiæ in definitione iustitiæ) ita de semine venientes Abrahæ, cùm nequiter viuunt, iure condemnat ac de sua hæreditate proturbat; sicut etiam Gentiles in simili operatione deprehensos. Et è regione, vtriusque populi bonas voluntates & veram fidem probitatemq; actionum donat gaudijs sempiternis. Comprimit igitur Gentium magister Iudæorum tumorem: & ostendit, non in seminibus humani generis, sed in moribus esse distantiam: vt se illi agnoscerent, nisi fideles esse curassent, nulla prærogatiuâ circumcisi generis vindicandos; siquidem Iacob & Esau vna seminis exceptione concepti, & vna vi parentis effusi, diuersos nimium exitus pro meritorum diuersitate pertulerunt.* Rom. 3. 29.

AVG. RESP. Si secundùm Apostolum saperes, non commemorares hoc loco merita Iacob, vbi eum dicit *non ex operibus* fuisse dilectum, vt gratiam commenderet, quæ non secundùm merita nostra datur, alioquin *merces non imputatur*, sicut ipse dicit, *secundùm gratiam, sed secundùm debitum*. Quibus ver- Rom. 9. 11. Rom. 4. 4.

bis

bis quid ostendit, nisi gratiam non esse debitam, sed gratuitam? Hanc itaque commendabat vbi dicebat, *Cùm enim nondum nati essent, neque egissent aliquid boni aut mali, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori.* Clara sunt quæ obscurare conaris. Fumos tuos tolle. Scripturarum lumen attende. Gratia quippè hominem præuenit, vt diligat deum, quâ dilectione operetur bona. Quod & Ioannes Apostolus apertissimè ostendit, vbi ait, *Nos diligamus, quoniam prior dilexit nos.* Non ergò diligimur quia dileximus: sed quia dilecti sumus, diligimus.

Rom. 9. 11. 12. & 13.

1. Ioan. 4 19.

Hebr. 12. 16.

IVL. DIX. Esau enim profanus & fornicator propter vnam escam vendens primitiua sua *quæsiuit benedictionem quam speranerat, nec adeptus est, quanquam eam cum lachrymis poposcisset: Iacob autem quietus & mitis, obediens parentum præceptis, & sanctificationum appetentissimus, ad hoc vsque profectus est, vt sicut Abraha & Isaac, ita etiam & Iacob Deus in sancto populo diceretur. Cùm igitur omnibus constaret exemplis, Deum iusto iudicio bonis mentibus in quacumque gente suam misericordiam non negare, malas verò mentes, nulla sineret stirpis nobilitate defendi; intelligerent Iudæi, Gentium fidem à se desperari non debere; quia sicut non patrocinatur Israelitarum stemma criminibus, ita etiam nullo impedimento est Gentium origo virtutibus. Hoc ergò totum agens conflictu illo Apostolus, in quibusdam tamen locis ad incuruandam circumcisorum arrogantiam, sub nomine* gratiæ *de sola Dei præiudicat potestate:* Cap. 132

AVG. RESP. Ergò *ad incuruandam circumcisorum arrogantiam, sub nomine gratiæ* mentitur Apostolus. Nam DEUS ex operibus elegit, non ex gratia. Quis ita sapiat nisi hæreticus inimicus gratiæ, amicus superbiæ? Clamat *vas electionis* & gratiæ, quâ talis factus est prædicator, *Non ex operibus* dilectum esse Iacob. Et tu commemoras Iacob opera, ex quibus eum dilectum esse contendis: & hoc faciens mihi te existimas contradicere, cùm sis nouus Antichristus, eique apertissimè contradicas, in quo locutus est Christus.

An Deus ex operibus elegerit?

Rom. 9. 11.

IVL. DIX. *Vt illum in cæremoniarum & hostiarum obseruatione gloriantibus, perq; hoc assumantibus alias nationes nullis legis ritibus consecratas ad consortium sui nec posse admitti subitò nec debere diceret, quia etsi in illis obseruationibus fuisset summa iustitia, haberet tamen in potestate sua Deus, quandam facere populorum commu-* Cap. 133

commutationem, vt reijceret quos vellet, & quos vellet assumeret. Cui sensui respondet sub persona Iudæorum, nihil debere iam exigi ab hominis voluntate, quandoquidem Deus, cuius vult miseretur, & quem vult, obdurat. *Ad quod refert Apostolus,* O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? *& infert testimonium Prophetæ Isaiæ,* Numquid dicit, *inquit,* figmentum ei qui se finxit, vt quid me fecisti sic? *Addit q, de suo,* aut non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? *Et est sensus eiusmodi. Quia ego commendaui voluntatem Dei, auctoritatemq, gratiæ eius exposui dicens, quod misericordiam præstaret cuiuscumque misertus fuisset, tu mihi, ô Iudæe, calumniam concitasti, quasi commendatio prolata à me voluntatis & potestatis diuinæ, ad excidium iustitiæ illius pertineret: & quia dixi, facit quod vult, argumentatus es, nihil iam reposci ab hominis voluntate debere, si Deus totum per suam faceret voluntatem, cùm personæ dignitas locum excluserit quæstionis. Nam si dixissem, facit Deus quod debet secundum iustitiæ suæ leges, qua de meritis iudicat singulorum: nihil, quale nunc obijcis, vtique retulisses. Nunc verò quia dixi, facit Deus quod vult, putasti aliquid me furatum esse de iustitiæ dignitate. Vtrumque igitur idem est. Nam cùm de Deo dico, facit quod vult, nihil aliud dico, quam facit quod debet: quia scio eum nihil velle quam quod debet. Vbi ergò inseparabiliter voluntas hæret æquitati, quamcumque de illis nominauero, vtramque signaui.*

Rom. 9. 19. Ibid. 20. Isa. 45. 9. Rom. 9. 21.

Deus multis nõ reddit supplicium quod debet: multis dat gratiam quam nõ debet.

AVG. RESP. Quomodolibet dicas deum facere quod debet, gratiam nemini debet: multisque non reddit supplicium, quod malis eorum operibus debet: & largitur gratiam, quam nullis eorum bonis operibus debet. Quid enim debebat eidē ipsi Paulo, cùm adhuc Saulus persequeretur Ecclesiam? nonnè supplicium? Quòd ergò eum emissa voce de cælo prostrauit, quòd excæcauit, quòd ad fidē percipiendam quam vastabat, tam violenter attraxit, proculdubio *secundum gratiam,* nõ *secundum debitum* fecit, vt in eis esset reliquijs populi Israël, de quibus dicit: *Sic ergò & in hoc tempore reliquiæ per electionē gratia factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia.* Quid debebat etiam illis nisi suppliciū, quibus dicitur: *Ego facio, domus Israël: propter nomen meum sanctum quod prophanastis in gentibus.* Facere se ergò dicit bona eorū in ipsis, propter nomen suum quod profanauerunt, non propter ipsos qui profanauerunt. Nā si propter ipsos facere vellet, supplicium

Act. 9. Rom. 11. 5. & 6. Ezech. 36 22.

plicium illis debitum redderet, non gratiam donaret indebitam. Quod enim se facturum dicit, ad hoc pertinet vt boni fiant, non quia boni erant, qui profanaverunt nomen sanctum eius. Denique apertissimè dicit eos bona esse facturos, sed se faciente vt ea faciant. Ait quippè inter cætera; *& faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis.* His certè operibus *merces imputatur secundum debitum*: † debetur enim merces, si fiant. Sed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant. † Debetur, inquam, bona merces, operibus hominum bonis: sed non debetur gratia, quæ ipsos homines bonos operatur ex malis. Et postremò quia *facere Deum* dixisti, *quod debet*, & altâ cervice humana merita ventilasti, dic, quæso, quibus meritis parvulorum debeat regnum cœlorum? Dicturus es fortè, debere hoc eum gratiæ suæ; quâ opitulante renati sunt. Propter hanc enim acceptam iam venire in eius regnum merentur. Sed ipsam gratiam, quam regenerandis exhibet, nullis eorum omninò meritis debet. Propterea *Pelagius* vester in Episcopali iudicio Palæstino, eos qui dicunt *gratiam Dei secundùm nostra merita dari*, ne ipse damnaretur, damnare compulsus est. Vbi te ipsum, qui hoc dicere non desistis, sine dubitatione damnavit. Istam gratiam, veram gratiam, id est, gratuitam, nullisq; meritis præcedentibus debitam, commendabat Apostolus, quandò dicebat, *Cùm enim nondum nati essent, nec aliquid egissent boni aut mali, vt secundùm electionem propositum Dei maneret.* Hæc est electio, de quâ & illud dicitur, *Reliquiæ per electionem gratiæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia, iam non est gratia.* Vndè & hic cùm dixisset, *Vt per electionem, propositum Dei maneret*, continuò subdit: *non ex operibus, sed ex vocante, dictum est, quia maior seruiet minori.* Contra istam veritatis tubam reclamas, & dicis, *ad incurvandam circumcisorum arrogantiam Apostolus, de sola Dei præiudicat potestate.* Vbi quid dicis aliud, nisi *ad incurvandam circumcisorum arrogantiam* mentitur Apostolus dicens, *non ex operibus* dilectum esse Iacob, cùm ex operibus sit dilectus, quia erat *quietus & mitis, obediens parentum præceptis, & sanctificationū appetentissimus* Nec intelligis non ideò quia talis erat, vel talis futurus erat, fuisse dilectum: sed talem, quia dilectus est, factū. Erubesce, non mentitur Apostolus, *non ex operibus* Iacob dilectus est. (*Si enim gratia iam non est ex operibus*) sed gratia dilectus, eâdem gratiâ faciente bonis oportuit vt polleret operi-

Ibid. 27.

* *Prosper sentent. 297.*

Deus facit vt bona fiat.

Gratiæ commendatio.

L. de Gestis Pelagij cap. 14. & 35.

Rom. 9. 11.

Rom. 11. 5. & 6.

Rom. 9. 12. & 13.

Sup. c. 132.

Ibidem.

Iacob non ideò dilectus quia sanctificationum appetentissimus erat, aut futurus erat.

bus. Parce animæ tuæ, noli esse inimicus huic gratiæ.

CAP. 134 IVL. DIX. *Ergò superbia illa, quæ volebat otiari, & desidiam suam ob id colore necessitatis obnubere, vt in susceptione gentium reclamaret Evangelio, audiret, quoniam, etsi sic esset quomodò tu commentaris, tamen supplicare Deo, non seditionem excitare deberes. Quibus verbis nequitiam retundit hominis, qui diversitatem meritorum, ex voluntatis qualitate venientem, aucupans elocutionis ambiguum, ideò necessitati divinæ conabatur ascribere, vt assereret necesse esse alterum de duobus, aut gentes ad promissionis non venire consortium: aut, si hoc liceret Deo extingui officia liberæ voluntatis. Verùm, quia id non sufficiebat negasse (neque enim à tali magistro, sicut commendabatur authoritas Dei, ita erat indefensa relinquenda iustitia) subdit consequentissimè, vasa, quæ in contumelia & quæ in honore fiunt, habere hoc de proprio stipendio voluntatis.* Si enim volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam in multa patientia, in vasis iræ consummatis in perditionem, & vt notas faciat, *inquit*, divitias gloriæ suæ in vasis misericordiæ suæ, quæ præparavit in gloriam, quos & vocavit, nos non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus. *Certè hic absolvit, quod superior conflictus operuerat. Non inferri à Deo iram, nisi his vasis quæ ad perditionem consummata fuerint: gloriam autem dari his quæ ad hoc fuerint præparata. A quo autem vasa huiusmodi in susceptionem horũ, quæ diximus, præparentur, ipsius Apostoli sermo patefecit;* In magna, *inquit*, domo, non sunt tantummodò vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: alia quidem in honorem, alia in contumeliam. Si ergò mundaverit quis semetipsum ab his, erit vas in honorem sanctificatum, vtile Domino, ad omne opus bonum paratum.

Rom. 9. 22. 23. & 24

2. Tim. 2. 20. & 21.

AVG. RESP. Ergò ipsa vasa ita se præparant, vt frustrà de Deo dictum sit, *quæ præparavit in gloriam.* Hoc enim apertissimè dicis. Nec intelligis, ita dictum esse, *si quis emundaverit semetipsum*, vt ostenderetur & opus hominis per voluntatem. Sed homo ingrate, *præparatur voluntas à Domino.* Ideò vtrumque verum est, & quia *Deus præparat vasa in gloriam*: & quia ipsa se præparant. Vt enim faciat homo, Deus facit prior. Lege mihi *Ezechielem* Prophetam, vndè quod satis visum est suprà commemoravi. Vbi ista etiam verba reperies, id est, Deum facere, vt præcepta eius homines faciant, quorum miseretur non propter merita eorum quæ mala ibi esse commemorat: *sed propter nomen suum.* Vt Deo sine meritis eorum faciente,

Vt faciat homo, Deus facit prior.

Prov. 8. 35.

Cap. 16. 22

Ibidem 27.

ciente, vt faciant præcepta eius, incipiant merita bonorum habere factorum. Hæc est gratia quam negatis, non ex operibus quæ fiunt, sed vt fiant.

2.Tim.2.21 IVL. DIX. *Ecce officium liberæ voluntatis.* Si, *inquit*, mundaverit quis semetipsũ *à societate vasorũ vilium* (*quo nomine, vitia denotantur*) erit vas in honorẽ sanctificatũ, vtile Domino, ad omne opus, bonum paratum. *Hæc igitur vasa, studijs propriis, aut ad iram, aut ad gloriam præparantur. Deus autem notam facit potentiam suam in vtroque, vel severitatem in impijs exerendo, vel beneficionem fidelibus largiendo. Apparuit itaque hanc sententiam egregij præceptoris, nec Manichæis opem sensibus attulisse, & è diverso nos consequenter armasse.* CAP. 135.

AVG. RESP. Quid calumniaris? quid falsò criminaris, nec quos & quales Ecclesiæ doctores crimineris, attendis? Non cuiusquam Manichæi, sed *S. Ambrosij* verbis tibi respõdeo, *Deus quos dignatur vocat; & quem vult religiosum facit.* Hoc in veritate scripturarum divinarum intellexit *Ambrosius*: sed iudicium, cùm alios facit, alios non facit, occultum est. Propter quod dicitur homini, non ab homine. *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Aufer tuas nebulas ab istorum serenitate verborum, quibus Dei quidem iudicium significatur occultum; sed ipsa tam clara sunt, vt se tuâ caligine obumbrari obscurariq́ue non sinant. *Deus quos dignatur vocat.*

Rom. 9.20. & 21. L.7.in Luc. c. 9.v.58.

IVL. DIX. *Ac per hoc tibi vehementer obnixa est, dicens, non omnes fingi in condemnationem, in quam tu omnes ire pronuncias. Absurdissimè autem argumentari soles, vt dicas, Sed* Hi non finguntur in condemnationem qui postea liberantur, *cùm nec sic possit sermonis Apostolici tibi vel superficies convenire. Nam cùm dicis tu, omnes in condemnationem creantur lege nascendi: sed aliqui, videlicet perexigui, mysterijs liberantur; non hoc asseris quod ille, qui non solùm de condemnatis liberari prædicat, vtrùm non omnes in condemnationem fingi: sed alios in contumeliam, alios in honorem.* CAP. 136.

Rom. 5.16. AVG. RESP. Vbi dixit Apostolus, *ex vno omnes in condemnationem*, ipsam *massam* demonstravit quæ tota vitiata ex Adam fluxit. Vbi autẽ dixit *Ex illa fieri vasa in honorem*, gratiam condemnat, quâ homines quos creat etiam liberat. Vbi verò *ex illa fieri vasa in contumeliam*, iudicium ostendit quo homines quamvis creet, non tamen liberat. Quod etiam vos de parvu-

Rom.9. 21.

liscogimini confiteri : quorum certè omnium vnam esse massam non potestis negare, qualemlibet eam putetis : ex qua tamen, alios in Dei regnum adoptari fatemini, quos proculdubiò *vasa in honorem facta* conceditis : alios verò non adoptari, quos *facta vasa in contumeliam*, nisi intelligenter consentiatis, impudenter negatis. Neque enim si non est pœna damnationis, sicut vultis, non erit saltem contumelia imaginis Dei, separari à regno Dei. Sed vos si illam perseveranter negabitis gratiam, ad hoc iudicium vos pertinere monstrabitis, quod vtique in parvulis iniustum esset, si peccatum originale non esset.

Contumelia imaginis Dei, separari a regno Dei.

CAP. 137. IVL. DIX. *Quod vt clarùit Apostolum dixisse de moribus, ita appareat, quanta testimoniorum legis inopia labores, qui ab his sententijs contra fulmina rationis, opem petis, quæ tibi dedignantur, imò natura sua subvenire non possunt.*

AVG. RESP. Contrà Apostolum dicentem, *ex eadem massa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam* Deum facere, nec dicentem, aliud nec in honorem, nec in contumeliam, quod vtique diceret si hoc quod vos dicitis de parvulis crederet; contrà hunc ergò diuinitùs intonantem non est fulminea ratio, sed fumea.

Non datur neutrum genus vasorum.

CAP. 138. IVL. DIX. *Et hæc quidem quantùm spectat ad testimonium Apostoli disputata sunt. Cæterùm in Isaia, vndè istam sententiam Paulus assumpsit, in tantum non deterret Deus rationabilem creaturam à sui consideratione iudicij, vt sicut per eundem Prophetam dixerat: Quiescite agere perversè, discite benè facere, subvenite oppresso: & venite, arguite me dicit Dominus: Ita etiam hîc, ne quid potestate solâ, non iustitiâ videretur fecisse, dispensationum suarum dignatur aperire rationem. Afflictio enim in captivitate populo Iudæorum, redemptionis adpropiare tempus quo ad terrã suã, reverteretur annũtiat & causã, vel præcedentiũmalorũ re erat, vel instantiũ gaudiorũ.* Epuletur, *in iuit*, cœlũ desuper, & nubes spargãt iustitiã: oriatur ex terra misericordia, & iustitia oriatur simul. Ego sũ Dominus Deus qui creavi te, faciens meliorem præparavi te sicut lutum figuli. Numquid qui arat arabit terram per omnem diem? Numquid dicit lutum figulo, quid facis, quia non operaris, quia non habes manus? Numquid dicet figmentum ei qui se finxit, sapienter me finxisti? Væ qui dicit patri, quid generabis? & matri quid parturies? Quia sic dicit Dominus Deus Israël sanctus qui fecit futura. Interrogate me pro filiis meis & filiabus

Esa. 1. 16. 17 & 18.

Esa 45. 8. & seq. iuxtà 70.

liabus, & pro operibus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram & hominem super eam. Ego manu meâ firmavi cœlum. Ego omnibus syderibus mandavi. Ego levavi cum iustitia regem, & omnes viæ eius rectæ, hic ædificabit civitatem meam, & captivitatem populi mei reducet, non cum præmio, nec cum muneribus dicit Dominus Sabaoth.

AVG. RESP. Si intelligeres verba Prophetæ, intelligeres ibi Regem, de quo dictum est, *Ego levavi cum iustitia regem, & omnes viæ eius rectæ*, hunc esse *mediatorẽ Dei & hominũ hominẽ Christum* Dominum: sed intelligeres vt intelligendus est. Neque enim audebis eum dicere præcedentibus operum meritis filium Dei factum ab initio, id est, à virginis vtero. Quâ ergò gratiâ homo ille ab initio factus est bonus, eâdem gratiâ homines, qui sunt membra eius, ex malis fiunt boni. Quid enim dicatis de Christo secundùm hominem, non invenitis, id est, secundùm id quod *verbum caro factum est*: quòd ille qui Deus erat, & Deus mansit, *& homo factus est*, quod ipse homo nunquàm ita fuit homo, vt non esset vnigenitus Dei filius, propter vnigenitum verbum. Neque enim vt hoc esset morum suorum de propria voluntate venientium meritis comparavit. Sed, sicut verum dixit Ambrosius *quasi de spiritu natus abstinuit à dilecto*: alioquin secundùm vos, multi essent tales, si esse voluissent, atque vt ille talis, non nisi vnus esset, in potestate hominum fuit qui tales esse noluerunt. Quę si attenditis quantâ impietate dicantur, vel tacitâ cogitatione credantur, sicut agnoscitis vnigeniti naturam, quod *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, agnoscite & gratiam quod *Verbum caro factum est & habitavit in nobis*. Ille igitur *quos dignatur, vocat, & quem vult religiosum facit*, qui hominem quem voluit *vnum* sine vllis humanæ voluntatis præcedentibus meritis *mediatorem Dei & hominum* fecit.

An Incarnatio facta sit ex meritis Christi.

Ioan. 1. 14.

In Esai.

Iuxta Pelagianos possumus nobis mereri vnionem Hypostaticam.

Ioan. 1. 1.

Ibidem 14.

Ambr. l. 7. in Luc. c. 9. v. 58.

IVL. DIX. *In hoc igitur loco hic sensus quantum spectat ad historiam continetur, vt Deus loquatur ad populum, quia nec odio vos in captivitatem tradidi: nec nunc, oblivione iudicij de vinculis Babylonica captivitatis exemi. Sed ego quantum in me est, paratus sum iugi vos benevolentia confovere. Iustitiæ meæ tamen debui vt & delinquentes hostibus traderem & recreatem liberaremque vexatos. Sicut enim rusticandi gnarus non semper vni minimes operi, vt solis findat*

CAP. 139.

findat arva dentalibus, sed diverso genere votivæ fertilitatis rura componit: ita etiam ego dispensationum vices vario, vt pressurarum consolationibus voluntatem vestram frugibus possim aptare iustitiæ. Denique, vt intelligatis quantâ æquitate agam vobiscum, possem mussitationes vestras pro potestate despicere, vt sicut figulo figmentum suum dicere non potest, quid me fecisti? ita etiam, vobis silentij pondus imponerem. tamen contra hæc exempla provoco vos, vt pro filys meis, & filiabus, id est, pro vobis & operibus manuum mearum, me interrogetis: & discatis, totum me iustè, nec quidquam vnquam fecisse crudeliter.

AVG RESP. Quod vis dicis, non quod dixit Esaias. Ille gratiam loquitur, contra quam tu loqueris.

CAP. 140 IVL. DIX. *Et à Propheta ergò, & ab Apostolo, in exemplum adductus est figulus, nihil aliud præbiturus, quàm comparationis officium, non tamen vt tam viles apud Deum esse homines indicentur, quàm argilla est in fornace, & orbe figulorum.*

Absolutâ hâc expositione quam præmisimus, admonemus secundùm interpretationem recentem in eodem loco aliud relucere. Rorate, *inquit*, cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet salvatorem; & iustitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum. Væ qui contradicit factori suo testa de Samiis terræ. Nunquid dicit lutum figulo suo, quid facis? & opus tuum absque manibus est. *Quibus verbis, etsi secundùm historiam Cyrus rex, secundùm prophetiam tamen Incarnatio salvatoris exprimitur, qui quoniam erat de Virgine nasciturus, Iudæorum & omnium infidelium obstinatio conventur, ne sint signis fidelibus perduelles. Cùm enim præmisisset*, aperiatur terra & germinet salvatorem, & iustitia oriatur simul, Ego dominus, *inquit*, creavi eum. *Isa* 48. 5. & 9.

Gratia venionis Hypostatica extra merita.

AVG. RESP. Dic mihi quibus operibus hoc meruit homo Christus Iesus, & quâ iustitiâ Dei, solus hoc meruerit, aude garrire. Aut si non audes, tandem gratiam sine meritis confitere, non solùm remittentem peccata homini; verùmetiam in natura humana, iustitiam sancto Spiritu facientem. Non enim & homini Christo gratia peccata dimisit, aut non eum gratia talem fecit, vt ab initio semper esset bonus, sicut ab initio semper Dei filius. Prorsus sicut admoniti sunt qui in eremo serpentum morsibus lethaliter vexabantur, vt in illum, qui in signo exaltatus fuerat, attenderent, ne perirent: Ita sunt admonendi qui tuis disputationibus venenantur, vt Christum attendant, & in illius *hominis mediatoris* iustitiâ, gratiam *Num.* 21. 9.

tiam ſine meritis videant, vndè è ſe, veſtri oris virus excludant. Denique in verbis Prophetæ, etiam *ſecundum recentem interpretationem* quam commemoraſti, vbi evidentius prophetatus eſt Chriſtus, non indè aſſumpſiſti, vndè diſputares, niſi quod ex virgine natus eſt, quia dictũ eſt, *aperiatur terra, & germinet ſalvatorem*. De iuſtitia verò eius quæ hìc pariter prænunciata eſt, nihil dicere voluiſti, cùm tu ipſa verba Prophetica propoſueris, vbi ait, *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum; aperiatur terra, & germinet ſalvatorem, & iuſtitia oriatur ſimul.* Dic quem nubes iuſtum pluerunt, niſi quem Prophetæ & Apoſtoli Chriſtum prædicaverunt? qui ex ipſo Virginis vtero cum iuſtitia natuseſt. Vndè cùm dictum eſſet: *Aperiatur terra, & germinet ſalvatorem*: mox additum eſt, *& iuſtitia oriatur ſimul.* Ac per hoc, eâ gratiâ fiunt iuſti homines qui renaſcuntur in Chriſto, quâ gratiâ iuſtus homo natus eſt Chriſtus. Sicut ergò exemplum eſt vitæ, vt eum imitando, iuſtè agamus; ita eſt etiam exemplum gratiæ, vt in eum credendo, indè nos fieri ſperemus iuſtos per ipſum, vndè factus eſt ipſe, *qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum ſcriptum eſt, Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Quoſcumque itaque mortiferè momordiſtis, hunc iuſtum intueantur, & ſanabuntur, hoc eſt, indè ſe credant accipere iuſtitiam, vndè Chriſto eſt innata iuſtitia, & ideò non in ſuo arbitrio, nec in ſuo merito, ſed *in Domino glorientur.*

Gratia Chriſti exẽplum gratiæ noſtræ.

1. Cor. 1. 30 & 31.

IVL DIX. † *Ante terra aperitur in germen, quàm operâ coléntis ſemen accipiat: quod in puerperio Virginis approbatur: quæ munere matris, officium prævenit, & excluſit vxoris. Quod ergò in vſu non erat; id facturum ſe Deus omnipotens pollicetur. Et addit prævidens infidelium multitudinem.* Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de Samiis terræ, *id eſt, Væ his qui Deo promittenti fœtam fieri Virginem, non potuiſſe contendunt. Cumque ipſi itidem, licet de ſeminibus à Deo inſtitutis, tamen interveniente Dei potentiâ in viſceribus fingantur maternis, obſtipo ſtudio affirmant nequiviſſe carnem ſine miniſterio viri ex carne Virginis fabricare. Tale eſt igitur, quod vos pervicaces, non putatis me id facere potuiſſe, ac mihi difficultatem præſcribitis, cùm vos ipſos manibus meis conſtet effectos: quale, ſi lutum figulo ſuo, cum ab eo tractatur, diceret, Non, habes manus, quibus tunc in vas aliquod formabatur. Ita ergò & vos, qui inquiritis, quis filium virgini dederit ſine viri ſemine, cognoſcite eundem eſſe qui vos fecit ex ſemine. Sed iam quoniam ſcripturis ſanctis expoſitio, varia licet,*

CAP. 141. * Fortè non antè

vtraque

vtraque tamen pia & religiosa concinuit, primus terminetur liber suo tamen fine commonens, vt opifex nascentium Deus credatur, innocentium tutor, Catholicorum remunerator, Manichæorumq; damnator.

AVG. RESP. Vt sciant qui intelligenter legunt, quemadmodum conatus fueris verba Apostolica obnubilare clara, & recta pervertere, huic disputationi tuæ, ex eâdem oportet Apostoli disputatione respondeam. * Volens igitur Beatus Paulus ostendere, quod *ea quæ promisit Deus, potens est & facere,* vbi maximè gratia commendatur, cuius estis inimici; neque enim in potestate hominum est, vt Deus impleat quæ promisit, & non ipsius qui promisit: volens ergò id ostendere, Non *potest*, inquit, *excidere verbũ Dei, Non enim omnes qui ex Israël, hi sunt Israel, neque qui sunt semen Abraham, omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen, hoc est, non hi qui filij carnis, hi filij Dei: sed filij promissionis deputantur in semine. Promissionis enim verbum hoc est, Ad hoc tempus veniam, & erit Saræ filius.* Tene in mente *filios promissionis*, quoniam qui promisit, potens est & facere † *Non solùm autem*, inquit, *sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri, Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni vel mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori.* Et hic, tene in mente *electionem non ex operibus*, quam quodammodò expoſuit Propheta posterior, quod subiungens Apostolus ait, *sicut scriptum est, Iacob dilexi; Esau autem odio habui.* Hic occurrit quæstio, quæ perturbare posset non intelligentes gratiam, eamque sibi ipse proponens, ait, *Quid ergò dicemus? Numquid iniquitas est apud Deum? Absit.* Et vt doceret, quod dixit, * *absit, Moysi enim inquit, miserebor cuius misericors ero: & misericordiam præstabo, cuius misericors fuero. Igitur non volentis, neque currentis sed miserentis est Dei.* Hoc si attenderes, non extenderes contrà gratiam merita voluntatis, vbi audis, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Non ergò ideò misertus est Deus, quia voluit & cucurrit Iacob: sed ideò voluit & cucurrit Iacob, quia misertus est Deus. *Paratur enim voluntas à Dño Et, à Domino gressus hominis dirigũtur, & viã eius volet.* Deindè quia propter Iacob dicta est sententia generalis, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*: datur enim exemplum de Pharaone, propter id quod dictum est, *Esau autem odio habui*, & subiicitur, *Dicit enim scriptura Pharaoni, quia ad hoc te excitaui vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum*

* Beda Rom. 9. 6.

Rom. 4. 21.

Rom. 9. 6. 7. 8. & 9.

Filij promissionis.

† Ibid. 10. & seq.

Electio non ex operibus.

Malach. 1. 2. & 3.

Rom. 9. 14. 15. & 16.

* Beda Rom. 9. 15.

Exod. 33. 19.

Rom. 9. 16.

Quomodo Deus misertus Iacob.

Psal. 36. 23.

Rom. 8. 35

Rom. 9. 17.

Ibidem 18. *meum in vniuersa terra*; Post hæc ad vtrumque concluditur, *ergò cuius vult miseretur, & quem vult obdurat.* Sed miseretur vtiq; secundùm gratiam quæ gratis datur, non meritis redditur: obdurat autem secundùm iudicium, quod meritis redditur. De massa quippè damnata, *facere vas in honorem* manifesta est gratia: *facere* autem indè *vas in contumeliam*, iustum iudicium est. *

De massa damnata facere vas in honorem, manifesta est gratia.

Hinc iam subiiciens verba eorum, quibus hoc displicet, ait: *Dices itaq; mihi, Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit?* eosque cohibens, *O homo, Tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam?* Vide si non consonat superioribus suis, & dissentit à tuis, qui putas hoc dictum secundùm merita voluntatum, contrà id quod ipse ait; *Cum enim nondum nati essent, nec aliquid egissent boni vel mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori,* & contrà id quod ait: *Igitur non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei.* Nec solũ contrà hæc quę præcesserunt, verùmetiam contrà illa quæ subsequuntur, *vasa* quippè *iræ* dicit, quæ sunt *perfecta in perditionem*, quod iniustum esset, nisi omnibus *ex vno in condemnationem* venientibus, iam damnata massa esset: & *vasa* dicit *misericordiæ, quæ præparauit in gloriam* * Ad misericordiam quippè gratuitam, non debitam pertinet de massa damnata *vasa in gloriam præparare, non solum ex Iudæis* sicut dicit, *sed etiam ex Gentibus.* Propter quod ponit testimonium de Osee Propheta, *vocaui non plebem meam plebem meam.* Et de Esaia Propheta propter Israël, *Reliquiæ saluæ fient.* Vt autem essent istæ reliquiæ, gratiâ Dei factum esse testimonio sequenti docet, per eundem Prophetam dicẽtem: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semẽ.* † Deindè ostendit *Gentes ex fide apprehendisse iustitiam. Israel autem ideò non apprehendisse, quia non ex fide, sed tanquam ex operibus.* Fides enim habet, quod aliquantò pòst dicit, quoniam *omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit,* ad quam salutem pertinet, vt opera bona sint, & iustitia nobis ex Deo sit, non ex nobis. Propter quod, de illis qui *non ex fide, sed tanquam ex operibus offenderunt in lapidem offensionis* * sequitur, & dicit: *Fratres bona voluntas quidem cordis mei, & deprecatio ad Deum pro illis, in salutem. Testimonium enim perhibeo illis, quia zelum Dei habent, sed non secundùm.*

Vasa iræ.

Vasa misericordiæ.

* *Beda Rom. 9. 27.*

* *Beda Rom. 9. 29.*

* Beda Rom. 10. 3.

dum scientiam. Ignorantes enim Dei iustitiam & suam iustitiam quærentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti † Quod omninò & vos facitis. Iustitiam quippè vestram vultis constituere, cui Deus secundùm merita retribuat gratiam: nec vultis gratiam Dei præcedere, quæ vos faciat habere iustitiam. † Deindè connexà sibimet serie disputationis, ad illud pervenit, vbi ait, *Dico ergò, numquid repulit Deus plebem suam? Absit. Nam & ego Israelita sum, ex semine Abraham, ex tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem suam quam præscivit. An nescitis in Elia, quid dicit scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversus Israel? Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal. Sic ergò & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia.* Deindè vide, quid adiungat: *Quid ergò? quod quærebat Israel, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est.* Sed superiùs respice qualis electio, vbi ait, *Reliquiæ per electionem gratiæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus.* Et hoc refer ad illud, vnde disputatio ista profecta est, *cùm enim nondum natiessent, neque aliquid egissent boni aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus.* Hæc est *electio gratiæ, non ex operibus*, quâ *fiunt vasa in honorem*, vt bona opera faciant, quia opera bona subsequuntur gratiam, non præcedunt; quoniam gratia Dei facit, vt ea faciamus, nec *constituamus iustitiam nostram*, sed Dei iustitia sit in nobis, id est, quam donat Deus nobis. *Cæteri verò excæcati sunt.* Hoc est in iudicio, quo *fiunt vasa in contumeliam*, ex quo iudicio dictum: *Esau autem odio habui*: ex quo iudicio dictum est etiam Pharaoni, *Ad hoc te excitavi.* Vndè apparet vos sic intelligentes, vel potiùs non intelligentes Apostolum ex operibus contra gratiam velle gloriari, & *vestram iustitiam volentes constituere, iustitiæ Dei non esse subiectos.* Nos verò Deum quidem parvulorum opificem prædicamus: sex *ex eadem massa*, medium locum vasis, vbi nec *in honorem fiant*, nec *in contumeliam*, quem non dedit Apostolus, non damus. Quos vos faciendo evaderetis in iudicium Dei, si eum tantummodò Manichæorum, & non omnium hæreticorum damnatorem demonstrare posletis.

Rom. 11. 1. & seq.

Ibid. 7.

Gratia Dei facit vt faciamus.

Ibid.

Rom. 9. 13. Ibidem 17.

Rom. 10. 3.

An detur vasis medius locus?

DIVI

DIVI AVGVSTINI

Contra Secundam Iuliani Responsionem.

LIBER II.

IVL. DIX. *Commodè nobiscum ageretur, si aut apud eruditos iudices negotium veritatis tueri daretur facultas; aut, quia hoc interim negatur, vel nullo imperitorum obverberaremur tumultu.* CAP. 1. *Iulianus eruditos iudices exposcit.*

AVG. RESP. Tales certè eruditos iudices quæris, qui nisi fuerint exculti & ornati liberalibus disciplinis, neq; ignoraverint quid senserint etiam huius mundi Philosophi, de tuis dictis iudicare non possint. Talis hic erat *Ambrosius*, quem iudicem si non refugis, dubitare non debes iustissimè te esse damnatum. Ille enim dixit, *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est*, vt his verbis suis Christum Salvatorem, hoc est IESVM, ostenderet parvulis necessarium, cui tu contradicis. Fatendum tibi est itaque te habere iudices Catholicos. *L. 1. de peccat. cap. 2.*

IVL. DIX. *Vel, quia attollendi in Ecclesiarum salutem trophei damna perpetimur (quod bonæ causæ, prudentia cognitorum miris erat delatura suffragys) nihil ad contumelias nostras, vulgi valeret assensio. De his ergò quas dixi hominum partibus, vna nobis prodesset, altera nihil noceret; si aut illa potestatem obtineret, aut ista verecundiam. Verùm quia rerum est magna confusio, & stolidorum maxima multitudo, eripiuntur Ecclesiæ gubernacula rationi, vt erecto cornu, velificet dogma populare.* CAP. 2. *Dogma Ecclesiæ populare vocat.*

AVG. RESP. Si hoc, quod asserimus, dogma populare est; non est ergò dogma Manichæorum hoc, quod in populis Christianis mente perditâ oppugnas. Manichæorum quippè dementiam in paucis meritò contemnis. Sed habes & tuam, quia nomine manichæorum, eos populos quos iudices refugis, reddere nobis conaris infestos: quasi possint populi tuâ loquacitate decepti, Manichæum dicere *Ambrosium*, Manichæum dicere *Cyprianum*, qui propter salutem etiam parvulorum docuerunt esse originale peccatum. Tales autem populos non fecit, sed invenit *Ambrosius*: non fecit, sed invenit etiam ipse

Cyprianus. Tales populos in Ecclesia etiam Pater tuus, quando baptizatus es, invenit. Tales postremò populos Catholicos inveniſtis & vos. Compescite vos : fatemur dogma noſtrum esse populare, quia populus Dei sumus : qui propterea est appellatus Iesus, *quia ſalvum facit populum ſuum à peccatis eorum.* A quo populo cùm separare parvulos vultis, vos ipſos potiùs separatis. Matt. 1. 21.

CAP. 3. IVL. DIX. *Ita cum prudentibus parum licet : vilibus autem quod libet, etiam decet, ſeditionum decreto excluſa eſt de Eccleſiis cenſura virtutum, noſq; hoc, apud homines vulgi os fecit, quod acceſſio erroris eſſe rerum, vulgi, inquam, qui ſententia meritum de proſperitatibus ponderans, eam veritatem æſtimat, quam pluribus placere conſpexerit.*

Pelagiani de paucitate gloriabantur.

AVG. RESP. Nunquid Manichæus pluribus placet? nõne sicut parricidæ, & pauci, & peſſimi sunt? Nolite ergò de paucitate gloriari : & quod est vaniùs, dicere quòd pluribus placeat dogma noſtrum, & obiicere nobis deteſtabilium dogma paucorum.

CAP. 4. IVL. DIX. *Quodque ait in Epicurum Tullius*, manifeſto argumento non dici illa subtiliter, quod huiuſcemodi homines paſſim ſibi ea profitentur placere : *Idcirco, ſicut omnia perverſe, ad ſapientia putant teſtimonium pertinere.*

AVG. RESP. Sed Tullium vincit atque convincit in hac ſententia ille qui dicit, *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.* Quos tu quæris non veraciter docere : ſed ſubtiliter fallere aliquos eorum, & veſtræ addere paucitati, ſubtilitatem paucorum Philoſophorum ſæcularium prædicãdo : & nos reprehendendo, quod non dicantur noſtra ſubtiliter, & ideò huiuſcemodi homines paſſim ſibi profiteantur placere. Me tamen aliquoties dixiſti, nihil magis agere, quàm vt non intelligar. Quomodò ergò id quod defendo multitudini placet, niſi quia multitudo iſta Catholica eſt, cui meritò veſtra hæreſis diſplicet? Pſal. 116. 1

CAP. 5. IVL. DIX. *Delectat enim prorſus ſubantes animas, infamare quidquid vnquam & vſquam ſanctorum fuit, ne clarorum operum caſtigentur exemplis.*

Iulianus libidinem laudat.

AVG. RESP. Subantes ergò animæ poſt te potiùs currunt, qui libidinem laudas. Nam caſtæ animæ vituperando arguunt quod expugnando laudantur.

IVL.

IVL. DIX. *Delectat prorsus & penitus afficit, causari imbecillitatem naturæ: dicere carnem congenitis obnoxiam esse peccatis: nec in voluntate hominis emendationis effectum locare, sed studiorum crimina, officia vocare membrorum: Catholicam hanc fidem esse, vt liberum confiteatur arbitrium, sed per quod homo malum facere cogatur, & bonum velle non possit:* CAP. 6.

AVG. RESP. Quid nobis iraſceris, qui *emendationis effectum* tantò certiùs appetimus, quantò fideliùs eum à Domino petimus? Fruſtra inflatam linguam voce ſuperbiente dilatas. Nolumus prorſus, nolumus eis annumerari, *qui confidunt in virtute ſuâ.* Anima noſtra Deum ſitit, cui dicit, *Diligam te Domine virtus mea.* Poteſt enim homo bonum velle, ſed *præparatur voluntas à Domino.* In malum verò libens vergit vitiata; propter quod eſt ſananda natura. *Qualiter poſsimus bonum & malùm velle?*

Pſal 48. 7
Pſal. 17 2.
Prov. 8. 35. apud 70.

IVL. DIX. *Vanos verò hominum hæreticoſque ſermones, qui aſſerant Dominum iuſtum ad bonum opus liberum hominem condidiſſe, & eſſe in vnius cuiuſque poteſtate recedere à malo, ac ſtudijs ſplendere virtutis: vt his qui flagitia in neceſſitatem carnis refundunt, ſollicitudinum & timorum aculeus infigatur.* CAP. 7.

AVG. RESP. Non dicimus *hominum vanos hæreticoſq; ſermones, qui aſſerunt Deum iuſtum ad bonum opus liberum hominem condidiſſe.* Talem quippè Adam condidit, in quo fuimus omnes: ſed peccando perdidit ſe & omnes in ſe. Vnde nunc non eſt in poteſtate filiorum hominis à malo liberari, niſi gratia Dei *det poteſtatem filios Dei fieri.* Propter hoc, non *his qui fieri flagitia*, ſicut dicis, *in neceſſitatem carnis refundunt*: ſed his, qui vt in tentationes flagitiorum non inferantur, preces Deo fundunt, *figitur aculeus ſollicitudinis & timoris*, ne conſentiant ſuperbiſſimis & Deo ingratiſsimis diſputationibus veſtris. *Homo ad opus bonum à Deo conditus.* *Superbiſſima & Deo ingratiſsima diſputationes Pelagianorum.*

Ioan. 1. 12.

IVL. DIX. *Poſtremò in Eccleſijs quæ magnum † honorem, & †magnum populum poſsideant, prædicare tantam vim eſſe peccati, vt antè membrorum formam, ante vitium aduentumq; animæ, tacitis ſeminibus ſupervolans in ſecretum matris invadat, & reos faciat naſcituros, ortuque ipſo antiquior expectet culpa ſubſtantiam, quæ lex peccati habitans deinceps in membris, captivum hominem cogat ſervire criminibus, non caſtigatione in turpitudinibus, ſed miſericordia dignioré: quandoquidem quod nos vitia prava voluntatis eſſe dicimus, id in Eccleſia à viris & fœminis, magniſque Pontificibus originalis paſsio nuncupatur.* CAP. 8.

† F. bonorum.
* F. malorum.

AVG. RESP. Respondet tibi Ambrosius Pontifex magnus, hæresiarchæ vestri excellenter ore laudatus, & dicit, *Malè Eva parturivit, vt partûs reliquerit maleficiis hæreditatem; à qua, vnusquisque concupiscentiæ voluptate concretus & genitalibus visceribus infusus, & coagulatus in sanguine, in pannis involutus priùs subiret delictorum contagium, quam vitalis spiritus meatus hauriret.* Sananda est itaque, Iuliane, humana Deo miserante, natura; non te inaniter declamante tanquam sana laudanda.

Lib. de Philosophia non esta. Iulianum tanquam sanam naturã laudabat

CAP. 9. IVL. DIX. *Hæc ergò Manichæorum scorta dogmatum, impurissimorum lenocinatur auribus.*

AVG. RESP. Ambrosium, si audes, criminare Manichæum. Attende in quem dicas, quod vis videri tanquam in me dicere. Et si vllus tibi, vel Dei timor, vel humanus pudor est, conticesce. Me oportet cum talibus tua conuitia, non solùm patienter, verùm etiam gratulanter audire. Sed tu debes in talibus lacerandis, & humana erubescere, & diuina iudicia formidare.

CAP. 10. IVL. DIX. *Hæc in vtroque sexu positos inimicos nostros vrtica commouit, quæ dum quidem erat vitio malæ consuetudinis mordax, tùm exhortationum salutarium velut quibusdam curabatur vnguentis.*

AVG. RESP. Vrticâ pungente prurit, sed qui libidinẽ laudat. Si autem propter malam consuetudinem, sicut sapitis, clamat homo, *non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago*; certè vel in isto fatemini humanam voluntatem vires bonorum operum perdidisse, cui nisi diuinæ gratiæ subueniat adiutorium, quid ei prodest copiosum & ornatum cuiuslibet exhortantis eloquium? Rom. 7. 19

CAP. 11. IVL. DIX. *At nunc postquam pro medicamine cœpit efferri, & delectationi accessit authoritas, vt concessu pene mundi, membripotens regina mentium, expugnatrix honestatis, & inuicta animorum omniũ captiuatrix turpitudo vocaretur, Nobis quantò honestior, tantò durior tuenda veritatis causa facta est: quia contra præcipites populos & suis remedijs infensos, non multùm valet raritas orationè medicantium. Quid igitur? Horumne intuitu, receptui canere debebimus? & contumelias nostras vlciscì silentio, ac de consuentiæ portu aliorum videre naufragia? Verùm contradicit huic odio, primò benignitas quam genesi debemus humano: deinceps spes, fideique quam habemus in Deum, qui extra id quod frequenter desperatas temporum leuauit ruinas, constantiam tamen, quam vsque ad mortis horam exerceri voluit, etsi*

nullas

nullus in præsentia sequeretur effectus æternâ remuneratione donavit.

AVG. RESP. Quomodò levat Deus ruinas malarum voluntatum (per quas vtique tempora vituperantur, quandò rectè vituperantur) nisi bonas voluntates operando in cordibus hominum? Aut si possunt, ipsæ se levent, ficut dementissimè sentiendo magna ruina facti estis. Vndè pro vobis ipsum rogamus. Atque vtinam sic etiam de te, quemadmodùm de fratre Turbantio, nos exaudire dignetur!

Turbantius ab errore Pelagiano correctus.

IVL. DIX. *Hâc igitur fidei consolatione gaudentes, imminea-* CAP. 12.
mus cœpto operi: & disputationem premissa reddamus, non ambigentes hoc ipsum maximam esse præmij partem, quod in eius dogmatis arce consistimus, quod cum tam multorum livor, sed & plurimorum error oppugnet; tamen ita supra casus evasit anceps, vt invincibilis cluat possessionem victoriæ.

victoriam iactat arrogantèr.

AVG. RESP. Ipse tibi das palmam contra tot Antistites Dei, qui ante nos, ea quæ oppugnas, in Ecclesia Christi didicerunt, atque docuerunt, bibentes & ministrantes, in
Psal. 67. 27 fontibus Israël. Hoc ergò quod facis, non est victoriæ possessione cluere, sed in odiosæ arrogantiæ cloacam deformiter fluere. *Cluere* quippè *pollere est*. Quomodò autem potes victoriæ possessione pollere, qui conaris Catholica dogmata, antiqua, & invicta polluere?

IVL. DIX. *Nam si (vt & superior sermo patefecit, &* CAP. 13.
secuturus docebit) quidquid ratio est, quidquid eruditio, quidquid iustitia, quidquid pietas, quidquid testimoniorum sacrorum, huic quod tuemur dogmati, suffragatur; nihil aliud inimici nostri toto adipiscuntur conatu, quam vt doctis quibusque imprudentissimi, sanctis contumacissimi, in Deum profanatissimi comprobentur.

AVG. RESP. Sed falsa loqueris. Nam neque *ratio*, neque sana *eruditio*, neque *pietas*, neque *sacra testimonia* vestro dogmati suffragantur. Imò, omnia, sicut hi qui rectè intelligunt iudicant, vestrum dogma subvertunt. *Ratio* quippè cernit vix ad aliquid veri se posse pervenire tarditate impediente naturæ. *Eruditio* pœnam laboris habet in eadem tarditate naturæ. *Iustitia* clamat non ad se pertinere, vt
Eccl. 40. 1. *Adam filij gravi iugo* premantur *à die exitûs de ventre matris* suæ, sine vllo merito peccatorum. *Pietas* adversus hoc malum, divinum poscit auxilium. *Sacra testimonia* vt hoc fiat, hortanum admonent animum.

Deiustitia.

IVL.

CAP. 14. IVL. DIX. *Et quidem quàm nihil habeant Traduciani, quod vi (quâ proteruntur) rationis, opponant vt alia eorum scripta, ita hi contra quos agimus testantur libelli: qui directi ad militarem virum (quod etiam ipse profiteri potest) alijs magis negotijs, quàm literis occupatum, impotentiæ contra nos precantur auxilium: ac pro se sursum deorsum plebecularum, aut ruralium, aut theatralium scita commendant, quæ quo sint promulgata concilio historia nulla commemorat.*

AVG. RESP. Non impotentiæ contra vos precamur auxilium: sed pro vobis potiùs, vt ab ausu sacrilego cohibeamini, Christianæ potentiæ laudamus officium. Vide sanè quemadmodùm *rurales & theatrales* dicas, *Cyprianum & Ambrosium*, & tot eruditos in regno Dei scribas socios eorum.

CAP. 15. IVL. DIX. *Illud tamen nequaquam inficiari possumus quòd plurimum, vt dixi turbis places. Videris tamen delicta voluntatis imputare naturæ, & infamationes hominum & morum petulantiam vindicare, vt nunquàm quis emendare conetur, quod sperat in se ipso alterum perpetrare.*

AVG. RESP. Quandò tibi dixi, quod alter perpetret peccatum cuiusquam, quandoquidem etiam ille qui dicit, *iam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum*, continuò subiiciens ait, *Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum?* Ostendit suum esse, quidquid illud est: quia & ipsa caro ad eum pertinet, qui & carne constat & spiritu. Et tamen, non vis cum *Ambrosio* sapere, quod hoc malum, quo *caro concupiscit adversus spiritum, per prævaricationem primi hominis in naturam verterit*, sed & tu, cùm dicere soleas in his Apostolicis verbis violentiam malæ consuetudinis exprimi, quid est, quod modò dicere voluisti, *vt nunquam quis emendare conetur, quod scit in se alterum perpetrare?* cùm velis vtique se ipsum emendare eum qui dicit, *non ego operor illud.* Et hoc velis fieri viribus propriæ voluntatis, cùm videas quàm sit voluntas ei infirma, qui dicit, *non quod volo, ago.* Istum saltem, quæso, permittite divinum poscere auxilium, in quo defeciſſe cernitis suæ voluntatis arbitrium.

Rom 7. 17.

Ambr. l. 7. in Luc. c. 12. n. 52.

CAP. 16. IVL. DIX. *Verùm imbecillum cæcæ opinionis patrocinium multiplicat peccata, non minuit. Hic igitur miserorum pruritus & sponte arescentium, nullum contra ipsam rationem valebit pondus afferre. Sed quia nonnullis scripturarum locis, & maximè Apostoli Pauli sermo-*

sermonibus confirmari asserunt naturale peccatum, quorum expositionem in secundum volumen distuli, quærendi tempus est: si breviter priùs (vt fiat lector instructior) & quæ sint acta, & quæ sint agenda distinguamus. Ostensum est ergò, nihil posse per sanctas scripturas probari, quod iustitia non possit tueri. Quia si in lege Dei est perfecta forma iustitiæ, nihil per eum adversaria ei, id est, iniustitia, fine- Sup. lib. 1. 17. & seqq.
tur virtutis adquirere. Ac per hoc quod ratio arguet, non potest auctoritas vindicare. Deindè probatum, Deum nobis notum esse virtutibus. Huius ergò iustitiam & omnipotentiam confitendam: cuius si amittitur excidium, maiestas incipiet tota nutare. Quia ita Deus *iustus est, vt si probaretur iustus non esse, convinceretur Deus non esse. Conclusum est, nos Deum aquissimum in Trinitate venerari, & inrefutabiliter apparuit, non posse ab eo peccatum alienum parvulis imputari.* Cap. 57.

AVG. RESP. Quare non fateris ab Omnipotente iusto, *Grave iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum,* Deiiustitiâ.
Eccl. 40. 1. sine vllo peccati merito non potuisse constitui?

IVL. DIX. *Sed vt de definitione iustitiæ, ita etiam de peccati conditione dissertum est, quod peccatum apparuit nihil esse aliud, quàm malam voluntatem, cui esset liberum ab eo quod prauè appetiverat, abstinere:* CAP. 17. L. 1. c. 44.

AVG. RESP. Hoc est omninò peccatum primi hominis, vndè in homines mali origo descendit. Quippè valdè liberum fuit, ab eo, quod prauè appetiverat, abstinere: quia nondum erat vitium, quo *caro concupisceret adversus spiritum.* Non-dum enim dicebat, *non quod volo ago.* Nondum positus in carne peccati vllum necessarium habebat auxilium de similitudine carnis peccati. *Definit peccati respondet.*

IVL. DIX. *Ac per hoc illustrissimo testimonio productum est, in nascentibus non esse peccatum, quod in his vsus voluntatis non poterat inveniri.* CAP. 18. Cap. 48.

AVG. RESP. Et vndè *grave iugum*, nisi quia ita non habent voluntatis vsum, vt obnoxium tamen habeant originis vinculum? *Grave iugũ ob originale peccatum.*

IVL. DIX. *Liberum autem arbitrium negari ab his qui dicunt peccata esse naturalia, lucidâ est disputatione monstratum. Quod quidem Pœnus, non suo sermone, nè minùs ponderis haberet, sed Evangelij testimonio, quasi auctoratius, denegavit: quod nos exponendo, Evangelica reddidimus dignitati. Apostoli quoque Pauli testimonium laqueis calumniatoris eximimus: & bonorum vasorum* figulum *Deum nostrum, esse omnium conditorem, Propheta teste, monstravimus.* CAP. 19. Cap. 78. Cap 88. Cap. 108. Cap. 127. & seqq.

AVG. RESP. Illic tibi responsum est, & quantùm aberraveris à veritate monstratum.

CAP. 20. IVL. DIX. *His igitur maximè actis in primo libro (quorum vnum aliquid abundè sufficit ad victoriam veritatis) ex abundanti quidem, superest tamen vt magis vrgentem, cum* per vnum hominem peccatum, *dixit*, intrasse in mundum, *sententiam disputemus, & definitionibus, quas præmisimus, cùm necesse fuerit adiuvandi, & probaturi nihil rationem fuisse mentitam: sed iniustitiæ esse crimen, aliorum studia, aliorum ortibus imputare: hocque ipsum quod iniquum est, quamvis nemo hinc dubitare debuerit, tamen Deo displicere, & ab eodem prohiberi testimonijs legis, vel in hoc libro, vel in sequenti docebimus. Ex quibus necessariò conficitur, & nos rectissimè defendere, neminem cum peccato nasci, & Deum reos non posse iudicare nascentes: ac per hoc, tam integrum esse liberum arbitrium; quam ante voluntatis propriæ vsum innoxiam in vnoquoque naturam:* Rom. 5. 12.

Negat originale peccatum, & liberi arbitrij vulnera.

AVG. RESP. Dic, videamus quid de Apostoli testimonio dicturus es, tam inaniter, quàm superiora dixisti.

CAP. 21. IVL. DIX. *Manichæos autem & pietati & rationi rebelles, qui putant & antè tempus voluntatis esse peccatum, quod rerum natura non sinit: & Deum esse quem argumentantur iniustum: & infamare sanctas paginas, quarum monumentis probari allegant crimen divinitatis. Quorum cum ex tribus nihil queat ratione monstrari, id est, nec sine voluntate peccatum, nec in Deo iniquitas, nec in lege perversitas; soli illi stulti, imprudentes, & impij demonstrantur.*

L. de philo. AVG. RESP. Erubescе. Non fuit Ambrosius Manichæus, cùm diceret, *Hominem priùs subire delictorum contagium, quàm vitalis spiritûs munus hauriret.* Sed *nec ista delicta nisi ex voluntate* extiterunt, vndè originem trahunt. Et ideò *Nec in Deo est iniquitas*, qui propter hoc posuit nascentibus *grave iugum*: *Nec in lege perversitas*, in qua hoc dicitur esse veritatis numen; quod & ipsi videretis, nisi vos potiùs perversos oculos haberetis.

CAP. 22. IVL. DIX. *Hæreat igitur hoc maximè prudentis animo lectoris, omnibus scripturis sacris solùm illud, quod in honorem* DEI *Catholici sapiunt, contineri, sicut frequentium sententiarum luce illustratur. Et sic vbi durior elocutio moverit quæstionem, certum quidem esse, non ibi quid iniustum est, loci illius auctorem lapsum esse: secundum id autem debere intelligi, quod & ratio perspicua, & alio-*

Cap. 12. *rum locorum, quibus non est ambiguitas, splendor aperuerit. Iam igitur eius, cùm quo agimus verba ponamus. Equidem in illo capite dicto-*

dictorum suorum, quousque ad sigulum peccatorum Deum suum adduxerat (contra quod libro priore constitimus) tenuiter dixit, per vnum hominem peccatum intrasse in mundum. *Non est autem in expositione loci ipsius immoratus. Postquam verò multis verbis contra illa excerpta, quæ ad se confirmat missa, disseruit, pervenit ad aliquem dictorum meorum locum, quem sibi quasi oppugnaturus referens ad hanc Apostoli sententiam convolavit, in quâ dicit*, per vnum hominem peccatum intrasse in mundum: *& secundùm dogma suum, contextum loci ipsius exponere molitus est. Propter quod ego prætermissis alijs ad eam properavi partem, vt quia me promiseram hanc esse quæstionem in secundo volumine soluturum, & fidem promissionis implerem, & argumentatio illius, quæ esset, ostenderem; ne putaret feciße fraudem, si illius expositione suppressâ, eam quam Catholicam fatemur, inferrem.*

AVG. RESP. Pelagianam illaturus, & non Catholicam. Catholica illa est, quæ ostendit iustum Deum in tot ac tantis pœnis & cruciatibus parvulorum: quos in paradiso vllus eorum, nullâ æquitate sentiret, si natura humana vitiata peccato, & meritò damnata non esset. *Iustitia Dei circa miserias parvulorum.*

IVL. DIX. *Retractans igitur in primo opere meo, sententiam eius qui dixerat*; Nam sicut peccatum, sive hinc sive inde tra „ hatur à parvulis, opus est diaboli; sic homo, sive hinc, sive, „ inde nascatur, opus est Dei (*ita autem à me nunc hic refertur, si eius in meo opere continetur, vnde maximam partem fuerat iste furatus.* CAP. 23. *Verba Aug. l. 1. de nup. cap. 1.*

AVG. RESP. Si vera disputas, quomodò verùm est, quod ego illa furatus sum, cùm potiùs ille, cuius chartula mihi missa est, quod voluit atque vt voluit, ex opere tuo, arbitrio suo iudicioque transtulerit?

IVL. DIX. *Respondi ergò ibi ita quidem. Partem magisterij* CAP. 24. *tui dixerim tergiversari. Sed intellige, quod ademerit tibi veritas licentiam pervagandi. Eccè enim & nos acquiescimus, quia peccatum opus, „ est malæ voluntatis, vel opus est diaboli. Sed per quid, hoc peccatum, „ inventur in parvulo? Per voluntatem? At nulla in eo fuit. Per for- „ mam corporis? Sed hanc Deus tribuit. Per ingressum animæ? Sed „ nihil debet semini corporali, qua nova à Deo conditur. Per nuptias? Sed, „ hæ pertinent ad opus parentum, quos in hoc actu non peccaße prætendeas. Quod si non verè id concesseras sicut processus tui sermonis indicat, ipsa sunt exeçranda qua causâ fecerunt mali. Verùm illa substantiâ, „* *Quærit per quid peccatum inveniatur in parvulo.*

„ *propriam non habent : sed nomine suo personarum opus indicant.*
„ *Parentes igitur qui conventu suo causam fecêre, peccatores damna-*
„ *biles. Ambigi ergò iam non potest coniuges aterno supplicio mancipa-*
„ *ri quorum labore actum est, vt ad dominatum exercendum in homi-*
„ *nes diabolus perveniret. Quodsi concesseris; illud totum, quod anteà*
„ *tenuisse videbatur, amittis, id est, quod hominem Dei opus dixeras.*
„ *Necessariò quippe sequitur, quia per commixtionem corporum origo*
„ *progenitis est si per originem, malum in hominibus : per malum, ius*
„ *diaboli in homines ; diabolum esse auctorem hominum, à quo est origo*
„ *nascentium. Post quæ ipsius denuò verba repetivi,* Nam sicut peccatum, sive hinc, sive inde trahatur, opus est diaboli: sic homo sive hinc, sive inde nascatur, opus est Dei. *Ac protinùs in-*
„ *surrexit hoc modo cùm illam vocem timoris tui cogito, quâ dicis,*
„ nuptias malum non esse, *istos alios sermones tuos sine risu con-*
„ *fiderare non possum. Si enim credis à Deo homines fieri, & esse con-*
„ *iuges innocentes, vide quàm stare non possit, trahi ex his originale*
„ *peccatum. Certè non peccat iste qui nascitur : non peccat ille qui*
„ *genuit : non peccat iste qui condidit; per quas rimas inter tot præsi-*
„ *dia innocentiæ, peccatum fingis ingressum?*

L. 3. contra Iul. cap. 24.

AVG. RESP. Iam his verbis tuis etiam cùm ipsos libros tuos legissem, respondisse me sufficit. Verùm & hic admoneo, Apostolum potiùs audiendum esse, quàm te, qui non occultam rimam, sed apertissimam ianuam demonstravit, quâ, *peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quæ verba eius, cùm secundùm vos, non secundùm ipsum, exponere cœperis, tunc apparebit cui rectitudini veritatis, loquacitate tortuosissimâ relucteris. Rom. 5. 12.

CAP. 25.

IVL. DIX. *Huncergò de opere meo priore contextum, in hoc secundo libro suo, scilicet cum interpolatione proposuit. Nam & com-*

L. 2. de nup. & conc. 28

memoratam à me formationem corporis & ingressum animæ, quam novam in vnoquoque à Deo conditam ratio, quam legis sacræ, Ecclesiaque Catholica confirmat auctoritas, vt spero, iste præterit.

AVG. RESP. Qui legit sex libros meos quibus refutavi quatuor tuos, de quorum primo, quæ voluit, & sicut voluit, ille decerpsit, cui respondi in libro isto quem nunc frustra redarguere loquacissimâ vanitate conaris, sic me tibi respondisse reperiet, vt videat, non me arte præteriisse quod dicis : sed illum potiùs, cuius chartulæ respondebam, hoc ex

opere

opere tuo noluisse transferre, sive studio brevitatis, sive quia pertinere non putavit ad causam.

IVL. DIX. *Iam reliqua, licet aliquibus sermonibus variata, contexuit. Contra ergò obiectiones meas nihil, quo repercuterer, cogitavit. Sed verum me collegisse argumentandi inopia confessus, dicit* mihi ad hæc omnia Apostolum respondere *debere, qui pronunciet*, per vnum hominem peccatum intrasse in hunc mundum. *In quo loco, quis eum eruditus sanum habuisse caput æstimet, qui non intellexerit aut pratereunda sibi esse contra quæ nihil poterat invenire, aut quæcumque excogitanda quæ referret obiectis, ad quorum confirmationem Apostoli verba coniungeret.* CAP. 26.

AVG. RESP. Sed meliùs verbis Apostolicis refelleris quàm meis, nec tamen & Apostolicis cedis. Sed mavis etiam ipsa pervertere, quàm te corrigere.

IVL. DIX. *Quæsivi ergò consequentissimè, vt omnis mecum eruditio recognosceret, peccatum, quod opus est malæ voluntatis, & opus diaboli dicitur, per quid inveniretur in parvulo? Si per voluntatem; nullam in eo fuisse, etiam hic, cum quo agimus, confitetur. Si per nuptias: sed has pertinere ad opus parentum, nemo quis dubitet, quos in hac commixtione non peccasse præmiserat. Aut, si concessionis huius pœniteret disputatorem; sicut processus operis indicabat, profiteretur esse reos parentes, quorum conventu, regnum in imaginem Dei, diabolo pararetur. Et addidi, Necessarijs disputationum gradibus, per originale peccatum auctorem corporum diabolum desinire. Quia, si per originem, malum in hominibus: per malum, ius diaboli in homines; diabolus est auctor hominum à quo est origo nascentium. Quæ quoniam in antro Manichæorum Traducianos esse clausura deprehenderat, verti clavem vt præberem captis effugium, Admonuiq, vt si verè à Deo crederet homines fieri, pureque confiteretur esse coniuges innocentes, intelligeret trahi non posse ex his originale peccatum. Certè non peccat, inquio, iste qui nascitur: non peccat ille qui genuit: non peccat iste qui condidit. Per quas rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum? Quid potuit, rogo sanctius, quid verius, quid lucidiùs, quid breviùs, firmiusque componi, quàm post tria sumpta quæ inimico concedente susceperam, inferrem quartum in quo erat summa conclusio? Nam cùm vno nonnunquàm, aut duobus sumptis, tertium necessariò colligatur, quâ lege mihi post tria concessa, quartum, quod his adhæret, non licuerat inferre? Et hæc quidem in secunda disputatione. Cæterùm in priore, quinque mihi aut amplius conceduntur: post quæ sit legitima invictaque conclusio,* CAP. 27. *Rimas inquirit quibus ingrediatur originale peccatum.*

AVG. RESP. Videquàm per multa vageris, timens ne Apostoli verba, sine tuis præiudiciis audita, te damnent, sicut iam Ecclesia Catholica iudicante damnarunt. Sed excurre, quò volueris: remorare, quantùm volueris: multiplica gyros, quàquaversum volueris, quandocumque ad eadem verba veritatis, navis fallaciarum tuarum pervenerit, sine dubio naufragabis.

CAP. 28. IVL. DIX. *Iam igitur ad eum vertamur. Dederas mihi, peccatum opus esse voluntatis. Potui statim dicere consequenter, Voluntas autem quæ peccet in parvulis nulla est. Peccatum igitur à parvulis non est. Verùm vt pluribus premeteris testibus, interrogavi sensim, Per quid hoc peccatum inveniretur in parvulo? An per voluntatem? post quod, te connivente suscepi, nullam in eo fuisse conscientiam voluntatis. Adiunxi, An ne per primæ culpam membrorum lineamenta traxisset? Sed hæc à Deo informari, & per hoc bona esse concesseras. Petivi tertium, vtrum per ingressum animæ, reatum advectum putares? Sed hanc esse novam, nec quicquam seminibus debere constabat. Intuli denceps, An ne (quia nihil tibi de his remanserat arguendum) nuptias, id est commixtionem corporum, diaboli opus vocares? sed has pertinere ad parentum operam, te quoque annuente, monstravi. Illis igitur omnibus quæ supra diximus absolutis, coniuges qui fuerant causa peccati, tradux tua, diabolo mancipabat. Post quæ omnia, quod tibi propinquabat induxi, vt dicerem, credere te diabolum auctorem corporum, cui commixtionis operam, sine qua origo corporum esse non poterat, deputasses. Et hæc quidem disputatio, quo morbo oppressus esses, ostendit. Illa autem secunda, & te miserabilem cùm eiusmodi sensibus, & Catholicos, etiam timoris tui suffragio, invictos probavit. Te enim dante, à Deo fieri homines, & esse coniuges innocentes, & parvulos per se nihil operari; his tribus sumptis irrefutabiliter inlatum est; cùm non peccat ille qui nascitur: non peccat ille qui genuit: non peccat ille qui condidit: nullam remansisse rimam, per quam peccatum doceatur ingressum. Tibi ergò displicet quod collectum est? Abnue quod dedisti: & dic, aut illum peccasse qui genuit, aut illum qui condidit, aut istum qui natus est. Ex quibus vnum insanum est, aliud Manichæum, tertium supra Manichæos.*

Ea sde rimas quæris.

Augustinũ amentissimum vocat.

Insanum si dixeris delinquere parvulos. Manichæum, si accusaveris coniuges. Supra Manichæos, si peccari Deum æstimaris auctorem. Quod si hæc omnia, tam aliena sunt à vero, vt adhuc ea metuas liberè confiteri, quâ impudentiâ, homo omnium amentissime, hoc quod à nobis inlatum est, persistis negare?

AVG.

AVG. RESP. Cùm ad verba Apostoli veneris; ibi non rimam invenies, sed apertissimam ianuam, quâ peccatum intravit in mundum. Quam conaberis quidem claudere, sed *ex ore infantium atque lactentium*, Salvatorem potius Christum, quàm te laudatorem quærentium, & non anfractuosis disputationibus, sed mutis fletibus miseriam suam multò certiùs contestantium (quàm profectò si primi hominis rectitudo & beatitudo manssisset, nullo modo in paradiso habere potuissent) cum tuâ totâ loquacitate vinceris.

IVL. DIX. *Quatuor hîc personarum causa vertitur; Dei opifícis: duorum patentum, de quibus materia præstatur operanti: & parvuli, qui nascitur.* Dicis tu, *in hoc choro habitare peccatum? Interrogo ego, à quo fiat? Vtrùm à Deo? negas. A patre? itidem negas. A matre? iterùm negas. A parvulo? negas. Et adhuc non putas fuisse conclusum, quia non possit esse inter hos quatuor, quod ab his nullus amittat?* CAP. 29. *Easdem rimas quaris.*

AVG. RESP. Quidquid vis dicas ad verba Apostoli quandò venturus es, quisquis ea per istarum argumentationum tuarum loca singula recordatur, quæ nos assiduè propter lectoris fastidium repetere nolumus; ipsâ suâ tibi recordatione respondet.

IVL. DIX *Ad quid ergò persuadendum aut scripturas † releges, aut consocios nominabi, qui adhuc quod sentis non potes definire? Quid iuvat, vt Adam loceas deliquisse? quod ergò penitus non reselo. Quærimus, Adam ante tot secula mortuo, peccatum, quo in diaboli imo Dei imago transcribitur, per quid inveniatur in parvulo?* CAP. 30. † alleges.

AVG. RESP. Cur nec tu admittis in regnum Dei, nullum habentem secundùm te meritum peccati, imaginem Dei? Cur ministratur *sanguis*, qui de *similitudine carnis peccati in remissionem fusus est peccatorum*, quem bibat parvulus, vt habere possit vitam, si de nulla peccati origine venit in mortem? *Innocens imago Dei, an à Dei regno excludendat*

2. Cor. 5. 14. Si hoc tibi displicet, apertè nega pro parvulis mortuum, qui *Vnus pro omnibus mortuus est*. Vnde colligitur quod dicit Apostolus, *ergò omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est*: Dic apertè, mortui parvuli non sunt, qui peccatum nullum habet. Morte pro se Christi, in qua baptizentur, non opus habent. Iam dic evidenter, quod latenter sentis, quoniam satis prodis tuâ disputatione quod sentis. Dic, inquam, parvulos frustrà fieri Christianos. Sed vide, vtrùm teipsũ debeas dicere Christianum.

IVL.

CAP. 31. IVL. DIX. *Si per commixtionem parentum: damna nuptias professione, quas argumentatione condemnas: & deme nobis laborem quo te convincamus esse Manichæum. Si autem tu non ad audes dicere hac ratione contumax cum cadentibus inclinaris, vt per argumentorum hactenus inaudita portenta, dicas libidinem diabolicam esse; eamque in sensu coëuntium positam ad voluptatem parentum, ad reatum pertinere nascentium. Tuam quidem amentiam & turpitudinem prodis: sed precor ne tantùm tibi arroges, vt putes nobis liberum non esse cum honore Dei, nascentum innocentiam contueri: cùm tibi liceat & liceat cum accusatione Dei, à reatu quem dicis libidinis, & libidinantium membra purgare.*

AVG. RESP. Quolibet pruritu libidinem, id est, *concupiscentiam carnis laudes*, dicit eam Ioannes Apostolus à *patre non esse, sed ex mundo esse*, propter quam rectè dicitur *diabolus princeps mundi* esse. Nam scimus quod mundum Deus fecerit. Hoc ergò malo *concupiscentia carnis* benè vtitur pudicitia coniugalis; eiusque mali reatum à nascentibus tractum, solvit regeneratio spiritalis. Sed hoc, quamdiù non sapis, non Catholicus sed Pelagianus futurus es. Sed & scripturis sanctis, quantumlibet eas defendere tibi videaris, contradicturus es. Me autem quoties propter hoc, cui contradicis, Manichæum dicis, profectò & illum dicis, qui *hominem membris genitalibus infusum, & concupiscentia voluptate concretum, ante* dicit *excipere delictorum contagium, quam vitalis spiritûs munus hauriret.* Ambrosius est iste, Iuliane, Ambrosium Manichæum dicis insane.

Libido, mala est. 1. Ioa. 2. 16. Ioan. 1. 31.

Amb l. de Philosophia.

CAP. 32. IVL. DIX. *Nam cùm pronuncias concupiscentiam carnis à principe tenebrarum in homine fuisse plantatam, eamque esse diaboli fruticem ex se humanum genus quasi poma propria proferentem: absolutè quidem proderis, quod non Deum, sed diabolum dicas hominum conditorem. Dogmate impiissimo, & coniugiorum negotium id est, genitalium admixtio, & caro cuncta damnatur.*

AVG. RESP. Non damnatur, sed non, vti à te, quasi sana laudatur: vt etiam, te confitente, à suo conditore ac salvatore sanetur. Nam hoc in quibus non fit, sine vlla dubitatione damnabitur.

CAP. 33. IVL. DIX. *Cùm verò post hoc sacrilegium adiungis & dicis, profiteri te diabolicam quidem esse gignentium coniugum voluptatem, diabolicam genitalium commotionem; sed tamen & ipsa membra*

bra quæ moventur, & coniuges qui voluptate afficiuntur, reos non esse: verum pro his omnibus, novos homines, id est, rude opus in nascentibus deitatis accusas: nihil quidem de Manichæorum impietate deponis; sed tamen immanem moti capitis ostendis furorem, vt consequentius fovendam, quàm amputandam iudicaretur; nisi voluntatem ac studium in hac re tuum, & multorum eversio, & tua obstinatio, & scripturarum multiplicatio loqueretur.

AVG. RESP. Has contumelias non indignanter audire debeo cum his Ecclesiæ doctoribus, qui *per vnum hominem in mundum introisse peccatum*, sic intelligunt, vt rectus Apostolus loquitur: non vt Iulianus perversissimus opinatur. In his sunt, vt alios taceam, Afer *Cyprianus*, Gallus *Hilarius*, Italus *Ambrosius*, Græcus *Gregorius*, à quibus eruditissimis prudentissimisque iudicibus, quales te non invenire vanâ præsumptione conquereris, hæresis vestra priùs est damnata quàm nata.

CAP. 34.

IVL. DIX. *Lege & de hoc quartum operis mei librum, quantum diabolo, quem patrem tuum dicis, à libidine matris tuæ, sub crimen dis specie blandiaris intelliges.*

AVG. RESP. Legi etiam quartum tuum, & meo sexto ad eius tibi cuncta respondi. Quis autem nostrum vicerit, iudicet pius lector amborum.

CAP. 35. Lib. 1. de nupt. c. 7.

IVL. DIX. *Verum etiam Apostoli verba videamus, quem mihi ad omnia, quæ suprà posui, respondere dixisti.* Ad omnia ista huic respondit Apostolus, qui neque Voluntatem arguit Parvuli,„ quæ propria in illo nondùm est ad peccandum: neq; Nuptias,„ in quantum nuptiæ sunt, quæ habent à Deo non solùm institutionem, verùm etiam benedictionem: neque Parentes, in„ quantum parentes sunt invicem licitè atq; legitimè ad pro-„
Rom. 15. 12 creandos filios coniugati. Sed, *Per vnum*, inquit, *hominem*,„ *peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in*„ *omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quod isti si Catholicis auribus mentibusque perciperent, adversùm fi-„ dem gratiamque Christi rebelles animos non haberent: ne„ que conarentur inaniter ad suum proprium & hæreticum„ sensum hæc Apostolica verba tam dilucida & tam manife„ sta convertere, asserentes hoc ideò dictum esse quòd Adam„ peccaverit primùm, in quo de cætero quisquis peccare vo-„ luerit, peccandi invenit exemplum, vt peccatum scilicet non„ generatione ab illo vno in omnes homines, sed illius vnius„

„imitatione transire. Cùm profectò, si Apostolus hîc imita-
„tionem intelligi voluisset, non *per vnum hominem*, sed per
„diabolum potiùs in hunc mundum peccatum intrasse, &
„per omnes homines pertransisse diuisset. De diabolo quippè
„scriptum est, *Imitantur autem eum qui sunt ex parte ipsius.* Sed *Sap 2.25.*
„ideò *per vnum hominem*, dixit, à quo generatio vtique homi-
„num cœpit, vt per generationem doceret iisse per omnes
„originale peccatum.

AVG. RESP. Dixisti verba libri mei: Dic iam quem-admodùm accipienda sunt quæ ibi posui: verba Apostoli; vt magis magisque manifesteris hæreticus, laudatorem te supponendo, vt auferas parvulis Salvatorem.

CAP. 36. IVL. DIX. *Abuti te imperitiâ fauentium tibi, & delitescere sub ambiguitate verborum, quicumque ille fuerit operum nostrorum eruditus lector intelligit. Reliquam verò vulgus (de quo Propheta loquitur ad* DEUM, *Et timasti homines sicut pisces maris) mutuâ* *Abac.1.14.* *progressione decipitur, nec salutiferâ discretione signatum, totum putat coniungi posse rebus, quod viderit vocibus esse sociatum. Quid verò sit consequens, quid repugnans, quibusq; concessis, quid lex inexpugnabilis & reverenda rationis cogat inferri, nisi doctissimus, attentissimusq; non iudicat.*

AVG. RESP. Adhuc circuis quærendo dialecticos, & vitando Ecclesiasticos iudices. Dic iam, quomodo accipien- *Rom.5.12.*
dum sit, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum*, melius videlicet hoc intelligens, quam ille qui dixit, *Omnes in Adam moriuntur, quia per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Illius igitur culpa mors omnium est.* Et idem ipse alibi; *Fuit Adam, in illo fuimus omnes: Periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Ambrosius est ille, non quicumque de vulgo, cuius imperitam multitudinem non valentem de tuis disputationibus iudicare, nimis altâ cervice & protervâ fronte contemnis. Ambrosius est, inquam, cui nullâ ex parte ipsis literis sæcularibus, de quibus multùm inflaris, æquaris. In Ecclesiasticis verò quis ille sit, audi vel lege Pelagium Doctorem tuum: & noli tuum amare sensum à sensu tanti huius Doctoris alienum.

Amb.l.4.in Luc.4.v. 38.

l.7.in Luc. c.15.v.32.

Iulianus literis secularibus inflatus.

CAP. 37. IVL. DIX. *Hoc est propter quod, maximè miserantes Ecclesiæ ruinas, ad virorum prudentia illustrium prouocamus examen, vt non quid dicatur; sed quid consequenter dicatur appareat. Si enim sub*

tali

tali concilio disceptaretur, Tibi vtique non liceret, aut quod negaveras inferre, aut quod affirmaveras denegare. In libro verò tuo quem nulla pudoris censura castigat; & quod Catholici dicunt, & quod Manichæi, considenter adglomeras, hâc solâ opinione contentus, si respondisse dicaris. Quid autem habeat pondetis oratio tua, quid consistentiæ, cogitare etiam ineptum putas.

AVG. RES. Rogo, dic iam quomodo intelligendum
Rom. 5. 12. sit, *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum.* Quid adhuc calumniaris, convitiaris, tergiversaris? Si in concilio, cuius videris desiderare iudicium, sederent *Cyprianus, Hilarius, Gregorius, Basilius, Ioannes Constantinopolitanus*, vt alios taceam, nunquid doctiores, prudentiores, veraciores iudices quærere auderes? Ipsi contra dogmata vestra clamant, ipsi scriptis suis vestra scripta condemnant. Quid quæris ampliùs? Hoc iam in primo & secundo librorum eorum satis docui, quos contra tuos quatuor ego sex edidi. Sed ecce, adhuc audire paratus sum, dic iam quomodo sit accipiendum, quòd *per vnum hominem peccatum intravit in mundum?*

IVL. DIX. *Deniq́, sine cunctatione tribuens quæ poposci, quidque ex his confectum esset aspiciens, profiteris te ad hoc quod extruximus imbecillum esse, Apostolum Paulum illis omnibus, quæ diximus, obviare: quem tamen inducis, eadem quæ tu dederas concedentem. Ais enim,* Apostolus neque voluntatem arguit parvuli, quæ propria in illo nondùm est ad peccandum; *quo dato iam convictum est, nec posse in illo quodpiam esse peccatum, cuius nulla alia conditio est secundum definitionem tuam, quàm,* Voluntas amittendi quod iustitia vetat, & vndè liberum est abstinere. CAP. 38.

AVG. RESP. Hæc definitio peccati, est eius quod non est etiam pœna peccati. Nam vbi malæ consuetudinis voces esse conceditis, atque ita voces vestri dogmatis suffocatis. Dic, si audes, quomodo voluntati hominis liberũ sit abstine-
Rom. 7. 19. re à malo, vbi audis, *Non quod volo ago?* Aut nega esse malum vbi audis, *Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago.* Sed vtiq́; agnoscimus, hoc peccatum pœnam esse peccati; & ideò discernendum ab illâ definitione peccati, vbi voluntas hoc committit, vndè liberum est abstinere. Intellige quod dico & dic iam, quæso, quomodo sit accipiendum, *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum?* *Definitio peccati.* *Peccatum peccati pœna.*

IVL. DIX. *Ergò si Apostolus non arguit in illo propriam* CAP. 39.

volantatem, quam intelligit nec esse potuisse, pronunciat vtique, nec signum in eo criminis apparere, ea maxime indicante iustitiâ, qua non imputat in peccatum, nisi à quo liberum est abstinere. Verùm non solùm hoc tribuisse contentus, addis, Neque nuptias arguit Apostolus in quantum nuptiæ sunt: quæ habent à Deo non solùm institutionem, verùm etiam benedictionem, *quod per se solum æquè posset ad expugnandum peccatum naturale sufficere. Quia si scit Apostolus, vt scis, non esse nuptias arguendas, à quarum conciliatione, & ministerio, & instrumento pendet à Deo instituta & benedicta sexuum cum voluptate commixtio, non potest de his diabolicam germinare possessionem; nec fructus earum reus est, apud eam maximè iustitiam, quæ peccatum non imputat, nisi vnde liberum est abstinere.*

Libido quæ. lis nunc est non fuit in Paradiso.

AVG. RESP. Noli, obsecro, cum tali voluptate conjugium in paradiso suspicari, qualem nunc facit libido, quæ non ad nutum voluntatis exsurgit: quæ mentes etiam sanctorum, cohibenda quidem, sed tamen importuna sollicitat. Absit, vt à fidelibus & prudentibus talis voluptas paradisi, talis illa pax, & felicitas cogitetur.

CAP. 40. IVL. DIX. *Consideremus & tertium, quo benignitas tua in adjumescendi facilitate cernatur.* Neque parentes, in quantùm parentes sunt invicem licitè atque legitimè ad procreandos filios coniugati, Apostolus arguit. *Expende quid dixeris,* Non argui *ab Apostolo parentes in quantum parentes sunt. Ideò ergò eos, in quantum parentes sunt, non posse diabolo fructificare, nec de his aliquid, in quantum parentes sunt, ad diabolum pertinere pronunciat. Filij autem in tantum pertinent ad parentes, in quantum parentes sunt. Igitur nec rei, nec sub regno diaboli, nec arguendi a diabolo comprobantur. Vt enim hoc quod diximus repetitione clarescat. In tantum sexuum coniunctio sobolj participat, in quantum qui coniuges sunt, fiunt parentes. Si autem aliquid inter se voluerint agere petulantius, vel per illicitos adulteriorum oberrare concubitus, hoc ad filios non potest attinere, qui de vi seminum, non de vitiorum obscœnitate nascuntur.*

AVG. RESP. Iam-ne confiteris etiam inter coniuges esse posse petulantiam commixtionis? Ecce, quod facit illa pulchra susceptæ tuæ: hoc enim nisi cùm ei ceditur, non fit, quando ad petulantiam, quam tu quoque reprehendis, etiam coniuges liberorum procreandorum causa copulatos, nullâ necessitate serendæ prolis impellit. Cuius tantus laudator esse vo-

voluisti, vt nemo credat quòd etiam oppugnator esse audeas. Quippe, quam sic laudare non erubuisti, vt eam te liberet, nec puderet etiam in paradisi beatitudine collocare. *Libidinem etiam in paradiso collocabat Iulianus.*

IVL. DIX. *Igitur ad nascentes, generantium non flagitia, sed semina pervehuntur. Vim autem seminum Deus instituit: &, sicut confiteri cogeris, benedixit.*

AVG. RESP. Semina Deus instituit. Sed qui possunt in natura vitiata bonum eius à malo eius ità discernere, vt neque putent naturam malum esse, neque vitium naturam esse, ipsi possunt discernere quid horum duorum ad Deum creare pertineat, quid sanare. Sed hoc vos non potestis quamdiu Pelagiani, non Catholici estis. Dic iam rogo, dic iam, quomodo sit accipiendum, quod *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum?* CAP. 41.

IVL. DIX. *Filii igitur nec tunc rei sunt, quando in eorum generatione peccant parentes, quia in tantum ad liberos suos pertinent, in quantum parentes sunt: igitur & in tantum filij ad parentes pertinent, in quantum filij sunt. Naturam quippe generantium consitat germina communicare, non culpam. Quod si, vt ratio demonstrat, ità etiam Apostolum confirmare pronuntias; meritò nos eo docente defendimus, peccata parentum ad filios pertinere non posse, quandoquidem & Apostolus Spiritu sancto clarus, & nos instructi luce rationis, & tu pondere impugnatæ à te veritatis oppressus, communiter vereque fateamur, parentes reos non esse: in tantum autem ad filios pertinere, in quantum parentes sunt: igitur filios in quantum filij sunt, ideſt, antequam aliquid per voluntatem propriam operentur, reos esse non posse.* CAP. 42.

AVG. RESP. Parentes quidem gignendo, parentes sunt: & filii nascendo, filii sunt: nec gignere autem, nec nasci malum est, quòd pertinet ad institutionem Dei. Vtrumque sine pudendâ libidine posset in paradiso fieri, si nemo peccasset. Pudenda enim libido, nisi aut peccato exorta, aut peccato vitiata esset, pudenda non esset; & aut nulla esset omninò; & sine illâ ità servirent genitalia membra gignentibus, vt manus serviunt operantibus; aut ità esset subsequens voluntatem, vt nunquam posset sollicitare nolentem, qualem nunc eam non esse castitas docet, quæ tales motus eius expugnat, & in coniugatis, ne vel inter se indecenter lasciviant, vel in adulteria prolabantur: & in quibusque continentibus, ne huic consentiendo, deficiantur. Ecce, de quâ trahitur originale *Libido, vnde pudenda? An, & quæ esse potuerit in paradiso?*

De libidine tractatur originale peccatum. CAP. 43.

peccatum. Ecce, per quam nasci noluit, qui venit non suum ferre, sed nostrum auferre peccatum.

IVL. DIX. *Eant nunc, & omnia quidquid possunt, Manichæa rationis moliantur ingenia: quàm volunt longas patiantur cogitationum arumnas: non arroganter, sed religiosè polliceor, nunquam eam structuram posse quassari.*

AVG. RES. Quam structuram vocas, ibi ruina est, quæ te ita pressit, vt laudare cogeret, quod expugnas: si tamen est in te qualiscumque castitas, quæ te faciat expugnare quod laudas.

Libidinem laudabat Iulianus.

CAP. 44.

IVL. DIX. *Quâ igitur fronte subiungis: Sed* per vnum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatũ mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt? *Quod interpretaris hoc modo, vt peccatum ab illo dicat Apostolus generatione in posteros fuisse transmissum. Suprà concesseras Magistrum Gentium nuptias, quibus* DEUS *benedixerat, nihil accusare: voluntatem ad peccandum in nascente non esse: parentes autem in quantùm parentes sunt, licitè sibi legitimèq; iunguntur. Et hæc coniunctio ab Apostolo non improbatur, quia à Deo non solùm instituta, verùm etiam benedicta est. Quo ore, quâ lege, quâ fronte hanc generationẽ reatus causam, radicem criminum, seruam diaboli esse confirmas?*

Rom. 5. 12.

cap. 51.

AVG RES. Iam nescio quoties hæc dicta sunt, eisque responsum est. Multiloquio tibi excitas caliginem, quæ te non permittit malitiam vitiorum à naturæ bonitate discernere: & vsq; ad odiosum fastidium eadem per eadem repetens, nondùm dicis quomodo sit accipiendum, quòd *per vnum hominem peccatum intravit in mundum.*

CAP. 45.

Libidinis malum in resistentiâ carnis ad Spiritum.

IVL. DIX. *Non ergò arguimeretur ab Apostolo, & à diabolo possidetur; à Deo instituitur, & criminum fons est: à Deo postremùm, vt confiteris, benedicitur, & à te frutex diabolicus accusatur.*

AVG. RES. Nuptias benedixit Deus, non resistentem spiritui *concupiscentiam carnis*, quæ non fuit ante peccatum. Peccatum autem, sicut nec illam concupiscentiam quæ resistit spiritui, non benedixit Deus. Nuptiæ porrò quas benedixit, si peccatum non fuisset admissum, quo natura vitiata est, aut sic vterentur genitalibus membris, quemadmodùm aliis vtimur sine vllâ libidine obedientibus voluntati: aut pudenda libido non esset, quoniam nunquam resisteret voluntati, qualis nunc vtique non est. Quod profectò etiam tu sentis, quando ab eâ sollicitante atque inliciente dissentis.

Vnde sit libido pudenda.

Nup-

Nuptiæ tamen etiam nunc, laudabiles sunt: quia neque instituunt hoc malum in hominibus, sed inveniũt: & eo malo bene vtuntur intentione generandi, quamvis trahant indè, qui generantur, originale peccatũ propter quod sunt regenerãdi. De detrahitur originale peccatum.

IVL DIX. *Quam mecum nihil egeris, literarum omnium te statur eruditio: quàm verò contra Apostolum nitaris, & contra Deum insanias, sententiarum tuarum pugna demrat. Sed ostendam, non posse hæc coniungi, quæ rerum natura dissociat. Interrogemus & Apostolũ ne illum putetur messe sesibus, quæ in tuis esse sectis probatur barbaries.* CAP. 46.

AVG. RES. Dic iam nunc saltem, quod tantis anfractibus differebas.

IVL. DIX *Audio itaque Paulum pronuntiantem, quia,* Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatũ mors, & ità in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: *quod tu non propter exemplum peccati, sed propter generationem dictum esse confirmas. Nos hæreticos vocas, qui id ad exempla referamus, illo quo te iurari æstimas argumento,* Profectò si Apostolus imitationem, *inquis,* intelligi voluisset, non per vnum hominem, sed per diabolum peccatum intrasse, & per omnes homines pertransisse dixisset. De diabolo quippè scriptum est, *Imitantur autem eum, qui sunt ex parte ipsius.* Sed ideò *per vnum hominem* dixit, à quo genus vtique hominum cœpit, vt per generationem doceret ipse per omnes originale peccatum. *At ego video Apostolum nihil quod ad infamationem generationis spectare humanæ, nihil quod ad condemnationem innocentiæ naturalis, nihil quod ad crimen divini operis, protulisse.* CAP. 47. Propter exemplum id dici. Rom. 5. 12. Sup. num. 35. Iap. 2. 25.

AVG. RES. Diù dicis *nihil*: & cum hoc verbum repetere destiteris, dicturus es nihil. Quis enim non te rideat persuadere conantem, non pertinere ad generationem, quod ait Apostolus; *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum* (cùm ipse sit homo, non genitus ab aliquo, de quo cæteri gignerentur;) Sed pertinere dicitis ad exemplum cùm exẽplũ peccati, quod posteriores imitarentur, non intrarit in mundum, nisi per eum qui nullum imitando peccavit. Primus namq́, peccavit. Hunc autem non Adam, sed Diabolum esse, quis Christianorum ignorat? Quid est ergò quod te hæret, nisi & non tacere, & nihil dicere?

IVL. DIX. *Denique id quod ipsa verba non indicaverant, tu colligere argumentatione conatus, subdis, Quia si de imitatione loqueretur, diabolũ commemorare debuerat: sed quia de generatione voluisset* CAP 48.

mitti-

intelligi, hominem dicere maluisse, quam dæmonem. Interrogo ergò, Quæ fuerit tibi huius opinionis occasio? Quid enim? Negas tu hominum imitatione delinqui? Et licet res absoluta scripturarum attestatione non egeat; tamen audi David. Noli æmulari inter malignantes, neque zelaveris facientes iniquitatem. Ne æmulatus fueris eum, qui prosperatur in via sua. *Deinde omnes scripturæ veteris testamenti commonent Israëlem, ne ritum profanæ gentis imitetur. Quæ igitur necessitas id cogebat, vt Apostolus, si imitationem vellet intelligi, diabolum magis quam hominem nominaret, cùm & hominum, & diaboli nosset imitatione delinqui? Aut ergò tu proba non posse hominum imitatione peccari, nec hoc in lege vspiam contineri; & sic asserere suspicioni tuæ locum paratum: Aut certè, si manifestum est nullâ magis re quàm imitatione vitiosorum invaluisse peccata, imperitiâ collegisti Apostolum de diabolo profectò dicturum fuisse, cùm imitationem voluisset intelligi.* Psal. 36. 1.

AVG. RESP. Nonne antè dixi nihil te esse dicturum, homo nihil loquendo loquacissimè? Sunt quædam peccata imitationis in mundo, cùm homines peccatum hominum & exempla sectantur; non tamen per eos homines, quos quilibet imitantur, *peccatum*, quod peccantes imitarentur, *intravit in mundum*: sed per eum, qui primus nullum imitando peccavit: hoc est diabolus, quem *imitantur* omnes *qui sunt ex parte ipsius.* Sic & *peccatum*, quod non imitando committitur, sed nascendo trahitur, *per hunc intravit in mundum*, qui primus hominem genuit. Nihil ergò dixisti: & non nisi ad quosdam decipiendos, quosdam fatigandos lectores tacere noluisti. Sap. 2. 25.

CAP. 49. IVL. DIX. *Quia ergò claret, imitationem malorum hominum non solùm consequenter, sed & necessariò dici, hoc interim argumentum tuum laborare perspicuum est. Quod verò addis, de diabolo esse scriptum,* Imitantur eum, qui sunt ex parte ipsius: *& ego assentior dictum esse prudenter ab eo, quicumq; libri ipsius auctor est. Sed tibi non prodest, quòd scribuntur quidam diaboli imitatione peccare, nisi docueris non posse hominum imitatione delinqui.* Ibid.

AVG. RES. Non hîc quæritur, Vtrùm hominum imitatione peccetur. Quis enim nesciat, etiam hominum imitatione peccari? Sed quæritur, Quale *peccatum per vnum hominem intravit in mundum?* Vtrùm quod imitando committeretur, an quod nascendo traheretur? quia illud primum, id est, quod imitando cõmitteretur, non nisi per eum intravit in mundũ, qui

qui primus neminem imitatus, cæteris imitaturis peccandi introduxit exemplum. Hic est diabolus. Hoc autem alterum, id est, quod nascendo traheretur, non nisi *per eum intravit in mundum*, qui primus à nemine generatus, generandis cæteris originis ingessit initium. Hic est Adam. De imitatione igitur Angelorum & Hominum intellige te nihil ad causam pertinens dicere, & tandem tace. † Disputamus enim non de quocumq; peccatore, qui quandocumq; peccavit in mundo: sed de illo, *per quem peccatum intravit in mundum.* Vbi si quæratur exemplum imitationis, diabolus invenitur: si contagium generationis, Adam. Proindè, dicens Apostolus *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, peccatum* generationis intelligi voluit. Imitationis enim peccatum, non *per vnum hominem*, sed per diabolum *intravit in mundum.*

* Beda Rom. 5.

Rom. 5. 12.

IVL. DIX. *Nam cùm vtrumque ex more dicatur, Aliquandò quod diabolum quis imitatus invideat: aliquandò quod hominem æmulatus aut invidia aut flagitiorum sordibus obstinatur, hoc quoq; imitationis nomen vtriq; possit conuenire personæ, id est, & cùm de homine, & cùm de diabolo dicitur: tu perridiculè ineptire voluisti, per imitationis intellectum Adam non potuisse monstrari.* CAP. 50.

AVG. RESP. Nunquid per quemcumque hominem quem peccando alius imitatur, *Peccatum intravit in mundum?* Dic si potes, quid sit *per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit* sive peccatum, sive potiùs cum morte peccatum. Nam peccatum, cuius imitatione peccatur, non nisi per diabolum *intravit in mundum*, qui primus non imitando fecit, quod alii fecerunt imitando.

Ibid.

IVL. DIX. *Ad reliqua festinat oratio. Sed premendus adhuc locus est, vt diuisitionibus quam possimus brevibus, lectori & intelligentia eius, & memoria suggeratur. In omnibus quidem penè rebus, homonymorum, quæ æquivoca appellamus, conditio reperitur.* CAP. 51.

AVG. RES. Promiseras te intelligentiam suggesturum esse lectori, & loqueris de homonymis, & æquivocis. Quomodò ergò te ipsi saltem Pelagiani intellecturi sunt, nisi priùs ad scholas Dialecticorum vbicumq; terrarum potuerint inveniri, propter hæc discenda mittantur? At fortè Categorias Aristotelis, antequam tuos libros legant, eis exponens ipse lecturus es. Cur non? & hoc facias homo ingeniosissimus, quandoquidem à deceptis miseris, pasceris otiosus?

CAP. 52. IVL. DIX. *Sed, vt nunc nobis sermo de præsentibus sit, generatio propriè sexibus imputatur: imitatio autem semper animorum est. Hic ergò affectus animi, quod possibiliter voluerit, imitatus, hominem pro diversitate causarum, aut accusat, aut provehit. Ita fit vt in bono, & Deum, & Angelos, & Apostolos dicatur imitari.* DEVM, Estote perfecti, sicut pater vester perfectus est. *Angelos*, Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. *Apostolos*, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. *In malo vero imitatur* DIABOLVM, *sicut dicitur*, imitantur eum, qui sunt ex parte ipsius. *Imitatur homines*, Nolite esse tristes, sicut hypocritæ exterminantes facies suas. *Imitatur Animalia, cum mandatur*, Nolite, fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. *His ergo verbis, tam adhortantibus, quam deterrentibus, ostenditur imitationis effectus, qui vtique si esse non posset, non indiceretur cavendus.*

Mat. 5.48. Mat. 6.10. 1. Cor. 11.1 Sap. 2. 5. Mat. 6.16. Psal. 31.9.

Imitationis peccatum per quem intravit.

AVG. RESP. Sed peccatum imitationis, id est, quod imitatione fieret, non *intravit in mundum*, nisi per eum, qui vt imitatione peccaretur, sine imitatione peccavit: & non est Adam certè iste, sed diabolus. Qui enim dixit, *intravit in mundum*, initium peccati huius ostendit: quod initium manifestum est, non esse factum per hominem, sed per diabolum; si peccatum, quod imitarentur peccantes, velimus attendere. Restat igitur vt *peccatum*, quod *per vnum hominem intravit in mundum*, non imitationi, sed generationi rectè possit attribui. Agimus sanè Deo gratias, quoniam contra vestrum locutus errorem, voluntatem bonam quâ imitamur bonos, non viribus nostri liberi arbitrii, sed auxilio Dei esse tribuendam, velut coruscante tibi veritate confessus es; quandoquidem vt Angelos imitetur, non præsumendum à nobis, sed à Domino demonstrasti esse poscendum, sic exponens, quod oramus & dicimus, *fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.*

Rom. 5.12.

CAP. 53. IVL DIX. *Sed, vt imitationis vocabulum rebus diversis manifestum est communiter convenire; ita generatio vera & propria generantem substantiam indicat non propriè autem, sed abusivè studys applicatur. Et tamen, quia hic est tam vsus loquendi, & quod indicatur agnoscitur, & proprietatibus præiudicium auferre non finitur. Dicitur ergo diabolus generare peccantes, secundum quod Dominus in Evangelio*, Vos, ait ex patre diabolo estis. *Quo sermone, cum dixit criminosorum patrem, cuius malignitatem convincebantur imitari. Et tamen in absoluta est intelligentia, quia per hoc nomen videlicet*

Ioan. 8.44.

pa-

patris, *nec diabolo sexus, nec hominibus illis erat istius ascripta substantia. Iam igitur quid conficis hinc voluerimus appareat. Si propriè nunquam hominem homo indicaretur imitari, & Apostolus, per Adam, omnes peccasse dixisset; Ego liberè præscriberem vsu scripturarum esse Apostolum vindicandum: vt quomodo* Dominus *diabolum dixerat patrem, qui substantiâ generare non poterat; ita Apostolus hominem scripsisset imitabilem, ne quid docuisse contra rationem perspicuam crederetur.*

AVG. RESP. Nunquid Adam prior in peccato imitabilis fuit, vt meritò per illum hoc peccati genus intrasse diceretur in mundum? Nonne diabolus prior imitabilis in peccato extitit? Per illum ergò intrasse in mundum peccatum Apostolus diceret, si peccatum quod imitando alii facerent, eo loco vellet intelligi.

IVL. DIX. *Nunc vero, si calumnias, quæ sunt in Evangelio* CAP. 54. *absvisve prolata, non sustinent; multò magis Apostolus Paulus nullâ erroris occasionem præbuit; quia nihil dixit improprium, si pronunciavit, peccatorem primum hominem sequentibus peccantibus exemplũ fuisse.*

AVG. RESP. Non ergò debuit istos duos proponere, vnum ad peccatum, alterum ad iustitiam, *Adam* scilicet, & *Christum*. Si enim primum peccatorem, propter peccatum quod imitati sunt cæteri, posuisset *Adam*; profectò primum iustum, propter iustitiam cæteris imitandum, non *Christum* poneret, sed *Abel*. Primus quippè *Abel*, nullum hominem imitans, sed cæteris imitandus, iustus fuit. Sciens autem quid loqueretur Apostolus, *Adam* posuit ad peccatum, *Christum* ad iustitiam; quia illum noverat generationis, istum regenerationis auctorem. *Duo homines proponuntur, Adã & Christus & cur?*

IVL. DIX. *Ac per hoc absurdissimè argumentatus es, quod si* CAP. 55. *Apostolus Paulus per imitationem transisse peccatum voluisset intelligi, Diabolum magis, quam Adam nominasset: cum clareat, & hominis & diaboli malum, non nisi imitatione transire potuisse. Verùm disiecto, quod tu extruxeras, non tam meis quam ipsius rationis manibus, quid nunc à nobis afferatur attende.*

AVG. RESP. Non te disiecisse quod struxeram: nec sanæ rationis, sed vanæ tuæ opinionis manus tefrustra intulisse structuræ nostræ, vtriusque nostrum verba qui legerint, iudicabunt.

IVL. DIX. *Ostendit Apostolus non à se dictum esse, peccatum* CAP. 56. *generatione transisse, quando nominans* hominem, *adiecit* vnum.

Vrget quod per vnum dicat Apostolus peccatū intrasse.

vnus enim numeri principium est: & ille explicans, per quem diceret intrasse peccatum, non solum eum nominavit, verùm etiam numeravit, Per vnum, *inquit*, hominem peccatum in hunc mundum intravit. *Hic autem vnus, præbendæ imitationi sufficit, generationi implendæ non sufficit. Peccatum autem intravit, sed per vnum. Manifestū est imitationem hîc, non generationem coargui, quæ nisi per duos fieri non potest. Aut igitur ostende, per Adam solum, sine muliere generationem extitisse (nec hoc enim ab elegantia tua abhorret ingeny) aut certè, quoniam vides generationem nisi per duos constare non posse. assentire vel serò, accusatum non esse per vnum numerum opus duorum,* Per vnum, *inquit*, hominem peccatum intravit in mundum. *Quid dixit, per* vnum, *intelligi per* duos *noluit. Quid, rogo, quærebat inter hæc dogmata numerus, vt Apostolus tanta cura, non solum* hominem, *sed* vnum hominem, *nominaret? Verum apparet cautus augusti sermo consilij, qui revelante Spiritu sancto, temporum nostrorum præcavit & exarmavit errores, ne in infamationem aliquandò instituti à Deo coniugij, vel benedictæ fœcunditatis dixisse putaretur; cùm causa posceret vt peccati replicaret exordia, per eum dixit numerum transisse peccatum, qui fœtibus non poterat convenire. Et certè, primi homines ambo deliquerant, qui ambo meritò vocantur forma posteris fuisse peccati. Cur non igitur Apostolus per duos ait transisse peccatum? Quod & ad fidem magis historiæ congruebat Verùm nihil potuit ab eo prudentius fieri. Vidit enim si* duos *nominasset, qui prævaricationi initiū exemplumq́, præstiterant, & per eos affirmasset transisse peccatum, errori occasionem patére, vt putaretur duorum nomine, coniunctionem fœcunditatemq́, damnasse. Ideò prudentissime vnum maluit nominare, qui non sufficiens ad generationis indicium, ad signum abundaret exempli: atque imitationem accusatis gravaret, nec fœcunditatem numeratus argueret. Et vt breviter quod egimus colligatur, Fœcunditas in primis hominibus instituta nisi per duos agi non potest: peccatum autem Apostolus intrasse pronuntiat, sed per* vnum.

Rom. 5. 12.

AVG. RESP. Prædixeram te nihil esse dicturum, & ita esse cuivis tardissimo clarum est. † Nunquid enim Evam non imitantur peccantes? Aut peccatum generis humani non magis ex ipsa sumpsit initium? *A muliere enim initium factum est peccati, & per illam*, sicut scriptum est, *mortimur omnes.* Cur ergò non vis attendere, propterea potiùs Apostolum *per vnum hominem* dixisse *peccatum intravit in mundum*; quia non imitationem, sed generationem volebat

* Beda Rom. 5.

Eccl. 25. 33.

in-

intelligi? Sicut enim *à muliere initium peccati fuit*, sic initium generationis à viro est. Prior enim vir seminat, vt fœmina pariat. Ideò *per vnum hominem peccatum intravit in mundum*, quia per semen generationis intravit, quod à viro excipiens concipit fœmina. Quo more nasci noluit, qui solus sine peccato est natus ex fœminâ. *Initium generationis à viro est.*

IVL. DIX. *Inresutabiliter confectum est, peccatum illud offendi ab Apostolo moribus ad posteros, non seminibus fuisse devectum. Quanta ergò de ore tuo effluxerit falsitas intuere.* Sed ideò Per vnum hominem Apostolus dixit, à quo generatio vtique hominum cœpit, vt per generationem doceret isse per omnes originale peccatum, *cùm ideò Apostolus* per vnum hominem *dixerit, ne putaretur isse per omnes originale peccatum. Ineptis, ita vt vix teneam cachinnum, qui dicis generationem ab vno homine cœpisse; cùm & diversitas sexuum, & lectio divina testetur, generationem non esse potuisse, nisi duo priùs homines, id est, vir & mulier extitissent.* CAP. 57. *Verba Aug. l. 2. de nupt. cap. 27.*

AVG. RES. Qui hoc legunt, legant iterùm superiorem responsionem meam: aut, si eius bene meminerint, deliramenta huius inrideant. Quamvis possem dicere, ideò non *duos*, sed *vnum hominem* dixisse Apostolum, *per quem peccatum intravit in mundum*; quia scriptum est; *Erunt duo in carne vna.* Vndè Dominus ait, *Igitur iam non sunt duo, sed vna caro*; maximè quandò vir adhæret vxori, & initur concubitus. De concubitu autem proles gignitur trahens originale peccatum, vitio propagante vitium, Deo creante naturam. Quam naturam, coniuges etiam benè vtentes vitio, non possunt tamen ita generare, vt possit esse sine vitio: quod ille, qui sine ipso natus est vitio, evacuat in parvulis, etiam nolente Iuliano. *Gen 2.24. Mat. 19.6.* *Vitium, propagat vitiũ.*

IVL. DIX. *Aut si fortè, quoniam aliter dogma tuum stare non potest, Adam ex se concepisse & peperisse responderis, Apostolum quidem non hoc sensisse nulli dubium; Tu verò quid sexui tuo volueris evenire monstrabis.* CAP. 58

AVG. RESP. Non expavescis quod scriptum est, *Neque maledici regnum Dei possidebunt?* Neque enim tam fœda convitia nihil te adiuvantia, nisi maledicendi libidine, loquereris. *1. Cor. 6. 10.*

IVL. DIX. *Verùm, hac missa faciamus, & illud quod à vobis apparet posse in hoc loco referri, rationis viribus deteramus. Si ergò* CAP

dixeris, scriptum esse de hac commixtione, quod fiant duo in carne vna, *& secundum hunc modum, Apostolum* Per vnum hominem *dixisse, vt adhærentia sibi generantium membra signaret; respondebo hoc quoque contra vestram impietatem valere. Non enim dictum est, Erunt duo homines in vno homine: sed,* Erunt duo in carne vna. *Quo* vnitionis *nomine voluptas illa coeuntium, & libido, quæ sensum afficiens membra conflernat, ac, sicut ille prudens intellexit; vnam carnem gestit efficere, à Deo instituta, & corporibus ante peccatum docetur inserta:*

AVG. RES. Si, vt *essent duo in carne vna,* facere nisi libido non posset (quam susceptam tuam, talem prorsùs qualis nunc à te laudatur, & expugnatur, quam pudendam confiteris, & sine pudore sic diligis, audes etiam paradisi possessione dotare) nullo modo etiam *in Christo & in Ecclesia* posset intelligi, *Erunt duo in carne vna.* Neque enim tam longè exorbitas à veritatis via, vt etiam coniunctioni Christi & Ecclesiæ, hanc audeàs imputare libidinem. Porrò si possunt sine istâ, esse duo in carne vna Christus & Ecclesia; potuerunt etiam vir & vxor, si nemo peccasset, non pudendâ libidine (de quâ erubescit, & qui eam laudare non erubescit) sed meritò laudandâ charitate coniungi, & filiorum procreandorum causâ, *esse duo in carne vna* Vndè Dominus cùm dicit, *Igitur iam non sunt duo, sed vna caro,* non vtique dicit, non sunt duæ: sed, *non sunt duo, sed vna caro.* Quid ergò *non sunt duo,* nisi homines? Sicut Christus & Ecclesia sunt non duo Christi, sed vnus est Christus. Vndè & nobis dictum est; *Ergò Abrahæ semen estis,* cùm de illo dictum sit Abraham, *& semini tuo, quod est Christus.* Gen. 2. 24. Mat. 19. 6. Gal. 3. 29. Ibid. 16.

CAP. 60 IVL. DIX. *Ac per hoc nihil sibi vel de iucunditate eius, vel de verecundia potest diabolus vindicare.*

AVG. RESP. Quid est quod dicis *de verecundia?* An *confusionem* nominare confunderis? Et tamen pudendam libidinem, & ante peccatum fuisse dicis in eis, de quibus dicit scriptura, *Nudi erant & non confundebantur.*

CAP. 61. IVL. DIX *Veruntamen hic Apostolus, si quid tale sensisset,* per vnam carnem, *non* per vnum hominem *peccatum intrasse dixisset. Per generationem verò substantia carnis soboli sola participat, quia non anima de anima, sed caro de carne trahitur. In nomine autem* hominis, *& animus propriè indicatur & corpus. Ac per hoc Apostolus* vnum hominem *nominando, nec negotium fœcunditatis ostendit, in quo nihil præter substantiam carnis impertiri nove-* Gen. 2. 25.

rat: nec duos *intelligi voluit, qui* vnum *inculcavit, vt doceret imitatione transisse, non generatione peccatum.*

AVG. RESP. Quid est ergò, *Iam non sunt duo, sed vna caro?* Nisi, non sunt duo homines, propter vnam carnem; cùm & ipsa caro posset dici homo, à parte totum, sicut, *Verbum caro factum est:* quia homo factus est. Apostolus etiam quod ait, *exterior homo corrumpitur*: puto quod carnem intelligi voluit. Propter quod rectè loquimur, cùm dicimus hominis sepulchrum, quamvis caro ibi sola sepulta sit. Nec erravit quæ dixit, *Tulerunt Dominum meum de monumento*: quamvis eius sola caro ibi posita fuerit. Manente ergò de anima, obscurissima quæstione, potuit dici, *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum*, etiamsi ad propaginem sola caro pertineat. Hæc itaque attende, & quam nihil dixeris, vide.

Mat. 19. 6. — *Caro, dicitur homo.* — Ioan. 1. 14. — 2. Cor. 4. 16. — Ioan. 20. 13. — Rom. 5. 12.

CAP. 62.

IVL. DIX. *Hic iam licet egerit partes suas veritas; tamen vt sit intentus lector, admoneo. Plurimùm igitur in hoc conflictu de meo iure deposui, secutusque quo adversarij temeritas provocaverat, adeò sanè fidei scita defendi, vt etiamsi Magistri Gentium verba † non essent, quibus illum vsum Traducianus putavit, liqueret tamen eum nihil de naturali sensisse peccato, qui nominando* hominem, *sed* vnum, *non vtique generationem criminis, sed exempla culpa sser.*

* *F. delendum, non.*

AVG. RESP. Exemplum dedisti, sed vanitatis in teipso, quia si exemplum peccati à primo peccatore homine Apostolus poneret, id est, *Adam*, profectò & exemplum iustitiæ à primo homine iusto poneret, id est, *Abel.*

CAP. 63.

IVL. DIX. *Constat autem non esse Apostolicorum verborum eum ordinem quem inimicus noster putavit*, Argumentatur quippe *hoc modo*; Si Apostolus imitationem, *inquit*, voluisset intelligi, non per vnum hominem, sed per diabolum peccatũ intrasse, & per omnes homines pertransisse dixisset. De diabolo, quippe scriptum est, imitantur eum qui sunt ex parte eius. Sed ideo per vnum hominem dixit, à quo generatio, vtique hominum cœpit, vt per generationem doceret, iisse per omnes originale peccatum. *In hoc ergo mentitur, quod affirmat beatum Paulum pronuntiasse, quia* Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, atque ita in omnes homines pertransierit. *Hoc, inquam, in Magistri Gentium sermonibus non tenetur. Ille quippe non dixit peccatum transisse, sed mortem. Est ergo ordo verborum*; Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per pecca-

Sup. num. 57. — Sap. 2. 25. — Rom. 5. 12.

peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Sublimis informator Ecclesia, quid sibi dicendum esset expendit.* Per vnum, *inquit*, hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit. *Iam nominaverat mortem, atq; peccatum. Quid fuit necesse, vt in eo quod pertransisse dicebat, mortem à peccati communione separaret? Et signanter ostenderet, in hunc quidem mundum per vnum hominem intrasse peccatum; & per peccatum mortem: in omnes vero homines non peccatum transisse, sed mortem (mortem vtiq;, iudicij inlatam severitatem, prævaricationis vltricem, non corporum semina, sed morum vitia persequentem) nisi quia commendare & præmunire curavit, ne vestro dogmati opitulatus aliquid putaretur?*

a Beda Rom. 5. AVG. RESP. In eo quidem loco vbi dictum est, *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit*, vtrùm peccatum, an mors, an vtrumque in homines pertransisse dictum sit, videtur ambiguum. Sed quid horum sit, res ipsa tam aperta demonstrat. Nam si peccatum non pertransisset, non omnis homo cum lege peccati, quæ in membris nostris est, nasceretur. Si mors non pertransisset, non omnes homines, quantum ad istam conditionem mortalium pertinet, morerentur. Quod autem dicit Apostolus, *in quo omnes peccaverunt*, in quo intelligitur nisi in Adam? In quo eos dicit & mori quia non erat iustum, sine crimine transire supplicium. Quacumque te vertas, nullo modo Catholicæ fidei fundamenta subvertes. Præsertim, quia & tu ipse tibi adversaris, qui nunc dicis non peccatum transisse, sed mortem: cùm superiùs dixeris, Apostolum ideò *non duos homines, sed vnum inculcasse, vt doceret imitatione transisse, non generatione peccatum.* quid est, quod nunc dicis, *Non peccatum transisse, sed mortem?* Ibid.

Cap. 6. 1.

CAP. 64. IVL. DIX. *Quantum igitur inter te & Paulum distat, intende. Ille dicit*, Per vnum hominem: *Tu per duos; id est, per generationem. Ille pronuntiat, in primo homine & peccatum, & mortem fuisse, ad posteros vero solam transisse mortem: Tu contra asseris, & peccatum ad omnes, & interitum concurrisse.*

AVG. RESP. Iam responsum est. Relegant qui volunt quæ suprà diximus, ne superflua eadem iterum iterumque repetamus.

CA. 65. IVL. DIX. *Impudenter igitur sub vmbra eius nominis delitescis*

cis, cùm nimis diversa contrariaque dicatis. Ille enim arguit opus hominum: Tu opus Dei. Ille studium delinquentium: Tu innocentiam vitamque nascentium. Ille voluntatem hominum: Tu naturam.

AVG. RES. Superiùs ad omnia ista responsum est. Vndè iam te inridet qui meminit. Qui verò non meminit, si illa relegerit, profectò ista tua vana cùm inriserit, Te dolebit.

IVL. DIX. *Intravit igitur, secundùm Apostolum,* Per vnum hominem peccatum in hunc mundum, & per peccatũ mors; *quoniam illum & reum, & damnationi mortis perpetuæ destinatum mundus aspexit.* In omnes homines mors pertransiit, *quia vna forma iudicij prævaricatores quosque etiam reliquâ comprehendit ætatis. Quæ tamen mors, nec in sanctos, nec in innocentes vllos sævire permittitur: sed in eos pervadit, quos prævaricationem viderit æmulatos.* CAP. 66. Rom. 5. 12.

AVG. RES. Hoc loqueris quod obiectum est hæresiarchæ vestro Pelagio in Episcopali iudicio Palæstino, quod *ita factus fueris Adam, vt sive peccares, sive non peccares moriturus esset.* Hanc enim mortem qua omnes morimur, de qua dictum est, *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur,* non vis ex peccato in omnes fecisse originaliter transitum ne cogaris fateri simul etiam originaliter transisse peccatum. Sentis quippe, quam iniquum sit sine merito transisse supplicium. Verumtamen tam Catholicum est quod expugnare conaris, vt hoc ille, cui, sicut dixi, obiectum est, nisi damnasset, profectò ex illo iudicio damnatus exiisset. Mors ergò & ista quâ spiritus à corpore separatur, & illa quæ dicitur secunda, quâ spiritus cum corpore cruciabitur, quantùm attinet ad meritum generis humani, *in omnes homines pertransiit.* Sed gratia Dei per eum, qui venit vt moriendo regnum mortis auferret, eâ resurrectione, cuius in illo præcessit exemplũ, mortem regnare non sinit. Hoc tenet Catholica fides. Hoc tenent Iudices, quos Pelagius formidavit. Hoc non tenent hæretici, quos Pelagius seminavit. 1 de Gestis Pelagij c 11. & 33. Eccl. 25. 33. *Iniquũ sine merito transire supplicium.* *Duplex mors, quantũ ad meritum, in ones homines pertransiit.*

IVL. DIX. *Quæ prævaricatio, licet non sit facta naturalis, fuit tamen forma peccati. Atque ob hoc, licet non aggravet nascentes, tamen accusat imitantes.* CAP. 67.

AVG. RES. Etsi tu oblitus es *Grave iugum* quod aggravet nascentes; nos te tamen non desistimus commonere.

CAP. 68. *Lex, omnes, multitudinem non vniuersitatem importare contendit.*

IVL. DIX. *Mors autem iudicialis transiit in eo* in quo peccauerunt omnes, *sed libera voluntate. Quo verbo, id est*, omnes, *Scripturarum more multitudo, non vniuersitas indicatur.*

AVG. RESP. Frustra recta verba torquere, & clara obscurare conaris. *In eo peccauerunt omnes*, in quo moriuntur omnes. Ipse est *Adam*: in quo si parvuli non moriuntur, profectò nec in Christo vivificabuntur. Sed quoniam *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*; ideò qui volunt hæc verba pervertere, ipsi eis manentibus evertuntur. 1. Cor. 15. 22.

CAP. 69. * Beda Rom. 5. 13. Verb. Aug. l. 2. de nupt. c. 27.

IVL. DIX. *Sed iam pergamus ad reliqua, vt cui dogmati Apostolus concinat, sicut ex multa parte claris processibus sacri sermonis ostenditur* † Quid autem aliud indicant etiam sequentia verba Apostolica? Cùm enim hoc dixisset, adiunxit, *Vsque ad legem enim peccatum in mundo fuit:* Id est, quia nec Lex potuit auferre peccatum *Peccatum autem non deputabatur, cum lex non esset.* Erat ergò, sed *non deputabatur*, quia nec ostendebatur quod deputaretur, sicut etiam alibi dicit, *Per legem cognitio peccati. Sed regnavit*, inquit, *mors ab Adam vsque ad Moysem*, hoc est quòd supra dixerat, *vsque ad legem.* Non *vsque ad Moysem*, vt deinceps non esset peccatum: sed quia nec lex per Moysem data regnum potuit mortis auferre: quæ non regnat vtique, nisi per peccatum. Regnum porrò eius est, vt hominem mortalem, in secundam etiam, quæ sempiterna est, præcipitet mortem. Regnavit autem, in quibus? *Etiam in eos*, inquit, *qui non peccaverunt, in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.* Cuius *futuri*, nisi Christi? Et qualis *forma*, nisi à contrario? Quod alibi etiam dicit, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Sicut in illo illud: ita & in isto illud. Ipsa est forma. Sed hæc forma non omni ex parte consormis est. Vndè hic Apostolus secutus adiunxit; *Sed non sicut delictum; ita & donatio. Si enim ob vnius delictum multi mortui sunt; multo magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in multos abundavit.* Quid est *multo magis abundavit?* Nisi quia omnes qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam moriuntur: propter ipsum autem Christum sine fine victuri sunt. † *Nihil aliud consequentibus Apostoli sermonibus indicari professus es quam originale peccatum: quod* Rom. 5. 13. Ibid. Rom. 3. 10. Rom. 5. 14. Ibid. 1. Cor. 15. 22. Rom. 5. 15.

quod nos approbavimus ipso sui exordio non ab eo ostensum fuisse: quia per vnum, non per duos, peccatum transisse signaverat.

AVG. RESP. Iam responsum est, & adhuc tu vana loqueris. Neque hoc mirum est: adhuc enim quid respondeam, nescis. Tunc eris impudentior quando scieris, si vanis relictis vera tenere nolueris.

CAP. 70.

IVL. DIX. *Verumtamen, verùm id quod praterierat, vel nunc intimet expendendum est.* Vsque ad legem, *inquit*, peccatum in mundo. *Tu dicis, quia hoc peccatum Apostolus naturale voluerit intelligi. Quaero ergo, Si vsque ad legem fuit, cur desierit esse post legem? Neque enim adquiesco, vt* Vsque ad legem, *vsque ad finem eius potius, quam vsque ad exortum intelligam. Mecum facit verbi proprietas. Quod dicit* Vsque ad legem *fuisse, ostendit non esse post legem: & quocumque tempore ablatum est, naturale non fuit. Quod ergo infregit censura legis, & infringendo ex multa parte restrinxit, imitatione apparet, non generatione susceptum.*

Rom. 5. 13.

AVG. RES. O intellectum! quid aliud dicam, quàm hæreticum? Si ergò *Lex* abstulit peccatum, (quia sic vis intelligi *vsque ad legem*:) fuit ergo *per legem iustitia. Si per Legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Si autem peccatum *Lex* non abstulit, vt non esset: (quod prius eam fecisse dixeras, & mox te pœnituit,) sed tamen peccatum *Lex infregit*, vt posteà correxisti, *& multa parte restrinxit*, mentitus est qui ait, *Lex subintrauit vt abundaret delictum.* Sed quia ille verum dixit, tu nihil dicis: & tamen nihil dicendo, hæreticâ pertinacia contradicis.

Gal. 2. 21.

Rom. 5. 20.

CAP. 71.

IVL. DIX. *Verum, ne videar hic nimis tecum agere tenaciter, acquiescamus, quod* Vsque ad legem *vsque ad Christum possis intelligi. Concedis ergo peccatum hoc, quod dicis originale, non esse post Christum. Et quomodo, & in Apostolorum membris, & in omnibus baptizatis, & vsque hodie post tot secula adventus Christi, opus diaboli, fructum aduersaria potestatis, legemque peccati manere, vigere, vivere pronuntias?*

Aliud est peccatū, aliud concupiscentia peccati.

AVG. RESP. Non hoc dico. Nihil dicis. Aliud est peccatum, aliud concupiscentia peccati, cui non consentit qui per gratiam Dei non peccat. Quamvis & ipsa concupiscentia peccati vocetur peccatū, quia peccato facta est: sicut scriptura quælibet, manus eius dicitur cuius manu facta est. De quo autem dictum est, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, ipse reatum peccati, quod generatione trahitur, regeneratione dissol-

Quomodo concupiscentia vocetur peccatum.

Ioan. 1. 29.

dissolvit. Ipse spiritum donans, facit *non regnare peccatum in nostro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis eius?* Ipse quotidianâ indulgentiâ, propter quod quotidie dicimus *Dimitte nobis debita nostra*, si quid concupiscentia peccati etiam benè resistendo certantibus malè persuaserit, misericors delet. Ipse gravi ruina *elisos erigit* pœnitentes. Ipse vbi non possit omninò peccari perducet, constituetque regnantes, quandò dicetur, *Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis est peccatum.* Ecce quomodò *peccatum mundi, Agnus ille* Deus *tollit*, quod lex auferre non potuit. Rom. 6. 12. Mat. 6. 12. Psal. 145. 8 1. Cor. 15. 55. & 56.

CAP. 72. IVL. DIX. *Verum videamus & reliqua.* Peccatum autem non deputabatur, *ait Apostolus*, cùm lex non esset. *Post quod tu subdis*, Erat ergò, sed non deputabatur, sicut alibi dixit, Per legem cognitio peccati. *Si ergo per legem peccati est facta cognitio, & peccatum traducis ante legem non imputabatur, ostende hoc imputatum fuisse sub lege. Nam si per legem peccati cognitio, ante legem ignoratio peccati; ambigi non potest hanc fuisse causam maximam promulgandæ Legis, vt proderetur, & caveretur, quod prius latebat* Rom. 5. 13. Rom 3. 20.

Vt caveretur peccatū, non lex, sed gratia fecit.

AVG. RESP. *Vt proderetur*, verum dicis. Hoc & nos dicimus: vt autem *caveretur*, non *Lex*, sed *Gratia*, non *Littera* sed *Spiritus* fecit. *Lex* enim *subintravit*, non vt caveretur, sed *vt abundaret peccatum*, & superabundaret gratia, quâ peccatum & deleretur factum, & ne fieret, caveretur. Rom. 5. 20.

CAP. 73. IVL. DIX. *Hic est ergo summa certaminis. Aut ostende imputatum sub lege fuisse cuiquam originale peccatum, ostende fuisse monstratum; & consentiam de hoc peccato Apostolum loquutum fuisse:*

AVG. RES. Ostendo quidem quod provocas, vt ostendam: sed si oculos aperiatis ad ea quæ videre non vultis: & ne ab aliis videantur, nebulas contentionis offunditis. Circuncisio carnis, Lege præcepta est: qua non posset meliùs significari, per Christum regenerationis auctorem, tolli originale peccatum. Cum præputio quippe omnis homo nascitur, quemadmodùm cum originali peccato; & octavo die Lex circumcidi carnem præcepit, quia Christus die Dominico resurrexit, qui post septimum Sabbathi octavus est. Et circumcisus præputiatum gignit, traiiciens in illum quo ipse iam caruit: sicut baptizatus in filium quem generat carnè, reatum tamen traiicit originis, quo absolutus est ipse. Postremò in Gen. 17. 12.

Prosp. Sent. 298.

Vide Aug. l. 6. cont. Iul. 11.

lege

lege scriptus est Psalmus; *Ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea in vtero me aluit*: Quod videretis profectò, nec auderetis aliquid contradicere; si Cypriano, & Ambrosio, cæterisque talibus Ecclesiæ Doctoribus fidei oculos similes haberetis.

Psal. 50.7.

IVL. DIX. *Aut certè, quia hoc in lege non potest inveniri, adquiescit, impudentissime, de eopeccato loqui Apostolum quod imitatione trahitur, voluntate committitur, ratione arguitur, lege ostenditur, æquitate punitur.* CAP. 74.

AVG. RES. De omni peccato, quod per Christum tollitur, dictum est, *vsque ad legem peccatum in mundo fuit*, quia lege non tollitur sive originale, sive additum; sive quod erat & ante legem, sive quod etiam lege subintrante abundavit. Cùm autem ais, *de eo peccato loqui Apostolum, quod æquitate punitur*; expergiscere, & vide ibi esse originale peccatum. Non enim aliter æquitas Dei *grave iugum* imponeret, ipsis quoque exordiis parvulorum. Quod *Iugum* cura nostra sæpe commemorat, vt cervicem tuam si non inflexerit, frangat. Nam quod *peccatum* etiam *lege monstrari*, præcepta circumcisionis ostendunt. Quod si negas tu, doce quo peccato proprio, si non circumcideretur, interibat anima parvuli de populo suo. Scio, non doces: sed volens nos fatigare, nec taces.

Grave iugum, arguit originale peccatum.

Gen. 17.14

IVL. DIX. *Cæterùm quod fingitis originale peccatum, nec per vnum transmitti potest, quoniam generatio per duos agitur:* CAP. 75.

AVG. RESP. Iam responsum est. Lege quæ hinc à me dicta sunt, & invenies te vana dixisse

IVL. DIX. *Nec potuit aliquando esse, si potest aliquando non esse; quia naturalia ab initio substantiæ, vsque terminum illius perseverant.* CAP. 76.

AVG. RESP. Hoc & de morte posses dicere. Nam etiam cum ipsa nascimur. *Corpus enim mortuum est propter peccatum.* Sed etsi non propter peccatum, sicut desipitis; nascimur tamen sine dubitatione mortales. Et tamen mors atque mortalitas non erit immortaliter viventibus nobis. Sicut ergò mors originalis est, & tamen potuit esse, & potest non esse melius nostra manente natura; sic & originale peccatum, & potuit esse generatione tractum, & potest non esse regeneratione detractum.

Rom. 8.10.

CAP. 77. IVL. DIX. *Nec à lege ostensum est, vel ostendi potuit, quia nunquam legislator vsque ad hanc venerit amentiam, vt præceperit cuiquam, Noli ita vel ita nasci. Et quod admoneri non potest vt caveatur, imputari non potest, vt puniatur.*

Præcepti à primo Parente violati, rei sunt parvuli.

AVG. RESP. Non præcipitur homini, quomodò nascatur: sed præceptum est quo modo ille viveret, præceptum qui violavit; à quo parente peccatum originale deducitur. Præcipitur etiam vt infans circumcidatur, damnandus nisi circumcidatur: cui tamen non solùm non aliquid aliud, sed nec saltem circumcisio ipsa præcipitur. Ac per hoc, non quidem præcipitur homini, quo modo nascatur, mundus tamen non est à sorde peccati, nec infans cui *est vnius diei vita super terram.* Lege verba sancti Iobæ & invenies te esse mendacem, loquente illo quem Deus dixit esse veracem. Iob. 14. 4.

CAP. 78. IVL. DIX. *Et quod vsque ad legem est, ostenditur non esse post legem: ostenditur postremo non esse post Christum.*

AVG. RESP. Ita. Reatus huius peccati ostenditur non esse post peccatorum abolitionem.

CAP. 79. IVL. DIX. *Ac per hoc secundum argumentationem quoque tuam, olim non est: testimonio Veritatis, nunquam fuit.*

AVG. RES. O si vos non essetis, qui contra testimonium veritatis, falsum testimonium vestrum & dicitis & insuper scribitis!

CAP. 80. *Vrgetur peccati definitio.* IVL. DIX. *Et, vt quod egimus inculcetur memoriæ lectoris: desiisti quondam peccatum, & optimè nihil esse aliud, quam.* Voluntatem amittendi quod iniustitia vetat, & vnde liberum est abstinere.

AVG. RES. Iam responsum est, quod peccati sit ista definitio, non eius quod sit & pœna peccati.

CAP. 81. IVL. DIX. *Quæ definitio ad intelligendam quoque iustitiam Dei aperuit viam, vt censerem equitatem divini neutiquam stare iudicij, nisi illud imputasset, à quo liberum fuisset, et qui propter hoc affligitur, abstinere.*

An graviùs premerentur parvuli innocentes.

AVG. RES. Propter quid ergò affliguntur parvuli, si nullum habent omninò peccatum? An omnipotens & iustus Deus iniustas pœnas à tot innocētibus prohibere non potuit.

CAP. 82. IVL. DIX. *Magistrum verò gentium rationem privilegio auctoritatis armantem, pronuntiasse, quia* per vnum hominem *in hunc mundum culpa transierit. Quo nomine separavit opera nuptiarum, quæ sine duorum negotio esse non possunt: commendavimusque, ob hoc ab Illo* vnum *fuisse nominatum, ne quis duos intelligere auderet.*

AV-

AVG. RES. Iam responsum est. Assiduè te delectat vana garrire.

IVL. DIX. *Et reverà multò ego consequentiùs, vnum, quem* CAP. 83.
Apostolus dicit, vnum assero; vt doceam, vitium imitationis non generationis fuisse vestigium. Seminibus rem amovet voluntatis, quod rerum natura non recipit.

AVG. RES. Desine quod iàm refellimus intrare. Quid nos cogis, adhuc eadem atque eadem dicere contra tantam sapientiam tuam? quâ putas ideò non significari generationem, vbi dictum est, *Per vnum hominem peccatum intravit in mũdum*, quia per duos fit generatio, non per vnum: quasi peccatum illud, quod non vultis generatione, sed imitatione transisse, vnus admiserit. Cùm ergò & ipsum fuerit à duobus admissum, cur *per vnum hominem* dictum est *peccatum intravit in mundum*, nisi quia non à fœmina concipiente atque pariente, sed à viro seminante est generationis exordium? aut quia *tam non sunt duo*, quando per coitum vna fit caro?

Rom. 5.12

A viro generationis exordium.

IVL. DIX. *Post ea quoque ad legem ventum est, adeamus vsque* CAP. 84.
tempus perscripsit Apostolus non ostensum vigusse peccatum. Quod tu tempus vsque ad finem legis proclare conatus es, non intelligens ne quicquam te argumentatum, quam loquidem constringendus à nobis esses vt probares, hoc peccatum, de quo mentiris Paulum locutum, Mentiri di- *& quod asseris vsque ad emolitionem regnasse veteris testamenti, vel* cit Augusti- *imputatum fuisse, vel imputari potuisse sub legè. Certè adquiescere, num. non regnare post Christum, vt sensibus tuis saltem inflexa volenter Apostoli sententia consonaret. Horum autem nihil vsquè à te potest. Fides ergò nostra in solido est puritas collocata, cui & rationis instituta, & iustitiæ dignitas, & Apostoli per omnia, scitè conveniunt.*

AVG. RESP. Nihil te dicere; & quod respondimus monstrat, & tu ipse. † Apostolus quod ait *vsque ad legem peccatum in mundo fuit*, non originale tantùm, sed omne peccatum intelligi voluit. Et ideò, *vsque ad legem fuit, quia* nec lex potuit auferre peccatum. *Vsque ad legem*, quippè dictum est in Evangelio, *Omnes ab Abraham vsque ad David generationes quatuordecim.* Non enim excepto David, sed ipso etiam computato, numerus iste completur. Sicut ergò, cùm audimus *quatuordecim generationes vsque ad David*, non excipimus *David*, sed ipsum etiam computamus; ita cùm audimus *vsque*

† Beda Rom. 5.13.

Rom. 5.13.

Quomodo dicatur vsque ad legem fuisse peccatum.

Mat. 1.17.

ad

ad legem peccatum in mundo fuit, non excipere legem, sed etiam ipsam computare debemus. Quia sicut David non est extra numerum dictus; sic Lex non est extra permansionem peccati, quod fuisse est dictum vsque ad ipsam. Ac per hoc nemo *tollit peccatum*, quod nec *Lex*; quamvis *sancta & iusta & bona*, potuit auferre, nisi ille de quo dictum est, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. *Tollit* autem, & dimittendo quæ facta sunt, (vbi & originale comprehenditur) & adiuvando ne fiant: & perducendo ad vitam, vbi fieri omninò non possint. Ioan. 1. 29.

Cap. 85. IVL. DIX. *Sed videamus & reliqua. Postquam ergò* Hæc „forma non omni ex parte conformis est, *adiungis*. Vndè hîc „ Apostolus secutus adiunxit, sed non sicut delictum, ita Rom. 5. 15. „ & donatio. Si enim ob vnius delictum multi mortui sunt, „ multò magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis „ Iesu Christi in plures abundavit. *Quam sententiam hoc modo* „ *exponis*: Quid est multò magis abundavit, nisi quia omnes „ qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam „ moriuntur, propter ipsum autem Christum sine fine victuri sunt? *Pronuntiavit certè Apostolus, pro cuius nobis est opinione certamen, efficaciùs operari ad collationem salutis, & copiosiùs gratiam Salvatoris, quam peccatum Adæ: vt ostenderet multò vehementius profuisse Christum, & pluribus profuisse, cuius* gratia (*vt ipso eius verbo vtar*) Abundavit in plures, *quam prævaricationem primi hominis nocuisse, quam tu dicis seminibus inligasse peccatum.*

Contendit in plures abundasse gratiam quam peccatum.

AVG. RESP. *Multo magis abundavit*, dixit, non, in magis multos, id est, non in plures. Quis enim non videat plures esse in genere humano, in quos non abundavit, vt ex pluribus ostenderetur quid vniversæ massæ iusto iudicio deberetur, nisi *vbi vult Spiritus spiraret*: & *Deus quos dignaretur vocaret, & quem vellet religiosum faceret?* Ioan. 3. 8

Amb. l. 7 in Luc. c. 9.

Cap. 86. IVL. DIX. *Probatur igitur hoc quod intellexit Apostolus vestris coherere dogmatibus.*

AVG. RESP. Legantur verba eius sine perversitate legentium, qualis est in vobis: & nulla alia probatio requiretur.

Cap. 87. IVL. DIX. *Si enim Adam, vt dicitis, peccato naturali generavit omnes in condemnationem, tantumque de suis visceribus in sobolem virus effudit, vt in natura hominis cuncta Dei instituta turbaret:*

AVG. RES. Quandò parvulum spiritus vexat immundus, animamq; eius & corpus affligit, sensus sanitatemq; per-

ver-

vertit, nonne vniversa eius quam Deus instituit natura turbatur? nec invenitis omninò tanti huius mali meritum, negantes originale peccatum. Cur enim non hîc attendis *in naturâ hominu* per diaboli virus *cuncta Dei instituta turbari*? Dic causam, parvuli dic creatum, & cur recens nato ista contingunt, qui non vis verba Apostolica sic accipere; quemadmodum accepit, ex quo est instituta, Catholica Ecclesia, & quemadmodùm suis tam perspicuis malis confitetur natura. Et tamen, si benè consideremus, Dei nullo modò instituta turbantur: quoniam præscius futurorum cuncta constituit, nec totum quod meretur apostatica creatura singulis reddit: *sed in* Sap. 11, 21. *mensurâ & numero & pondere disponens omnia*, neminem sinit mali aliquid perpeti, quod non meretur: quàmvis non tantùm, quantum massæ debetur vniversæ, singulus quisque patiatur.

Deus non reddit singulis totũ quod meretur apostatica creatura.

IVL. DIX. *Vt sine dono diaboli, ad quem dicis libidinem sexuum pertinere, nuptiæ quas* DEUS *creaverat esse non possent: immò illis quas ordinaverat, institutionis suæ honore avolantibus, eas, quarum ordo permansit, cum motione genitalium, cum pudore coëuntium, cum calore & consternatione membrorum, cum iocunditate sensuum, cum iniquitate nascentium, diaboli non Dei opus esse cogeret atque convinceret:* CAP. 88.

AVG. RESP. Si malum vitiorum, quod nisi in aliquo bono esse non potest, à naturarum bonitate discernas; nec excusabis diabolum, nec accusabis Deum: nec excusabis libidinis malum, nec accusabis nuptiarum bonum.

IVL. DIX. *Ipsam postremò arbitrij libertatem vnius peccati impulsione subruerent; vt nemo deinceps in potestate haberet vetera crimina virtutis electione respuere: sed vno omnes in condemnationem eversa humanitatis torrente raperentur?* CAP. 89.

AVG. RESP. Cur non potiùs miraris vniversi generis humani ab exordio nativitatis tantam miseriam vt nemo beatus nisi ex misero fiat, neque nisi post hanc vitam malis omnibus careat, cui per Dei gratiam præstatur vt careat? Et hoc mirando, te corrigis: & iustum Dei iudicium, quoniam *per vnum hominem peccatum intravit in mundum*, in generis humani non iniustâ afflictione cognoscis?

Miseria generis humani arguunt esse originale peccatum.

IVL. DIX. *Si hæc, inquam, cuncta in Dei imaginem primi hominis invexit iniquitas, manifestum est nimis esse imbecillam Christi gratiam in suis muneribus, quæ nihil quod his tot trabalibus malis* CAP. 90.

malis, mederetur, invenit. Aut, si invenit, affirma. Singula enim nunc singulis conferamus. Si Adam præter voluntatis opera, ipsius naturæ inilituta subvertit; nihil debuit magis Christus, quàm ea quæ ab illo fuerant elisa reparare, his videlicet vestigys quibus ille subruerat.

AVG. RES. Hoc facit; sed non modò, quod tu vis. *Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis consiliarius eius fuit.* Isa. 40. 13. apud 70. Rom. 11. 44

CAP. 91 IVL. DIX. *id est, vt in nuptijs baptizatorum, nequaquam sentiretur libido; nec eodem modo quo etiam cæterarum gentium genitalia moverentur.*

AVG. RESP. Non ergò debuerant baptizatæ cum gemitu parere: quoniam hoc, quod negare non potes, pœna est fœminæ peccatricis.

CAP. 92. IVL. DIX. *Recederet prosiremò posi donum gratiæ coëuntium pudor, nec iret per membra quietis imitatio, nec paterentur sensu severa dulcedinis. Liberum postremò baptizatis redderetur arbitrium, vt per correctionem naturæ, expulsâ lege peccati, tam possibile confiteris esse mortalibus nitere splendore virtutum, quam sordibus horrere vitiorum. Imò penitùs nec mortales, qui sacramentis imbuuntur, esse deberent.*

AVG. RESP. Et tamen, Iuliane, tales nuptias in paradiso constituere non te pudet, vbi coëuntium confiteris pudorem. Ergò ne aliquid pudendum erat, vbi nihil nisi laudandum, qui super cuncta laudandus est, conditor instituerat? Sed quis potest hoc sapere & dicere, nisi quem non pudet, id laudare quod pudet?

CAP. 93. *IVL. DIX. Si enim pugnat medicina cum vulnere, & mors peccato dicitur accidisse, ablationem mortis amotio peccati debet operari.*

AVG RESP. Adhuc quidē dicitis, *Adā sic fuisse factum, vt sive peccaret sive non peccaret, moriturus esset.* Sed ista dicentes iam vos magister vester in Episcopali iudicio Palæstino, nec sine seipso (quia non se correxit) Pelagius ipse damnavit. Deus autem non isto sęculo maligno beatificat suos, quibus hîc peccata dimittit, & spiritûs gratiæ pignus impertit. Ideò eis, qui etiam malis sæculi huius vel delectabilibus, vel sævis, atque asperis partim non vtuntur, partim benè vtuntur, futurum promisit sæculum, in quo mala nulla patiantur: vbi tales essent nuptiæ, quales in illo paradiso, si nemo peccasset, esse potuissent; in quibus nihil pudendum esset. Sed nec tales erunt, quo-

L. de Gestis Pelag. cap. 11. & 33.

quoniam beatorum numero impleto, cui sunt nuptiæ necessariæ, generatio ipsa non erit.

IVL DIX. *Verùm nihil horum quæ diximus, baptizatorum cùm constat evenire corporibus (non potuisse autem aliter, id est, non debuisse, quamvis medicina monstraverit) consitendum tibi est, aut illa quæ prius enumeravimus, non accidisse peccato: & ideò nec vulnera fuisse naturæ, vt constet ratio gratiæ per quam manifestum est, illa de suis ordinibus mota non esse: Aut certè negandum in mysteriis Christi quicquam esse medicinæ, quæ de tot secundùm te morbis, ne vnum quidem sanare potuerint.* CAP. 94.

AVG. RESP. Imò verò hinc deberetis agnoscere, si mente sobriâ viveretis, quàm magnum illud peccatum fuerit, quod *per vnum hominem intravit in mundum*, & cùm morte *in omnes homines pertranssit*. Quandoquidem malis huius sæculi, cum quibus homines oriuntur, nec baptizati iam reatu ablato, omnibus eruuntur, nisi post hanc vitam: in quâ nos oportet etiam promissis bonis, exerceri adhuc malis. Nam si merces fidei continuò redderetur, iam nec fides ipsa esset: quæ mala præsentia videns, ideò piè tolerat, quia bona promissa non videns, fideliter & patienter expectat.

Magnum fuisse peccatum Adæ.

Cur baptizati non statim malis omnibus eruantur.

IVL. DIX. *Sic egi hactenus, quasi vim dolorum & vulnerum, in contrarijs licet effectibus, æqualem tamen Apostolus æstimasset. Crescit autem dubio procul, sublimitas sanæ fidei quam tuemur, cùm consideratur Paulus, non solùm remedijs gratiæ, ægritudinem non prætulisse culparum; verùm etiam copiosiora beneficia iudicasse dispendijs.* CAP. 95.

AVG RESP. Verum est. Temporalia quippè sunt dispendia regeneratorum: beneficia verò erunt sine dubio sempiterna. Sed dispendia, quæ nascentes flendo testantur, dicite, quo merito sub iustissimo & omnipotentissimo iudice eis, si nullum peccatum attrahunt, irrogentur.

Miseriæ parvulorum ex peccato.

IVL DIX. *Quid ergò etiam hæc disputatio collegerit prudens lector attendat. Apostolus dixit* in plures abundasse donationem Christi *ad salutem, quam Adæ culpa nocuisset.* CAP. 96.

Rom. 5.15.

AVG. RES. Non hoc dixit, sed, *multò magis abundavit gratia in multos*, hoc est, *magis abundavit*, non *in magis multos*, id est, non in plures, sicut iam responsum est.

An in plures abundet gratia quàm peccatum?

IVL. DIX. *Quâ culpâ tu illas clades, quas supra enumeravimus,* CAP. 97.

dicis accidisse naturæ, ex quibus nec vnam, quo ad Christum perveniunt sacramento, constat sanari? Ac per hoc multò plus iniquitatem primi hominis ad nocendum asseris habuisse virtutis, quàm gratia Christi obtinet ad medendum. Quo collecto ostensum est, quantam inter Catholicos & Manichæos, tantam inter te & Apostolum Paulum esse discordiam.

AVG. RES. Tulit gratia Christi originalis peccati reatum: sed rem invisibilem invisibiliter tollit. Dimittit etiam cuncta peccata, quæ homines malè vivendo insuper addiderunt. *Iudicium* quippè *ex vno* delicto *in condemnationem*: quia & vnum illud quod à nascentibus trahitur, trahit ad æternam condemnationem, si non remittatur. Nec tamen hoc solùm gratia dimittit, (alioquin tantum valeret,) sed cum ipso dimittit & cætera. Ergò plus valet: propter quod dictum est, *Iudicium quidem ex vno in condemnationem: Gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Donat etiam gratia, vt contra concupiscentiam carnis spiritus concupiscat: & si quandò fidelis homo, in hoc certamine venialiter vincitur, debita dimittit oranti: & quandò damnabiliter vincitur, dat humiliorem pœnitentiam, cui tribuat indulgentiam. Donat postremò vitam æternam & animæ & corpori, vbi qualia & quanta bona sint cogitare quis possit? Quomodò ergò plus nocuit primi hominis iniquitas, quàm profuit secundi hominis, hoc est, Christi bonitas? cùm ille temporaliter nocuerit: Christus autem temporaliter adiuvet, & liberet ac beatificet in æternum. Quæ cùm ita sint, sententia nostra Catholica, non Manichæa est: & ideò nec Pelagiana est, quia Catholica.

ostendit quomodò magis abundet gratia

Peccata venialia & mortalia.

Rom. 5. 16.

CAP. 98. IVL. DIX. *Frivolam sanè expositionem in hoc loco tuam optimo iure despicerem, & irrepercussam præterirem, quasi nimis humo cohærentem; nisi vererer ne pellacia magis, quàm constantiæ crederetur. Loqueris ergò hoc modo.* Quid est *multò magis abundavit*, nisi „quia omnes qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam moriuntur: propter ipsum autem Christum sine „fine victuri sunt? *Quo sermone si quid consequenter diceretur, attenderes, omnem arcem tuam, id est, traducem cecidisse fateretur. Dicis enim, Ideò multò magis abundasse Christi gratiam, quia per eam multò conferantur æterna, cùm per Adæ peccatum subeunda sit corruptio temporalis. Si ergò nihil aliud intulit Adam præter corporis mortem, contra quam Christus copiosiore beneficio vitam contulit sine*

Aug. l. 2. de nupt. c. 27.

sine

fine durantem; apparet, non peccatum Adæ ad posteros transisse, sed mortem.

AVG. RES. Apparet te propterea irrisisse quod dixi, vel potiùs te irridere finxisse, vt his qui non intelligunt, videreris dicere aliquid, cùm diceres nihil. Primùm, quia eis dixi Adã temporali morte nocuisse, quos Christi liberat gratia. Quos enim occulti quidem, sed iudicii iusti veritate non liberat, etiamsi parvuli moriuntur, æternâ morte plectentur. Quomodò ergò hinc *apparet, non peccatum Adæ ad posteros transisse, sed mortem*; nisi quia hoc vis putari, quod perstrepunt verba tua, non quod loquuntur verba mea? Nos enim dicimus vtrumque transisse, & à Christo vtrumque clamamus auferri; *Reatum* scilicet *peccati* plenissimâ remissione peccatorum: *Mortem* verò beatissimâ resurrectione sanctorum. Quæ propterea, nõ statim regeneratis datur, vt exerceatur fides, quâ id quod non videtur, speratur. Hoc enim & in seipsis, & in parvulis suis cùm sperant fideles, vtique sunt fideles. Ecce quod dicimus. Ecce cui Catholicæ veritati contradicitis. Sed magis contra vos, quàm contra illam, dicitis, quidquid hæreticis disputationibus dicitis.

Parvuli nõ baptizati decedentes æternâ morte plectuntur.

IVL. DIX. *Constabit autem consequentissimè, mortem perpetuam, id est, pœnam sempiternam ad nos non fuisse transmissam. Ac per hoc peccatũ traducis esse nõ posse. Vt enim breviter, quid tenẽdũ constat, appareat, Ab Apostolo dona Christi peccato primi hominis præferuntur. Tu per hoc peccatum tuum, id est, traducis, vnam dicis an duas transisse mortes? Si vnam & corporalem, vt hîc confessus es; constat gratiam Christi antecellere peccato primi hominis: sed tam nascitur nemo peccator. Quia, sicut supra dixisti,* Regnum peccati est, vt in secundam homo mortem, id est, in pœnam perpetuam præcipitetur. *Sed per Adam mortem corporis solam advectam dicis. Nec peccatum igitur per Adam ad posteros, nec mors æterna transmittitur.*

CAP. 99.

CAP. 69.

AVG. RES. Iam responsum est. Nihil dicis. Regnum enim peccati etiàm in æternam præcipitat mortem, nisi per Christi gratiam remittatur. Verumtamen ista quoque mors temporalis nulla esset, nisi Adam non moriendi possibilitatem, peccati merito perdidisset. Hanc enim peccatori denunciavit Deus dicens, TERRA ES, *& in terram ibis.* Hanc sine merito peccati suscipere dignatus est Christus, vt per illam quidem moriendo *iret in terram*; sed resurgendo *terram* levaret in cœlum, ac sic æternâ morte destructâ, temporalem fidelibus ideò non

Mors temporalis ex peccato Adæ

Gen. 3. 19. apud 70.

auferret, vt adversus eam resurrectionis fides in huius vitæ agone certaret.

CAP. 100 IVL. DIX. *Sin autem dixeris peccatum Adæ naturalem factam esse iniquitatem, duasq; accidisse mortes, vnam æternam alteram temporalem: per Christi autem gratiam vnam interim auferri à persona, non à naturâ, id est, perpetuam: temporalem verò remanere; Apostolus convincitur falsitatis, qui dixit multò magis profuisse gratiam, quam nocuisse peccatum. Apostolus autem argui non potest. Tu igitur iure reprobaris.*

AVG. RES. Ego dixi, vnâ resurrectione beatorum ambas mortes tolli, & istam, nè sit anima sine corpore suo: & illam, ne aggravetur, vel affligatur anima etiam corpore suo. Sic autem ista fidelibus ad tempus relinquitur, vt habeat per illam fides adiumentum: quemadmodum posteà reis tollitur, vt quod de suo corpore non recedunt, miseriæ sit incrementum. Ac per hoc eis, qui regenerantur in Christo, & de isto sæculo maligno electi eius exeunt, manifestum est plus prodesse gratiam, quàm nocuisse peccatum, quod *per vnum hominem in mundum intravit*, & cum morte *per omnes homines pertransiit*. Apostolus itaque redargui non potest, quia verum dixit. Sed tu non intelligis, aut contra id quod intelligis, asserere quod falsum est, hæreticâ intentione conaris.

Plus prodest gratia quàm nocuit peccatum.

CAP. 101. IVL. DIX. *Apostolus dixit magis gratiam Christi, quàm Ada abundasse culpam. Non igitur natura ab eo, non generatio, non fœcunditas, sed voluntatis electio, morum pravitas accusatur.*

AVG. RESP. Si nihil nocuit generatio, nihil præstat regeneratio. Si non est natura vitiata, non habent Christum parvuli salvatorem. Si omne malum & bonum meritum singulorum in eorum propriâ est voluntate, quo merito Christus regnum Dei parvulis confert, cùm in neutram partem propriâ vsi sint voluntate? Postremò quoniam duos posuit Apostolus: vnum ad peccatum, non diabolum, sed *Adam*: & vnum ad iustitiam, non Abel, sed *Christum*, vt non exemplis imitatio, sed generationi regeneratio referretur; si non traiicit peccatum in homines generatos Adam, non donat Christus parvulis regeneratis iustitiam, quia nec † generati parvuli vsi sunt propriâ libertate. Ite nunc si vultis, & clamate si audetis, iustitiam parvulis non dari, nec eos habituros esse iustitiam, quandò habitabunt in illo regno, vbierunt sicut scriptum est, *cœli novi & terra nova, in quibus iustitia inhabitat*. Aut ex ve-

An omne bonum & malum, meritum singulorum in eorum sit propriâ voluntate.

F. regenerati.



vestro, quo inebriati estis meracissimo dogmate, delirate in illo regno iustitiam parvulos habituros quidem, sed propriæ voluntatis meritis, non divinæ gratiæ largitate. Quod si dicere non audetis, (hîc enim merita comparari: ibi autem præmia reddi fatemini) cur fateri dubitatis sive non vultis, sic eos ex Adam potuisse habere peccatum sine meritis propriæ voluntatis malæ, quemadmodum à Christo percepturi sunt iustitiam sine suis meritis præcedentibus voluntatis bonæ?

IVL. DIX. *Ac per hoc, si quem in rebus adhuc humanis locum veritas habet, & non obstrepitum iniquitatis totus omninò mundus obsurduit, ratione, disputatione, & Apostoli fide, atque ipsa eius sententia teste, perdoctum esse fatebitur, inter Traducianos & Catholicos tantum esse discrimen, quantum inter Paulum & Manichæum: quantum inter sapientiam & stultitiam: quantum inter rationem & insaniam: quantum inter constantiam doctorum & eam fluctuationem, quam novâ fœditate perpeteris, vt in ijsdem penè versibus quod dixeris neges, quod negaveris asseveres.* CAP. 102.

AVG. RESP. Iam responsum est. Rogo te, aliquid dicere non potes? Tace si potes. Sed quod peius est, nec hoc potes.

IVL. DIX. Et non, inquit, Sicut per vnum peccantem, ita est & donum. Nam iudicium ex vno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in iustificationem. *Quibus Apostoli verbis admoves expositionem tuam ita se habentem*: † Ex vno ergò, quo? *inquis*, nisi delicto? quia sequitur, Gratia autem ex multis delictis. Dicant isti quomodò ex vno delicto in „ condemnationem, nisi quia sufficit ad condemnationē etiam „ vnum originale peccatum, quod in omnes homines pertran- „ siit? Gratia verò ideò ex multis delictis in iustificationem, quia non solùm vnum illud solvit, quod originaliter trahitur; sed etiam cætera, quæ in vnoquoque homine motu propriæ „ voluntatis adduntur? † Si enim ob vnius delictū mors reg- „ navit per vnum, multò magis qui abundantiā gratiæ & iu- „ stitiæ accipiunt, in vita regnabunt per vnum Iesum Christū. „ Itaque sicut per vnius delictum in omnes homines ad con „ demnationem; ita & per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ. *Post quæ Apostoli verba, quasi aliquid confeceris insultando de nobis loqueris*: † Adhuc permaneant in vanitate mētis suæ, & dicāt vnū hominē nō propaginem „ traiecisse, sed exemplū præbuisse peccati. Quomodò ergò per „ vnius delictū in ōnes homines ad cōdēnationē, & nō potiùs „ per multa tua cuiusq; delicta, nisi quia etiā si illud vnū sit tā „

CAP. 103.

Rom. 5. 16.

L. 2. denupt. cap. 27.

* Beda. Rom. 5. 16.

* Beda Rom. 5.

CAP. 77. IVL. DIX. *Nec à lege ostensum est, vel ostendi potuit, quia nunquam legislator vsque ad hanc venerit amentiam, vt praeceperit cuiquam, Nolì ita vel ita nasci. Et quod admoneri non potest vt caveatur, imputari non potest, vt puniatur.*

Praecepti à primo Parente violati, rei sunt parvuli.

AVG. RESP. Non præcipitur homini, quomodò nascatur: sed præceptum est quo modo ille viveret, præceptum qui violavit; à quo parente peccatum originale deducitur. Præcipitur etiam vt infans circumcidatur, damnandus nisi circumcidatur: cui tamen non solùm non aliquid aliud, sed nec saltem circumcisio ipsa præcipitur. Ac per hoc, non quidem præcipitur homini, quo modo nascatur, mundus tamen non est à sorde peccati, nec infans cui *est vnius diei vita super terram.* Lege verba sancti Iob: & invenies te esse mendacem, loquente illo quem Deus dixit esse veracem. *Iob. 14. 4.*

CAP. 78. IVL. DIX. *Et quod vsque ad legem est, ostenditur non esse post legem: ostenditur postremo non esse post Christum.*

AVG. RESP. Ita. Reatus huius peccati ostenditur non esse post peccatorum abolitionem.

CAP. 79. IVL. DIX. *Ac per hoc secundam argumentationem quoque tuam, olim non est: testimonio Veritatis, nunquam fuit.*

AVG. RES. O si vos non essetis, qui contra testimonium veritatis, falsum testimonium vestrum & dicitis & insuper scribitis!

CAP. 80. *Vrgetur peccati definitio.* IVL. DIX. *Et, vt quod egimus inculcetur memoriæ lectoris: Definisti quondam peccatum, & optimè nihil esse aliud, quam* Voluntatem amittendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere.

AVG. RES. Iam responsum est, quod peccati sit ista definitio, non eius quod sit & pœna peccati.

CAP. 81. IVL. DIX. *Quæ definitio ad intelligendam quoque iustitiam Dei aperuit viam, vt censerem equitatem divini nequaquam stare iudicij, nisi illud imputasset, à quo liberum fuisset, ei qui propter hoc affligitur, abstinere.*

An gravioribus premerentur parvuli innocentes.

AVG. RES. Propter quid ergò affliguntur parvuli, si nullum habent omninò peccatum? An omnipotens & iustus Deus iniustas pœnas à tot innocentibus prohibere non potuit.

CAP. 82. IVL. DIX. *Magistrum verò gentium rationem privilegio authoritatis armatum, pronuntiasse, quia* per vnum hominem *in hunc mundum culpa transierit. Quo nomine separavit opera nuptiarum, quæ sine duorum negotio esse non possunt: commendavimusque, ob hoc ab Illo* vnum *fuisse nominatum, ne quis duos intelligere auderet.*

AV-

AVG. RES. Iam responsum est. Assiduè te delectat vana garrire.

IVL. DIX. *Et verè à multò ego consequentiùs*, vnum, *quem Apostolus dixit*, vnum *asserо; vt doceam, vitium imitationis non generationis fuisse vestigium. Seminibus rem amovet voluntas, quod veram naturа non recipit.* CAP. 83.

AVG. RES. Desine quod iàm refellimus intrare. Quid nos cogis, adhuc eadem atque eadem dicere contra tantam sapientiam tuam? quâ putas ideò non significari generationem, vbi dictum est, *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum*, quia per duos fit generatio, non per vnum: quasi peccatum illud, quod non vultis generatione, sed imitatione transisse, vnus admiserit. Cùm ergò & ipsum fuerit à duobus admissum, cur *per vnum hominem* dictum est *peccatum intravit in mundum*, nisi quia non à fœmina concipiente atque pariente, sed à viro seminante est generationis exordium? aut quia *tam non sunt duo*, quando per coitum vna fit caro? Rom. 5. 12 *A viro generationis exordium.*

IVL. DIX. *Posi ea quoque ad legem ventum est, adeamus vsque tempus perscripsit Apostolus non ostensum vixisse peccatum. Quod tu tempus vsque ad finem legis protelare conatus es, non intelligens ne quicquam te argumentatum, quam loquidem constringendus à nobis esses vt probares, hoc peccatum, de quo mentiris Paulum locutum, & quod asseris vsque ad amolitionem regnasse veteris testamenti, vel imputatum fuisse, vel imputari potuisse sub legè. Certè adquiesceres, non regnare post Christum, vt sensibus tuis saltem inflexa volenter Apostoli sententia consonaret. Horum autem nihil vrgi à te potest. Fidei ergò nostra in solido est puritas collocata, sicut & rationis institutа, & iustitiæ dignitas, & Apostoli per omnia, scitè conveniunt.* CAP. 84. *Mentiri dicit Augustinum.*

AVG. RESP. Nihil te dicere; & quod respondimus monstrat, & tu ipse. † Apostolus quod ait *vsque ad legem peccatum in mundo fuit*, non originale tantùm, sed omne peccatum intelligi voluit. Et ideò, *vsque ad legem fuit*, quia nec lex potuit auferre peccatum. *Vsque ad legem*, quippè dictum est in Evangelio, *Omnes ab Abraham vsque ad David generationes quatuordecim.* Non enim excepto David, sed ipso etiam computato, numerus iste completur. Sicut ergò, cùm audimus *quatuordecim generationes vsque ad David*, non excipimus *David*, sed ipsum etiam computamus; ita cùm audimus *vsque ad* † Bed. Rom. 5. 13. Rom. 5. 13. *Quomodo dicatur vsque ad legem fuisse peccatum.* Mat. 1. 17.

ad legem peccatum in mundo fuit, non excipere legem, sed etiam ipsam computare debemus. Quia sicut David non est extra numerum dictus; sic Lex non est extra permansionem peccati, quod fuisse est dictum vsque ad ipsam. Aeper hoc nemo *tollit peccatum*, quod nec *Lex*; quamvis *sancta & iusta & bona*, potuit auferre, nisi ille de quo dictum est, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* *Tollit* autem, & dimittendo quæ facta sunt, (vbi & originale comprehenditur) & adiuvando ne fiant: & perducendo ad vitam, vbi fieri omninò non possint. Ioan. 1. 29.

CAP. 85. IVL. DIX. *Sed videamus & reliqua. Postquam ergò* Hæc „forma non omni ex parte conformis est, *adiungis.* Vndè hîc „ Apostolus secutus adiunxit, sed non sicut delictum, ita „& donatio. Si enim ob vnius delictum multi mortui sunt, „multò magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis „Iesu Christi in plures abundavit. *Quam sententiam hoc modo „exponis:* Quid est multò magis abundavit, nisi quia omnes „qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam „moriuntur, propter ipsum autem Christum sine fine victuri sunt? *Pronuntiavit certè Apostolus, pro cuius nobis est opinione certamen, efficaciùs operari ad collationem salutis, & copiosiùs gratiam Salvatoris, quam peccatum Adæ: vt ostenderet multò vehementius profuisse Christum, & pluribus profuisse, cuius* gratia (*vt ipso eius verbo vtar*) Abundavit in plures, *quam prævaricationem primi hominis nocuisse, quam tu dicis seminibus inligasse peccatum.* Rom. 5. 15.

Contendit in plures abundasse gratiam quam peccatum.

AVG. RESP. *Multo magis abundavit*, dixit, non, in magis multos, id est, non in plures. Quis enim non videat plures esse in genere humano, in quos non abundavit, vt ex pluribus ostenderetur quid vniversæ massæ iusto iudicio deberetur, nisi *vbi velit Spiritus spiraret: & Deus quos dignaretur vocaret, & quem vellet religiosum faceret?* Ioan. 3. 8

Amb. l. 7 in Luc. c. 9.

CAP. 86. IVL. DIX. *Probatigitur hoc quod intellexit Apostolus vestris cohærere dogmatibus.*

AVG. RESP. Legantur verba eius sine perversitate legentium, qualis est in vobis: & nulla alia probatio requiretur.

CAP. 87. IVL. DIX. *Si enim Adam, vt dicitis, peccato naturali generavit omnes in condemnationem, tantumque de suis visceribus in sobolem virus effudit, vt in natura hominis cuncta Dei instituta turbaret:*

AVG. RES. Quandò parvulum spiritus vexat immundus, animamq; eius & corpus affligit, sensus sanitatemq; perver-

vertit, nonne vniuersa eius quam Deus instituit natura turbatur? nec inuenitis omninò tanti huius mali meritum, negantes originale peccatum. Cur enim non hîc attendis *in natura hominu* per diaboli virus *cuncta Dei instituta turbari?* Dic causam, parvuli dic reatum, & cur recens nato ista contingunt, qui non vis verba Apostolica sic accipere; quemadmodum accepit, ex quo est instituta, Catholica Ecclesia, & quemadmodùm suis tam perspicuis malis confitetur natura. Et tamen, si benè consideremus, Dei nullo modò instituta turbantur: quoniam præscius futurorum cuncta constituit, nec totum quod meretur apostatica creatura singulis reddit: *sed in* Sap. 11, 21. *mensura & numero & pondere disponens omnia*, neminem sinit mali aliquid perpeti, quod non meretur: quàmvis non tantùm, quantum massæ debetur vniversæ, singulus quisque patiatur.

Deus non reddit singulis totũ quod meretur apostatica creatura.

IVL. DIX. *Vt sine dono diaboli, ad quem dicis libidinem sexuum pertinere, nuptiæ quas Deus creauerat esse non possent: immò illis quas ordinauerat, institutionis suæ honore auolantibus, eas, quarum ordo permansit, cum motione genitalium, cum pudore coëuntium, cum calore & consternatione membrorum, cum iocunditate sensuum, cum inquinitate nascentium, diaboli non Dei opus esse cogeret atque conuinceret:* CAP. 88.

AVG. RESP. Si malum vitiorum, quod nisi in aliquo bono esse non potest, à naturarum bonitate discernas; nec excusabis diabolum, nec accusabis Deum: nec excusabis libidinis malum, nec accusabis nuptiarum bonum.

IVL. DIX. *Ipsam postremò arbitrij libertatem vnius peccati impulsione subrueret, vt nemo deinceps in potestate haberet vetera crimina virtutis electione respuere: sed vno omnes in condemnationem eversa humanitatis torrente raperentur?* CAP. 89.

AVG. RESP. Cur non potiùs miraris vniversi generis humani ab exordio nativitatis tantam miseriam vt nemo beatus nisi ex misero fiat, neque nisi post hanc vitam malis omnibus careat, cui per Dei gratiam præstatur vt careat? Et hoc mirando, te corrigis: & iustum Dei iudicium, quoniam *per vnum hominem peccatum intravit in mundum*, in generis humani non iniustâ afflictione cognoscis?

Miseria generis humani arguunt esse originale peccatum.

IVL. DIX. *Si hæc, inquam, cuncta in Dei imaginem primi hominis invexit iniquitas, manifestum est nimis esse imbecillam Christi gratiam in suis muneribus, quæ nihil quod his tot trabalibus malis* CAP. 90.

malis, mederetur, invenit. Aut, si invenit, affirma. Singula enim nunc singulis conferamus. Si Adam praeter voluntatis opera, ipsius naturae institutа subvertit, nihil debuit magis Christus, quàm ea quae ab illo fuerant elisa reparare, his videlicet vestigijs quibus ille subruerat.

AVG. RES. Hoc facit; sed non modò, quod tu vis. *Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis consiliarius eius fuit.* Isa. 40. 13. apud 70. Rom. 11. 34

CAP. 91 IVL. DIX. *id est, vt in nuptijs baptizatorum, neutiquam sentiretur libido; nec eodem modo quo etiam caeterarum gentium genitalia moverentur.*

AVG. RESP. Non ergò debuerant baptizatae cum gemitu parere: quoniam hoc, quod negare non potes, pœna est fœminæ peccatricis.

CAP. 92. IVL. DIX. *Recederet prostremò posi donum gratiæ coëuntium pudor, nec iret per membra quietis imitatio, nec paterentur sensu severa dulcedinis. Liberum postremò baptizatis redderetur arbitrium, vt per correctionem naturæ, expulsâ lege peccati, tam possibile confiteveris esse mortalibus nitere splendore virtutum, quam sordibus horrere vitiorum. Imò penitùs nec mortales, qui sacramentis imbuuntur, esse deberent.*

AVG. RESP. Et tamen, Iuliane, tales nuptias in paradiso constituere non te pudet, vbi coëuntium confiteris pudorem. Ergò ne aliquid pudendum erat, vbi nihil nisi laudandum, qui super cuncta laudandus est, conditor instituerat? Sed quis potest hoc sapere & dicere, nisi quem non pudet, id laudare quod pudet?

CAP. 93. IVL. DIX. *Si enim pugnat medicina cum vulnere, & mors peccato dicitur accidisse, ablationem mortis amotio peccati debet operari.*

AVG RESP. Adhuc quidē dicitis, *Adā sic fuisse factum, vt sive peccaret sive non peccaret, moriturus esset.* Sed ista dicentes iam vos magister vester in Episcopali iudicio Palæstino, nec sine seipso (quia non se correxit) Pelagius ipse damnavit. Deus autem non isto sæculo maligno beatificat suos, quibus hic peccata dimittit, & spiritûs gratiæ pignus impertit. Ideò eis, qui etiam malis sæculi huius vel delectabilibus, vel sævis, atque asperis partim non vtuntur, partim benè vtuntur, futurum promisit sæculum, in quo mala nulla patiantur: vbi tales essent nuptiæ, quales in illo paradiso, si nemo peccasset, esse potuissent; in quibus nihil pudendum esset. Sed nec tales erunt, quo-

L. de Gestis Pelagij cap. 11. & 33.

quoniam beatorum numero impleto, cui sunt nuptiæ necessariæ, generatio ipsa non erit.

IVL DIX. *Verùm nihil horum quæ diximus, baptizatorum cùm constat evenire corporibus (non potuisse autem aliter, id est, non debuisse, quamvis medicina monstraverit) constendum tibi est, aut illa quæ prius enumeravimus, non accidisse peccato: & ideò nec vulnera fuisse naturæ, vt constet ratio gratiæ per quam manifestum est, illa de suis ordinibus mota non esse: Aut certè negandum in mysterys Christi quicquam esse medicinæ, quæ de tot secundùm te morbis, ne vnum quidem sanare potuerint.* CAP. 94.

AVG. RESP. Imò verò hinc deberetis agnoscere, si mente sobriâ viveretis, quàm magnum illud peccatum fuerit, quod *per vnum hominem intravit in mundum*, & cùm morte *in omnes homines pertransiit*. Quandoquidem malis huius sæculi, cum quibus homines oriuntur, nec baptizati iam reatu ablato, omnibus eruuntur, nisi post hanc vitam: in quâ nos oportet etiam promissis bonis, exerceri adhuc malis. Nam si merces fidei continuò redderetur, iam nec fides ipsa esset: quæ mala præsentia videns, ideò piè tolerat, quia bona promissa non videns, fideliter & patienter expectat. *Magnum fuisse peccatum Adæ.* *Cur baptizati non statim malis omnibus eruantur.*

IVL. DIX. *Sic egi hactenus, quasi vim dolorum & vulnerum, in contrarijs licet effectibus, æqualem tamen Apostolus æstimasset. Crescit autem dubio procul, sublimitas sanæ fidei quam tuemur, cùm consideratur Paulus, non solùm remedijs gratiæ, ægritudinem non prætulisse culparum; verùm etiam copiosiora beneficia iudicasse dispendijs.* CAP. 95.

AVG RESP. Verum est. Temporalia quippè sunt dispendia regeneratorum: beneficia verò erunt sine dubio sempiterna. Sed dispendia, quæ nascentes flendo testantur, dicite, quo merito sub iustissimo & omnipotentissimo iudice eis, si nullum peccatum attrahunt, irrogentur. *Miseria parvulorum ex peccato.*

IVL' DIX. *Quid ergò etiam hæc disputatio collegerit prudens lector attendat. Apostolus dixit* in plures abundasse donationem Christi *ad salutem, quam Adæ culpa nocuisset.* CAP. 96.
Rom. 5.15.

AVG. RES. Non hoc dixit, sed, *multò magis abundavit gratia in multos*, hoc est, *magis abundavit*, non *in magis multos*, id est, non in plures, sicut iam responsum est. *An in plures abundet gratia quàm peccatum?*

IVL. DIX. *Quâ culpâ tu illas clades, quas supra enumeravimus,* CAP. 97.

diuis accidisse naturæ, ex quibus nec vnam, quo ad Christum perveniunt sacramento, constat sanari? Ac per hoc multò plus iniquitatem primi hominis ad nocendum asseris habuisse virtutis, quàm gratia Christi obtinet ad medendum. Quo collecto ostensum est, quantam inter Catholicos & Manichæos, tantam inter te & Apostolum Paulum esse discordiam.

AVG. RES. Tulit gratia Christi originalis peccati reatum: sed rem invisibilem invisibiliter tollit. Dimittit etiam cuncta peccata, quæ homines malè vivendo insuper addiderunt. *Iudicium* quippè *ex vno* delicto *in condemnationem*: quia & vnum illud quod à nascentibus trahitur, trahit ad æternam condemnationem, si non remittatur. Nec tamen hoc solùm gratia dimittit, (alioquin tantum valeret,) sed cum ipso dimittit & cætera. Ergò plus valet: propter quod dictum est, *Iudicium quidem ex vno in condemnationem: Gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Donat etiam gratia, vt contra concupiscentiam carnis spiritus concupiscat: & si quandò fidelis homo, in hoc certamine venialiter vincitur, debita dimittit oranti: & quandò damnabiliter vincitur, dat humiliorem pœnitentiam, cui tribuat indulgentiam. Donat postremò vitam æternam & animæ & corpori, vbi qualia & quanta bona sint cogitare quis possit? Quomodò ergò plus nocuit primi hominis iniquitas, quàm profuit secundi hominis, hoc est, Christi bonitas? cùm ille temporaliter nocuerit: Christus autem temporaliter adiuvet, & liberet ac beatificet in æternum. Quæ cùm ita sint, sententia nostra Catholica, non Manichæa est: & ideò nec Pelagiana est, quia Catholica.

ostendit quomodò magis abundet gratia

Peccata venialia & mortalia.

Rom. 5. 16.

CAP. 98.

IVL. DIX. *Frivolam sanè expositionem in hoc loco tuam optimo iure despicerem, & irrepercussam præterirem, quasi nimis humo cohærentem; nisi vererer ne pellacia magis, quàm constantia crederetur. Loqueris ergò hoc modo.* Quid est *multò magis abundavit*, nisi „quia omnes qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam moriuntur: propter ipsum autem Christum sine „fine victuri sunt? *Quo sermone si quid consequenter diceretur, attenderes, omnem arcem tuam, id est, traducem cecidisse fateretur. Dicis enim, Ideò multò magis abundasse Christi gratiam, quia per eam multò conferantur æterna, cùm per Adæ peccatum subeunda sit corruptio temporalis. Si ergò nihil aliud intulit Adam præter corporis mortem, contra quam Christus copiosiore beneficio vitam contulit sine*

Aug. l. 1. de nupt. c. 27.

fine

fine durantem; apparet, non peccatum Adæ ad posteros transisse, sed mortem.

AVG. RES. Apparet te propterea irrisisse quod dixi, vel potiùs te irridere finxisse, vt his qui non intelligunt, videreris dicere aliquid, cùm diceres nihil. Primùm, quia eis dixi Adã temporali morte nocuisse, quos Christi liberat gratia. Quos enim occulti quidem, sed iudicii iusti veritate non liberat, etiamsi parvuli moriuntur, æternâ morte plectentur. Quomodò ergò hinc *apparet, non peccatum Adæ ad posteros transisse, sed mortem*; nisi quia hoc vis putari, quod perstrepunt verba tua, non quod loquuntur verba mea? Nos enim dicimus vtrumque transisse, & à Christo vtrumque clamamus auferri; *Reatum* scilicet *peccati* plenissimâ remissione peccatorum: *Mortem* verò beatissimâ resurrectione sanctorum. Quæ propterea, nõ statim regeneratis datur, vt exerceatur fides, quâ id quod non videtur, speratur. Hoc enim & in seipsis, & in parvulis suis cùm sperant fideles, vtique sunt fideles. Ecce quod dicimus. Ecce cui Catholicæ veritati contradicitis. Sed magis contra vos, quàm contra illam, dicitis, quidquid hæreticis disputationibus dicitis.

Parvuli nõ baptizati decedentes æternâ morte plectũtur.

IVL. DIX. *Constabit autem consequentissimè, mortem perpetuam, id est, pœnam sempiternam ad nos non fuisse transmissam. Ac per hoc peccatũ traducis esse nõ posse. Vt enim breviter, quid tenẽdũ constat, appareat, Ab Apostolo dona Christi peccato primi hominis præferuntur. Tu per hoc peccatum tuum, id est, traducis, vnam dicis an duas transisse mortes? Si vnam & corporalem, vt hîc confessus es; constat gratiam Christi antecellere peccato primi hominis: sed tam nascitur nemo peccator. Quia, sicut supra dixisti,* Regnum peccati est, vt in secundam homo mortem, id est, in pœnam perpetuam præcipitetur. *Sed per Adam mortem corporis solam advectam dicis. Nec peccatum igitur per Adam ad posteros, nec mors æterna transmittitur.*

CAP. 99.

Cap. 69.

AVG. RES. Iam responsum est. Nihil dicis. Regnum enim peccati etiàm in æternam præcipitat mortem, nisi per Christi gratiam remittatur. Verum tamen ista quoque mors temporalis nulla esset, nisi Adam non moriendi possibilitatem, peccati merito perdidisset. Hanc enim peccatori denunciavit Deus dicens, *Terra es, & in terram ibis.* Hanc sine merito peccati susc ipere dignatus est Christus, vt per illam quidem moriendo *iret in terram*; sed resurgendo *terram* levaret in cœlum, ac sic æternâ morte destructâ, temporalem fidelibus ideò non

Mors temporalis ex peccato Adæ

Gen. 3. 19. apud 70.

auferret, vt adversus eam resurrectionis fides in huius vitæ agone certaret.

CAP. 100 IVL. DIX. *Sin autem dixeris peccatum Adæ naturalem factam esse iniquitatem, duasq; accidisse mortes, vnam æternam alteram temporalem: per Christi autem gratiam vnam interim auferri à persona, non à naturâ, id est, perpetuam: temporalem verò remanere; Apostolus convincitur falsitatis, qui dixit multò magis profuisse gratiam, quam nocuisse peccatum. Apostolus autem argui non potest. Tu igitur iure reprobaris.*

AVG. RES. Ego dixi, vnâ resurrectione beatorum ambas mortes tolli, & istam, nè sit anima sine corpore suo: & illam, ne aggravetur, vel affligatur anima etiam corpore suo. Sic autem ista fidelibus ad tempus relinquitur, vt habeat per illam fides adiumentum: quemadmodum posteà reis tollitur, vt quod de suo corpore non recedunt, miseriæ sit incrementum. Ac per hoc eis, qui regenerantur in Christo, & de isto sæculo maligno electi eius exeunt, manifestum est plus prodesse gratiam, quàm nocuisse peccatum, quod *per vnum hominem in mundum intravit*, & cum morte *per omnes homines pertransiit*. Apostolus itaque redargui non potest, quia verum dixit. Sed tu non intelligis, aut contra id quod intelligis, asserere quod falsum est, hæreticâ intentione conaris.

Plus prodest gratia quã nocuit peccatum.

CAP. 101. IVL. DIX. *Apostolus dixit magis gratiam Christi, quàm Adæ abundasse culpam. Non igitur natura ab eo, non generatio, non fœcunditas, sed voluntatis electio, morum pravitas accusatur.*

AVG. RESP. Si nihil nocuit generatio, nihil præstat regeneratio. Si non est natura vitiata, non habent Christum parvuli salvatorem. Si omne malum & bonum meritum singulorum in eorum propriâ est voluntate, quo merito Christus regnum Dei parvulis confert, cùm in neutram partem propriâ vsi sint voluntate? Postremò quoniam duos posuit Apostolus: vnum ad peccatum, non diabolum, sed *Adam*: & vnum ad iustitiam, non Abel, sed *Christum*, vt non exemplis imitatio, sed generationi regeneratio referretur; si non traiicit peccatum in homines generatos Adam, non donat Christus parvulis regeneratis iustitiam, quia nec † generati parvuli vsi sunt propriâ libertate. Ite nunc si vultis, & clamate si audetis, iustitiam parvulis non dari, nec eos habituros esse iustitiam, quandò habitabunt in illo regno, vbierunt sicut scriptum est, *cœli novi, & terra nova, in quibus iustitia inhabitat*. Aut ex ve-

An omne bonum & malum, meritum singulorum in eorum sit propriâ voluntate.

† F. *regenerati.*

vestro, quo inebriati estis meracissimo dogmate, delirate in illo regno iustitiam parvulos habituros quidem, sed propriæ voluntatis meritis, non divinæ gratiæ largitate. Quod si dicere non audetis, (hîc enim merita comparari: ibi autem præmia reddi fatemini) cur fateri dubitatis sive non vultis, sic eos ex Adam potuisse habere peccatum sine meritis propriæ voluntatis malæ, quemadmodum à Christo percepturi sunt iustitiam sine suis meritis præcedentibus voluntatis bonæ?

IVL. DIX. *Ac per hoc, si quem in rebus adhuc humanis locum veritas habet, & non obstrepitum iniquitatis totus omninò mundus obsurduit, ratione, disputatione, & Apostoli fide, atque ipsa eius sententia teste, perdoctum esse fatebitur, inter Traducianos & Catholicos tantum esse discrimen, quantum inter Paulum & Manichæum: quantum inter sapientiam & stultitiam: quantum inter rationem & insaniam: quantum inter constantiam doctorum & eam fluctuationem, quam novâ fœditate perpeteris, vt in ijsdem penè versibus quod dixeris neges, quod negaveris asseveres.* CAP. 102.

AVG. RESP. Iam responsum est. Rogo te, aliquid dicere non potes? Tace si potes. Sed quod peius est, nec hoc potes.

IVL. DIX. Et non, inquit, Sicut per vnum peccantem, ita est & donum. Nam iudicium ex vno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in iustificationem. *Quibus Apostoli verbis admoves expositionem tuam ita se habentem:* † Ex vno ergò, quo? *inquis,* nisi delicto? quia sequitur, Gratia autem ex multis delictis. Dicant isti quomodò ex vno delicto in „ condemnationem, nisi quia sufficit ad condemnationē etiam „ vnum originale peccatum, quod in omnes homines pertran- „ siit? Gratia verò ideò ex multis delictis in iustificationem, quia non solùm vnum illud solvit, quod originaliter trahitur; sed etiam cætera, quæ in vnoquoque homine motu propriæ „ voluntatis adduntur? † Si enim ob vnius delictū mors reg „ navit per vnum; multò magis qui abundantiā gratiæ & iu- „ stitiæ accipiunt, in vita regnabunt per vnum Iesum Christū. „ Itaque sicut per vnius delictum in omnes homines ad con „ demnationem; ita & per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ. *Post quæ Apostoli verba, quasi aliquid confeceris insultando de nobis loqueris:* † Adhuc permaneant in vanitate mētis suæ, & dicāt vnū hominē nō propaginem „ traiecisse, sed exemplū præbuisse peccati. Quomodò ergò per „ vnius delictū in ōnes homines ad cōdēnationē, & nō potiùs „ per multa tua cuiusq; delicta, nisi quia etiā si illud vnū sit tā „ CAP. 103. *Rom. 5. 16.* *L. 2. de nupt. cap. 27.* * *Beda. Rom. 5. 16.* * *Beda Rom. 5.*

„ tũm idoneum est perducere ad condemnationem, etiam nul-
„ lis additis cæteris : sicut perducit parvulos morientes, qui
„ ex Adam nascuntur, nisi in Christo renascantur ? † Quid
„ ergò à nobis quærit iste, quod non vult ab Apostolo au-
„ dire, per quid peccatum inveniatur in parvulo ? vtrùm per
„ voluntatem ? an per nuptias ? an per parentes ? Ecce audiat
„ per quid, audiat & taceat, per quid peccatum inveniatur in
„ parvulo. Apostolus *per vnius delictum*, inquit, *in omnes homi-*
„ *nes ad condemnationem.*

Nihil te quidem magis timere quàm interrogationem perscrutatri-cem animi tui & dogmatis novimus. Inde est quippè quod omnibus opi-bus negationem examinis à mundi potestatibus comparatis. Intelligi-tis enim sic agendum vobis, cùm deserimini rationis auxilio,

AVG. RESP. *Vis non timere potestatem ? bonum fac.* Non est autem bonum contra Apostolicum sensum exercere & asserere hæreticum sensum. Quid adhuc quæris examen, quod iam factum est apud Apostolicam sedẽ? quod denique iam factum est in Episcopali iudicio Palæstino? vbi Pelagius vestri auctor erroris procul dubio dãnatus esset, nisi ista quæ tu defendis, dogmata damnasset. Ergò hæresis ab Episcopis non adhuc examinanda, sed coërcenda est potestatibus Christianis. Rom. 13. 3.

CAP. 104 IVL. DIX. *Sed non tua opinio apud prudentes tantum valebit, vt cùm tu sis caput horum & causa malorum, de conflictu medio, Apo-stoli te obiectione subducas : & putes illum pro te esse ferendum, quo potissimùm contra vos præceptore armamur à principe. Vt ergò quid tibi dicendum sit consequenter agnoscas, si mihi & tibi super hoc esset vlla dissensio, quod Apostolus naturali peccato Manichæorum dogma firmaret; tunc tuum caput petenti, illum constanter opponeres. Nunc verò cùm inviolabilis apud me magistri Gentium dignitas perseveret, eiusq; verba tuâ laedi expositione non patiar, qui secundùm regulam prolatam rationis, stulto impuro & impio me asserto dogmati repugna-re, nihilq; eum pro peccato naturali dixisse convinco : quâ tu impuden-tiâ vel ingeris, vt pro te mihi ille respondeat, qui non interrogatur, quoniam nec de eius sapientia dubitatur : vel me vociferaris nolle audi-re ab Apostolo, quod in te ab Apostolo nobis traditâ intelligentia sani-tate detestor.*

AVG. RESP. Nunquid non post Apostoli verba à me interposita, nihil aliud quàm tacere debuisti? & tamen cõtra illa nihil dicens, nec secundùm illa aliquid dicens mihi, non taces. Et iactas inter cætera, quòd egò sim *caput horum & causa malo-*

rum,

rum, quasi ego prior vel crediderim, vel esse disputaverim originale peccatum. Tam quippè imperitos hæc tua credis esse lecturos, qui nesciant quàm multi ante nos Ecclesiæ clarique doctores, sic ista Apostoli verba intellexerint & exposuerint, quemadmodùm tota ex ipso initio sui Catholica intelligit vel credit Ecclesia. Quæ doctorum verba si mala sunt, sicut contra vos dicere non timetis, quomodò ego sum, quæso te, *caput horum & causa malorum*, nisi quia tu es caput harum, quas mihi rabiosus ingeris, calumniarum? Nam si sano cerebro considerares humanæ vitæ miserias à primis fletibus infantium, vsque ad extremos gemitus morientium; videres profectò, quod nec ego, nec tu; sed ille Adam fuerit caput horum & causa malorum. Quod nolens videre clausis oculis clamas, & iustum Dei esse iudicium, & non esse originale peccatum. Quæ duo inter se quàm sint contraria, proculdubio cerneres, non dico, si horum malorum caput non esses, (quia vtique non es,) sed si sanum caput haberes. Quod habere posses, si doctores sequendo Catholicos, caput Pelagium non haberes.

Miseria generis humani ex peccato Ada.

Iustum Dei iudicium.

IVL. DIX. *Exprimatur igitur vis argumentorum tuorum. Postquàm dixit Paulus, quia multò magis abundasset gratia Salvatoris ad medendum, quàm prævaricatio primi hominis ad nocendum, sequitur:* & non sicut per vnum peccatum, ita est & donum. Nam iudicium ex vno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in iustificationem: *quod tu* delictum vnum, ad condemnationem sufficiens, originale esse *contendis*, in omnes videlicet homines pertransiens; gratiam autem ideò ex multis delictis in iustificationem dici, quia non solùm illud vnum solvit, quod originaliter trahitur, sed etiam cætera quæ in vnoquoq; homine, motu propriæ volùtatis adduntur. *Ad quod confirmandum paulò post argumentaris, quia si hoc vnum delictum ad condemnationem sufficiens Apostolus dixisset imitatione: susceptum, addere debuisset, Omnes homines ad condemnationem non per vnum ire delictum, sed per multa suâ cuiusque voluntate commissa. In quibus locis, quoniam elaqueandus est Apostoli sermo à cassibus Manichæorum, vt sit attentus lector, admoneo. Ais ergò secundùm dogma nostrum, quo asseritur primam culpam formam præbuisse peccantibus, debuisse Apostolum, sicut gratiam ex multis delictis iustificationem dixit operari; ita in multis peccatis dicere regnasse mortem. Porrò hoc argumento cõtrà te omninò luctaris. Convinco enim secundùm dogma tuum, inconse-*

CAP. 105.

Rom. 6. 16.

Vide eadem infra num. 113.

quenter Apostolum pronunciare, gratia autem ex multis in iustificationem, *qui dixerat*, ex vno *peccato* iudicium in condemnationem. *Vt enim egredientes de nostris finibus, in vestra regione versemur. Si libertas arbitrij primi est eversa peccato, & in omni deinceps hominum genere manca adeò remansit, vt non sit ei possibile, nisi tantummodò malum facere, non hoc habeat in facultate electionem partis alterius, id est, recedere à malo & facere bonum: sed iniquitatis necessitate depressa apperentia criminum parêre compellatur: Si perruptâ omni lege iustitiæ, facta sunt naturalia quæ fuerant voluntaria: Si lex peccati habitat in membris, † quæ tyrannidem in imaginem & opus Dei, nuptiarum verecundiâ & iocunditate sortita est: Si frutex diaboli in visceribus parigitur ante animã, & cum incremẽtis naturalibus adolescit, frondescit, & pestifera fruge ingravescit: Si hæc, inquã, vt dicitis, vna primi hominis culpa progenuit, consequẽtiùs dicitur, ex vno delicto in condemnationẽ genus ire mortalium, quàm ex multis delictis gratiam liberare; vt magis propriè intelligatur dici posse, hæc gratia ex vno delicto liberare, quos liberat. Nulla enim alia motu propria voluntatis addantur, si omne malum, fractâ arbitrij libertate, exclusâ honestate, infectrix seminum culpa primi genitoris operatur.*

* F. atque

AVG. RES. Vndè fieri potest, vt homo qui conaris Apostolica verba pervertere, possis loqui nisi perversè? Nam vtique, cùm ad illud delictum quod generatio trahit, vsus voluntatis accesserit, quẽ non habent parvuli, in multas & varias cupiditates arbor multorum pullulat peccatorum. Quod antèquam fieret, etiam ipsum trahebat ad condemnationẽ, si ante voluntatis vsũ parvulus finiret hanc vitam. Neque enim quia maior damnatio debetur iam magno & multiplicato malo, ideò nulla parvo, & nondum multiplicato debebatur. Quomodò ergò regeneratio, quæ multiplicatum per vsum voluntatis malum tollit, non plura præstat, quàm nocuit generatio? quæ huius quamvis magni & multiplicis mali, nondùm tamẽ aucti & nondum multiplicati traxit initium: quod solùm sine vlla pullulatione remaneret, si nullus voluntatis vsus, quo augeretur & multiplicaretur, accederet. Voluntas autẽ antequã bonæ libertati ad operandam veram iustitiã, gratia Dei subveniente reddatur, multis aliis etiam causis, præter originis vitium movetur. Vndè fit vt ipsi impij, quibus vel nondum subvenit, vel nunquàm subventura est gratia, quæ iustificat impium, alij magis, alij minùs peccent. *Iudicium* ergò ex

Voluntas bonæ libertati redditur per gratiam

vno

Rom. 5. 16. *vno in condemnationem*, quia damnantur & hi, qui vnum illud generatione traxerunt: *Gratia autem ex multis delictis in iustificationem*, quia non solùm illud cum quo nascitur homo; sed quicquid aliud delictorum voluntatis vsus illi malo addidit, tollit. Hæc est Apostolicorum verborum Catholica veritas, quam multa hæreticâ loquacitate depravas, quantalibet nos prolixitate vanitatis, & loquacitate exerceas.

IVL. DIX. *Ac per hoc, Si est naturale peccatum tantorum auctor malorum, gratia Christi nequaquam multa delicta donando, iustificationem operetur: sed in vno peccato indulgendo negotium benignitatis exsequitur. Quod cum se spondet acturam, fidem facit promissis, si hæc, quæ dicuntur per peccati vulnus invecta, curaverit. Cæterum, si & post remedia quæ detulit, eadem tamen diabolicorum morborum series perseverat; voluntati eius gratificatio, præsumptioni veniæ debetur; quia ad curandum innatas pestes virtus ei defuit, non voluntas.* CAP. 115.

AVG. RESP. Iam responsum est. Intellige & tace. Aliter gratia certantem facit, atque adiuvat: aliter victorem sine hoste vllo, vel externo, vel interno, in æternâ pace conservat. Ista laboriosa militia est in præsenti sæculo. Illa beata requies in futuro. Sed si tu cum vitiis carnalibus in teipso bellum non geris, erubesce: si geris, obmutesce. *Alia gratia certanti, alia victori.*

IVL. DIX. *Quid igitur hac disputatione confectum est? Sensui videlicet tuo; & Apostolo non convenire. Apostolus enim ait, Multa delicta gratia liberalitate donari. Dogma vero tuum asserit, Vnum peccatum naturale, quod legem peccati vocas, in cunctis hominibus desideria iniquitatis fingere. In absoluto itaque est, A Te* Naturam, *quæ est opus Dei: Ab Illo argui* Voluntatem. *Non autem aliter prorsus eloqui debuit, quam elocutus est, id est, Ex vno condemnationem fieri posse peccato. Quia, Et primus ille homo per vnum peccatum deliquendi præbuit exemplum: Et sicut illi ipsi ad condemnationem vna prævaricatio abundavit, sic etiam cæteris ad reatū vna potest culpa* Eccl. 9. 18. *sufficere. Propter quod Ecclesiastes*, Qui in vno peccaverit; multa Iacob. 2. 19 bona perdit: *& Iacobus*, Si totam legem observas, offendas autem in vno, factus es omnium reus. CAP. 106

AVG. RES. Ergò peccatum Adæ ipsum solum læsit, non & genus humanum. Non enim in tantum eris absurdus, vt dicas, peccato eius læsos esse, vel lædi homines nescientes, vel non credentes vtrùm fuerit, & quid egerit. Quia etsi nescientes homines aliquid imitantur; eo tamen peccato

lædi & fieri peccatores, quod ante annorum millia factum
De Gestis Pelagij cap. 11. & 33. esse nesciunt, nimis insipienter dicis: nisi hoc peccatum ad omnes generatione transisse fatearis. dicentes autem quod *Ada peccatum ipsum solùm læserit, & non genus humanum*, nisi dãnaret Pelagius; damnaretur ab eis iudicibus, qui Manichæi vtique non sunt.

CAP. 108. IVL. DIX. *Gratia verò Domini nostri Iesu Christi non est ita data, vt per singula peccata, quasi per singula vulnera, singula quoque indulgentiæ remedia provideret; diversisq; baptismatibus peccatis variis veniam præberet: sed pro efficacissima potestate medicinæ, quæ criminibus, id est, malæ voluntatis operibus, admovetur, ita communiter subvenit; vt diversas species reatuum vnius vi consecrationis absterget.*

AVG. RESP. Quomodocumque dicas datam gratiam Domini Iesu Christi, separas ab eâ parvulos, quos eâ salvos fieri negas. Vt scilicet vobis ipsa vocabula pro vestro arbitrio dividentibus, Christus ad parvulos pertinere videatur, propter regnum Dei, quò non nisi baptizatos posse pervenire concedis: Iesus autem sit ab eis prorsus alienus; quoniam non in illis operatur, vndè hoc vocatur. Scriptum est enim, *vocabis nomen eius Iesum* Continuoque causam subiiciens, quare *Iesum? Ipse enim salvum faciet*, inquit, *populum suum à peccatis eorum*. Quod in parvulis fieri negantes, & à nomine Iesu illos, & ab eius populo separatis. Et audetis indignari, quod vos potiùs ab eodem populo separamini. Quantum autem attinet ad delicta voluntaria, *Sicut ex multis iudicium mittit in condemnationem, sic ex multis delictis gratia in iustificationem.* Quare ergò dictum est, *iudicium ex vno in condemnationem*: *Gratia autem ex multis delictis in iustificationem*, nisi quia hoc loco non est opposita voluntati voluntas, aut imitationi imitatio; sed generationi regeneratio? Sicut enim generatio *iudicium* habet *ex vno in condemnationem*; ita regeneratio *gratiam ex multis delictis in iustificationem*. Clarum est quod voluit intelligi Apostolus. Vos si surdas aures aperiatis, contentiosa ora claudetis.

Mat. 1. 21.

Rom 5. 16.

Generationi opponit Apostolus regenerationẽ.

CAP. 109. IVL. DIX. *Prudenter ergò cùm de Adam loqueretur, nominavit vnum peccatum, quod voluit intelligi formam prævaricationis fuisse. Ideò, inquam, vnum & non multa memoravit, quia sciebat vnum tantum Ada peccatum intra legis hystoriam contineri. Gratiam verò ex multis delictis in iustificationem imbutos à se laudavit emittere, ne beneficij pauperis suspicio nasceretur; & si dixisset gratia ex vno in iu-*

stifica-

stificationem non tam omnia videretur abolere, quàm singula. Quod ergò præmisit vnum peccatum, fidem servavit hystoriæ: quod subdidit, ex multis gratia in iustificationem, munificentiam mysterij commendavit & copiam.

AVG. RESP. Quid hîc opus erat, vt de Adam loqueretur, cùm Christi gratiam commendaret, nisi quia per illum generatio, per istum regeneratio?

IVL. DIX. *Quæ expositio, vt rationi concinit, ita vos destruit.* CAP. 110. *Hoc enim ipso confiteri tibi necesse est, in omnibus superioribus verbis Apostolum de peccato Manichæa traducis non locutum, quandò in commendationem gratiæ multa absolvi peccata monstravit.*

AVG. RESP. Manichæos tu adiuvas, quibus inducendi aliam naturam malam das locum, negando originale malum esse causam miseriæ parvulorum: quam miseriam in paradiso vtique non haberent, si perseverante ibi naturæ ac beatitudinis humanæ rectitudine nascerentur. *Pelagiani Manichæos adiuvant.*

IVL. DIX. *De istorum enim peccatorum genere, quæ multa esse, & dimitti omnia per gratiam commendavit, ostendit se etiam illud vnum superius dixisse peccatum. Tu autem hæc multa, ea consentis esse quæ committuntur ab vnoquoque homine;* motu propriæ voluntatis. *Et illud ergò vnum de eodem genere est.* CAP. 111.

AVG. RES. Simul cum illo vno, dico esse multa, non præter illud. Potest autem & hoc rectè dici de eodem genere esse, si ad originem referatur; quia & ipsum ex primi hominis voluntate manavit, quandò *illius peccatum intravit in mundum, & per omnes homines pertransiit.*

IVL. DIX. *Vt intelligatur* ab vnoquoque motu propriæ voluntatis *attractum. Et iam non fœcunditas seminum, sed studiorum pravitas arguetur. Cæterùm, si illud vnum originale voluisset intelligi, non vtique in sequentibus peccata multa dixisset, quæ per gratiam dimissa testatur.* CAP. 111.

AVG. RESP. Quare non dixisset, nisi quia hoc volunt Pelagiani? Sed non vult veritas, quâ Pelagiana redarguitur novitas, & vincitur vanitas. Multa enim delicta, *ex quibus gratia* mittit *in iustificationem*, simul cum illo vno multa sunt, *ex* quo *vno iudicium*, etiamsi alia non addantur, mittit *in condemnationem.* Si ergò Adam vnum delictum potuit generatis inferre, Christus autem regeneratis multa dimittere; quoniam plus iste profuit, quàm ille nocuisse monstratur.

CAP. 113. IVL. DIX. *Et quàmvis quæ acta sunt, ad defensionem veritatis exuberent; tamen ad ea quæ inferimus, vt sit lector intentus admoneo. Apparebit enim irrefutabiliter nihil in his locis Apostolum Paulum de natura, sed de conversatione mortalium disputasse. Vim nempè gratiæ Christi, & peccati primi è regione constituens, comparansq; effectum vtriusque, laboravit ostendere magis Christi profuisse mysterium, quã primi hominis nocuisse peccatum. Id autem dicimus in sensu traducis non posse constare. Vt ergò multa, quæ enumeravit, ita hoc peculiariter ad laudem voluit gratiæ pertinere, quod ait,* iudicium ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem vitæ. *Quod hoc modo naturalis malitiæ asserтor exposuit,* ideò, *inquit,* ex vno in condemnationem, quia sufficiens „ est illud vnum peccatum, quod originaliter trahitur ad con- „ demnationem ducere, sicut ducit parvulos, qui ex Adam „ nascuntur, si in Christo non renascuntur, etiamsi alia peccata „ nulla sunt. Gratia autem ex multis delictis in iustificatio- „ nem, quia non solùm illud dimittit, quod originaliter tra- „ hitur; sed etiam cætera quæ ab vnoquoque motu propriæ „ voluntatis adduntur. *Ecce professus es, licet impietate Manichæa, esse quidem naturale peccatum: veruntamen* vnum, *ob quod ais nascentes debere damnari.*

Aug. l. 2. de nupt. c. 27.

AVG. RESP. Qui dixit *Omnes homines sub peccato nascimur,* Manichæus non erat. Sed vos reprehendere, quod iuris, qui tot imagines Dei, sine vllius peccati merito, separatis à regno Dei: & facitis duas æternas felicitates, vnam quæ sit in regno Dei, alteram quæ sit extra regnum Dei. Dicite, obsecro, in eâ felicitate quæ extra Dei regnum erit, vllus-ne regnabit, an nullus? Si nullus; liberior erit proculdubio sine vllo rege illa felicitas, si verò vllus in eâ regnabit; Quis erit Rex imaginũ Dei, qui nõ erit Deus? Porrò si Deus erit vos introducitis alterum Deum, & me dicitis Manichæum. Quod si Deus ipse ibi regnabit, cuius illæ imagines sunt, etiam ipsæ imagines eius in Dei sui regno felices erunt. Et vbi erit Evangelica vox, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, nõ potest introire in regnum Dei?* Ac tandem aliquandò extra regnum Dei infelices futuros fatemini parvulos non renatos. Dicite ergo huius infelicitatis meritum, verbosi & contentioli, qui negatis originale peccatum.

Amb. l. 2. de paenit. c. 2.

Pelagiani duas felicitates aeternas faciebant.

Ioan. 3. 5.

CAP. 114. IVL. DIX. *Proba ergò hoc in eis, quod gratia Christi Apostolus Paulus asseruit, impleri, videlicet vt ex multis delictis iustificationem operetur, id est, vt iustitiam peccatorum plurium vnâ semel remissione*

contribuat. Aut ergò doce, parvulos multis obnoxios esse criminibus, vt eis quoque illud persuadeas conuenire, in quo laudem munificentiæ Christi Apostolus collocavit, vt ex multis eos constet liberatos esse peccatis : Aut confitere, Paulum nihil in his locis de parvulis, nihil de hominum disputasse natura, quandò ea dimitti gratia liberalitate testatus est, quæ, & te quoque annuente, nequeunt in nascentibus inveniri.

AVG. RES. Quid est quod loqueris ? quid est quod tibi obstrepit loquacissima vanitas, ne intret in aures tuas manifestissima veritas ? Vtique Iesus qui ex multis delictis *salvũ facit populum suum*, nec prætermittit etiam originalia singula parvulorum, quia in eisdem multis & ipsa sunt.

IVL. DIX Gratia autem ex multis delictis in iustificationem. *Tu parvulos non plusquàm vni obnoxios dicis esse peccato. Vides ergo in eorum persona laudem gratiæ claudicare, quia non inveni multa peccata, quorum remissione laudetur. Quod dixit itaque Apostolus Paulus*, Gratia autem ex multis delictis in iustificationem, *falsissimum esse in parvulorum statu prodetur. Quid hinc tu igitur conaberis excipere ? Proculdubio dicturus es (hunc enim sensum tuum superior sermo patefecit) hoc quod ait Apostolus*, gratia autem ex multis delictis in iustificationem, *apud homines perfectæ ætatis impleri, quia multis delictis per motum propriæ voluntatis convincantur obnoxy. In parvulis autem non ex multis, sed ex vno delicto fieri iustificationem.* Rom. 5.16. CAP. 115.

AVG. RESP. Non erat magnum, vt intelligeres, ab hac iustificatione, quam salvator ex multorum delictorum dimissione suis confert, vos potiùs subtrahere parvulos, quibus nullum peccatum remitti posse contenditis : non autem nos; qui cùm dicimus, *Per vnum peccantem* missos omnes *in condemnationem*, nullam excipimus ætatem : quia hoc *delictum* etiam maioris ætatis homines habent. Itemque, cùm dicimus, *ex multis delictis* iustificare gratiam, nullam nihilominùs excipimus ætatem, quoniam qui multa peccata dimittit (quo *multorum* nomine vtique *omnia* intelliguntur) profectò vllâ non prætermittit, hoc est, nec pessimorum plura, nec aliquorum pauciora, nec singula parvulorum. Hoc ergò vt videretis, non erat magnum ; nisi invideretis parvulis medicum Christum : eumque illis IESVM prorsus esse nolletis, horrendâ impietate, mirâ cœcitate, blasphemâ loquacitate. Quid est autem insaniùs, quàm velle gratiã Christi ad eos tantũmodò pertinere, quorũ sũt multa peccata ? Hac quippè ratione, vel potiùs mẽtis excœca-

excœcatione, nõ solùm huic gratiæ subducitis parvulos, quos nullum ex origine reatum trahere existimatis, sed omnes omninò, qui multa peccata non habent: quoniam putatis sic intelligendum, quod ait Apostolus, *Gratia autem ex multis delictis in iustificationem*, vt ad istam gratiam nemo pertineat, nisi cui dimittit multa peccata. Ac per hoc, quoniam nullum peccatum, sicut opinamini, parvulus habet; profectò cùm creverit, & peccare iam cœperit, non dico si pauca, sed si adhuc vnum fortè commiserit, & ad Christi baptismum venerit, nullo modo ad istam gratiam pertinebit: quia non *ex multis delictis in iustificationem* mittitur, sed ex vno. Puto, quòd non vsque adeò cordis in vobis prævalet surditas, vt vos hæc tanta erubescere non compellat absurditas. Porrò si pertinet ad istam gratiam, etiam cui vnum peccatum dimiserit; sic dixit Apostolus, *Gratia ex multis delictis in iustificationem*, vt totius populi peccata voluerit, qui per illam iustificatur, intelligi: aliis illis habentibus plura, aliis pauciora, aliis etiam singula, quæ vtique multa sunt omnia.

CAP. 116. IVL. DIX. *Verùm tali expositione, quam quidem nec pervertere, nec suffugere valebis, non solùm præstigias tuas, sed etiam illius, quam in nos inflammabas, figmentum invidiæ perdidisti. Graviter quippè nos in fidem commisisse iactabas, qui dicimus, gratiam quidem Christi vniformiter esse tradendam, nec debere verba eius & instituta concuti: sed æqualiter cunctis à se imbutis adoptionis & sanctificationis promotionisq; dona conferre; verùm non omnes accedentes in vnis reatibus invenire: sed eos quidem qui propriâ voluntate peccaverint, (sine cuius opera nullum potest esse peccatum,) liberare de reatu, & de malis facere bonos: innocentes autem in fucata primævitate felices, pro nullo opere malæ voluntatis arguere, (cuius apud eos, novit experientiam non fuisse.)*

AVG RES. O dementiã singularẽ! Hoc disputare est, an insanire? cum miseria se natos esse parvuli flendo testantur, quos non vis Christum habere Iesum: & fœlices eos dicis, quos tamẽ eius non admittis in regnum. Quod regnum si Christianâ charitate diligeres, ab illo separari magnam esse miseriam iudicares.

A regno Dei separari magna miseria.

CAP. 117. IVL. DIX. *Sed de bono facere meliores, atque ad vnum quidẽ collem omnes, quos suscepit sanctificationis evehere; sed non omnes eosdem bonos in eadem vitiorum palude deprehendere: verùm alios invenire in sta-*

Parvulos creari bonos

tu

alios invenire in statu innocentium, alios in studijs noxiorum. Hoc ergò quia dicimus, quod fidei sanitate, præsidio rationis, atque intelligentiæ pietate munitur: per quod & Christi gratia iure laudatur: nec Deo applicatur vllus reatus: Tu dicis auctoritatem mutare sacramenti, atque acumine, pistillo omni obtusiore, auferri auctoritatem gratiæ; nisi ei calumniandi flagitium asscribatur: nisi iustitia institutæ perverterit: nisi his qui scientiam non habent, aliena conscientia crimen impegerit: postremò nihil eam efficere, si non in omnibus vniformiter prædicetur operari.

AVGRES. Quid est quod acumen, non meum, sed omnium Catholicorum disputatorum, cum quibus inconcussum teneo, quod frustra labefactare conamini, *pistillo* comparandum putasti? quòd quàm vos fragiles conterat, sentire cœpistis. E tamen qui velut defensione iustitiâ Dei niteris, vt evertas quod de parvulorum non regeneratorum damnatione totâ Christi sentit Ecclesia, numquid dicturus es *Graue iugum* super parvulos vndè sit iustum, si non trahunt originale peccatum? Nec advertis, vos potiùs pervertere instituta iustitiæ, & hoc omnipotentis Dei: à quo, vel sub quo istam pœnam sine vllo merito innumerabilibus omnium hominum millibus, hoc est, imagini Dei, *à die exitûs de ventre matris* eorum dicitis irrogari. Postremò nunquàm dicturus es, vndè sit iustum, vt parvuli nullâ suâ, nullâ plerumque etiam suorum culpâ sine baptismate mortui, à parentibus & propinquis fidelibus separentur, & ad Dei regnum non admittantur, nec inter *vasa facta in honorem*, sicut alii parvuli baptizati: sed inter *vasa in contumeliam* (quia nullum est tertium genus vasorum) sine vllis malis meritis deputentur. Displicet hæreticæ prudentiæ vestræ quod Catholica fides credit, posteàquàm ierunt omnes *ex vno in condemnationem*, in aliis fieri *misericordiam* gratiæ, in aliis veritatem iudicij; iuxta *Domini vias*, quæ *vniuersa* sunt *misericordia & veritas*.

Vndè sit iustum graue iugum super parvulos.

Eccl. 40. 1.

nullum tertium genus vasorum.

Psal. 24. 10

IVL. DIX. *Id ergò totum, per quod stultitiam sorbentes decipiebas animas, tuâ expositione euanuisse manifestum est.* CAP. 118.

AVG. RES. Euanuisti sed tu, qui videre vel confiteri non vis, remissionẽ peccatorum etiam ad illos pertinere, qui vnum habent; ad quam medicinalem gratiam non pertinent parvuli, si nullum habent: quod impiè negatis; quia eis Salvatorem negatis.

CAP. 119. IVL. DIX. *Nam cùm Apostolus pronuntiat* gratia autem ex multis delictis in iustificationem, *& hoc tu dicis in parvulis quidem non posse constare, in illis autem, qui iam perfectæ ætatis sunt solis id complerí, qui ad vnam illi id, alia quoque motu propriæ voluntatis addiderunt. Confiteris sine dubio, diversam esse operationem gratiæ pro diversitate venientium. In his quippè, qui motu propriæ voluntatis vtuntur, suppetit materia gloriandi, quia ex multis criminibus in iustificationem, quos adoptavit, educit. In parvulis autem se undum te, tenuius, angustius, exilius, nec virtute magnâ, nec medicina idoneâ, nec honestate salvâ, nec pudore securo, vnum illud peccatum se promittit auferre, quod nec debuit imputare. Ex hoc vno, quos liberat, in iustificationem conatur mittere.*

AVG RESP. Iam responsum est: multùm dicis non inveniendo quid dicas. Cùm dicitis nullum peccatum parvulis imputandum, iniustum facitis Deum, qui eis *grave iugum à die exitus de ventre matris* imposuit. Quod, etsi scriptura non diceret, quis tam cæcus est mente, qui non videat miseriam generis humani à fletibus incipere parvulorum? Iniustam facitis etiam Dei legem, quæ octavo die non circumcisi animam dãnat infantis. Vanum quoque iudicatis esse præceptum, vbi sacrificium pro peccato, infante nato, iubetur offerri. Si autem reatus iste originis è scriptura sancta proditur, & ipse se prodit; etiam hoc peccatum inter illa est multa peccata, ex quibus iustificat gratiâ, qui parvulos quoq; ex hâc miseriâ beatificat. Sed hoc non in isto sæculo, quod vniversum Deus hominibus voluit esse pœnale, & quò primos homines foras de paradisi felicitate dimisit; sed in futuro æterno: vnde nunc Christus membris suis, sancti Spiritûs pignus impertit.

Grave iugũ super parvulos. vndè sit iustum?

Eccl. 40 1.

Gen. 17. 14.

Levit. 12. 6. & 7.

2. Cor. 5. 5.

CAP. 120. IVL. DIX. *Confessus es ergò aliter operari gratiam in maioribus, nec quicquam putas responsioni tuæ relictum loci, si inferas, magnam quidem; sed in remissione peccatorum esse distantiam vt etsi vnum peccatum, tamen inveniat quod remittat. Verùm nihil hâc argumentatione promoves. Neque enim refert in qua specie varios vnius gratiæ fatearis effectus, dummodò varios posse esse fatearis.*

AVG. RES. Aliud est varios effectus gratiæ dicere, quia & scriptura sancta *multiformem* dicit *gratiam Dei*: & aliud est gratiam remissionis peccatorum parvulis denegare, eosq;

1. Pet. 4. 10.

re, eosque in Ecclesia veritatis, si non eruuntur de potestate tenebrarum, mendaciter exorcizari exsufflarique contendere, cum magna iniuria Creatoris, si non indigent auxilio Salvatoris, vt de potestate deceptoris eruantur. *Exorcismi & exsufflationes parvulorum.*

IVL. DIX. *Ego enim hoc contentus sum, quod mihi es tu dare compulsus, quia quod prædicavit Apostolus in liberalitate gratiæ, non potest cum his æqualiter ætatibus convenire. Tu siquid attuleris quo in prima nascentium ætate remissionem confirmes exequi; illud tamen non amovisti, quia non completur in parvulis, vnde Apostolus gratiam Christi pronunciavit esse laudabilem. Nam cùm medicinam mysterij peccato primi hominis (quem formam fuisse docebat sequentibus)* Rom. 5. 16. *anteferret, ait,* iudicium ex vno *delicto* in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem. *Illud ergò, per quod prætulit gratiam quæ ex multis videlicet delictis iustificationem operatur, nec secundum te constat in parvulis. Atque ad hoc, quàvis reluctareris, attractus es, vt non æqualiter in diversis ætatibus gratiam fatereris versari.* CAP. 121.

AVG RES. Iam responsum est. Vana loqueris. Gloriosa est gratia Dei, etiam cùm dimittit singula quorumcumque peccata: quia & ipsa singula ad eandem multitudinem Mat. 1. 21. pertinent peccatorum, ex qua iustificat homines, *qui salvum facit populum suum à peccatis eorum.* Ad quem populum dignissimè non pertinetis, quia parvulos ad eum pertinere non vultis.

IVL. DIX. *Quod cùm receptum est à te, apparuit nullam fuisse necessitatem naturæ humanæ calumniam concitandi, hoc solum, ne baptismatis gratia varios habere pro ætatibus diceretur effectus. Quo persuasionis colore sublato, si quid nervorum habes, si quid ingenij, si quid virtutis, annitere probare naturale peccatum, quod vides ratione, auctoritate, æquitate destructum. Quo enim es deceptus intuitu, vt commixtionem corporum sexuumque quam Deus instituit, & consiliatricem ipsius commixtionis voluptatem (quæ tàm in hominibus quàm in pecoribus vigens, auctorem suum eum, quem corporum induat conditorem) diaboli opus & fruticem vocares?* CAP. 122.

AVG. RESP. Erubesce. Tu es ille laudator libidinis. Erubesce, inquam. Libido ista, quæ tibi multùm placet, contra quã necesse est vt pugnet, qui non vult ei sollicitãti cõsentiẽdo perpetrare peccatũ, nõ erat in paradiso ante peccatũ. Aut ergò nulla ibi erat: aut voluntatẽ mentis nec præcedebat, *Libidinis laudatorem Iulianum increpat.*

nec excedebat. Non est talis modò. Hoc in seipso sentit omnis homo. Et Tu homo es. Cohibe renitendi studium, & agnosce
+ F. Vitiũ. † initium, vndè trahitur originale peccatũ. Hoc in hominibus propagatis invenerunt nuptiæ, non fecerunt. Hâc necessitate
Cur libido in pecoribus non sit mala vtuntur, castè, & benè vtuntur, idcircò nullâ ratione culpantur. Hoc in pecoribus ideò non est malum, quia non in eis *caro concupiscit adversus spiritum:* quod malum in hominibus sanandum est bonitate divinâ, non humanâ vanitate laudandũ.

CAP. 123. IVL. DIX. *Quæ, malum ratio fuit, vt primò innocentiam crimine sauciare, sed alieno, de hinc rem studiorum, miscere seminibus conarere?*

Semina vitiata. AVG. RES. Eadem per eadem dicis, sed procul dubio sunt vana quæ dicis. Naturâ bona sunt semina. Sed vitiãtur & semina: eisq; vitiatis propagantur & vitia. Saltem species te
Non nascerentur monstrosi homines in paradiso si nemo peccasset. corporum doceat, quorũ cùm sit opifex summè bonus, & nullo vitio depravatus, vitiosa tamen multa nascuntur: & vtique, si nemo peccasset, nulla in paradiso talia nascerentur.

IVL. DIX. *Vt baptismo veritatem propriæ operationis auferres:*
CAP. 124 *vt Deo, qui totus æquitas est, qui sine iustitia Deus esse non potest, perspicuæ iniquitatis crimen ascriberes:*

AVG. RESP. Vos hoc potiùs facitis, quoniam si parvuli sine vllius peccati merito premuntur *gravi iugo* iniquus
Iustitia Dei in gravi iugo parvulorum. est Deus. Sed quia ille non est iniquus, calumniosus, & cæcus es.

CAP. 125. IVL. DIX. *Tam, inquam, perspicuæ, vt ipse hanc iniustitiæ speciem, quam eius mentiris adhærere iudicijs, legis suæ auctoritate damnaverit.*

AVG. RESP. In eius lege scriptum est, animam parvuli, si Gal. 17. 14.
die octavo non circumcidatur, interituram de populo suo. Quo merito? Dic si potes. Sed omninò non potes: & tamen originale peccatum negando, non taces.

CAP. 126 IVL. DIX. *Quæ ergò tot blasphemiarum necessitas fuit, si nec ista quam amplexabaris fuit? Quæ quidem nihil habens momenti, tamen velut quædam tabula videbatur, quam in tanto naufragio contineres, quam victis remisisti, serò licet, lacertis. Vt enim res repetione clarescat, ideò Manichæus credebaris ab ineptis quibusque tolerandus, ne gratia Christi non in omnibus vna efficientia videretur. Ac hoc Tu nunc sine adductu nostro, expositionis tuæ processibus intulisti, dicens Apostoli sententiam, quæ ait,* Gratia autem ex multis delictis in iustificationem *in hominibus quidem maioris ætatis posse, in parvulis*

vulis verò non posse compleri : sed esse in parvulis aliud brevius, exilius, egentius, quod licet tu excogites, tamen nequaquam dixisse Apostolum confiteris.

AVG. RESP. Relegatur quod tibi responsum est, vt intelligatur te nihil dicere, tamen tacere non posse. Homo lin-
Rom. 5. 16. Matt. 1. 21. guose, *gratia ex multis delictis* mittit *in iustificationem*, cùm *salvum facit populum suum à peccatis eorum.* In eisdem multis invenit etiam singula parvulorum : quemadmodum, etiamsi peccata originalia nulla essent, in eisdem multis inveniret peccata incipientium etiam singula grandiorum, quibus ad Christi baptisma venientibus nullo modo diceretur, Nō potestis modò baptizari, quia nondùm habetis multa delicta, *gratia* enim *ex multis delictis* mittit *in iustificationem.* Verissimè quippè responderent, in multitudine delictorum, ex quibus iustificat gratia, etiam nostra delicta sunt singula : vbi habent aliqui plura, aliqui pauciora, quæ simul cum singulis nostris multa sunt omnia.

IVL. DIX. *Igitur & secundùm te, in adoptionem quidem per omnes ætates gratia est æqualis effectus, in remissione verò peccatorum, non in omnibus est vna taxatio. Sed & hactenus parcè nimis atque patienter.* CAP. 127

AVG. RESP. Si tam multa loqueris parcè loquens, vt vnum meum librum, nec ipsum totum, tuis octo libris insecteris; nimiùm profusa & luxuriosa est parsimonia tua. Sed si hactenùs parcè egisti, quare in tam multis contra veritatem clamans, animæ tuæ non pepercisti?

IVL. DIX. *Præmissâ scilicet disputatione probare contentus, te quoque, qui nobis seditionem per hoc maximam concitabas, dicere remissionem peccatorum non in cunctis vnâ constare ratione : vt etiamsi vnum hoc naturale peccatum persuadere possis, tamen liqueret necessariò dici, non semper accedentium ad gratiam vnum statum esse : & hoc Apostoli dictum* ex multis delictis in iustificationem, *in adulta solum, non autem etiam in prima ætate compleri.* CAP. 128

AVG. RESP. Secundùm tua vaniloquia, nec in adultâ ætate completur : quoniam multi adulti habent singula, etiāsi secundùm vos non habent originalia, quibus contingit venire ad baptismum, quandò peccare cœperunt. Aliqui habent etiam pauciſſima, non tamen multa. Non ergò pertinebunt ad hanc gratiam Christi; quoniam ex multis delictis illa iustificat, quæ non habent isti. Quod quisquis sapit, ineffabiliter

desipit. Agnosce Christum ex multis delictis iustificantem, salvumq; facientem populum suum, & in eisdem multis intelliges posse quorumlibet, & pauca, & singula computari, Noli ab hoc populo sortem subtrahere parvulorum. Etiam ipsis crede necessarium esse Iesum, qui hoc non vocatur, nisi Mat. 1. 21. quia *salvum faciet populum suum*, in quo vtique sunt & parvuli, *a peccatis eorum.*

CAP. 129. IVL. DIX. *Nunc verò asſero consequenter, Nihil Apostolum de Manichæa tradice suspicatum. Ostendit quippè ad gravem iniuriam pertinere mysteriorum, si comparentur per cuncta peccatis: id est, si non efficacius processet gratia, quam culpa forma nocuisset. Maximam ergò Christianæ fidei dignitatem in eo magister gentium collocavit, quod eam adfirmavit antestare delictis. Ob hoc illi cura fuit, vt morbis veteribus medicinæ præferret effectum.*

AVG. RESP. Hanc medicinam negatis parvulis, quos falsa & inimica defensione falsos esse contenditis. Sed Deus eorum, qui *ex ore infantium atque lactentium* medicinæ *suæ perficit laudem*, profectò & vos destruit, qui eis adhibetis inimicam defensionem, cùm *destruit inimicum & defensorem* Psal 8. 3.

CAP. 130. IVL. DIX. *Inde gratiam ostendit esse laudabilem, si ei per omnia conveniret, quod dixit*, iudicium ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem. *Qua tu ergò licentia gratiam Christi ea laudatione fraudabis, qua illam Apostolus voluit prædicari? Tu deicias titulum dignitatis, per quem solum honorem eius vas electionis voluit agnosci.* Rom. 5. 19.

AVG. RESP. Hæc ad parvulos non pervenit, si nullo delicto secundùm vos obligati sunt. Sed quia obligati sunt, profectò *gratia ex multis delictis* multitudinem fidelium suorum iustificans, etiam ad vnum delictum sanandum pervenit eorum, vt *ex ore infantium destruat ac lactentium inimicum & defensorem.* Psal 8. 3.

CAP. 131. IVL. DIX. *Illedixit*, gratia ex multis delictis in iustificationem. *Ille efficientia peccati, medicinæ copiam prætulit; qui sensus Catholicorum dogmati congruit, intelligentium in his remissionem peccatorum fieri, in quibus possunt multa deprehendi, id est*, motu propriæ voluntatis attracta. *In quibus autem non sit hic motus propriæ voluntatis, id est in parvulis, non minùs nulla esse, quàm multæ.*

AVG RES. Nulla ergò ad eos Salvatoris pertinet medicina: & Christus non est eis Iesus. Et tu qui hoc dicis, audes vocari Christianus? Deindè, si vt definis, In his fit remissio peccatorum, in quibus possunt multa deprehendi, (quoniam

sic accipis, quod ait Apostolus, *gratia ex multis delictis in iustificationem*) non pertinent ad remissionem peccatorum, qui secundùm vos non habentes originale peccatum, ad *lauacrum regenerationis* cum singulis veniunt pauciſve peccatis. Videtis quæ dicitis, & non erubescitis? non tacetis? Sicut autem homines peccare incipientes, & nondùm habentes multa delicta, percipiunt tamen gratiam ex multis iustificantem delictis; cur in eisdem multis etiam singula quorumlibet computare non vultis, non ob aliud, nisi vt ab ea parvulos impiè separetis: vobisque pernicies pessimæ iniquitatis incumbat, vt ab illa etiam grandiores primùm peccare incipientes nondumq; habentes multa, sed vel singula, vel pauca peccata, alienos esse dicatis.

IVL. DIX. *Apostolus ergò vbi prætulit gratiam peccato, nostrorum dogma commouit.* CAP. 132

AVG. RESP. Imò vestrorum dogma subvertit, quia ista gratia, quam peccato prætulit, ex multis delictis iustificat: ideò pertinet ad pusillos cum magnis. Nec vllum præterit pusillorum, qui remittit omnia omnium suorum, id est, pusillorum atque magnorum.

IVL. DIX. *Nunc tu ede, vbi æquauerit peccato gratiam? vt quoniam fides tua non capit remedia præclara vulneribus, saltem capiat in angustum, non excedentia comparationem redacta. Quod si scriptum vspiam reperis, Paulum tamen ab hac constabit abhorrere sententia. Et vt compendio totus Apostoli sensus eluceat, ait, gratia ex multis delictis, in iustificationem. Multa autem delicta nec secundùm te parvuli habent, qui secundùm Apostolum nullum habent.* CAP. 133. Rom. 5. 16.

AVG. RES. Multa delicta nec secundùm te habent qui primùm peccare cœperint, & tamen eos negare non potes ad hanc ex multis delictis iustificantem gratiam, cùm ad baptisma veniunt, pertinere. Multa ergò delicta sunt totius populi, in quo sunt & parvuli: ad quem populum civitatis Dei cùm pervenit gratia ex multis delictis iustificans, invenit in eo & multa delicta aliquorum, & pauca aliorum, & singula parvulorum, quæ simul vtique, multa sunt omnia: & multitudine suâ redargunt multa & inania verba tua. Si autem secundùm Apostolum, sicut putas, nullum delictum habent parvuli, vnde ergò secundùm Apostolum *mortui sunt*, quia & secundùm te, etiam pro ipsis *mortuus est Christus. Vnus enim pro omnibus mortuus est.* Iuliane, non hoc Augustinus, sed Apo- *Multa delicta Rom. 5. v. 6. sunt delicta totius populi.* 2. Cor. 5. 14. & 15.

Apostolus dixit. Imò ipse per suum Apostolum Christus. Cohibe te vaniloquio. Cede Deo.

CAP. 134. IVL. DIX. *Constat hîc igitur Magistrum gentium non de nascentibus disputasse : sed de his qui iam motu propriæ voluntatis vtuntur.*

AVG. RES. Digere crapulam contentionis, & expergiscere, & intellige *delictum*, & *vnus*, & *vnum*, de quo dictum est; *Si enim ob vnius delictum multi mortui sunt. Multi* quippè isti, ipsi sunt *omnes* : de quibus alio loco dicit, *Sicut in Adam omnes moriuntur*; & ibi videbis & parvulos, quia & pro ipsis, etiam te confitente, *mortuus est Christus*. Continuò quod necessariò sequeretur ostendit dicens, *Ergò omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est.* Rom. 5. 15. 1. Cor. 15. 22. 2. Cor. 5. 14. & 15.

CAP. 135. IVL. DIX. *Iam verò quod addidit Apostolus*, Sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita & per vnius iustitiam in omnes homines ad iustificationem, *tantum opis impertit nobis, quantum in dogma tuum movet fragoris. Ponens quippè in contrarijs partibus* omnes (*quibus verbis non potest vlla esse coniunctio*) *ad scripturarum nos morem remittit : vt intelligamus* omnes *dici solere pro* multis. *Nam & in ipsa fronte verborum, magna barbaries est. Qui enim omnes ad iustificationem veniunt, si pertexerunt omnes ad condemnationem ? Aut qui omnes ad pœnam, si omnes rapiuntur ad gloriam ? Generalitas vnius partis locum excludit alterius.* Rom. 5. 18.

Contendit omnes dici pro multis

AVG. RESP. Ergò & vbi dictum, *in quo omnes peccaverunt*; *multi* sunt intelligendi, non *omnes*. Quod si ità est, cogeris dicere, nõ omnes peccatores vnius illius hominis imitatione peccasse, sed multos. Quod si dixeris, ideò non omnes, sed multos eius imitatione peccasse; quia multi, non omnes peccaverunt, volens eos qui non peccaverunt intelligi parvulos, respondebitur tibi, ergò mortui non sunt in illo parvuli; ac per hoc, non pro illis *Christus mortuus est* : quia non nisi pro mortuis ille mortuus est, sicut Apostolus clamat. Atq; ita, cõtra te ipsũ venies, & à gratia Christi penitus parvulos separabis, pro quibus Christũ mortuum non esse dicturus es. Consequenter etiam baptizandos negabis in Christo. *Quicumque enim baptizati sumus in Christo*; sicut ait idem Apostolus, *in morte ipsius baptizati sumus*. Illi autem *baptizantur in morte Christi*, pro quibus *mortuus est Christus*. Nullo modo igitur ab originali peccato alienabis parvulos, nisi eos simul à gratia baptismatis Christi feceris alienos. Rom. 5. 12. 2. Cor. 5. 14. Rom. 6. 3.

Christus nonnisi pro mortuis mortuus.

Qui in morte Christi baptizetur?

† In

† In eo verò, quod tibi videtur, duo ista inter se esse contraria, vt omnes eant in condemnationem per Adam, & omnes rursùs in iustificationem per Christum, omninò erras. Nullus enim hominum nisi per Adam trahitur ad damnationem, de quâ per *lavacrum regenerationis* homines liberantur: Et nullus hominum nisi per Christum ab hac damnatione liberatur. Ideoq; ex vtraque parte dicti sunt *omnes*, quia nemo ad damnationem generationis, nisi per istum: nemo ad vitam regenerationis, nisi per illum. Ac per hoc, non *generalitas vnius partis locum excludit alterius*, quia ex his ipsis qui generaliter moriuntur in Adam, quos vult vivificat Christus. * Non ergò tibi videbuntur inter se ista contraria, si non sis tibi ipse contrarius.

† In eo verò, quod tibi videtur, duo ista inter se esse contraria, vt omnes eant in condemnationem per Adam, & omnes rursùs in iustificationem per Christum, omninò erras. Nullus enim hominum nisi per Adam trahitur ad damnationem, de quâ per *lavacrum regenerationis* homines liberantur: Et nullus hominum nisi per Christum ab hac damnatione liberatur. Ideoq; ex vtraque parte dicti sunt *omnes*, quia nemo ad damnationem generationis, nisi per istum: nemo ad vitam regenerationis, nisi per illum. Ac per hoc, non *generalitas vnius partis locum excludit alterius*, quia ex his ipsis qui generaliter moriuntur in Adam, quos vult vivificat Christus. * Non ergò tibi videbuntur inter se ista contraria, si non sis tibi ipse contrarius.

* Beda Rom. 5.

Quomodo ex vtraque parte dicti sunt omnes.

IVL. DIX. *Verùm vt hinc quoque quantum muniamur advertas; à loco medicantis locum intellige vulnerati. Si Christus salvavit vniversos; Adam quoque vniversis nocuisse fingatur.* CAP. 136

Quomodo Christus omnes liberet?

AVG. RESP. Numquid ideò, non mittuntur *omnes* in condemnationem per Adam, quoniam quos vult ab hac damnatione liberat Christus? * qui propterea *omnes* liberare dictus est etiam ipse, quoniam non liberat quisquam, nisi ipse: sicut dictum est, *illuminat omnem hominem*, quia nemo quemquam illuminat, si non ipse. *

* Beda Rom. 5.

Ioan. 1. 9.

IVL. DIX. *Si Christus mutavit officia genitalium; Adam ea pervertisse credatur: si Christus aliquid correxit in sensibus carnis; æstimetur eos Adæ culpa turbasse: si Christus fecit medicinam ire per propaginem; dicatur Adam per generationem transmisisse delictum.* CAP. 137.

AVG. RESP. Iam ad ista responsum est. Sed audi breviter, etiam nunc. Si Christianus Catholicus esses, appareret tibi, & Adam delicta generando transmittens, & Christus regenerando dimittens. Carnaliter autem generat Adam, spiritaliter regenerat Christus. Noli ergò quærere in vtroq; propaginem carnis, † quia propaginem non pertinere ad regenerationem spiritalem, si non contendis, adtendis. Contra infirmitatem verò carnis, nunc Christi gratia certamen instituit: posteà eius perficit sanitatem, cuius sanitatis futuræ atq; perpetuæ nunc *pignus spiritum sanctum dedit, per quem diffunditur in cordibus nostris charitas*, vt nos ad agonem interim relicta carnis non vincat infirmitas.

* F quam

2. Cor. 5. 5.
Rom. 5. 3.

IVL. DIX. *Sin autem his omnibus in eo, quem suscipiunt à natura, ordine permanentibus, adhortationibus, signis, exemplis, promis-* CAP. 138

missione vel munerum vel pœnarum, ad fidem voluntas sine indictione necessitatis allicitur: & hæc per instituta, per mysteria, per dona, non oppressa, sed expectata, sed libera, sed provocata curatur; apparet, etsi vno spiritu totus mundus vel rugiens vel rabens refragetur, voluntatem vniuscuiusque, non nativitatem, tinctam imitatione fuisse peccati.

AVG. RES. Quacumque te vertas, ab originali peccato non alienabis parvulos, nisi eos negaveris mortuos. Quod si feceris, mortuum pro eis Christum simul negabis. Si autem hoc non neges, & mortuos parvulos confiteris; profectò in Adam mortuos non negabis. Aut si non ibi, dic vbi?

CAP. 139. IVL. DIX. *Quamvis nimis molliter egerim. Etsi enim Christus ex eo quo venit tempore, vniversim omnibus doceretur & iter interclusisse mortis, & vitam donasse perpetuam, vt nemo prorsus ex eo die, quo Verbum caro factum est, aut in peccatum laberetur, aut pro peccato pœnam timeret; non tamen ea conditio, prima iniquitatis, qua liberalitatis doceretur extrema: quoniam subvenire non merentibus potest & solet Deus cum laude clementiæ; punire autem non peccantes non potest sine eversione iustitiæ.*

Vrget Deũ non posse punire non peccantes sine eversione iustitiæ.

AVG. RESP. Quia ergò *gravi iugo à die exitûs de ventre matris* puniti sunt parvuli, agnosce iudicem iustum, & confitere originale peccatum. *Punire* enim nullius peccati meritum habentes, sicut etiam ipse confiteris, *non potest sine eversione iustitiæ.* *Eccl. 40. 1.*

CAP. 140 IVL. DIX. *Attende igitur quid disputatio tota confecerit. Si gratia Christi & Adæ culpa in diversis effectibus æqualiter censerentur, vt vel numero operationum pares essent, qua operationum genere dissidebant; docendum erat, tantis profuisse gratiam, quantis culpa nocuisset: vt appensionis illius, qua trutinabantur, æquitas & momenta constarent. Subvenire ergò debuit etiam illis omninò locis, illisque partibus medicina, quibus insederat ægritudo, id est, si aliquid in motibus genitalium, in sensibus coeuntium, in obscœnitate membrorum, in insœlicitate nascentium, antiquum crimen effecerat; immutationem horum, qua diximus remedia contulissent. Alioquin grande est testimonium imbecillæ artis nihilq; profuturæ, nec locum ægritudinis invenisse: & languentibus, eversisq; naturalibus, inertia fomenta voluntatibus amovisse.*

AVG. RESP. Iam responsum est, cùm de distantia præ- *Cap.* 94. sentis, & futuri sæculi locuti sumus. Hîc enim accipimus per

per *pignus spiritûs*, & certandi & vincendi vires: vbi autem sine hoste vllo externo & interno, ineffabili ac sempiternâ pace perfruemur. Quisquis ergò omnia quæ ibi habenda sunt, hic vult habere, fidem indicat se non habere.

Grâtia non confert in hac vita omnimodam curationem: & cur?

IVL. DIX. *Ostendit autem inter hæc veritas, quia etsi ipsis prodesset effusa generaliter medicina omnibus æquè mortalibus, illis quoque, qui eam nullo studio, nec illa intentione meruissent, non tamen continuò noceret culpa nascentibus, qui nihil ad eam assensionis ammovere potuissent. Ac per hoc, etsi æqualis esset gratiæ peccatique taxatio, clarebat tamen, ne tum quidem eiusmodi appensionem eò vsque confiare, vt quisquam nasci probaretur reus.* CAP. 141

AVG. RESP. In illo *gravi iugo*, quo etiam parvuli premuntur, quomodò est iustus Deus, si nullus nascitur reus?

Vrget grave iugum.

IVL. DIX. *Nunc autem, cùm Apostolus non solùm non posposuerit culpæ gratiam, verum etiam præposuerit, dicens, multò in plures abundasse beneficia, quàm irrepsisse dispendia: per opinionem autem traducis, multò magis constet nocuisse peccata, quàm profuisse gratiam, irrefutabiliter approbatum est, Apostolum Paulum nihil sensisse de traduce: sed eius ex sententia, Traducianos cum Manichæis magistris suis pariter fuisse destructos.* CAP. 142

AVG. RESP. Non dixit Apostolus Paulus *multò in plures abundasse beneficia, quàm irrepsisse dispendia.* Non hoc dixit; prorsus falleris, si ipse non fallis. Multò magis abundasse gratiam dixit in multos: non, in magis multos, sed, magis abundasse. In comparatione namque pereuntium pauci sunt qui salvantur: sine comparatione autem pereuntium, & ipsi multi. Sed quare sint illi plures, quàm illi, consilium Dei velle nosse multorum est: nosse autem vel pauciſſimorum hominum, vel omninò nullorum. Posset enim omnipotens non creare, quos omnium rerum præscius malos futuros ignorare non posset, nisi vti etiam malis pluribus optimè optimus posset. Vnde nos aliquid Apostolus docuit, id est, *vt iræ suam potentiamque monstraret in eis, quæ attulit in multa patientia vasa iræ: & vt notas faceret divitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ.* Sed nolunt credere Pelagiani, quod in vno homine tota est massa vitiata & tota damnata. A quo vitio & damnatione, sola sanat & liberat gratia. Quare enim *iustus vix salvus erit?* Nunquid liberare iustũ labor est Deo? Absit. Sed vt ostendatur, quod meritò fuerit dãnata natura, nec vult facilè de tanto malo, nec ipse ómipotẽs liberare. Propter quod & peccata pro-

Gratis quomodò magis abũdet?

Rom. 9. 22. & 23.

Deus non vult facilè de tanto malo liberare.

1. Pet. 4. 18.

clivia sunt, & laborioſa iuſtitia, niſi amantibus. Sed *charitas*, quæ hos amantes facit, *ex Deo est*. 1. Ioa. 4. 7.

CAP. 143. IVL. DIX. *Verùm, quia hic fuit longior, pergamus ad reliqua.*

AVG. RES. Ita hoc dicis, quaſi alibi brevior ſis futurus, cùm loquaciſſimè inquiras, quemadmodùm Apoſtoli manifeſtiſſimis verbis nebulas ingeras vanitatis.

CAP. 144. IVL. DIX. *Omnes* autem dixit ad condemnationem per „Adam, & *omnes* ad iuſtificationem vitæ per *Ieſum Chriſtum*; „cùm vtique non omnes eos, qui moriuntur in Adam, trans- „ferat Chriſtus ad vitam. Sed *omnes* dixit atque *omnes*, quia „ſicut ſine Adam nullus ad mortem, ita ſine Chriſto nul- „lus ad vitam. Sicut dicimus de litterarum magiſtro, ſi in „ciuitate ſolus eſt, Omnes iſte hic literas docet, non quia „omnes diſcunt, ſed quia nemo niſi ab ipſo. Quos autem „*omnes* dixerat, *multos* poſteà dixit, eoſdem tamen *omnes*, „*multoſque* ſignificans. *Sicut enim*, inquit, *per vnius inobedien-* „*tiam peccatores conſtituti ſunt multi; ita per vnius obedientiam* „*iuſti conſtituentur multi*, Adhuc quærat, per quid peccatum in- „veniatur in parvulo? Reſpondent ei paginæ ſanctæ, *per vnum* „*hominem peccatum in mundum intravit. Sanctas quidem Apoſtoli* *eſſe paginas confitemur, non ob aliud, niſi quia rationi, pietati, fidei congruentes, erudiunt nos & Deum credere inviolabilis æquitatis: & opera eius bona, honeſtaq; defendere: & præceptis eius moderationem prudentiæ, iuſtitiamq; vindicare:*

Verba Aug. l. de nup. cap. 27.

Omnes iſte hic literas docet.

Rom. 5. 19.

Ibid. 12.

Vrget grave iugum.

AVG. RES. Ipſa te convincit in parvulis æquitas Dei, quàm magna eſt iniquitas Si *iugo gravi* premuntur & parvuli ſine vllo merito vinculoq; peccati.

CAP. 145. IVL. DIX. *Ac per hoc negare, quemquam pro alterius peccato poſſe damnari: negare vllum peccatum ad poſteros natura conditione tranſire: atque credere atque aſſerere, hominem de inſtituta à Deo fœcunditate genitum, liberi arbitrij iuſtis legibus convenire; vt vitet omne quod malum eſt, exerceat omne quod bonum eſt, nec ſecundùm vos, æſtimet amorem & neceſſitatem criminum ſubſtantiæ ſuæ cauſis, id eſt, ipſis adhæſiſſe ſeminibus: nec recipiat tam ſtultam, tam inſanam, tam impiam ſententiam, in contumeliam videlicet naturæ, rationis, Dei, Apoſtoli volumine contineri, quia dixerat per vnum hominem peccatum in hunc mundum intraſſe & in omnes homines tranſiſſe mortem: cùm hoc diù caligare non ſiverit, addens eos, quos* omnes *dixerat, debere* multos *intelligi, qui imitatione non generatione peccaſſent.*

Avg.

AVG. RESP. Potes dicere, non *omnes gentes* semini A-
Gen. 22. 18 brahæ fuisse promissas, vbi dictum est, *in semine tuo benedicentur*
Gen. 17. 5. *omnes gentes*: quia eas dixit & *multas*, vbi legitur, *Patrem multarum gentium posui te.* Potes, inquam, hoc dicere, & in eo quoque loco scripturæ pronuncianti, quod rebus ipsis videmus impleri, tuo vaniloquio contradicere: & prohibere nos intelligere, *omnes gentes*, vbi promissæ sunt quid aliud, quàm omnes gentes? quia per tuam dialecticam, *omnes* non pro omnibus, sed pro *multis* quæ omnes non sunt, positas atque intelligendas dices. Si autem possunt quidem, vbi dicuntur *multi* non omnes intelligi; sed tamen vbi dicuntur *omnes*, verèque sunt *omnes* rectè dicuntur & *multi*: ne ipsi *omnes*, pauci intelligantur, (sicut illi sancti quos ignis ardens vrere est vetitus, omnes inter innoxias flammas laudabant Deum & tamen ipsi om-
Dan. 3. 31. nes, pauci erant, quandò tres erant:) quid habet virium argumentatio tua? quia propterea *omnes* non vis *omnes* intelligi, quoniam iidem ipsi dicti sunt *multi*: quandoquidem qui verè sunt *omnes*, ideò nonnunquam dicuntur & *multi*, vt discernatur ab eis quicumque ita sunt *omnes*, vt sint tamen pauci. Capilli quippè hominis omnes, etiam multi sunt: digiti verò etiam omnes, pauci sunt.

Rom. 5. 19. IVL. DIX. *Totum denique quod egerat, enodavit, dicens,* Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi: *vt sicut nemo præmia virtutis meretur, nisi qui ad eà, post incarnationem tamen Christi, sanctitatis eius imitatione contenderit; ita in Adam prævaricator nemo teneatur, nisi qui in transgressione legis, quasi primi hominis imitatione deliquerit:* CAP. 146

AVG. RES. Hoc est occultum & horrendum virus hæresis vestræ, vt velitis gratiam Christi in exemplo eius esse, non in dono eius; dicentes, quia per eius imitationem fiunt iusti, non per summ ministrationem Spiritus sancti vt eum imitentur adducti, qui suum spiritum super eos ditissimè effudit, & quasi vigilanter additis, *post incarnationem tamen eius*; propter antiquos videlicet, quos sine gratiâ eius fuisse dicitis iustos, eò quod non habuerint eius exemplum. Quid si ergò & post incarnationem Christi, nondùm audito Evangelio proposuerunt sibi aliquid homines, superiorum exempla iustorum, iustèque vixerint, quid agitis? vbi vos videtis? Itane verò isti *virtutis præmia* non *merentur*? Si ergò ex iustorum imitatione, *Gratiam Christi in quo constituerent Pelagiani?*

iustitia Christus gratis mortuus est: quia fuerunt iusti & ante ip sum, quos imitari possent, qui iusti esse voluissent. Quid est etiã, quod Apostolus non ait, imitatores estote Christi, sicut & ego, sed ait, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi?* Ergò se illis vult esse pro Christo? Videtisne quæ mala vos consequantur, quandò Adam & Christum Apostolo proponente, vos imitationem imitationi, non regenerationem generationi vultis opponere. Gal. 2. 21. 1 Cor. 11. 1

CAP. 147. IVL. DIX. *Pervenire autem ad innocentes gratiam Christi, ad quos Adæ culpa non pervenit. Propter quod, vigilantior mulcavit*, multò magis gratia Dei, & donum vnius hominis Iesu Christi, in plures abundavit, *vt illa superior coæquatio, eius ætatis, qua ratione vtitur; in contrarijs studijs indicet imitationem: Hæc autem in gratiæ largitate prælatio, consecratos, & provectos approbat innocentes. Quæ cùm ita sint, tibi, non mihi Apostolum obviare sentis. Contra eum arma ferre cognoscito, qui dogma tuum præceptorisque tui Fausti, à quo es velut prima manu tinctus, hoc vno, si cætera deessent, vehementer everteret, quia dicit per vnius inobedientiam multos non omnes peccatores constitutos fuisse: per vnius obedientiam iustos non omnes constitutos fuisse, sed multos. Vt enim diligenter quàm tibi sermo hic repugnet, lectoris intelligentiæ suggeratur, Apostolus pronuntiat, non omnes per Adam peccatores constitutos fuisse: Tu dicis, omnes omninò per Adam peccato naturali ad ius diaboli pertinere. Ambigi non potest, inter te & Apostolum magnam esse pugnam.* Rom. 5. 15.

Parvulos innocentes asserit.

AVG. RES. *Omnes* dicit, eosdemque *multos*: non *multos* dicendo, negat *omnes*, ne sibi sit ipse contrarius, sicut vestra aut fallit improbitas, aut fallitur cæcitas. Quia enim vtrumque dixit Apostolus, & *omnes* & *multos*, ostendi ego non inter se duo ista pugnare, quia ipsi *omnes*, ideò etiam *multi* sunt dicti, quia omnes aliquandò dicuntur & pauci. Tu autem dicendo *non omnes*, quos *omnes* dixit Apostolus, proculdubio conviceris Apostolo esse contrarius.

CAP. 148. IVL. DIX. *Nam cùm Tu & Manichæus dicitis, omnes sunt naturaliter peccatores; Apostolus autem dicit, multi sunt, non omnes peccatores, removet accusationem à seminibus, quæ armatur in mores, & destruit originale peccatum. Vtque hoc ipsum quod egimus, vrgeamus, præscribit Apostolus, multos debere intelligi per Adæ inobedientiam peccatores: multos autem per Christi obedientiam iustos: eos vtique, qui iusti sunt, ostendens ab illis, qui criminosi sunt, esse discretos. Tu qua impudentia argumentari niteris, vt ex his sermonibus*

probes

probes naturale peccatum? Nam cùm dicis Omnes naſcri minoſos per Adam, & propter hoc ad diabolum pertinere: ſed aliquos inde per Chriſtum poſſe liberari, non hoc ſentis quod Apoſtolus, qui dicit, non omnes per Adam peccatores conſtitutos eſſe, ſed multos.

AVG. RES. Quoniã non eſt contrariũ, ſicut iam oſtendimus, vt iidem ſint multi, qui ſunt omnes ideò, quos *multos*, eoſdem *omnes* Apoſtolus dicit. Non omnes autem Tu dicis: ac per hoc, Apoſtolo contradicis † Verum eſt autem quod Apoſtolus dicit, falſum ergo quod tu dicis. Et quod ſuperiùs dixiſti, *Vigilanter inculcaſſe* Apoſtolum, *multò magis gratia Dei & donum vnius hominis Ieſu Chriſti, in plures abundavit*, volens intelligi, ideò *plures* dictos, quia pervenit gratia eius ad parvulos, ad quos imitatio primi hominis non pertinet, aut mendoſus codex tibi mentitus eſt: aut ipſe mentiris: aut ab aliquo falſo ſive fallente, aut oblivione deceptus es. Non enim ait Apoſtolus, *plures*, ſed *multos*. Græcum attende codicem, & invenies πολλοὺς non πλείστους. Dixit ergò, *multò magis abundaſſe gratiam* in *multos*, non in *magis multos*, hoc eſt, non *in plures*, ſicut iam oſtendimus. Quoniam ſi *plures* dixiſſet propter parvulos, quos tenet gratia, cùm primi hominis non teneat imitatio, falſum dixiſſet, & eſſet ſimilis vobis. Si enim omnes imitatores Chriſti, poſt eius incarnationem, regeneratis parvulis additis, conferantur cum peccatoribus (quos omnes vultis propter arbitrium libertatis ad imitationem primi hominis pertinere) ab ipſo Adam vſque in finem ſæculi voluntate peccantibus, qui eorum multò plures ſint evidenter apparet, vt & veſtra falſitate vincamini. *

† *Beda Rom. 5.*

Cap. 147.

IVL. DIX. *Si enim quale Tu, tale aliquid ille ſenſiſſet; debuit vtique dicere*, per vnius inobedientiam, peccatores conſtituti ſunt omnes; ſed per obedientiam Chriſti ex his aliqui ad iuſtitiam reverterunt. *Ita enim prorſus eſt loquendum fuerat, ſi hoc, quod tu fingis, voluiſſet intelligi. Veruntamen cum hac ſententia illud aliud nequiviſſet aſſerere, multò magis profuiſſe Chriſti gratiam, quã Adæ læſiſſet iniquitas. Etſi ergò penitus neſciremus, qui mos eſſet, quo per inobedientiam vnius hominis, multi peccatores conſtituti dicerentur; tamen maneret in ſolido, non hoc pertinere ad originale peccatum, quod Apoſtolus inculcaverat* multis, *non* omnibus *convenire.*

Cap. 149.

AVG.

AVG. RESP. De *multis & omnibus* iam responsum est. Nec sic locutum fuisse Apostolum, quemadmodùm dicis eũ loqui debuisse, si hoc diceret, quod nos dicimus, quid mirum est? quandoquidem etiamsi secundùm vos, Apostolus per vnius delictum ita multos peccatores constitutos esse dixisset, vt iidem multi non possent omnes intelligi, sed hi tantùm qui ex imitatione primi hominis propriâ voluntate peccarunt, non dixit per obedientiam christi ex his aliquos iustificatos, quod tamen verùm est. Quid est ergò quod dicis, *Si tale aliquid quale nos, sensisset Apostolus; eum dicere debuisse, per vnius inobedientiam, peccatores constituti sunt omnes: sed per obedientiam Christi ex his aliqui ad iustitiam reverterunt?* Quasi vos negetis ex prævaricatoribus legis, (quales tantummodò peccatores ad *similitudinem prævaricationis Adæ* pertinere contenditis) aliquos per obedientiam christi, ad iustitiam fuisse conversos. Possumus ergò & nos vobis dicere, Si tale aliquid, quale vos, sensisset Apostolus, debuit vtique dicere, *per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt, multi quidem non omnes; sed etiam ex his quidam per obedientiam Christi ad iustitiam reverterunt.* Aut etiam multò apertiùs ita loqueretur, si aliquid tale sensisset, vt diceret, *Multi quidem Iudæorum per inobedientiam vnius hominis peccatores sunt constituti, qui lege acceptâ, simili prævaricatione peccarunt; sed etiam ex his aliquos iustificavit Christi obedientia.* Quod si tibi non præiudicavit, non ita loquendo sicut dixi eum loqui debuisse, si hoc sentiret quod tu; nec mihi vtiq; præiudicare debet, quia non ita locutus es, quomodo eum dicis loqui debuisse, si hoc sentiret quod ego. Cùm ergò Apostolus ita sit locutus, sicut loquendum esse arbitratus est; videndum est, quis ei nostrûm consentiat, Vtrùm ego qui dico, verum esse quod ait, *Per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem*, & verum esse quod ait, *per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*; quoniam non repugnat, vt qui multi sunt, omnes sint, & qui omnes sunt, multi sint; An tu qui dicis, vbi ait, *multos*, multi sunt: vbi ait *omnes*, non omnes sunt.

Rom. 5. 14.

Rom 5. 18.

Ibidem 19.

CAP. 150 IVL. DIX. *Patefactâ igitur vel imperitia vel impudentia tua, quæ aut non curat, aut non valet, quid dicatur expendere, ostensoq; veritatis ipsius, quam se esse Christus appellavit, lumine, nihil de Apostoli sermonibus Manichæ, id est, vestræ cohærere dementiæ; nunc expositionem operam navemus: vt sicut ostensum qualiter non possit, ita clareat qualiter & debeat & possit intelligi.*

Ioan. 14. 6.

AV-

AVG. RESP. Ita defereris veritate, & contra manifesta Apostoli verba non potes invenire quid dicas, ut quod intellexerunt tot Sancti, clariqúe Doctores, qui hoc in Ecclesia Catholica didicerunt atque docuerunt; (non enim sanum sensum habentes in tam manifestis verbis aliud intelligere potuerunt) tu Manichæorum esse dicas, quod illos non fuisse cogeris confiteri, quantolibet veneno Pelagianæ pestis insanias.

IVL. DIX. *Scribens itaque ad Romanos eo iam tempore, quo Gentium cœperat esse permixtio, atque ideo tam ex Iudæis quàm ex Gentilibus complebantur Ecclesiæ, tumultus populi utriusque composuit, inculcans quoniam nec gentes impietatem suam, quâ mutaverant* Rom. 1. 23. *gloriam Dei in similitudines imaginis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium, legis posse ignoratione diluere, quæ per vim rationis ingenitæ, etsi non ritum ceremoniarum Iudaicarum, tamen Deum innotescentem operibus, substantiæ verò profunditate secretum, potuerunt ex his ab eo quæ sunt facta cognoscere. Legis autem normam, quantum ad probitatem respicit, proprius unicuique suggerebat affectus, videlicet, ut nihil tale inferret proximo, quale perpeti noluisset. Atque ideo profanitatem Gentium iure optimo argui posse convincit: etsi non per legem; per eam tamen iustitiam quæ condidit legem: &* Rom. 2. 12. *qua iudicante, hi* qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. *Iudæos verò, quorum magis intererat, quia in despectum Gentium maximè tumescebant, honorem sibi de legis purificationibus vindicantes, ac per hoc æstimantes non sibi ita ut Gentibus profuisse Christi gratiam peccata donantem, (quandoquidem legis eâ institutione vitassent,) magnâ disputationum virtute confringit, allegans, eis tanto amplius per indulgentiam fuisse collatum, quanto post legis admonitionem sine ulla ignoratione peccassent. Per quod approbat eos reos fuisse, & vehementer potius damnari in eius iustitiæ examine, apud* Ibid. & 13. *quem* qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum: sed factores legis justificabuntur. *Hoc ergo proposito, per totum librum disputans, tum superbiam, ut dixi, reprimit Iudæorum, tum excusationem vanitatis Gentilibus demit, ut doceat æqualiter ambobus populis Christi profuisse medicinam.*

CA. 151. *Hactenus refutavit verba Augustini, nunc suam interpretationem ordiatur ab ovo.*

AVG. RESP. Hanc medicinam parvulis vos negatis, Gen. 17. 12. quos lex ipsa circumcidi octavâ die jussit, ejus gratiam præfigurans, cujus resurrectionem Dominicus, id est, post septimũ Sabbati dies octavus ostendit. Nec valetis ac vultis attendere,

ita parvulum morientem sine Christi gratia periturum, quemadmodum dictum est, *Incircumcisi animam parvuli interire de populo.* Cujus interitûs invenire meritum non potestis, quamdiu non trahere peccatum originis parvulos dicitis. *Ibid.* 142

CAP. 152 IVL. DIX. *Qui & crimina voluntatis ignovit, à quibus liberum fuerat abstinere: & sui imitatione, qui erat virtutum forma & norma, correctis gloriam beatæ æternitatis indulsit. Cùm ergo utramque nationem pro volumine sui temporis & iure conveniat, in his tamen locis, de quibus quæstio est, cum Israëlitis omninò manum conserit, qui audebant de præputiatorum stirpe venientes, eo usque despicere, ut affirmarent eos, nec suffragio fidei ad consortium suum transire potuisse. Contra quod supercilium replicat Iudaa Gentis exordia, & in ipsa radice circumcisionis ostendit non tanti esse præputium, ut aut iniustos eius relictio, aut iustos faciat eius ablatio.*

AVG. RESP. Quando ista dicebat Apostolus, non de circumcisione vel præputio, sed de præceptis legis, in quibus est etiam, *Non concupisces*, agebat, quod & ipse commemoravit. Quid tergiversamini? priores peritis, dum caliginem offunditis imperitis. *Exo.* 20.17.

CAP. 153 IVL. DIX. Non ergo per legem promissio Abrahæ, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei. Si enim qui sunt ex lege hæredes sunt; evacuata est fides: destructa est promissio. Lex enim iram operatur. Vbi autem non est lex, nec prævaricatio. Ideo ex fide; ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, non ei tantùm quod ex lege est, sed quod ex fide est Abrahæ, qui est pater omnium nostrùm, sicut scriptum est, *quia patrem multarum Gentium posui te* ante Deum cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt tanquam quæ sunt. Qui præter spem in spem credidit, ut fieret pater multarum Gentium, secundùm id quod dictum est, *Sic erit semen tuum.* Et non infirmatus est in fide: nec consideravit corpus suum jam emortuum, cùm ferè centum annorum esset & mortuam vulvam Sarræ. In repromissione autem Dei, non hæsitavit diffidentia, sed confirmatus est fide, dans gloriam Deo; plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere. Propter quod & reputatum est illi ad justitiam. *Rom.* 4.13. & seq. *Gen.* 17.5. *Gen.* 15.5.

AVG. RESP. Hęc te commemorare non pudet, qui oppugnas gratiam quâ ista promissa complentur? * Contra Deum enim loquimini, dicendo, Nos facimus, quod ille se facturum

* BEDA *Rom.* 9.8.

facturum esse promisit. In Isaac quippe, qui Abrahæ promissus est filius, hi præfigurati sunt, non qui se-ipsos justos, sed quos Deus fuerat ipse facturus. Unde universæ per Prophetam dicit Ecclesiæ, *Ego enim sum Dominus qui facio te*: propter quod & filij promissionis vocantur; * apertissimè dicente Apostolo, *Non potest autem excidere Verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israël, hi sunt Israël: neque qui semen Abrahæ, omnes filij: sed, in Isaac vocabitur tibi semen. Hoc est; non hi qui filij carnis, hi filij Dei, sed filij promissionis deputantur in semine.* Quos itaque Deus promisit, Deus facit. Hoc ergo totum sicut ædificat eos, quorum spes in Deo est: sic evertit eos, *qui confidunt in virtute sua.* Ac per hoc, sicut Catholicam fidem ædificat, sic Pelagianum evertit errorem.

Deus facit quod se facturum promisit.

Esa. 45. 8. apud 70. Rom. 9. 6. 7. & 8.

Quos Deus promisit Deus facit.

Psal. 48. 7.

IVL. DIX. *Qui locus quàm sit opinioni vestræ totus infestus, & primo opere disputatum est: & sicut hic recoli oportuerit, differetur. Nunc autem advertatur, promissionem quæ facta est ad Abraham ob remunerationem fidei eius, in qua dicitur, quia pater multarum Gentium constitueretur, ostendisse, Nec unius illum populi genitorem debere defendi, qui multarum Gentium pater erat prædictus: Nec ita solùm credulitatis recepisse mercedem, ut alios similiter credentes, à præmij consortio putetur excludere.* Non est autem scriptum, *inquit*, tantummodo propter ipsum, quia reputatum est illi; sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit IESVM Christum Dominum nostrum à mortuis: qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.

CA. 154.

Rom. 4. 23. 24. & 25.

AVG. RESP. Dicite nobis, ô vani, non defensores, sed inflatores liberi arbitrij, qui *ignorantes Dei iustitiam, & vestram iustitiam volentes constituere, iustitiæ Dei non estis subiecti*; dicite, inquam, nobis, si noluissent Gentes credere, justeque vivere, evacuaretur promissio, quæ facta est ad Abraham? Non, inquies. Ergo ut Abraham ob stipendium fidei consequeretur dilatationem seminis *præparata est* Gentium *voluntas à Domino*: & ut vellent, quod & nolle potuissent, ab illo factum est, qui ea *quæ promisit, potens est facere.*

Pelagiani, non defensores, sed vani inflatores arbitrij.

Fecit Deus ut vellent, quod & nolle potuissent, gentes.

Rom. 10. 3.

Rom. 4. 21.

IVL. DIX. *Cùm ergo ille adhuc in præputio, testis sit fidei pronuntiatus, & ob eius stipendium, dilatationem fuerit seminis consequutus; quæ, inquit, regulâ, Tu Iudæe, non putas ad consortium iustitiæ pertinere Gentiles, qui fidem Abrahæ, patris de Dei virtutibus credendo restituunt.*

CA. 155.

AVG. RESP. Benè contra vos loqueris: quia utique, si Dei virtutibus credunt, non, sicut vos, *confidunt in virtute sua* ut iustificentur, id est, ut justi fiant: sed in illius, qui justificat impium. *Psal. 48.7.*

IVL. DIX. *Cur putes, inquit, sine consecrationibus legis, ad*
CA. 156. *Abrahæ stemma nationes non posse perduci, cùm constet promissionem, quæ facta est ad Abraham, anteriorem fuisse, quàm legem: nec eam ablationi tributam fuisse, sed moribus?*

An homo sibi faciat mores bonos?

AVG. RESP. Hos mores, quos procul-dubio bonos vis intelligi, si ut putatis, homo sibi faciat, prædicere ista debuit Deus præscius, non promittere: ut non de illo in hac causa diceretur, *Quæ promisit potens est & facere*; sed, *quæ præscivit, potens est & prænuntiare*: aut *potens est & ostendere*. Quando autem dicunt homines, quod Deus promisit nos facimus, seipsos faciunt jactantiâ potentes: illum arrogantiâ mentientem. *Rom. 4.21.*

An homines dicere possint quod Deus promisit, nos facimus?

CAP. 157 IVL. DIX. Si enim qui sunt ex lege, hæredes sunt; evacuata est fides, destructa est repromissio. *Qui sermo nisi intelligatur, ingerit maximam quæstionem. Dubio enim procul, dicit eos esse ex lege, quos suprà dixerat ex circumcisione, quos tibi tantùm noverat arrogare, ut putarent præter se neminem assumi ad Abrahæ semmis dignitate. Atque hoc disputatione collegerat, quia non solùm hi, qui ex circumcisione sed & illi qui ex præputio sectari voluissent vestigia fidei Abrahæ, non immeritò Abrahæ filij censerentur.* *Rom. 4.14.*

AVG. RESP. Quod si noluissent, evacuaretur promissio? Ammoneo ut intelligatis, cui gratiæ sitis inimici, negando operari Deum voluntates in mentibus hominum: non ut nolentes credant, quod absurdissimè dicitur; sed ut volentes ex nolentibus fiant. Non sicut facit Doctor homo docendo & hortando, minando & promittendo in sermone Dei: quod frustra fit, nisi *Deus* intus *operetur & velle* per inve- *Philip. 2.13*
stigabiles vias suas. Cùm enim verbis Doctor plantat & rigat, *1. Cor. 3.6.*
possumus dicere, fortè credit auditor: cùm verò *dat incrementum Deus*, sine dubio credit & proficit. Ecce quod interest inter *legem* & *promissionem*: inter *literam* & *spiritum*.

Deus operatur ut volentes ex nolentibus fiant.

Quantum interfit inter legem, & promissionē.

CAP. 158 IVL. DIX. *Cùm ergo superiùs id egisset, ut intelligeremus à consortio iustitiæ non potuisse excludi Gentes: sed per eandem fidem cum filijs circumcisionis in Abrahæ stirpe numerari; nunc intulit, Neminem de circumcisione ad eam promissionem, quæ Abrahæ data est, pertinere. Hoc autem omninò nisi intelligatur, repugnat. Quod itaque ait,*

Si enim

Si enim qui ſunt ex lege hæredes ſunt; evacuata eſt fides, & deſtructa eſt repromiſſio; *non hoc pronunciavit, ut videlicet nemo de Iudæis per fidem fieri credatur hæres promiſſionis antiquæ: ſed deeſt ſermo, cuius vicem implet intelligentia,* Non ſolum *hæredes eſſe, qui ex lege ſunt, ac ſi hoc modo dictum eſſet, Si enim qui ſunt ex lege, ſoli hæredes ſunt, evacuata eſt fides. Verè enim præputium videtur excludi, ſi ad nullos præter eos, qui ex circumciſione erant, benedictionis hæreditatis perveniret. Intelligenda igitur conſuetudo Scripturarum eſt, quia non continuò quod non dicitur, denegatur: ut intelligentiæ operâ verborum diſpendia ſuppleantur.*

AVG. RESP. Sic intelligunt, qui non intelligunt. * Cur non attenditis, rogo, Ideo non eſſe hæredes ex lege, quia *Lex iram operatur? Vbi enim non eſt lex, nec prævaricatio.* Ideo autem ex promiſſione, quia Deus quod promittit, ipſe facit. * Qui enim præcepta legis implere ſe putat, per arbitrium propriæ voluntatis, ſine ſpiritu gratiæ, ſuam juſtitiam vult conſtituere, non juſtitiam Dei ſumere. Nam unde dicit idem Apoſtolus *Vt inveniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt: ſed iuſtitiam quæ ex fide, iuſtitiam ex Deo?* Quare ſuam dicit *iuſtitiam, quæ ex lege eſt*; eamque juſtitiam reprobat: non autem ſuam, ſed *ex Deo iuſtitiam, quæ eſt ex fide?* Nunquid lex non eſt ex Deo? Quis niſi infidelis hoc dixerit? Sed *ex lege* dicit *iuſtitiam* ſuam, in qua homo putat ſufficere ſibi legem ad facienda divina mandata, *confidens in virtute ſua. Ex fide* autem *iuſtitiam* ideo dicit *eſſe ex Deo*, quia *Deus unicuique partitur menſuram fidei:* & ad fidem pertinet credere, quòd *in nobis Deus operetur & velle*, ſicut operabatur in illa Purpuraria, *cuius aperuerat ſenſum*, ut *intenderet in ea quæ à Paulo dicebantur.* Ac per hoc, nec ipſi Iudæi, qui crediderunt in Chriſtum, in quibus & Paulus fuit, ex lege hæredes omninò dicendi ſunt: ſed potiùs ex promiſſione. Ideo enim dictum eſt, *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*, quia *non qui filij carnis, hi filij Dei: ſed filij promiſſionis deputantur in ſemine.* *

* BEDA *Rom. 4.*

Rom. 4. 15.

* BEDA *Phil. 3.*

Rom. 10. 3. Philip. 3. 9.

Quæ ſit iuſtitia ex lege?

Et quæ ex fide?

Rom. 12. 3. Philip. 2. 13 Act. 16. 14.

Iudæi credentes in Chriſtum, hæredes ſunt ex promiſſione.

Rom. 9. 7. & 8.

IVL. DIX. *Collegit itaque Apoſtolus argumentum hoc modo;* CAP. 159 *Si nulli eſſent hæredes benedictionis, niſi qui ex lege ſunt: ſicut præputium conſtabat excluſum, ita conſequens erat, neminem qui fuiſſet ex lege, benedictione privari; id eſt, Si circumciſio tantùm valeret, ut ſine ea fides nihil valeret; ſicut Gentes liquebat repulſas, ita probabatur de Iudæo ad perditionem numquam quoſquam ire potuiſſe.*

AVG. RESP. Quomodo erat conſequens, ô groſſe dialectice, quomodo erat conſequens, *Si nulli eſſent hæredes benedictionis,*

dictionis, nisi qui ex lege sunt, neminem qui fuisset ex lege, benedictione privari? Nunquid quia nemo hæres nisi baptizetur, propterea qui baptizantur omnes hæredes sunt? Sed hoc dixerim Neque ibi est quæ inter nos vertitur quæstio. Verùm ut ostenderem quàm sis acutus, qui me obtusiorem dicis esse pistillo.

Iulianus dicebat Augustinũ pistillo obtusiorem.

CA. 160. IVL. DIX. *Nunc autem consiteamini, prævaricatores in lege non esse benedictionis hæredes: quia talibus lex iram operatur; & constat promissionem illam non circumcisioni convenire, sed fidei. Destrueretur autem promissio, si præter legem nemo iustus esset; quandoquidem post quadringentes & triginta annos promissionis inlata lex & ipsum* Gal. 3. 17. *Abraham & Isaac & Iacob & omnes in media ætate Sanctos expertes benedictionis ostenderet, quæ non potuisset cuiquam sine lege conferri.*

Destruitur promissio, si ex lege quisquam iustus.

AVG. RESP. Immò destrueretur promissio, si ex lege quisquam justus esset. *Si enim qui ex lege hæredes sunt; exinanita* Rom. 4. 14. *fides, evacuata promissio. Lex enim iram operatur,* ad hoc utique, ut ad iram evadendam, Dei gratiâ requiratur.

CAP. 161 IVL. DIX. *Quod quia manifestò falsum est: & sub lege, qui peccatores, pœnam merebantur: & ante legem, iustitia & fides remunerationis sua fructibus privata non sunt; constat non ad truncatas ferro carnes; sed ad illustres probitate mentes, promissionis illius gloriam pertinere. Sequitur autem fulminea contra traducem sententia.* Lex Ibid. 15. enim, *inquit,* iram operatur, ubi autem non est lex, nec prævaricatio. *Persuade legem esse conceptis, legem posse dari nascentibus: ut eos prævaricationis reos postu arguere. Cæterùm nos cum Apostolo credimus, quem nihil contra rationem sensisse defendimus, non esse in ea ætate prævaricationem, in qua lex esse non potuit. Quia* ubi non est lex, nec prævaricatio: *quia* lex iram operatur, *non vitio suo, sed eorum iniquitate, qui peccata virtutibus anteponunt.*

AVG. RESP. Non est ergo Lex Christi, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei?* quam Ioan. 3. 5. legem vides etiam ad parvulos pertinere. Verùm Tu dic potiùs, parvulus cuius anima interibat de genere ejus, si die non circumcideretur octavo, cujus prevaricationis arguebatur, ut tali supplicio plecteretur? nisi quia ipse in se ipso nihil peccans, tenebatur reus *in similitudine prævaricationis Adæ, in quo omnes peccaverunt.* Quæ verba Apostolica tam clara obscurare, tam recta curvare, ingenti quidem, sed inani labore conaris. Gen. 17. 14. Rom. 5. 14. Ibid. 12.

CA. 162. IVL. DIX. *Approbavit ergo Apostolus, quia non sit tantummodò scriptum propter Abraham, quod reputatum est illi ad iustitiam; sed & propter nos: quibus sine dubio reputatur, cùm in Deum credimus,*

Rom. 4. 25. *credimus*, IESVMQVE *Christum ex mortuis excitatum*, qui traditus est, *inquit*, propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.

AVG. RESP. Ab hac gratia separatis parvulos, quos nullum delictum ex origine tractum habere contenditis. Vnde fit consequens, ut non ad eos pertineat beneficium, quo *propter delicta nostra est traditus Christus*. Et hæc sentientes & dogmatizantes Christianos Catholicos vos dicere audetis.

IVL. DIX. *Quàm vehementer inculcat, apud iustum iudicem Deum aliena peccata alijs non nocere, qui commendans mortem Christi vigilanter enunciat propter* nostra *illum* delicta, *quæ & plura erant & nostra erant: non propter* unum & alienum, *& olim defuncti hominis mortem oppetisse!* CAP. 163

AVG. RESP. Inobedientia quidem unius hominis non absurdè utique delictum dicitur alienum, quia nondum nati nondum egeramus aliquid proprium sive bonum, sive malum. Sed quia in illo qui hoc egit, quando id egit, omnes eramus, tantumque fuit ac tale delictum, ut eo natura universa vitiaretur humana, (quod satis indicat etiam ipsa generis humani tam manifesta miseria) hoc delictum alienum obnoxia successione fit nostrum. Propter quod dictum à Doctore Catholico, qui rectè intellexit Apostolum, *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est.* Cujus intellectum & aliorum ejus in Catholica veritate sociorum, si sequi volueritis, non cogemini alienare parvulos à beneficio mortis ejus, *qui traditus propter delicta nostra, & unus pro omnibus mortuus est.* Vbi quod sequitur clamat Apostolus, *Ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est.* Et vos reclamatis, Non sunt mortui parvuli. Clamate & quod sequitur, Ergo non pro ipsis mortuus est: & videte, utrùm vos etiam mortui jaceatis, qui mortuis, ne vivificentur, Christi mortem negatis: quia non eis, sicut putatis, delictum debet *alienum & olim defuncti hominis* imputari. Nec attenditis. * primum hominem Adam sic olim fuisse defunctum; ut tamen post illum secundus homo sit Christus, cùm tot hominum millia inter illum & hunc orta sint. Et ideo manifestum est, ad Illum pertinere omnem, qui ex Illo successione propaginis nascitur; sicut ad Istum pertinet omnis, qui in Isto gratiæ largitate renascitur. Vnde fit, ut totum genus humanum quodammodo sint homines duo, primus & secundus. *

Quomodo Ada peccatū sit nostrum?

Ille peccato natura humana universa vitiata.

Ambr. l. 1. de pœn. c. 2.

2. Cor. 5. 14 & 15.

* PROSPER *Sent.* 299. *Totum genus humanum, quodammodo duo homines.*

IVL.

CA.164. IVL. DIX. *Qui ergo dicit* multa delicta, *nihil de* uno *Manichæorum, id est, traducis suspicatur.*

AVG. RESP. Sed utique, homo contentiose, multa delicta essent, quæ multi haberent, etiam singula singuli propriæ voluntatis, si ad *lavacrum regenerationis* venirent, cùm primùm peccare cœpissent: quos omnes secundùm istam non rationem, sed distortionem tuam, ab hac gratia, quæ ex multis delictis justificat, facitis alienos, quando non vultis ejus esse participes quoslibet homines, quorum delicta sunt singula. Quantò magis ergo multa sunt, eis additis, quæ habent alij plura, alij pauciora: à quibus tamen omnibus liberat gratia, de qua dictum est, *Ex multis delictis in justificationem.* *Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes: peccavit Adam, & in illo omnes perierunt.* Ambrosius qui hoc dixit, calumniose, non erat Manichæus. *Parvulos contagium mortis antiquæ primâ nativitate contrahere*, Cyprianus dixit, columniose, non erat Manichæus. *Omnes in uno Adam peccasse*, Hilarius dixit, calumniose, non erat Manichæus. In qua Ecclesia ista didicerunt, calumniose, non erat Manichæa. Et quia Catholica erat, atque Catholica perseverat, ideo vos contra ista sentientes & contendentes ferre non potuit: & ut Catholica permaneret, infirmitatem parvulorum suorum vestrâ damnatione munivit.

l.7. in Luc. c. 15. 32. *Rom. 5. 16.* *lib. 1. epist. 8.*

CAP.165 IVL. DIX. Iustificati itaque ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum IESVM Christum, per quem & accessum habemus in gratiam istam in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ Dei. *Qui vobis videtis*, inquit, *justificationem per peccatorum veniam fuisse collatam, firmam tenete concordiam, & paribus animis Mediatoris dona laudate: cujus munere collatum nobis est, ut in hanc gratiam haberemus introitum, & eos quos justitia reos tenebat (quia reos nos non natura fecerat, sed voluntas) libertati reddidit, & eripuit ultioni: præstititq;, ut qui sperabamus æterna supplicia, modo gloriemur in spe gloriæ Dei.*

Rom. 5. 1. & 2.

Quomodo Deus justificaret? AVG. RESP. Non per solam peccatorum dimissionem justificatio ista confertur, nisi auctoribus vobis. Iustificat quippe impium Deus, non solùm dimittendo quæ mala facit: sed etiam donando charitatem, ut *declinet a malo & faciat bonum* per Spiritum Sanctum, cujus subministrationem jugem poscebat Apostolus eis, quibus dicebat; *Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali.* Contra istam gratiam geritis bellum, ut liberum non sermone defendatis, sed præsumptione decipiatis voluntatis arbitrium.

Pelagiani præsumptione liberum decipiebant arbitrium.

2. Cor. 13. 7.

IVL.

IVL. DIX. *Verùm ut magis exprimeretur virtus istius securitatis & doctrinæ, quid conferat fidelibus Philosophia Christiana persequitur.* Non solùm autem: sed & gloriamur in pressuris, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem: probatio autem spem: spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. *Id est, Non hoc solùm nobis hæc beneficia contulerunt, ut amplitudine quandoque munerum gaudeamus: sed iam in præsentiarum, in medijs angorum æstibus constituti, alacres sumus ipsius possessione virtutis, & de persequentium furore, ridemus impiorum crudelitatem, eruditionem patientiæ magis, quàm perturbationem lætitiæ iudicantes, ut non solùm propter præmia non peccemus; sed hoc ipsum non peccare, præmium censeamus.* CA. 166.

Rom. 5. 3. 4. & 5.

AVG. RESP. Si præmium est non peccare, quis dat hoc præmium? Puto quòd non dicturus es, Ipse sibi homo: quamvis hoc de te cogat dicere perversitas hæresis vestræ. Si ergo Deus dat hoc præmium, ut homo non peccet: donum potiùs video dicendum esse, quàm præmium; ne aliqua merita præcessisse videantur: cùm eos qui dicunt, *Gratiam Dei secundùm merita nostra dari*, Pelagius quoque ipse damnaverit. Quomodo autem detur hoc donum, id est, non peccare, & tu paulò ante dixisti Apostoli verba commemorans, *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*: ac per hoc, in Philosophia Christiana, ut gloriemur in tribulationibus non est nostrum, qui & hoc accepimus: alioquin tanquam de suo à se sibi parto glorianti homini dicitur, *Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sed gloriamur in illo qui hoc dedit, ut *qui gloriatur, in Deo glorietur.* Hæc est gratia, quam Catholica fides prædicat. Vt quid eam, quæso, vester error oppugnat, cùm etiam vestro vos ore convincat.

Quis det non peccare?

l. de Gestis Pelagij c. 14 & 35.

Ibid. 5.

2. Cor. 4. 7.

1. Cor. 1. 31

Gratia quã Catholica fides prædicat

IVL. DIX. *Deinde cùm in testamentis agi ea, quæ sunt promissa, conspicimus; præsentis vitæ inter indicia omninò omnia bona malaq; numeramus, fidem pollicitationis Dei de magnitudine in nos charitatis illius æstimantes. Neque enim confutavit spem nostram æternorum frustratio commodorum: quandoquidem, vadem beatitudinis futuræ, Dei charitatem tenemus, quæ effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, id est, per dona Sancti spiritûs, amorem suum Deus circa genus probavit humanum.* CA. 167.

Rom. 5. 5.

AVG. RESP. Non vis esse inter hæc dona, etiam *non peccare*. Sed *confidens in virtute tua*, hoc tibi tu ipse vis dare. Noli irasci, obsecro: *Maledictus omnis qui spem habet in homine.* Jerem. 17. 5

CA. 168. IVL. DIX. *Restituet ergo totum fideliter, quod fidelibus repromisit.*

Etiam fidem Deus promisit.

AVG. RESP. Restituet planè hoc ipsum, ut fideles sint, quia fidem Gentium promisit Abrahæ. Et quidam magnus fidelis dicit, *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem.* 1. Tim. 1. 13.

CA. 169. IVL. DIX. *Qui enim* filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, *per quem nos in operationem Sancti Spiritus consecravit, procul dubio* cum illo omnia nobis donavit. Vt quid enim Christus cùm adhuc infirmi essemus secundùm tempus pro impijs mortuus est? Rom. 8. 32. Rom. 5. 6.

AVG. RESP. Testimonia divina commemoras, quibus vester error evertitur. Non enim dictum est, *Christus etiam pro impijs*, sed *pro impijs*, inquit, *mortuus*. Vt autem & ipse alibi confessus es, etiam pro parvulis mortuus est. Et tamen, quâ fronte nescio, transijsse in eos originaliter impietatem primi hominis negas. Quomodo ergo pertinent ad eum, *qui pro impijs mortuus est*?

CA. 170. IVL. DIX. Vix enim pro justo quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori? Commendat Deus charitatem suam in nobis: quoniam sicut adhuc cùm peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est: Multò magis justificati in sanguine ipsius, salvi erimus per eum ab ira. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij ejus; multò magis reconciliati salvi erimus in vita ejus. Non solùm autem hoc, sed & gloriantes in Deo per Dominum nostrum IESVM Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. *Aperuit quantâ totum Christus pietate gesserit, qui & mori dignatus est pro nihil boni merentibus.* Rom. 5. 7. & seq.

AVG. RESP. Hæc verba tua sic temperata sunt, ut etiam parvulos tangere videantur: quoniam & ipsos nihil boni meruisse conceditis, quos nihil boni egisse fatemini. Sed Apostolus non ita locutus est, qui dixit, *Christum pro impijs* & peccatoribus *mortuum*. Frustra ergo tu magnam Christi misericordiam extenuandam putasti. Ille enim pro malè merentibus mortuus est: à quo tanto beneficio Salvatoris, parvulos separatis, quoniam salvos eos dicitis. Ille autem dicit, *Non est opus sanis medicus*. Non est ergo opus parvulis Christus, quibus Matt. 9. 12.

utique

utique secundùm vos non est IESVS. Quibus autem opus, his procul dubio est IESVS. Sed discite maligni, opus est parvulis. Et ipsos ergo à peccatis eorum salvos facit, quoniam propterea tale nomen accepit: ubi Angelus dicit, *Vocabis nomen eius* IESVM. *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Matt. 1. 21.

IVL. DIX. *Quippe qui rationem & legem criminum amore calcaverant euntes post desideria sua, quæ ipsa conscientia, cuius est maxima vis, castigabat. Verùm quia constabat, etiam Prophetas propter iustitiam crebro mortis enituisse contemptu: & plurimos, pro magnis quibusque rebus, dignitatisq; insitæ fulgore rutilantibus securo ad interitum animo cucurrisse; ne singularitas virtutis Christi dilutior eiusmodi esset exemplis, intulit Apostolus, per quod ostenderet charitatem & fortitudinem, in illius unico eminere fastigio; Assentior & ego, licet rarò, licet vix, tamen pro rebus iustis & bonis mori elegisse nonnullos. Sed illis negotiorum dignitas, id est, ipsarum rerum, pro quibus dimicaverant claritudo, periculorum temperavit dolorem. Christus autem nihil habuit, quod amaret in studijs impiorum, & pro his qui erant propriâ voluntate deformes, non est aspernatus impendi. Apparet illum omnium virtutibus antecellere: quia etsi in tolerantia paucos, in causa tamen nullos potest habere consortes. Nihil igitur de eius munificentia desperemus,* quia si pro nobis mortuus est, cùm adhuc essemus peccatores, multò magis iustificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus per eum ab ira.

CA. 171.

Rom. 5. 8. & 9.

AVG. RESP. Nolite ergo eximere parvulos de numero peccatorum, quia & pro ipsis mortuum fatemini Christum.

IVL. DIX. *Et post reconciliationem, quam cum Deo habere promeruimus, per operam videlicet Mediatoris, debemus percipere animo sempiterna gaudia, & non solum salutem sperare, sed etiam gloriam.*

CA. 172.

AVG. RESP. Rogo te, attende quod dicit Apostolus, propter quod factum est, ut de primo homine loqueretur. De reconciliatione agebat, quam tu quoque per *Mediatorem Christum* ex inimicitijs, quas cum Deo habuimus, factam esse concedis. Ecce, vide & verba Apostoli. *Iustificati igitur ex fide,* inquit, *pacem habeamus ad Deum, per dominum nostrum* IESVM *Christum*: & paulò post, *Si enim Christus cùm infirmi essemus, adhuc iuxta tempus pro impijs mortuus est.* Item paulò post, *Commendat autem,* inquit, *charitatem suam Deus in nobis, quando cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Multò magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.* Adhuc attende. *Si enim cum inimici essemus,* inquit, *reconciliati sumus Deo per*

Rom. 5. 1.

Ibid. 6.

Ibid. 8. & 9

Ibid. 10.

mortem filij eius; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Hanc reconciliationem quam toties commendavit, etiam in novissimo posuit dicens; *Per quem & nunc reconciliationem accepimus:* ac deinde intulit, *Propter hoc, Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum.* Sicut ergo per hunc unum inimicitiæ, sic per unum Christum reconciliatio. Quisquis igitur à peccato, in quo inimicitiæ factæ sunt, liberos esse parvulos dicit, profectò eos negat ad hanc reconciliationem, propter quam Christus *Mediator* factus est, pertinere. Proinde separat eos, & à justificatione quæ fit in Christi sanguine, cujus fundendi causa, quando eum bibendum commendavit, nulla nisi in remissionem dicta est peccatorum. Vnde fit consequens, ut parvulis peccata non habentibus mors Christi nihil prosit omninò. Per hanc enim reconciliati sumus Deo, cùm inimici essemus, quod parvuli secundùm vos non fuerunt. Vt enim propter hanc reconcilationem moreremur peccato, in quo inimicitiæ fuerunt, *Quicumque baptizati sumus in Christo*, sicut idem dicit Apostolus, *in morte illius baptizati sumus.* Ad hæc autem verba ut perveniret, *si enim mortui sumus?* inquit, *peccato, quomodo vivemus in eo?* statimque ut ostenderet mortuos nos esse peccato, *An ignoratis*, inquit, *quoniam quicumq; baptizati sumus in Christo* IESV: *in morte ipsius baptizati sumus.* Vbi est libertas & fortitudo animi vestri? Quare timetis dicere, quod credere non timetis, Parvulos in Christo baptizari non oportere, quos peccatũ cui moriantur dicitis non habere?

Ibid. 11. & 12.

Matt. 26. 28.

Rom. 6. 3.

Ibid. 2.

CA. 173. IVL. DIX. Propterea, sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt in quo omnes peccaverunt. *Ad edomandam superbiam Iudæorum (qui sibi necessariam peccatorum veniam, non tantum quantum Gentilibus æstimabant, prærogativâ legis sanctitatem suo generi vindicantes) in morbum humana conversationis invadit, & multitudinem delinquentium retro petit, ut quantum dominationis in hoc mundo iniquitas occupaverit, antiquitatis ipsius prodat auctoritas: quamq; multa & veternosa crimina, ab obscœnitate præcedentium, per manus mutuæ imitationis posteris tradita, Christi gratia sustulisset, ostenderet, Atque ob hoc recordationem facit primi hominis: non à quo peccatum cœperat (constat enim priùs mulierem deliquisse) sed qui per privilegium sexûs, magisterium occupasset delicti. Per hunc ergo intravit peccatum: & per peccatum mors, sine dubio illa, qua peccatoribus, id est, æterna promittitur.* Et ita, inquit, in omnes

Rom. 5. 12.

in omnes homines pertranſijt, in quo omnes peccaverunt. *Aperuit prorſus qualiter hæc mors tranſyſſet ad poſteros, ob imitationem ſcilicet, non generationem.*

AVG. RESP. Iam quidem reſponſum tibi, cur non mulierem nominaverit, ex qua fuit initium peccati: ſed *unum hominem*, aut, ut ipſa quoque in illo intelligeretur propter unam carnem: aut, quòd à viro incipit generatio, per quam volebat oſtendere in mundum intraſſe peccatum. Sed homines qui dicitis mortem, quę in peccato eſt, ob imitationem non generationem ad poſteros tranſijſſe, cur non apertè dicitis baptizari in Chriſto parvulos non debere? Si enim baptizandi ſunt in Chriſto (*quoniam quicumq; baptizantur in Chriſto, in morte ipſius baptizantur*) procul dubio peccato & ipſi moriuntur. Sic quippe probavit Apoſtolus, peccato nos eſſe mortuos, quia *in morte Chriſti baptizati ſumus.* Cùm enim dixiſſet, *Si mortui ſumus peccato, quomodo vivemus in eo?* mox ut oſtenderet mortuos nos eſſe peccato, *An ignoratis*, inquit, *quoniam quicumque baptizati ſumus in Chriſto* IESV, *in morte illius baptizati ſumus?* Quiſquis igitur peccatum non habet, non eſt † cur moriatur in Baptiſmo: quiſquis autem cùm baptizatur non peccato moritur, non baptizatur in morte Chriſti, ac per hoc, non baptizatur in Chriſto. Quid tergiverſamini? liberè aperite inferos veſtros: liberè ad vos intrent, qui nolunt in delicto mortuos, in Baptiſmo vivificari parvulos ſuos.

Quomodo per unum peccatum intraverit?

Rom.6.3.

Ibid.2.

† *ſ. cui.*

IVL. DIX. *Poſtquam enim dixerat*, in omnes pertranſijt, CA.174. *ſubdidit ſtatim*, in quo omnes peccaverunt, *hoc*, in quo omnes peccaverunt *nihil aliud indicat, quàm* quia omnes peccaverunt, *ſecundum illud Davidicum*, In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? *Quomodo corrigit viam?* In cuſtodiendo ſermones tuos, *In eo ergo corrigi dicitur, per quod corrigitur. Ita & Apoſtolus in eo dixit pertranſiſſe mortem, in quo omnes propriâ voluntate peccaverunt. Non, ut hoc*, in quo, *aut Adam aut peccatum videatur oſtendere: ſed* in quo, quoniam, *intelligeretur exprimere.*

Pſal.118.9.

AVG. RESP. Aperi oculos. In Adam omnes moriuntur. In quo ſi non ſunt mortui parvuli, nec in Chriſto vivificantur, ut quid cum eis ad Baptiſmum vivificatoris & ſalvatoris, ſimulatione damnabili curritis, quos vivos ſanoſque clamando, vivificari ſanarique non vultis?

IVL. DIX. Omnes *autem pro* multis, *pœnè innumera Scri-* CA.175. *pturarum exempla teſtantur, ſecundùm illud*, Omnes declinaverunt

Pſal.13.3.

simul inutiles facti sunt: *& post pauca*, qui devorant, *inquit*, plebem meam sicut cibum panis, *ostendens ab illis omnibus, quos malum pronunciaverat operari, hanc plebem fuisse discretam. In Euangelio refertur*, Et clamabat omnis populus, Crucifige, crucifige. *Et tamen generalitate verbi huius, nequaquam aut Apostoli, aut Nicodemus, aut sancta mulieres includuntur. Hinc ipse Apostolus, quos nunc dixit* omnes, *paulò post* multos nominat. *Ibid.4.* *Luc.23.18.* *Matt.27.22.*

AVG. RESP. Ad hoc jam responsum est, non repugnare *omnibus multos*, quia ipsi *omnes*, non pauci, sed *multi* sunt. Et quod de Psalmo commemorasti *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*: prorsus verum est. Filios quippe hominis qui declinaverunt, omnes discrevit à filijs Dei, quos non declinantes devorabant. *Dominus* enim *respexit super filios hominum: omnes declinaverunt.* Ab eis quippe excepti sunt filij Dei. Ergo ex declinantibus omnibus filijs hominum, erat etiam omnis populus qui clamabat *Crucifige, crucifige.* Ad hunc quippe populum, nullo modo illi, qui jam in Christum crediderant, pertinebant, hinc te erue si potes: quòd *Vnus pro omnibus mortuus est*: & aude dicere, Non omnes esse mortuos, pro quibus *mortuus est Christus*; cùm statim tibi Apostolus fauces premat, opprimat audacissimam vocem, quid sequeretur ostendens & dicens, *Ergo omnes mortui sunt.* Noli sic laudare Apostolum: noli exponere, ut nolis audire, *si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* In hos omnes, qui mortui sunt, cum peccato mors pertransijt, per illum in quo omnes moriuntur. Ibi sunt & parvuli, quia pro ipsis *Christus mortuus est*, qui propterea *pro omnibus mortuus est*, quia *omnes mortui sunt.* Quidquid argumenteris, quidquid Apostolicorum verborum coneris evertere, à morte quæ in peccato est, parvulos non ostendis immunes, quia & pro eis Christum mortuum negare non audes. *Psal.13.3.* *2.Cor.5.14.* *Ibidem.*

CA.176. IVL. DIX. *Quid ergo egerimus appareat*; omnes, plurimos, *Apostolus dixit*; *quos ideo aut obnoxios morti, quoniam voluntate propriâ peccaverunt. Non igitur originale, sed voluntarium crimen accusat. Et revera nihil aliud indicant verba, si eorum fides & proprietas expendatur. Nam si peccatum crederet ad posteros generatione transijsse, id est, ad eos qui ibi non fuerant ab illo fuisse iaculatum, falsissimè omnes peccasse pronunciaret.*

AVG. RESP. Possem tibi dicere, Quomodo secuti sunt posteri Adam peccantis exemplum, qui non ibi fuerunt, nec ipsum

ipsum peccatum vel viderunt, vel audierunt, vel crediderunt? Sed non hoc dico; *Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes.* Peccavit Adam, & in illo omnes peccaverunt, propter quod in illo omnes moriuntur. Apostolum audi apertissimè loquentem, non te tortuosissimè garrientem. *Ambr. l. 7. in Luc. c. 1. 32.*

IVL. DIX. *Quod enim unus facit & ad alios dirigit; non verè hoc omnes feciſſe dicuntur. Aut enim pertranſiit ad eos, & ipſi non peccaverunt: Aut ipſi peccaverunt, (quo ſermone, negotium operationis exprimitur) & ad eos non pertranſiit niſi imitatione ſolâ.* CA. 177.

Similitudo traductionis originalis peccati.

AVG. RESP. Si quis intemperantiâ ſibi podagram faciat, eamque tranſmittat in filios, quod ſæpè contingit, nonne rectè dicitur in eos illud vitium de parente tranſiiſſe? Ipſos quoque hoc in parente feciſſe? quoniam quando ipſe fecit, in illo fuerunt: ac ſic ipſi atq; ille, adhuc unus fuerunt. Fecerunt ergo non actione hominum, ſed ratione jam ſeminum. Quod ergo aliquoties invenitur in corporis morbis, hoc in illo illius primi genitoris antiquo, magnoque peccato, quo natura humana univerſa vitiata eſt, factum eſſe noverat, qui lucidiſſimâ locutione, quam vos conamini tenebrare, dicebat, per uniùs hominis peccatum, *peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Gratiam quippe Chriſti commendare intenderat, à contrario formam conſtituens, & regenerationis principem principi generationis opponens. *Rom. 5. 12.*

Magnum Adæ peccatum.

IVL. DIX. *Illud autem, quod te opponere credidiſti vel in iſto libro, cui nunc reſpondeo: vel in his, quos ad* Marcellinum *ſcripſeras, tum tranſiiſſe peccatum,* quando omnes homines, *ut tuis verbis utar,* ille unus fuerunt; *ſine difficultate veritas deterit, & inviſioni cuiuſque prudentis exponit. Nam tali argumento præter impietatem tuam nihil aliud indicatur: impietatem, inquam, quâ credis ita eſſe animarum traducem, in Tertulliani olim, & Manichæi profanitate damnatam; ſicut eſt corporum tradux: quod tam nefarium eſt, ut cùm à nobis in Epiſtola, quam ad Orientem miſimus fuiſſet obiectum, Tu in his libris quos nuper ad Bonifacium miſiſti, negando à te propulſare conereris. Aiunt enim,* Dicunt, Nos animarum traducem confiteri; quod in cujus libris legerunt, neſcio; *ut à te videlicet nihil dici tale deieres. Porrò ut falſitas tua tuorum verborum collatione prodatur, quomodo traducem animarum, profanam revera opinionem, tuis dictis ſenſibus non teneri, cùm profitearis, omnes homines illum unum fuiſſe? Si enim non credis partem animæ ſeminibus illiga-* CA. 178. *l. 1. de pecc. merit. c. 10.*

De animarum traduce. l. 3. c. 10.

illigatam; quo ore scribis, omnes homines Adam solùm fuisse, cùm homo utique nisi anima & corpus simul esse non possit?

Homo dicitur etiam solum hominis corpus.

AVG. RESP. Putas hominem non posse dici solum hominis corpus? cùm scias ipsum filium Dei, unicum Dominum nostrum IESVM Christum, sub Pontio Pilato crucifixum, esse sepultum, (sicut tota ei Ecclesia confitetur & hæreses multæ, in quibus & vestra est,) & tamen solum corpus Christi sepultum est. Debuisset † secundum ejusmodi vanitatem Christus filius Dei unicus Dominus noster non dici sepultus: quoniam non ex solo corpore, sed ex Verbo Dei, & animâ rationali & corpore est Christus Dei filius unicus Dominus noster. Sed cùm venisset ad hæc verba confessio, *sub Pontio Pilato crucifixus est* subijci debuit, *& corpus eius sepultum.* Nec de ipso primo homine, de quo agitur, dicere Scriptura debuit, *Finxit Deus hominem pulverem terræ*, quia solum hominis corpus ex terra est. Ipsum denique Deum erraſſe clamate, qui mortem minando dixit homini, *Terra es, & in terram ibis*; cùm potiùs ex tua doctrina debuerit dicere, Terra est corpus tuum, & in terram ibit. Quia ergo *Fuit Adam, & in illo fuimus omnes*, quod ante nos Catholici Doctores secundùm Scripturas in sancta Ecclesia didicerunt atque docuerunt, ideo dixi, *Omnes ille unus fuerunt*; quia & illi duo, masculus & fœmina, *non iam duo erant, sed una caro.* † Ergo de omnibus genitis dixi, quoniam quando peccatum est, *omnes ille unus fuerunt.* Nondum quippe inde fuerat ullus in matrem seminatione transfusus: & utique filij à viris transfunduntur in fœminas. Ex qualibet ergo, & quantalibet parte, *omnes*, qui ex illo nati sunt, *ille unus fuerunt*, sive secundùm solum corpus, sive secundùm utramque hominis partem (quod me nescire confiteor, nec me pudet, ut vos, fateri nescire quod nescio,) de omni homine scriptum esse, *Homo vanitati similis factus est: dies eius velut umbra prætereunt*: quia & alibi eadem sancta Scriptura dicit, *Veruntamen universa vanitas omnis homo vivens*: quod justo Deo creante non fieret, si peccatum originale non esset.

†*f. enim add*

Gen. 2. 7.

Gen. 3. 19.

Ambr. l. 7. in Luc. c. 15.

†*f. Id add.*

Matt. 19. 6.

De origine animæ auctoritas Augustini.

Psal. 143. 4

Psal. 38. 6.

CA. 179. IVL. DIX. *Deinde etiamsi hoc solùm ad carnem referas, nec sic potest hæc intelligentia tua fatuitas excusari, quâ dicis*, Omnes ille unus fuerunt: *cùm eo tempore quo peccavit Adam, iam duo essent homines, non unus, id est, ipse & uxor eius. De duorum substantia, non culpa, genus hominum, secundum quod Deus instituerat, pullulavit.*

AVG.

AVG. RESP. Iam dixi, & ecce iterum dico. Ego de his dixi, *Omnes ille unus fuerunt*, quos fuerat seminaturus, id est, generaturus Adam. Ex illo ergo uno principaliter erant tracturi nascentes originale peccatum, qui genuit. Illa autem, quâ conjuncta duo fuerunt, quod excepit, concepit, peperitque posterior: quamvis peccaverit prior. Vnde & sancta Scriptura in lumbis patris Abraham, dicit fuisse filios
Hebr.7. 10. & 9. Levi, & in illo à Sacerdote Melchisedech fuisse decimatos. Ad Hebræos Epistolam lege, & linguam corrige.

IVL. DIX. *Denique Abel filio, parentum peccatum nihil nocuisse, sanctitas eius Scripturis omnibus celebrata testatur.* CA. 180.

AVG. RESP. Cur ergo non ipsum posuit Apostolus imitandum, qui primus justus fuit? Cùm de duobus hominibus ageret, quorum unus in condemnationem mitteret, alter in justificationem, Adam dixit & Christum. Si autem Abel *legem* non habebat *in membris repugnantem legi mentis* (quam licet justus debellabat interiore certamine) &, si *caro* ejus non *concupiscebat adversus spiritum*, nihil ei nocuerat peccatum parentum. Sed quisquis talem dicit fuisse Abel, dicat eum *carnem* non habuisse *peccati*: cùm pro culdubio Dominus Christus non habuisset *similitudinem carnis peccati*, nisi aliorum omnium hominum esset *caro peccati*.

Cur Christi caro in similitudinem carnis peccati.

IVL. DIX. *At è regione Cain, invidus parricida, de eadem natura progenitus, non eadem voluntate provectus, excarnificante animum tremore vastatur. Ergo in hunc mundum peccatum intrasse per*
Rom.5. 12. *unum Apostolus dixit, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines mortem pertransisse qui peccaverunt. Quæ sententia Catholico dogmati conveniens, nihil vobis impertit auxilij.* CA. 181.

AVG. RESP. Mortem cum peccato pertransisse ostendit Apostolus, dicendo, *Et ita in omnes homines pertransiit.* Propter hoc & infantes cùm baptizantur, *eruuntur de potestate tenebrarum*; alioquin cum magna injuria Dei, sicut jam diximus, & sæpè dicendum est, exorcizatur, & exsufflatur imago
Ioan.12.31. Dei, si non ibi ille exorcizatur & exsufflatur *princeps mundi, qui mittitur foras*, ut sit illic habitatio Spiritus Sancti. Scelus autem quod fecit Cain, ad originis causam non pertinet; quoniam voluntate commissum est.

IVL. DIX. *His enim est ordinata verbis, quibus exemplum præcedens, & studium sequens imitantis ostenditur.* CA. 182.

AVG. RESP. Iam tibi dictum est, Abel ergo ei debuit opponi à contraria parte, non Christus.

CAP. 183 IVL. DIX. *Cæterùm si generationem peccato aut infectam, aut obnoxiam voluisset ostendere; non dixisset per* unum *hominem intrasse peccatum, sed per* duos.

AVG. RESP. Iam responsum est. Nihil dicis: & tamen dicis, & dicis: quoniam rectum non potes invenire, quod dicas.

CA. 184. IVL. DIX. *Nec dixisset*, In eo transijt mors, in quo omnes peccaverunt, *sed in eo, quod de primi hominis & primæ mulieris diabolicâ voluptate & carne fluxerunt. Quod si pronunciavisset non vestrum dogma firmasset, sed omnes suas sententias subruisset Apostolus. Ergo, peccantûm voluntatem, & peccandi accusat exemplum. Ac per hoc Vos & ratio depræliatur & Paulus.*

Semper usurpat voluptatem pro concupiscentia.

AVG. RESP. Ergo in Abel primo justo ponere debuit justificationis exemplum, sicut in Adam primo peccatore positum putatis esse peccati. Cur enim nos pigeat eadem tibi respondere, cùm te non pudeat eadem toties frustra repetere?

CA. 185. IVL. DIX. Vsque ad legem enim peccatum in hoc mundo. Peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem etiam in eos qui non peccaverant, in similitudine prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. *Qualitatem peccati, appellationum varietate discernit, ut aliud ostendat esse peccatum, aliud prævaricationem. Hoc vult dumtaxat loco, Omnem quidem prævaricationem peccatum videri: non omne autem peccatum prævaricationem, ut per vocabulum* prævaricationis, *peccato crescat invidia, magisq; rei esse videantur, qui fuerint præcepta transgressi, quàm qui sine legis admonitu, rationis ingenita dissimulatione deliquerint. Ante eam ergo legem, quæ per Moysem data est, & consignata litteris, cuius sanctione actuum forma præscripta est, quam ignorare populo sub ea degenti liberum non erat, erat medium illud tempus inter Adam & Moysem. Tales variæ studiorum pravitate pollutos, peccati, Apostolus non prævaricationis accusat.* *Rom. 5. 13. & 14.*

AVG. RESP. Quid est ergo, *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, & in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ?* Quomodolibet enim distinguatis, contra vos dixisse Apostolus invenitur. Nam si *regnavit mors, & in eos qui non*

qui non peccaverunt, licet distinxeritis, non invenietis quomodo sit justum, nisi propter originale peccatum, & ideo tanquam quæreretur, Quare *regnaverit, & in eos qui non peccaverunt*? Responsio reddita est, *In similitudinem prævaricationis Adæ*; id est, non propter sua propria peccata, sed quoniam sui similes genuit prævaricator Adam; sicut exposuerunt hæc verba, etiam qui ante nos Catholici Doctores fuerunt. Quamvis enim peccatum illud primum atque unum, quod *per unum hominem intravit in mundum*, commune sit omnium, propter quod dictum est: *In quo omnes peccaverunt*; tamen sua propria parvuli peccata non habent. Et ideo de illis etiam hoc veraciter dici potuit, quòd *non peccaverunt*. Sed *regnavit in eos mors in similitudine*, ut dictum est, *Prævaricationis Adæ*. Si autem *regnavit mors ab Adam usq; ad Moysem, & in eos qui non peccaverunt, in similitudine prævaricationis Adæ*, id est, & in eos qui peccaverunt quidem, sed non *in similitudine prævaricationis Adæ* pecaverunt, neminem secundùm vos invenitis: quia omnes qui peccaverunt, in similitudine ejus peccasse, id est, exemplum ejus securos esse contenditis. Fovea igitur vulpeculæ ex utraque parte concluſa est. Non est quà intret, ut lateat: aut, si jam ibi latebat, non est quà exeat, ut evadat.

IVL. DIX. *Vt quibus lex data non est, intelligantur non esse præcepta transgressi: rei autem convincantur, quoniam negligentes rationem, quam propriy in unoquoque protestantur affectus, vel humanæ societatis, vel pudoris iura temeraverint. Atque ideo mutuâ quidem imitatione, non tamen legis, quæ necdum lata erat, dicantur transgressione peccasse.* Vsque ad legem *ergo* peccatum fuit, *non prævaricatio. Post legem autem, non solum peccatum, sed etiam prævaricatio.* Regnavit *autem* mors *æterna, quam Adæ, si peccasset, adscripturum se Deus spoponderat. Igitur illa mors peccato debita, mors pœnalis, regnavit & ante legem, in eos qui peccaverunt, sicut in Sodomitis, & in his qui in diluvij tempore propter iniquitatem, voluntariam tamen, vel varia sunt ætate consumpti. Regnavit & post legem, in his quos reos prævaricationum invenit.* CA. 186.

Rom. 5. 13.

Solam æternam mortem pœnalem esse contendit.

AVG. RESP. Quoniam mortem nisi æternam non vis esse pœnalem; si mors pœnalis non est, quę à corpore animam separat, cur eam timet natura, quam sic laudas, ut neges esse vitiatam? Quid causæ est, ut infans ubi paululum ab infantia progredi cœperit, jam formidet occidi? Cur non ita, ut in somnum, sensus est proclivis in mortem? Cur magni

habentur, qui mortem non metuunt, atque tam rari sunt? Cur etiam ipse qui *concupiscentiam* se *habere* dixit *dissolvi, & esse cum Christo; non vult* tamen *spoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale à vita?* Vt quid Petro dictum est, de ipso glorioso fine; *Alter te cinget, & feret quò tu non vis?* Si ergo frustra mors timetur, ipse timor ejus, est pœna: si autem anima separari à corpore naturaliter non vult, ipsa mors pœna est, quamvis eam in usum bonum gratia divina convertat. *Philip.* 1. 23 2. *Cor* 5. 4. *Ioan.* 21. 18

Mors corporalis an homini sit pœna?

CA. 187. IVL. DIX. *Quoniam eâ judicante justitia, quæ non imputat peccatum; nisi à quo liberum est abstinere; hi* qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: *& hi*, qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. *Quod autem ait Apostolus*, Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudine prævaricationis Adæ, *fecit transluc ere quod senserat, id est, Iudæos sub lege peccantes similiter ut Adam prævaricatos fuisse, definiens: quia & illi primo homini, licet non libris, auribus tamen commendata lex fuerat abstinendi à gustu arboris. In quo obedientiæ exploratio fuit, de qua contra præceptum edendo, prævaricationis crimen incurrit. Ergo & post datam legem ministerio Moysi peccans populus, in similitudine prævaricationis Adæ deliquisse convincitur: quia, ita ut ille, legis transgressione peccabat. In media autem ætate duarum legum, primæ datæ non scriptæ: secundæ verò & latæ & litteris traditæ, qui peccaverunt, non à peccato ostenduntur alieni: sed non in similitudine prævaricationis Adæ, quia legem non acceperant, perhibentur errasse.* *Rom.* 2. 12. *Rom.* 5. 14.

AVG. RESP. Vbi negas *similitudinem prævaricationis Adæ*, te ipse convincis, quòd hi *qui sine lege peccaverunt* primi hominis exemplo sint rei. Non est igitur imitatio sed generatio, qua per peccatum *mors in omnes homines pertransiit*. Ne enim, si tam prolixa tempora, quæ ante legem fuerunt, transiluisset hæc mors, quæ per peccatum primi hominis intravit in mundum, ut à Iudæis serpere inciperet qui prævaricatores legis effecti sunt, ut servarent *similitudinem prævaricationis Adæ*, diceretur de illa, *per unum hominem intravit, & per omnes homines pertransiit*. Cui enim non dico stulto, sed fatuo, persuadebitis, mortem per unum hominem intrasse, & per omnes homines pertransisse; quam dicitis tot gentes, & tot sæcula prætermisisse, & ad eos qui legem acceperant, intactis cæteris perveniisse? cùm & in eos mortem regnasse dicatis, qui non *in similitudine prævaricationis Adæ*, sed sine prævaricatione, quia sine lege,

lege peccaverunt ? Prorsus non estunde vestrum corrigatis errorem, nisi redeatis ad Catholicam fidem: quæ homini primo principi generationis hominem secundum principem regenerationis opponit.

IVL. DIX. Qui *Adam* forma *dicitur futuri, id est, Christi. Verùm forma à contrario: ut sicut ille peccati; ita & Hic iustitiæ forma credatur. Sed sicut incarnatio Christi, iustitiæ fuit forma non prima, sed maxima: quia & antequam Verbum caro fieret, ex ea fide quæ in Deum erat, & in Prophetis, & in multis alijs Sanctis fulsere virtutes: veniente autem temporum plenitudine, exacta in Christo iu-* Isa. 9. 6. *stitiæ norma resplenduit, & qui prædictus fuerat* pater futuri sæculi, *tam præcedentium Sanctorum, quàm etiam sequentium remunerator emicuit.* CA. 188. *Contendit Christum non primam formam iustitiæ fuisse; sed maximã.*

AVG. RESP. Agnoscimus hæresim vestram. Definivit enim Pelagius, quòd *non ex fide incarnationis Christi, antiqui vixerunt iusti: quia nondum in carne venerat Christus*, cùm profectò id futurum non prænunciassent, nisi priores utique credidissent. Sed in hanc absurditatem cecidistis, dum defenditis esse potuisse per naturam atque legem, justitiam. Utrum- Gal. 2. 21. libet autem si verum est, *ergo Christus gratis mortuus est.* *Vide lib. 1. ad Bonifacium c. 21. & lib. de Gestu Pelagij c. 11. & 35.*

IVL. DIX. *Ita etiam in parte contraria, Adam dicitur forma peccati, non prima, sed maxima.* CA. 189.

AVG. RESP. Unde ergo non prima, sed maxima ? quandoquidem propter exordium generis humani, non negas primam: nec invenis cur dicas maximam, nisi fatearis tantò graviùs Adam peccasse, quantò ibi major non peccandi facilitas erat, ubi vitiata natura nondum erat: nec *lex peccati in membris repugnabat legi mentis.* Cum qua pœna omnis homo nascitur, periturus in æternum, si non renascatur: & Luc. 19. 10. perditus nisi ab eo quæsitus inveniatur, qui *venit quærere quod perierat.* *Gravitas peccati Ada.*

IVL. DIX. *Maxima autem dico, non quia diabolum magis reum fuisse diffitear; sed quia cum institutionis ratio peteretur, accommodatiùs Apostolus hominis, quem primum successio humanitatis aspexit, quàm aëriæ substantiæ fecerit mentionem. Verùm in ipsa humanitate primam mulierem deliquisse constabat. Sed quia patrum in omnibus efficacior est & maior auctoritas, eum dixit formam fuisse peccati, non à quo cœpit delictum: sed qui per potestatem sexûs virilis, magis fuisse probatur imitabilis. Vides nempe, ut consequentia intellectûs, veritatem sibi inesse testetur.* CA. 190.

AVG. RESP. Non imitationem imitationi; sed regenerationem generationi oppositum Apostolum, ipsa Christi forma demonstrat, qui homini primo homo secundus opponitur. Si ergo non pertinent ad justitiam Christi, qui renascuntur; non pertinent ad peccatum Adæ, qui nascuntur: & non est Christus forma à contrario. Sed quia forma est, procul-dubio sicut renati ad justitiam Christi transeunt, etiam parvuli quamvis operari justitiam non valentes; ita cum transitu peccati ex Adam nati sunt sive nascuntur, quamvis nec peccatum adhuc valeant operari. Agnosce formam, & noli esse contradictione deformis.

CA. 191. IVL. DIX. *Nunc intuere, quantum à tua expositione discordent, ut cætera eiusdem loci, ita illa verba, quibus Apostolus pronunciat* etiam in eos regnasse mortem, qui non peccaverunt in similitudine prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. *Si enim de naturali peccato ageret, de quo dixerat, ut videtur tibi,* In quo omnes peccaverunt: *qui essent hi, quos statim pronunciat, non solùm non prævaricationi Adæ; sed ne in similitudine quidem culpæ illius obnoxios deprehendi?* Rom. 5. 14.

AVG. RESP. Sed Tu, sic intelligis, qui non intelligis. Apostolus autem rationem reddidit, quare *mors regnaverit, & in eos qui non peccaverunt*, addendo & dicendo *in similitudine prævaricationis Adæ*, id est propterea regnasse ostendens mortem, *& in eos qui non peccaverunt*, quoniam quandam similitudinis formam ex Adæ prevaricatione traxerunt. Adam quippe induunt qui nascuntur.

CA. 192. IVL. DIX. Regnavit, *inquit*, mors, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudine prævaricationis Adæ. *Vides eum distinctionem fecisse perspicuam, inter eos qui similiter ut Adam, & eos qui dissimiliter erraverant.*

AVG. RESP. Si *dissimiliter erraverant*, ubi est ergo imitationis exemplum? Regenerationem redde generationi; non imitationem imitationi: & invenies formam, quam commendavit Apostolus veritatis, non quam finxit Pelagius vestri auctor erroris.

CA. 193. IVL. DIX. *Qua divisio naturali peccato non potest convenire: quod si esset, omnes prorsus æqualiter conligaret. Nemo ergo esset, cui malum hoc non esset: & nullus inveniretur, de quo vere posset dici, quia in similitudine peccati illius non deliquisset, in cuius omnes unitate peccassent.*

AVG.

AVG. RESP. Quod retinendo clamas, hoc verum est: & contra vos est. Omnes prorsus originale peccatum æqualiter conligavit. Nemo esset, cui malum hoc non esset, nisi per Christum gratia divina prodesset. *In eos* enim, *qui non peccaverunt*, id est, qui sua peccata propria non fecerunt, ut *mors regnaret*, fecit *similitudo* antiquæ *prævaricationis Adæ*, *qui est forma futuri*, id est, Christi. Sicut enim primo homine, qui nascuntur; ita secundo homine, qui renascuntur, induuntur. *Originale peccatum æqualiter est in omnibus.*

IVL. DIX. *Colligit autem Apostolus, & pronuntiat, esse alios, qui peccaverint sicut Adam: alios, quos nec similitudo antiquæ prævaricationis adsperserit. Absolutè ergo claret, morum crimina esse, non seminum. Atque ut breviter, quæ sunt acta, repetamus, ait Apostolus, per unum hominem introisse peccatum. Hoc ratio ostendit imitationi, non generationi congruere, quæ est opus duorum.* CA. 194.

AVG. RESP. Quàm multùm eadem dicis, & nihil dicis: nec vides, quia si peccatum imitationis, à genere humano cœptum, isto significaretur loco, per *unam* potiùs quàm per *unum* in mundum diceretur intrasse: quæ ita prima peccavit, ut eam vir quoque ipsius fuerit imitatus. Sed quia generationem, non imitationem volebat intelligi, *Per unum*, inquit, *hominem peccatum intravit in mundum*; aut ambos singulari numero includens, propter quod dictum est, *Igitur iam non sunt duo*: aut eum potissimùm commemorans, à quo est principium generandi, cùm seminatio exoritur, ut conceptio subsequatur. Hæc sæpè jam diximus: sed iterationibus tuis, nostras quoque vel rariùs tamen iterando, non cedimus. *Cur per unũ dicat Apostolus peccatum intrasse?*

Rom. 5. 12.

Matt. 19. 6.

IVL. DIX. *Secutus est*, Ita in omnes homines mors pertransijt. CA. 195.

AVG. RESP. Quid est, *ita pertransijt*; nisi quomodo intravit, id est, cum peccato, sive per peccatum?

IVL. DIX. *Fecit distinctionem, ne quis putaret transisse peccatum: & mors, quæ præcurrit iudicante iustitiâ, secuta probaretur materias ultionis, quasi nunc quoq; peccatores de studio malæ voluntatis invenerit. Ostendit igitur non naturam accusandam esse, sed studia.* CA. 196.

AVG. RESP. Frustra te versas & reversas. *Adam* respice, & *Christum*. Ille *forma est futuri*. Non est ergo à contrario iste conformis; qui justitiam suam in renascentes parvulos traijcit, si peccatum in nascentes ille non traijcit.

IVL. DIX. *Subiunxit, in eo regnasse mortem*, In quo omnes peccaverunt. *Quo sermone, non nascentis ruina, sed opera* CA. 197.

agentis

agentis expressa est. Approbavit se itaque pravitatem arguere, nec innocentiam sauciare.

AVG. RESP. In illo peccaverunt omnes, in quo moriuntur omnes, cujus à contrario forma est, in quo vivificantur omnes. *Sicut* autem *in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur.* Quod ideo dictum est, quia sicut nemo, nisi per Adam, vergit in mortem; ita nemo, nisi per Christum, surgit in vitam. O homo, qui nihil potes dicere, possis saltem tacere! 1. Cor. 15. 22.

Quomodo in Christo omnes vivificabuntur?

CP. 198. IVL. DIX. *Post hoc autem intulit*, usque ad legem regnasse peccatum: *ostendens regnum peccati latâ Lege cecidisse.*

AVG. RESP. Si latâ Lege cecidit regnum peccati; ergo *per Legem iustitia est. Si per legem iustitia est, ergo Christus gratis mortuus est.* Apostoli est vox ista, non mea. Iam erumpite in apertum, *inimici Crucis Christi.* Quid timetis magnum populum, & Christi magnum judicium non timetis? Apertè dicite, justificari naturâ, justificari lege possumus. *Gratis mortuus est Christus.* Sed formidantes multitudinem Christianam, Pelagianum verbum supponitis: & quærentibus à vobis, Quare mortuus sit Christus, si natura vel lex efficit justos? Respondetis, ut hoc ipsum *facilius* fieret: quasi posset, quamvis difficiliùs, fieri tamen sive per naturam, sive per legem. *Christe*, responde, vince, atque convince, clama, *Sine me nihil potestis facere*, ut taceant hi qui clamant, Etsi difficiliùs, tamen possemus & sine te facere. Aut, si tacere non possunt, se-ipsos in latebras aliquas ducant, ut alios non seducant. Cur ergo ait Apostolus, *Usque enim ad legem peccatum in mundo fuit*, nisi quia peccatum auferre nec lata Lex potuit: sed ille de quo dictum est, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* Gal. 2. 21. Philip. 3. 18 Ioan. 15. 5. Rom. 5. 13. Ioan. 1. 29.

Pelagiani inimici Crucis Christi.

Ad quid gratiam commendarent Pelagiani?

CA. 199. IVL. DIX. *Generatio autem quæ cœpit ab Adam, & post legem permanet: quæ si esset fons peccatorum & frutex diaboli, sicut tu argumentaris, non utique* usque ad legem, *sed & post legem, & post Christum hoc crimen vigeret. Peccatum itaque, de quo Apostolus pronunciat, quia usque ad legem fuerit, nec potuerit manere post legem, actionis non nativitatis esse convincitur.*

AVG. RESP. Ecce apertè dicis, Non ideo dixisse Apostolum, *Usque ad legem peccatum in mundo fuit*, quia nec lex potuit auferre peccatum: sed quia *peccatum non potuit manere post legem.* Nec expavescis vocem Dei, per hominem Dei inten-

Ioan. 1. 29. intendentem in Christum, atque dicentem *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Quid desipis, & insanis? Non natura, non lex: sed, *ecce qui tollit peccatum mundi.* Et audes dicere, *Peccati regnum latâ lege cecidisse, & post legem non potuit manere peccatum,* cùm dicat Apostolus, *Si per legem iustitia, ergò Christus gratis mortuus est.* Cùm dicat Apostolus, *Quia in lege nemo iustificatur.* Cùm dicat Apostolus, *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* Cùm dicat Apostolus, *Si data esset lex, quæ posset viuificare, omninò ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Si aures habetis, ora iam claudite. Si rectè aperire ora vultis, priùs aures diuinis vocibus aperite. Sanè memineris te dixisse, *Generationem cœpisse ab Adam,* qui soles dicere, generationem non nisi à duobus incipere, & ideò non eam voluisse intelligi Apostolum in eo peccato, quod *per vnum hominem intrasse* dixit *in mundum.* Quis te posset credere obliuisci, quod toties dixeras falsum? Sed tamen oblitus es, vt aliquandò diceres verum, & expergiscereris. Audi vel teipsum. *Ab Adam cœpit generatio*: ac per hoc, per generationem intrauit peccatum, quod *per vnum hominem intrauit in mundum.* Etenim tu dixisti, *Generatio autem quæ cœpit ab Adam, & post legem permanet.* Conuenienter igitur Apostolus vnum hominem posuit, à quo *peccatum intrauit in mundum*, quod generatione traheretur: non diabolum, à quo illud *peccatum intrauit in mundum*, quod imitatio sequeretur.

Gal. 2. 21. Gal. 3. 11. Rom. 5. 20. Gal. 3. 21 & 22.

Rom. 3. 23. IVL. DIX. Peccatum autem, *inquit*, non imputatur, cum lex non est. *Quæ sententia, sicut & omnibus dictis suis, opinionem traducis interemit.* Cap. 200

An peccatum non imputetur, cum lex non est?

AVG. RESP. Planè *cùm lex non est, non imputatur peccatum:* sed ab hominibus, qui *inscrutabilia iudicia Dei* nesciunt. Nam si Deus *peccatum non imputat, cùm lex non est*; qua tandem iustitiâ Dei, *Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt?*

Cap. 201

Rom. 2. 12. IVL. DIX. *Nam si ante legem non imputata est peccati traduc, per legem autem non fuit; numquam omninò, quo noceret humano generi, virus obtinuit. Ante legem enim imputatum non est naturale peccatum: sub lege imputatum non est, quia in nullo vnquam loco legis vel monstratum hoc vel imputatum docetur. Apparet ergò Apostolum, peccatum ante legem liberæ voluntatis: post legem autem prædicationem itidem liberæ voluntatis arguere:*

AVG. RESP. Si in lege non ostenditur originale peccatum

tum, cur ergò in Lege anima paruuli octauo die non circumcisi, de genere suo dicta est interire? Cur infante nato, offerebatur sacrificium pro peccato? Iam quæso tace. Attende infantem, & imitare non fantem. Gen. 17. 14. Leuit. 12. 6.

Caput 202

IVL. DIX. *Ac per hoc, constat nihil eum de peccato traducis eloquutum. Quæ quamuis copiosa essent ad probandum nihil Apostolum de natural (quod esse non potest, & à Manichæis fingitur) sensisse peccato, ex abundanti tamen etiam distinctionem inculcauit, non omnes omnino Adæ præuaricatione pollutos: quandoquidem etiam de his, in quibus pro iniquitate regnarat interitus, inuenirentur plurimi, qui à præuaricatione Adæ docerentur alieni.*

Amb. l. 1. de pœn. c. 2.

AVG. RESP Calumnioſe, linguoſe *Omnes homines ſub peccato naſcimur, quorum ipſe ortus in vitio eſt*, qui dicit, Manichæus non fuit: ſed ſicut veſtri Doctoris ore laudatur, *Inter ſcriptores Eccleſiaſticos flos quidam ſpecioſus enituit.* Quomodò autem dicis *Nõ omnes Adæ præuaricatione pollutos*, & quod peius eſt, Apoſtolo imputas, quod tu inſipienter ſapis? cùm ille dicat, *Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſem, & in eos, qui non peccauerunt*, volens intelligi paruulos, qui nulla propria peccata fecerunt. Et addat, *In ſimilitudine præuaricationis Adæ*, oſtendens cur in eos regnauerat mors: quòd iam ſuperiùs ſatis egimus. Quomodò enim *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*, ſi in aliquos ad hoc vnius hominis peccatum non pertinentes, *regnauit* tamen *mors*? In quos enim *mors regnauit*, pertinent ad peccatum, quod intrauit. Qui verò ad peccatum per quod mors intrauit, non pertinent, quo iuſto iudicio ad mortem pertinent? Non autem pertinent ad *peccatum*, quod *per vnum hominem intrauit in mundum*, qui non in præuaricationis illius ſimilitudine peccauerunt, ſicut ipſe dixiſti: Non igitur in eos *regnauit mors*. Quid eſt ergò *Regnauit mors etiam in eos qui non peccauerunt, in ſimilitudine præuaricationis Adæ*, niſi, quia *regnauit mors, & in eos qui non peccauerunt* quoniam nulla peccata propria commiſerunt? *Regnauit* autem *in ſimilitudine præuaricationis Adæ*, quia licèt nulla ipſi propria peccata commiſerint, pertinent tamen ad *peccatum, per quod mors intrauit in mundum*, trahentes *ſimilitudinem præuaricationis*: non præuaricationem peccato proprio perpetrando; ſed de præuaricatore, per quem natura humana tota eſt vitiata, naſcendo. Rom. 5. 14.

cap. 191.

Paruuli trahunt ſimilitudinem præuaricationis Adæ.

Cap. 203

IVL. DIX. *Vide ergò vtrùm adhuc dubium vel tibi debeat eſſe*

quod

quod dicimus, innocentes videlicet ante propriæ voluntatis vsum, nude opus Dei, non peccasse in Adam, quando Apostolo teste, etiam de iniquis, qui in similitudinem prævaricationis Adæ non deliquerint, plurimi esse doceantur.

AVG. RESP. Iam responsum est. Opus est vt taceas: nam non potes nisi peruersa dicere, conando Apostoli verba peruertere. Ille enim *& in eos, qui non peccauerunt*, id est, parvulos peccata propria non habentes, dixit tamen *regnasse mortem in similitudine prævaricationis Adæ, qui est forma futuri*, quia ita Christus traijcit in eos iustitiam, sicut Adam peccatum; ita Christus vitam, sicut Adam mortem. Alioquin à forma Christi alieni erunt, & Christiani non erunt. Quod quidem sentitis: sed apertè dicere formidatis.

Rem. 5. 15.

Cap. 204

IVL. DIX. *Sed videamus & cætera.* Sed non sicut delictum, ita gratia. Si enim in vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. *Superari dicit malum delicti, copiâ gratiæ: & eorum qui saluantur numerum illis, quos prævaricatione periisse asserit, anteponit.*

Multo magis abundat gratia

AVG. RESP. Iam sæpè diximus, non ait *plures*, sed *multos*: nec *magis multos*, sed *magis abundauit*; quoniam in æternum victuri sunt, in quos transijt vita Christi, quibus ad tempus nocuit mors, in eos transiens per Adam. Ecce quomodò *multò magis abundauit gratia*, quàm peccatum.

Cap. 205

IVL. DIX. *Si veritatem Apostoli verba indicant, nec eum impudenter putas fuisse mentitum; doce, quemadmodũ de naturali peccato dicens, hæc sententia non incutiat publicæ falsitatis pudorem. Nam si esset originale peccatum, quod omnem omninò naturam hominum ad ius diaboli faceret pertinere, qui erat locus ad aquisparandum partiũ numerum, eorum videlicet, qui saluantur, & illorum qui interierũt?*

Mat. 7. 13. & 14.

In Euangelio Dominus cùm beatorum ostenderet vrbanitatem, quam arcta & angusta, *inquit*, via, quæ ducit ad vitam! & pauci sunt qui inueniunt eam. Quàm lata & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem! & multi sunt qui intrant per eam.

AVG. RESP. Hoc est quo sensus iste vester euertitur, quoniam pauci sunt qui saluantur, in aliorum comparatione: per seipsos autem multi sunt. Eorum quippè multitudinem dicit *Apocalypsis numerare nemmem posse.* Ideò, Paulus si eos non *multos*, sed *plures* dixisset, non possemus eos dicere pauciores. Verbum enim comparationis est, *plures*: quod verbum

Quomodo multo magis abundet gratia

Cap. 7. 9.

bum vos ſupponitis, non Apoſtolus ponit. Sed nec ſic vobis ratio conſtabit. Veſtra quippè illa imitatio (quam vobis videmini velut acutè inueniſſe, contra verborum Apoſtolicorum clariſſimam veritatem; vt non per generationem ſed per imitationem peccatoris, omnes ad peccatum primi hominis pertinere credantur) multò plures vnius delicto, vel ob vnius delictum perire affirmat, quàm gratiâ vnius hominis Ieſu Chriſti liberari. Quis enim non videat peccatores plures eſſe, quàm iuſtos? quos peccatores, non aliquos ſed omnes, non quidem per generationem, ſed tamen per imitationem, ad vnius delictum dicitis pertinere. Sed etſi non omnes peccatores, ſed tantùm prævaricatores legis, peccato primi hominis per imitationis vinculum dicatis adſtrictos; etiam ſic, ex quo lex Dei per multas gentes prædicatur, *Quàm lata & ſpatioſa via eſt, quæ ducit in interitum! & multi* prævaricatores *ingrediuntur per illam. Quam arcta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam! & pauci ſunt qui inueniunt, eam;* in comparatione vtique multorum qui pereunt, etiamſi paucis qui liberantur, & parvuli qui baptizati moriuntur, addantur. Quomodò ergò Apoſtolus diceret, *Multò magis gratia Dei in* plures *abundauit*? Quod vos dicitis, ille non dixit: ſed ille dixit, *Multò magis abundauit in* multos, quia etiam qui ſaluantur, vt iam dictum eſt, in comparatione pereuntium pauci: ſine comparatione autem illorum tam multi ſunt, vt eos quiſquam numerare non poſſit. *Multò magis* autem *in eos abundat gratia*, quia temporaliter per Adam miſerè atque mortaliter viuunt; per Chriſtum verò beatiſſimè, & ſine fine victuri ſunt. Turbata eſt veſtra inuentio: iam tandem intentio corrigatur. *Matt. 7. 13. & 14.* *Rom. 5. 15.*

Cap. 206 IVL. DIX. *Hoc nempe quod dicimus*, multos & paucos, *ad quantitatem indefinitam pertinet: quoniam in comparatione mutua, aut multitudo inuenitur, aut paucitas. Conferens itaque Deus multitudini pereuntium eos, qui ſaluandi ſunt, paucos eos vocauit: & hîc Apoſtolus conferens hîs qui ita peccaſſent, vt Adam, illis quos ſaluat Chriſti gratia, multò plures eſſe pronunciat.*

AVG. RESP. Non pronunciat *plures*, ſed *multos*. Græcè locutus eſt: πολλοὺς dixit, non πλείστους. Lege, & tace

Cap. 207 IVL. DIX. *Aſſere ergo hos, peccato Manichæorum, id eſt, traducis conuenire.*

AVG. RESP. Doctores Catholici, non Manichæi deceptores,

tores, dixerunt, Omnes in Adam peccasse. Illi hoc dixerunt, qui intellexerunt Apostolum, quod vos negatis contra Apostolum. Ergò & vos deceptores estis: & vos enim, sicut Manichæi, sed diuerso morbo, insanitis.

Cap. 208

IVL. DIX. *Nam si vniuersitatem, quam fœcunditas humana protulit, regno diaboli peccatum naturale transscripsit, & inde in extrema ætate mundi aliqui liberati per Christum putantur; quæ veritas est, aut quæ auctoritas eius magistri, qui contra tam clarum testimonium totius mundi dicit, in plures iniustiam abundasse quam culpam? Quid ergo ei creditur de inuolutis dogmatibus differenti, si de rebus tam perspicuis mentiatur? Quod quia sentire sacrilegũ est, id autẽ dici dogma tuũ compulit, honore Apostoli, Manichæorũ vilitas conteratur.*

AVG. RESP. Vos potiùs perspicua nubilare contenditis, non solùm non intelligendo quod Apostolus dixit, verùm etiam mutando, & suponendo quod ille non dixit, *plures* enim non dixit ille, sed *multos*: qui tamen multi, pauci inueniuntur, quandò pereuntibus comparantur. Calumnioſe, frontoſe, verboſe, hoc dixit Apostolus, quod intellexit *Ambrosius*, qui non erat Manichæus, *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est.* Audi, sicut eum laudauit magister tuus, *florem speciosum*: & de tuo corde, istam spinarum deformitatem, hoc est, fœda acumina improbæ contentionis euelle.

L. 1. part. 1. c. 2.

IVL. DIX. *Non mentitur Apostolus. Ergo in plures abundauit Christi gratia, quam Adæ culpa: cuius imitatione dicuntur peccasse, qui sub lege peccauerunt. Sub lege autem vsque ad Christum, Iudæi tantummodo deliquerunt. Confer ergo Iudaïcam nationem solam, perfectæ duntaxat ætatis, sub lege positam, & per hoc in similitudinem præuaricationis Adæ peccantem quia accepta lege peccauit; ac de multitudine vocatarum Gentium per prædicationem Euangelij, eorum millia qui gratia sunt liberalitate saluati: tunc̃, intelliges, Apostolum Paulum verum pronunciasse, ad plures gratiam Dei & donum Iesu Christi peruenisse, quam societatem præuaricationis antiquæ.*

Cap. 209

AVG. RESP. Cùm Apostolus inuenitur non *plures* dixisse, sed *multos*; tum huius argumenti machina tota subuertitur. Quamuis non soli Iudæi, sicut tibi placet, sed omnes præuaricatores esse reperiantur, qui legem cum ipso Euangelio prædicatam præuaricando, damnabiliores fiunt: qualibus præuaricatoribus simul cum Iudæis ita plenus est mundus; vt in omnium comparatione sint pauci, qui, paruulis quoque

baptizatis additis, liberantur; quod & responsione superiore comprehendi. Euidenter contra vos clamat doctor gentium, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur.* Qui *omnes* non pauci, sed multi sunt: ac per hoc multi moriuntur in Adam, multi viuificabuntur in Christo. Sed plures moriuntur in Adam, quàm in Christo viuificabuntur. Plures itaque ad illius mortem: ad huius verò vitam comparatione illorum pertinent pauciores. Sed etiam ipsorum per seipsos ea est multitudo, *quam numerare nemo possit.* Quid est ergò, *Omnes in Christo viuificabuntur*, nisi quia nemo viuificabitur nisi in illo? Cuius rei similitudinem de Magistro posui litterarum, si sit vnus in ciuitate, à quo ibi dicantur omnes litteras discere, non quia omnes discunt; sed quia nemo, nisi ab ipso. Quam locutionem nec tentasti refellere, quia vidisti esse rectissimam, & omnibus notam.

1.Cor.15 22. Apoc.7.9 1.Cor.15 22.

Quomodo in Christo omnes viuificabuntur?

Cap.210 IVL. DIX. *Expositâ liberalitate Gratiæ in hominum saluatorum copia, comparat donum atque peccatum: & eruditissimè ad laudem dei applicat, quod multis vulneribus † vnâ virtute medicetur.* Et non sicut per vnum, *inquit*, peccatum, ita & donum.

† *Vid sup. lib. 1. cap. 53.*

Rom.5. 16.

AVG. RESP. *Per vnum hominem peccantem*, dixit, non *Per vnum peccatum*: vt quod deindè dicit, *Iudicium ex vno*, delicto, *in condemnationem*, non nisi illius vnius peccantis hoc delictum possit intelligi. Quod quidem vos non vultis; sed quid facturi estis, quandoquidem hoc dixit Apostolus, etiam nolentibus vobis? Corrigimini ergò: non enim habetis hic aliud, quod facere debeatis.

Cap.211 IVL. DIX. Nam iudicium ex vno, in condemnationem: gratia autem ex multis delictis, in iustificationem, *id est, peccata quidem quæ grauia sunt, etiam singula possunt sufficere ad accusationem & damnationem eorum:*

Ibid.

AVG. RESP. Quarè dixisti *grauia*, quod non dixit Apostolus, nisi quia vidisti, si vnum delictum leue sit, non sufficere ad damnationem, de qua loquebatur? Non ergò ex quocumque vno cuiuscumque delicto est hoc iudicium; sed *ex vno* illo delicto, quod factum est *per vnum peccantem*, id est, Adam, *iudicium est in condemnationem.* Et adhuc peruertere recta verba Apostoli vultis, ne vestra quæ peruersa sunt, corrigatis.

Cap.212 IVL. DIX. *Gratia autem non eodem confertur modo, vt peccatis æquè ammota singulis crebra repetatur; sed infusa semel, vno vir-*

tus

tutis suæ impetu atque compendio, diuersa & plurima delet crimina. Idcò ait, ex multis delictis in iustificationem, *id est, ex multis delictis liberatos homines ad gloriam perduxit iustificationis indultæ. Non ergò hic vnum Adæ peccatum, vt suspicaris, intelligit: sed ad hoc solum numerum ammouit* vnius & plurium, *vt ad hanc laudem gratiæ respiceret, quia non quoties peccatum ab vnoquoque mortalium fuerat, toties etiam frequentaretur gratia, quasi baptismata singula nisi peccatis singulis non possint mederi.*

AVG. RESP. Ita hoc loqueris, quasi dixerit Apostolus, *Gratia autem* Semel *ex multis delictis in iustificationem.* Nō hoc dixit, attende quod dixit, & corrige quod dixisti. *Gratia,* inquit, *ex multis delictis in iustificationem.* Quid huc pertinet quòd *semel & simul* vnicuique omnia dimittuntur in baptismo? Nonne & illa condemnatio, ad quam iudicium perducit extremum, proculdubio semel fit omnium, quæ remissa non fuerint peccatorum: & magis ipsa damnatio *semel,* quàm remissio peccatorum per gratiam Christi *semel* fit? quoniam si post baptismum quisque peccáuerit, non eadem sunt peccata: sed per eandem gratiam peccantibus remittuntur, non *semel,* nec *septies,* sed etiam *septuagies septies.* Eadem gratia quotidie dimittit orantibus etiam quotidiana peccata, cùm dicunt, *Dimitte nobis debita nostra,* veraciter addentes, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Gratia* ergò *ex multis delictis,* siue singula in singulis, siue in quibusdam pauca, in quibusdam plurima inuenerit, siue quæ ante baptismum, siue quæ postea committuntur; & pœnitendo, orando, eleemosynas dando sanantur, *in iustificationem* mittit, quos à damnatione liberat. Hæc enim omnia, ipsa sunt multa, ex quibus multis iustificat gratia. Quæ si non subueniat, profectò etiam *ex vno* delicto, nō quod proprium quisque committit (hoc enim loco non indè loquebatur Apostolus) sed quod *per vnum peccantem intrauit in mundum,* itur *in condemnationem.* Hoc enim Apostolus euidentissimè expressit. Neque enim ait, sicut tu, *non sicut vnum peccatum,* tanquam singulum cuiusque volens intelligi, sed ait, *non sicut per vnum peccantem.* Aperi oculos, & noli tanquam cæcus aliud pro alio velle supponere.

Matt. 18. 22. Matt. 6. 12.

IVL. DIX. *Sed hoc curauit exprimere, cum, inquit, peccata singula reos suos lethaliter vulnerassent, immutabiliter confossos homines, hac gratia singulari & semel tradita virtute, saluauit.* Cap. 213

AVG. RESP. *Per vnum peccantem,* dixit, vbi Adam intelligitur:

gitur: non, *per vnum peccatum*; vbi tu verbo mutato atque suppositio, vis intelligi singula singulorum. Rom. 5. 17

Cap. 214

IVL. DIX. Si enim ob vnius delictum mors regnauit per vnum, multò magis qui abundantiam gratiæ, & donum iustitiæ accipiunt, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. *Consequenter quod cœpit affirmat. Duas enim posuit sententias, vtrique volens conuenire quod in fine subiunxit. Per vnum enim, qui fuit forma peccati, & in cuius similitudine prænaricantur sub lege peccantes, pronunciat regnare mortem: & per vnum quoque regnare in vita, abundantiam gratiæ consecutos, quæ gratia virtutem imitantibus prodest. Non remansit ergò de* vno *quæstio: quia hoc quod subditum est, eos videlicet in vita regnare, qui abundantiam gratiæ perceperint, etiam primum illud absoluit, vt nemo videlicet cogatur in mortem, nisi qui exemplum peccantis adamauerit.*

AVG. RESP. Cuius *exemplum peccantis adamauerit*? Nempè primi hominis. Hunc enim formam diceres esse peccati, propter imitationem, non propter generationem. Proindè, si, vt dicis, *Nemo in mortem coguntur, nisi qui exemplum peccantis* huius *adamauerit*; non ergò coguntur in mortem, qui non similitudine præuaricationis eius, sicut existimas, peccauerunt. Quomodò ergò dicis, *mortem regnasse, & in eos qui peccauerunt* quidem per liberum arbitrium, sed non *in similitudinem præuaricationis Adæ*, quia *sine lege peccauerunt*? Non itaque peccauerunt eius exemplo, quoniam non peccantes in similitudine præuaricationis eius, non exemplum peccantis amauerunt. Quantum enim ab hac similitudine peccati huius, tantum ab imitatione exempli huius alieni sunt. Cùm igitur & in eos regnauit mors, quid est quod dicis, *Vt nemo cogatur in mortem, nisi qui exemplum peccantis adamauerit*, eius videlicet, quem propter imitationem, formam vis fuisse peccati? Ecce non amauerunt peccantis exemplum, qui non in præuaricationis eius similitudine peccauerunt: & tamen etiam regnauit in eos mors. En iussi estis redire ad Catholicam veritatem, vt in eos quoque mortem regnasse fatearis, qui non peccauerunt propria faciendo peccata: sed regnum mortis in similitudinem præuaricationis eius, de cuius stirpe sunt nati, tamquam hæreditario miseriæ iure subierunt. Sic quippè intellexerunt hęc Apostolica verba Doctores Ecclesiæ, qui viderunt ea non posse rectè intelligi, nisi in eis intelligatur obnoxiæ successionis origo peccati, propter quod dixerunt, *Paruulos secundum Adam carnali-*

carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contrahere. Nec Manichæi fuerunt: sed vos Pelagianos Dei spiritu, qui per eos locutus est, damnauerunt. *Cypr. lib. 1. epist 82*

IVL. DIX. *Vita, in qua sunt regnaturi sancti, æterna monstratur; ergo & mors, quæ iniquitatem voluntariam sequitur, æterna creditur.* Itaque sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem; & sic per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per vnius inobedientiam, peccatores constituti sunt multi; ita & per vnius obedientiam, iusti constituuntur multi *Omnis est soluta perplexitas. Impudenter de vniuersitate calumnia incitatur. Ineptissimè in scirpo nodus quæritur. Pronuntiat Apostolus non* omnes *esse, sed* multos, *qui per inobedientiam primi hominis, peccata didicissent: & multos esse non* omnes, *qui per alterius obedientiam, iustitiam essent adepti. Nihil hic de exortu humanitatis agitur: mores in diuersis studijs publicantur: inobedientia & obedientia studiorum operam, non generationis ostendit. Certè vbi opportunius, si quid secundum te saperet Apostolus pronuntiaretur, Omnes ad condemnationem ire nascendo, paucos autem ad vitam credendo, quàm in hoc loco, vbi summa disputationu complenda erat? Debuit enim dicere, Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt omnes: imò, non per inobedientiam; sed, Sicut per generationem primi hominis peccatores nati sunt omnes; ita & per vnius obedientiam iusti constituuntur multi.* Cap. 215

Rom. 5. 18. & 19

AVG. RES. Immò debuit dicere, Sicut per inobedientiam suam peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam suam iusti constituentur multi: aut, si imitationem (quam Vos in magnis angustijs cõstituti, & persequẽte veritate coarctati inuenisse vos putatis, quâ exire possetis) hoc loco illic cõmẽdare voluisset, debuit dicere, Sicut per imitationem inobediẽtiæ vnius hominis, peccatores cõstituti sũt multi; ita & per imitationẽ obediẽtiæ vnius hominis, iusti cõstituuntur multi. Ecce & ego dixi, quomodo debuerit Apostolus loqui, si hoc vellet dicere, quod vos dicitis: ne putes aliquid magnũ esse pro volũtate nostrâ verba cõponere; nõ auctoris volũtatẽ in verbis eius exponere. Dixit ergo *per inobedientiam vnius hominis* quem generationis principem nouerat, *peccatores constitutos esse multos*; quoniam illâ in obedientiâ est natura humana vitiata: *& per obedientiam vnius hominis*, qui regenerationis est princeps, *iustos constitui multos*, quia illius obe-

Peccato Adæ natura humana vitiata est

dientiâ natura humana ſanatur, qui *factus* eſt *obediens vſque ad mortem Crucis*, vt iuſti conſtituantur per eius gratiam, etiam qui non hîc per ſuam conuerſationem iuſti eſſe potuerunt, ſicut hi qui continuò poſt *lauacrum regenerationis* expirant, ſiue grandioris, ſiue infantilis ætatis. Vndè maluit verbum futuri temporis ponere, & *conſtituentur* dicere, non *conſtituti ſunt*, quoniam iuſti, illâ iuſtitiâ quæ ſine vllo peccato erit, in futuri ſæculi æternitate victuri ſunt. Cùm autem de peccatoribus non dicit *conſtituentur*, ſed *conſtituti ſunt*, ſæculum hoc quod præterit, vbi iam vitiata eſt humana natura, verbo temporis præteriti expreſſit. Iam verò de *multis*, quia ipſi ſunt *omnes*, ſatis tibi reſponſum eſt. Tu autem quos Apoſtolus dixit *omnes*, non potuiſti niſi contradicendo exponere, & dicendo, *non ſunt omnes*: quò te nulla neceſſitas cogeret, ſi Catholicum quàm Pelagianum ſenſum tenere maluiſſes. *Omnes* enim propterea dicuntur & *multi*, vt diſcernantur ab eis qui cùm ſint omnes, ſunt tamen pauci. Phil. 2. 8

Cap. 216 IVL. DIX. *Quòd ſi ita intuliſſet, non minùs docebatur impia eſſe, quàm inepta ſententia: quia & comparatio ipſa in diuerſo propoſito perſonarum, ſtolidiſſima doceretur, cùm res non ſimiles ad collationem venirent*, natura *videlicet* & voluntas: *& in parte mali ſeminum neceſſitas poneretur; in parte verò boni, ſtudij ſola libertas. Imò, iam non libertas, quoniam non ſuppetebat facultas eligendi boni, & cauendi mali, ſi naturalis reatus fuiſſet. Dicit ergò Apoſtolus ſapiens & eruditus Eccleſiæ Doctor, per inobedientiam extitiſſe, tranſiſſe, multiplicatáq; iniuſtitiam.*

Sup. c. 63 64. 196. AVG. RESP. Vbi eſt quod dixeras, *non peccatum tranſiſſe, ſed mortem*? Ecce nunc dicis *per inobedientiam*, quæ vnius hominis commemorata eſt, non ſolùm *extitiſſe*, verùm etiam *tranſiſſe* peccatum. An quid priùs dixeris fortaſſis oblitus es? gratulandum eſt obliuioni tuæ, quâ verum compelleris dicere? Nam quòd tibi videtur in collatione contrariarum partiũ non debere ex vna parte poni neceſſitatem ſeminis, & ex altera ſtudium voluntatis, ſtolidum eſſe reperires, ſi videres ſic in mali parte illos qui pertinent ad hominem primum connexione generationis, ſine ſtudio ſuæ voluntatis peccati traxiſſe contagium; quemadmodum illi paruuli qui pertinent ad hominem ſecundum, ſine ſtudio propriæ voluntatis per pacem regenerationis, iuſtitiæ participes fiunt. Si autem ſemen ex vtraque parte depoſcis, ſicut per Adam ſemen carnale vitiatum

tum est; sic viget spiritale per Christum. Quod semen insi-
1. Ioan. 3 nuauit nobis Ioannes Apostolus, dicens, *& non potest peccare,*
9. *quia semen eius in ipso manet.* Quod in futuro sæculo bono potiùs apparebit, vbi qui erunt, peccare non poterunt: non in hoc sæculo maligno, vbi & hi, qui pertinent ad sæculum peccata non habiturum, habent vndè quotidie petant à Patre veniam peccatorum.

IVL. DIX. *Ac per hoc, destruit opinionem peccati naturalis, &* Cap. 219
docet alias esse causas substantiæ, alias voluntatis. Ac ne intelligentia hæc nostro magis imputetur ingenio quàm Apostolico dogmati, ea
Rom. 5. 20. & 21 *quæ hoc loco addidit, audiamus.* Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit peccatum, superabundauit gratia. Vt sicut regnauit peccatum in mortem; ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum. *Assere igitur quemadmodum peccatum suum, id est traducis, cœperit abundare post legem: quæ, post ministerium Moysi incrementa susceperit.*

AVG. RESP. Immò tu assere, quomodò, sicut superiùs di- c. 198.
xisti, *regnum peccati latâ lege ceciderit*, cùm dicat Apostolus, latâ Lege abundasse peccatum. Ego autem quod dixi assero, quia etsi non asseram, clarum est. Peccatum quippè *originale* fuit ante legem, quia *per vnum hominem peccatum intrauit in*
Rom. 5. 12. *mundum*, & cum illo mors per omnes homines pertransijt. Erat & *voluntarium*, quoniam *qui sine lege peccauerunt, sine lege*
Rom. 5. 20. *peribunt. Subintrauit autem lex, vt abundaret peccatum:* quia his generibus peccatorum, quæ ante legem fuerunt, etiam illud
Rom. 4. 15. accessit, quod *prævaricatio* nuncupatur. *Vbi enim lex non est,*
Rom. 5 20. *nec prævaricatio Vbi* ergò his omnibus generibus peccatorum *abundauit peccatum, superabundauit gratia*, quia in his qui ad eam pertinent, omnium istorum generum reatum delet: & insuper donat, vt delectatio peccati, iustitiæ delectatione vincatur: atque ad eam postea perueniatur vitam, vbi nullum erit omninò peccatum. Quomodò ergò *Res non similes in collationem venire non debent*, sicut paulò antè dixisti? cùm ex contrarijs fiat ista collatio: & ex vna parte generatio ponatur, ex altera regeneratio: ex vna regnum mortis, ex altera regnum vitæ: ex vna abundantia, ex altera remissio peccatorum: ex vna delectatio peccati, per naturæ vitium vsque ad consuetudinem malam; ex altera prælium contra concupiscentiam carnis, per sancti spiritûs adiutorium, vsque ad victoriam, per

pacem, quæ nullum intrinsecus, nullum extrinsecus pati etur inimicum. Hæc tene, si vis sanus esse: & noli contra hæc, quæ ad sanam doctrinam pertinent; insanire.

Cap. 218 IVL. DIX. *Certè in his locis Apostolum de peccato naturali dissentiisse contendis. At, hoc suprà dixerat,* vsque ad legem *fuisse, vt intelligeretur, post legem esse desisse. Nunc autem de eodem dicit, quòd cœperit crescere & abundare post legem. Catholico intellectui, quem sequimur, vtrumq; hoc conuenire monstrauimus. Tuo verò dogmati quâ impudentiâ vindicatur, vt vnum idemq; peccatum lege latâ superiùs quidem defecisse, nunc autem reuiuisse dicatur? Quomodo ergo post legem abundauit naturale peccatum? Acriùs ne cœperunt genitalia commoueri, vt de augmentis & nouitate motuum peccato tuo virtus videatur adiuncta? An lex data nascentibus est, vt qui de libidine, quam dicis diabolicam esse, & radicem fructumq; peccati, geniti erant, admonerentur emendare quod factum erant, & gestum corrigere quem habuerant, cùm eos generarent Parentes? cogerent postremò quæ facta erant, infecta esse? quod illi audire videlicet renuentes, inobedientiæ crimen incurrerunt. Sed hoc à nullo stultorum, nedum lege quam Deus dedit, posset imperari.* Rom. 5. 13.

AVG. RESP. Numquid alicubi diximus peccatum originale creuisse, post legem? aut hoc intelligi volumus in eo, quod ait Apostolus, *Lex subintrauit, vt abundaret delictum?* Abundauit enim, non quia illud genus creuit quod antè iam fuerat: sed quia genus aliud peccati accessit, quod sine lege non erat, id est, *præuaricatio*, sicut paulò antè monstrauimus. Concupiscentia est autẽ carnis & libido genitalium, contra quam Sanctorum castitas pugnat. Hanc tibi multùm placentem, quam cum ipsa sua pugna, cui repugnat etiam pudicitia coniugalis, non nisi ad filios procreandos eâ bene vtens, alijs autem motibus eius obsistens: hanc ergo cum ista sua pugna, quia etiam in paradisi pacem conaris admittere vel immittere, ipse in paradisum non disponis intrare. Quantalibet autem abs te defensione muniatur, & laudibus adornetur; aut vitium est, aut vitiata est: nec immeritò militibus Christi, à quibus debellatur, odiosa est. Cum qua ipse concludis, vt eam & expugnare te dicas, & laudare non erubescas. Per hanc humana quæ nascitur, *caro peccati* est: propter quod per illam nasci noluit ille, qui natus est *in similitudine carnis peccati*: ac per hoc, quamuis in carne vera, non tamen in *carne peccati*. Ex hac cõcupiscentia susceptâ tuâ, tibi quidem pulchrâ nimis, sed fœdâ Rom. 5. 20.

Concupiscentia

omnibus

omnibus sanctis, generatione trahitur originalis peccati vinculum, sola regeneratione soluendum. Illud factum est per Adam: Hoc fit per Christum. Illud *per quem peccatum intrauit in mundum*: Hoc per eum, *qui tollit peccatum mundi*. Sic agnoscit Adam & Christum, qui ex Adam transijt ad Christum. Rom. 5. 12. Ioan. 1. 29.

IVL. DIX. *Quid ergò additum post Legem est peccato naturali, quod quidem non solùm nõ prohibitum aut condemnatum, verùm etiam nec leuiter vituperatũ aut tenuiter ostensum probatur in Lege.* Cap. 21.

AVG. RESP. Ostenditur & in Lege: sed si vobis auferatur velamen. Quid enim aliud ostenditur damnatione animæ illius, qui octauo die non circumciditur? Quid aliud ostenditur quandò infante nato, sacrificium pro peccato iubetur offerri? quod iam suprà memoraui. Gen. 17. 14. Leuit. 12 6.

IVL. DIX. *Certè ne tu quidem adeò desipis, vt dicas, peccati traducem, post circumcisionem, factam esse, maiorem. Quomodò ergò abundauit post Legem, quæ nec arguitur in Lege, nec proditur? Adhuc intende, quàm sana intelligentia concinat, quæ peccatũ in sola delinquentis voluntate cõstituit,* vsq; *ad legẽ dicit Apostolus fuisse* peccatũ *vt post legem intelligatur fuisse* præuaricatio, *promulgata videlicet præcepta transgrediens, atq; hoc genere abundauit lege subintrectũ peccatum, quoniã reatui eius de præuaricatione creuit inuidia: & opus malæ voluntatis, sicut ante legem peccatum erat ita post legem cœpit esse transgressio; quamuis non eo proposito legẽ Deus tulerit, vt mortales fierent eius sanctione priores,* Neque *enim* lex. peccatum *aut causa peccati: sed* mandatum sanctum & iustum & bonũ. *Verùm quia delinquẽtium prauitas, eo se ferro, quo curari debuit, vulneranit, obstitit; consilio Dei, vt inde periclitaretur vnde debuerat sanari; dicit Apostolus, de effectu rerum, opinionem diuinæ consilij, quo data lex fuerat, iniuriam pertulisse: & quia non fuit is prouentus emendationis humanæ, quem lator legis intenderat, sed in plurimis euenere contraria, eo vsque, ait, profeciisse studia peccantium, vt non ob aliud videretur data lex esse, quam vt improbi improbiores fierent, & ad peccatum prauaricatio iungeretur.* Rom. 5. 23. Rom. 7. 7. & 12. Cap. 22.

AVG. RESP. Tu dicis ita, qui consilium Dei in danda lege non ipsum sapis, quod Apostolus Paulus ostendit: & ad eas blasphemias ipse te impingis, vt dicas, *Opinionem diuini consilij, quo data lex fuerat, iniuriam pertulisse*: tamquam aliud factum sit, quàm Deus futurum fuerat opinatus; neque hoc prouenerit latâ lege, quod *lator legis intenderat*. Deum igitur omnium præscium futurorum, secundùm tuam sapientiam

Prou. 19 21. iuxta 70. sua fefellit intentio. Non attendis quod scriptum est, *Multæ cogitationes in corde viri: consilium autem Domini manet in æternum.* Si ergò vis nosse, quantum homini fas est, quo consilio Dei omnipotentis, & omnia præscientis, lex data fuerit; intuere quod dicit Apostolus, *Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, omninò ex lege esset iustitia.* Et tanquam diceremus, Cur ergò data est? *Sed conclusit,* inquit, *Scriptura omnia sub peccato: vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Ecce quod est consilium datæ legis. Quis autem nescit, non legis sed hominum vitio, lege subintrante abundasse peccatum? Sed hoc vitium, quo prohibita plùs delectant, & fit *virtus peccati lex,* non sanat nisi *viuificans spiritus,* non *littera occidens:* quæ tamen ad hoc vtilis fuit, quia cùm ipsa occideret per præuaricationem, crescente per prohibitionem cupiditate peccandi, *viuificantem Spiritum* fecit inquiri, & hominem de sua virtute lethaliter confidentem, adiutorium gratiæ Dei compulit poscere sub *Lege,* quamuis *sanctâ & iustâ & bonâ,* tamen deficientem: atque ad operandum quæ sancta, quæ iusta, quæ bona sunt, sibi subuenire propriis viribus non valentem.

Quod consilium fuerit datæ legis? Gal. 3. 21. Ibid. 23. 1. Cor. 15 56. *Legis vtilitas.* Cap. 211

IVL. DIX. *Iure igitur hoc genere dicitur abundasse delictum, quod & ante legem, & post legem vnusquisque committebat voluntas: sed ante legem peccatrix, post legem autem etiam præuaricatrix. Tunc ergo crescit & abundat aliquid, cùm in genere suo colligit incrementa. Sicut peccato liberæ voluntatis, post Moysem cumulus transgressionis accessit. De eodem enim genere fuit, licet in tempore diuerso, id est, de mala voluntate, quæ & ante legem, & post legem, non coactu insuperabili, sed studio vituperabili deliquit. Quæ cùm ita sint, Tibi nihil potest de Apostolicis conuenire verbis. Neque enim subintroeunte Lege, peccatum traducis aut copiosius factum docetur, aut grandius: nec peccatis voluntatis illud abundare iure dicetur, quod ad nascentium voluntatem nequaquam attinere monstratur. Non ergò abundauit post Legem, quod Lex nec prohibere potuit, nec punire.* Vbi autem abundauit peccatum, superabundauit gratia. Vt sicut regnauit peccatum in mortem; ita gratia regnet per iustitiam in vitam æternam. Rom. 5. 20. & 21

AVG. RESP. Originale peccatum non quidem post legem creuit: sed tamen lex etiam ipsum, cuius abolitionem circumcisione infantis significaret, inuenit. Sicut inuenit etiam peccata ignorantiæ, quæ nec ipsa, datâ Lege creuerunt; quan-

Peccata ignorantiæ.

quandoquidem potiùs ipsa ignorantia diminuta est: quia scientia legis accessit. Sed peccatum, sine quo nemo nascitur, creuit voluntatis accessu, originali concupiscentia trahente peccantis assensum. Abundauit autem peccatum, id est, nimis creuit, posteaquam *per legem* facta est *cognitio peccati*, & cœpit etiam præuaricatione peccari. Quod si velitis aduertere, & adquiescere veritati; nulla necessitate cogemini apertè Apostolo contradicere clamanti, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt.* Illo enim dicente, *pertransijt per omnes*, cùm vos non per omnes pertransijsse dicitis, quid aliud quàm contradicitis? &, si Apostolo, vtique Christo. Quid ergò miramini, quod abominatur vos Ecclesia Christi, qui sententijs lethalibus vestris, infirmos paruulos subtrahere conamini medicamentis salubribus Christi?

Rom 3. 20.

Rom. 5. 12.

IVL. DIX. *Aperit se Apostolus clariùs in processu, & docet, in proditione salutis humanæ Deum suæ miserationis admonitum, desperatis rebus efficaciorem solito medicinam tulisse: vt quos præceptis non correxerat, beneficijs obligaret; & ita deuotionem exigeret in futurum, vt non imputaret peracta, studerent q; deinceps custodire iustitiam homines, quam compendio crudelitatis fuerant assecuti. Abundantia ergò præcedentium peccatorum tam abundantis misericordiæ exegit auxilium: quoniam nisi tanta copia indulgentiæ fuisset, nulla alia disciplina morbis tam grauibus subueniret.* Cap. 22.

Verùm in hac diuini commendatione beneficij vidit Apostolus obiectioni locum patere eorum, qui dicere poterant, Si ritè meritis causarum de effectibus æstimamus, & peccatorum copia, vt misericordia Dei afflueret, impetrauit; insistendum peccato est, vt gratiæ non desit vbertas. Occurrens itaque opinioni eiusmodi, Quid ergò dicemus? *inquit.* Permaneamus in peccato, vt gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quemadmodum adhuc viuemus in eo? An ignoratis quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte illius baptizati sumus? Consepulti ergò sumus illi per baptismum in morte, vt quemadmodum surrexit Christus in gloria Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

Rom. 6. 2. 3. & 4.

AVG. RESP. Nunquid ideò non vos Apostolica ista verba suffocant, quia & vos ea commemoratis, ne obliuiscamur, quàm firma conemini domûs Dei fundamenta conuellere? Insane,

Ibid. 3. Iesu: ac per hoc neges eos baptizatos in Christo Iesu. *Quicumq; enim baptizati sumus in Christo Iesu, baptizati in morte ipsius sumus.* Dic ergò cui peccato moriuntur, cùm parvuli baptizantur in Christo Iesu? sed quid dicas penitus non habebis, nisi cum
Rom. 5. 12. tota Ecclesia Christi intelligas, atque respondeas, *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ecce cui peccato moriuntur, cùm in morte Christi Iesu parvuli baptizantur. Rogo, *Nolite esse sicut equus & mulus*, non habentes in-
Psal. 31. 9. tellectum. Audite, *Si mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo? An ignoratis, quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Iesu in morte ipsius baptizati sumus?* Quicumque igitur baptizati sumus in Christo, peccato mortui sumus; quia in morte ipsius baptizati sumus. Audite, *quicumque baptizati sumus.* Neque enim parvuli, & non maiores: aut verò maiores, & non parvuli: sed *quicumque*, id est, sive parvuli, sive maiores *baptizati sumus in Christo Iesu, in morte illius baptizati sumus*: ac per hoc, *sumus mortui peccato* Aut ergò apertè dicite, non esse baptismum Christi parvulis necessarium: aut peccatum cui moriuntur, quandò in Christo baptizantur, dicite parvulorum; aut, quia nullum potestis aliud invenire, tandem aliquandò agnoscite originale peccatum.

IVL. DIX. *Nempe cum viventibus loquebatur, & his dicebat institiam per mysteria fuisse collatam. Quomodo ergo ait, eum iustificatum esse quem mortuum nisi quia sine aliquo ostendit ambiguo, mortem hic abrenunciationem vocari: & ideo a se nomen mortis assumi, vt ostendat ita fideles a peccatis, sicut mortuos ab actibus, debere cessare.* CAP. 224

AVG. RESP. Homo contentiose, si hoc loco, Apostolicorum verborum, *mors*, abrenunciatio vocatur, vt qui peccato abrenunciat, peccato moriatur: recole quemadmodũ in Ecclesia Christi, in qua baptizatus es, baptismatis mysteria celebrantur: & invenies, quod abrenuncient & parvuli per ora gestantium, quod apud vos iam forsitan non fit. Sic enim profecistis in peius ipsi *errantes, & alios in errorem mittentes*, qui
2. Tim. 3. 13. vobis cõsenserint, non debere abrenunciare parvulum baptizandum, quia non traxit originale peccatum. Aut, si debet abrenunciare peccato, dicite, Cui? & errorem vestrum aliquandò corrigite. *Abrenunciant parvuli diabolo.*

CAP. 225 IVL. DIX. Si enim mortui sumus cum Christo, credimus, quia vivemus cum Christo, scientes quia Christus suscitatus à mortuis iam non moritur, mors in eum iam non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. ità & vos deputate cõmortuos esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Iesu. *Quomodò Christus, inquit, qui peccato mortuus est semel, id est, propter peccata nostra mortuus est semel, vltra non moritur, sed vivit in gloria Dei; ita & vos, deputate vos mortuos peccato, solis vivere & servire virtutibus.* Rom. 6. 8. & seq.

AVG. RES. O mira expositio! Apostolus dicit, Christum *peccato mortuum*: & tu dicis, id est, *propter peccata nostra* Ergò quod dicit ille, *Sic & vos existimate vos mortuos esse peccato*, hoc putandus est dicere, Existimate vos mortuos esse propter peccata vestra. Non vtiq; hoc dicit isto loco. Nec tu sic intelligis: sed peccato mortuos, ne peccato viverent, confiteris. Ostende ergò & Christum *mortuum fuisse peccato*, ne inconvenienter Apostolus dixerit, *Sic & vos*. Propter auferenda enim nostra peccata; sed tamen *peccato mortuus est*. Et hoc quomodò, qui nullum habuit omninò peccatum, nec originale, nec proprium; nisi quia similitudo, cuius rei similitudo erat, eius nomen accepit Novimus enim Christum *in similitudine* veniſſe *carnis peccati*: quoniam in verâ carne venit, sed non sicut alii homines in *carne peccati*. Mortuus est ergò ille † similitudine peccati, quam gerebat in carne mortali: ac sic mysterium nostræ salutis implevit, vt nos peccato moreremur, cuius ille similitudinem gessit. Ideò *in morte ipsius baptizamur*: quia sicut in illo vera mors facta, ità in nobis vera fit remissio peccatorum. Sed hic sunt & parvuli. *Quicumque enim baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Non enim sic homines baptizantur in Christo, vt aliqui in morte ipsius, aliqui non in morte ipsius baptizentur sed, sicut ait, in quo loquebatur ipse Christus, *Quicumque baptizantur in Christo Iesu, in morte ipsius baptizantur.* Ab per hoc, *Quicumque baptizantur in Christo Iesu, peccato moriuntur*, *Quicumque*, vtique & parvuli. Sed cui peccato parvuli moriuntur, iam tandé quæso confiteatur generatio, ne mentiatur regeneratio: confiteatur in parvulis *caro peccati*, vt non negetur, etiam pro parvulis, mortua *similitudo carnis peccati*. Rom. 8. 3.

* F. Similitudini.

IVL.

IVL. DIX. *Vbi hic ergò accusatur natura? Vbi humana sub-* CAP. 226
stantia cui; aut ur exord.a? Vbi motus generantis arguitur? Luce cla-
2.Cor. 4.2. *rius est, quod sola a Magistro Gentium conversatur voluntas, vt abdi-*
cet occulta dedecoris, & in meliorem vitam actuum correctione proficiat. Sed iam accipiat expositio nostra compendium, nec interpretari in his locis dicta Apostoli perseveret. Ipsum de suis differentem sensibus Summa
audiamus. In fine disputationis eius apparebit cuius dogmati fideique disputationis
consentiat. Nos nempe dicimus, de peccato Apostolum voluntatis humanæ, quæ in vnoquoque peccante est, loquutum fuisse: Tu verò, de eo quod Fausto auctore credis, generatione transmissum, & à cunctis sine voluntate susceptum. Concertationes itaque nostræ, si placet, facessant: &, vt mediocriter agam dissimulemus Apostoli dignitatem, quâ præscribi posset, etiamsi vobis per omnia eius verba concinerent, tamen illum pro officij sui splendore nihil tam deforme sensisse: ambiguitatem esse elocutionum, non sensuum pravitatem. Hoc solum ei in præsenti negotio concedatur, vt vir non perturbatæ mentis, magis scripta sua
Rom. 6.12. *quam Tu intellexisse credatur.* Non ergo regnet, inquit, peccatum in vestro mortali corpore ad obaudiendum ei. *Possem iam hic dicere, exhortationis testimonio probatum esse, de peccatis eum agere voluntatis: quia mala si essent naturalia, per iustitiam defendi possent, per misericordiam postremò deleri: nullo autem pacto admonerentur cavenda. Quovis enim naturali malo, si vllum esse posset, hoc malum erat maius insania, qua tenebatur, quicumque devotionem in cavendis rebus naturalibus exigebat. Apostolus autem, nihil sanxit quod posset iure reprehendi. Peccatum itaque voluntatis ostendit, quod inculcat debere vitari.*

AVG. RESP. Quis ignorat non loqui Apostolum parvulis, sed eis qui possunt intelligere verba dicentis, & adiuvante Dei gratia obedire præcepti? Sed vtiq, agunt etiam cum filiis suis, vt quemadmodùm in eis crescit rationis vsus,
2.Cor.6.1. ita exseratur obedientiæ fructus: *ne in vacuum gratiam Dei susceperint*, quandò regenerati sunt nescientes. Verumtamẽ illam pulchrã susceptam tuã, quæ deformis est omnibus debellatoribus suis; *concupiscentiã carnis* dico, per quam nascitur, & cum qua nascitur homo. Hanc ergò *concupiscentiam carnis* cohiberi Apostolus præcepit, nec regnare permittit: eamq; peccati nomine appellat, quia & de primo peccato originẽ ducit, & quis quis eius motibus ad illicita consẽserit, peccat: quæ tunc nulla erit in nobis, quando immortale corpus habebimus. Ideo quũ posset dicere, *non regnet peccatum in vestro corpore*, cur addidit &

Concupiscẽtia deformitas.

Concupiscẽtia dicatur peccatũ.

ait, *in vestro mortali corpore*; nisi vt tunc sperauemus istam, quam peccatum vocat, concupiscentiam non futuram, quando mortale non habebimus corpus? Nam tu dic nobis. Cur non ait, Non sit peccatum in vestro mortali corpore, sed ait, *Non regnet?* Nisi quia ista concupiscentia, quæ non potest nisi esse in carne mortali, in eis regnat, qui desideriis eius ad mala perpetranda consentiunt: & ab eâ, quocumq; illexerit, victi pertrahuntur, maiore impetu cùm lege prohibentur, si gratiâ non iuvantur. In eis autem, qui Deo donante faciunt quod præceptum est, id est, commotæ atque instanti non obediunt, nec ei arma exhibent membra; inest quidem, sed non regnat. Probatur autem esse, dùm concupiscuntur mala: & probatur non regnare, dùm iustitiæ delectatione vincente, non fiunt. Quomodò enim præcipimur ei non obedire, nisi iubenti, sive suadenti? Quomodo autem facere hoc potest, si non est?

Concupiscentia in quibus regnet?

In quibus non regnet?

Cap. 227. IVL. DIX. Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma iustitiæ Deo. Peccatum enim in vobis non dominatur. Non enim sub lege estis, sed sub gratia. Eò, *inquit debetis servire Deo fidelius, quò etiam liberatiùs. Peccatum quippe dominabatur vobis, cùm reatuum impendebat vitio. Postea autem quàm gratiæ beneficia consecuti estis, & depositis reatuũ ponderibus respiratis, ingenuo pudore commoniti, debetis gratiam referre medicanti.* *Rom 5 13. & 14.*

Gratia Pelagiana. AVG. RES. Tu vestro more, qui de vestro descendit errore, non agnoscis gratiam nisi in dimissione peccatorum: vt iam de cætero per liberum arbitrium ipse homo se ipsum fabricet iustum. Sed non hoc dicit Ecclesia, quæ clamat tota, quod didicit à magistro bono, *Ne nos inferas in tentationem.* *Mat. 6. 13* Non hoc dicit, qui dicit, *Oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali.* Non hoc dicit, qui dicit, *Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua.* *2. Cor. 13. 7* *Luc. 22. 32.*

Gratia Christiana. Isto enim modo gratia, vt non peccemus, facit: non, quæ peccavimus diluit. Vtroque enim modo adiuvat gratia, & dimittendo, quæ malè fecimus: & opitulando, vt declinemus à malis, & bona faciamus.

CAP. 228 IVL. DIX. *Verùm quia eiusdem quàm supra exposuerat quæstionis incurrebat occasio, vt opponeretur videlicet. Liberatos à lege, quã intentabat iram, securos posse sub gratiæ benignitate peccare, subdidit pro-*

Rom. 6. 15 & 16. *protinus.* Quid ergò? Peccabimus quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. An ignoratis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis eius cui obedistis, sive peccati, sive obeditionis iustitiæ? *Iam-ne ei credimus, de cuius diseruerit hactenus conditione peccati?* Cui, *inquit*, exhibetis vos servos ad obediendum, eius servi estis, sive peccati, sive iustitiæ. *Vbi hic ergò indicatur ab Apostolo peccatum illud, quod ante voluntatis tempora, ante obedientium studium, ante scientiæ & conscientiæ ætatem, ipsis fingitur supervolasse seminibus? Quod certè nisi in Manichæorum libris inveniri non potest.*

Eph. 2. 3. AVG. RES. Non sunt Manichæorum libri, vbi legitur, *Fuimus enim & nos, natura filij iræ, sicut & cæteri.* Quod vos novo more, sed impudentissimo ore, interpretamini ex Græco, vt Apostolus dixisse videatur, non *natura*, sed *prorsus*, hoc est, *sumus prorsus filij iræ.* Et fortè hoc emendare audebitis in codicibus vestris. Non enim vultis adquiescere, quòd nisi hæc, quantò verior, tantò antiquior fides esset, hoc omnes latini codices non haberent. Nec ideò tamen Apostolus monere non debuit, obediendum est iustitiæ, non peccato, quia, *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est.* Cùm enim generationis reatus, regenerationis indulgentiâ fuerit absolutus, obediendum est iustitiæ spiritûs, cui consentire: nec obediendum est *concupiscentiæ carnis*, contra quam certare debemus. Ità sanè vt ipsam quoque obedientiam piam, donum Dei esse meminerimus, quod promisit per Prophetam dicens: *Dabo eis cor agnoscendi me, & aures audientes,* quod quid est aliud, quàm *obedientes.*

Pro, naturâ, Pelagiani legebant, prorsus. *Mos Hæreticorum corrumpendi codices.* *Amb. l. 1. de pœn. c. 2.* *Pia obedientia, Dei donum est.* Cap. 219.

Ierem. 24. 7

IVL. DIX. *Cæterùm Apostolus ostendit (si tamen aliquam ab hominibus hac tempestate fidem impetrat) servos se non dicere peccati, nisi eos, quos constat voluntate propriâ obedisse peccato, cuius mutatione, id est, voluntatis, cæperunt servire iustitiæ. Obedientiam ergo in medio collocavit; & ei imputavit quod virgo prius, vel postea fuerunt parere virtutibus.*

Psal. 48. 7. AVG. RESP. *Qui confidunt in virtute suâ*, vani sunt, sicut vos: & destruentur sicut vos.

Rom. 6. 17. & 18. IVL. DIX. Gratias autem Deo, quod fuistis, *inquit*, servi peccati: sed obedistis ex corde, in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. Liberi autem à peccato servi estis facti iustitiæ.

Cap. 130.

AVG. RES. Surde, Audi Apostolum gratias agentem Deo, quod eius doctrinæ ex corde obedierunt. Quandoquidem, non dixit *gratias Deo*, quia prædicata est vobis doctrina eius, sed, *quia obedistis*. Non enim omnes obaudiunt Evangelio, sed quibus datum est vt obaudiant. Sicut *nobis mysterium regni cælorum, vobis datum est*: ait Dominus, *illis autem non est datum*. Non ergò *ex corde*, hoc est, *ex voluntate* obedissent, si non *præpararetur voluntas à Domino*. Alioquin mendaciter ei de hâc re Apostolus gratias agit, si hoc ipse non fecit.

Pia obedientia Dei donum est.

Mat. 13. 11.

CAP. 231 IVL. DIX. Ex corde, *inquit, obedientia facta mutatio, liberavit vos à peccato, & sanctitati fecit adhærere.*

AVG. RES. Sed *hæc mutatio dextera excelsi est*. Audi hominem Dei, hanc in Psalmo gratiam confitentem, & disce quis mutet in melius hominis voluntatem, *Et dixi*, inquit, *nunc cœpi, hæc est mutatio dextera excelsi.*

Psal. 76. 11

CAP. 232 IVL. DIX. Humanum est quod dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immundiciæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc & exhibete membra vestra servire iustitiæ in iustificationem. *O præceptorem spiritu Dei plenum! verè vas aureum, & tubam non concisis stridoribus, sed absolutis vocibus increpantem! Auctoritatem sermoni suo de exhortationis humanitate conciliat.*

Rom. 6. 19.

AVG. RESP. Ote deceptorem spiritu hæretico plenum, totum dantem hominis voluntati, contra eum qui dicit, *Quid enim habes quod non accepisti?* Homo Pelagiane, plantãdo & rigando, ista dicebat Apostolus. Sciens autem quòd *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed, qui incrementum dat Deus*; non præcipiebat tantùm, sed etiam orabat ad Deum nè malum facerent, quibus eius eloquia prædicabat. Apertè enim alibi dicit *Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali.*

1. Cor 4. 7.

1. Cor. 3. 8.

2. Cor. 13. 7.

CAP. 333. IVL. DIX: *Ne quid enim arduum & inaccessum homini præcipere videretur, verbum de consuetudine vsurpavit, vt* humanum *diceret, id est, facile, tractabile, & quod causatum comparatione mitescat. Non à vobis, inquit, reposco parem gestis rebus intentionem, nec quam magna sunt virtutum opes, tam nova vobis, quibus eas capessatis, præcepta constituo: nihil ferum ingero, nihil quod vix portari possit, indico; Ne, si pro splendore iustitiæ tale aliquid imperarem, de carnis infirmitate conquesti, allegaretis iugem vos laborem ferre non posse. Nunc itaque hac moderatione convenio, vt tale studi-*

ſtudium virtutibus adhibeatis, quale adhibuiſtis ante criminibus. Cumque iniuria ſit honeſtarum rerum, ſi tali appetantur propoſito, quale eſt deformibus impenſum rebus, tamen diſciplina huic, in qua eſtis, ſufficit, ſi vel tali intentione iuſtitiam ſectemini, quali iniquitatem eſtis immunditiamque ſectati.

AVG. RESP. Hoc tamen non facient; niſi illi formoſæ ſuſceptæ tuæ *concupiſcentiæ carnis*, repugnent robore charitatis; cum qua lege membrorum repugnaturâ legi mentis, omnis homo naſcitur: & cuius obligatione reus eſt, ſi non renaſcatur. Quam mortales non vincunt ſuo ſpiritu, ſi non
Rom. 8. 14. *aguntur Dei ſpiritu: Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei.* Ite nunc, & contra iſtam Chriſtianam atque Apoſtolicam veritatem, extollendo præcipitate liberum arbitrium, & in veſtrâ virtute non aſſurgendo, ſed cadendo, confidite.

Pelagiani extollendo, præcipitabãt liberum arbitrium.

IVL. DIX. *Credamus itaque Magiſtro Gentium, & reddamus ei teſtimonium veritatis ſuæ. Vere enim, ſicut dixit,* Humanum *eſt, quod præcepit, vt voluntatis correctio emẽdaret vitia voluntatis.* CAP. 234

AVG. RES. Sed correctio hæc humana, non fit niſi opitulatione divinâ. Quis enim hominis corrigit voluntatem, niſi ille cui dicitur, *Deus virtutum converte nos.* Et, *Deus tu convertens vivificabis nos.* Et, *A Domino enim greſſus hominis dirigun-*
Pſal. 79. 8. Pſal 84. 7 Pſal. 36. 23 *tur, & viam eius volet.* Si autem non ab illo dirigantur, homo viam Dei non volet: etſi iubeat lex, vt velit.

Correctio humana non fit niſi opitulatione divinâ.

IVL. DIX. *Sed vt hoc humanum, ſic illud aliud ſi putaſſet, non ſolùm inhumanum, non ſolum ferum, verum etiam iniuſtum: Non ſolùm iniuſtum, verùm etiam inſanum, vt peccatum ſi noſſet innaſci, exprobraret ſuæ ætatis hominibus vitia partis antiquæ, & ab his præciperet abſtinendum, quæ innata credebat; atque cum interminatione præſcriberet, debere me ea deponere, quæ ante habere caperam, quam anima in corpus meum, in hunc vero mundum corpus intraret.* CAP. 235

AVG. RESP. Ergò *carnis concupiſcentia*, non eſt innata; aut non ab ea præcepit abſtinendum qui dicit, *contine*
Eccl. 30. 24. *teipſum, & deſideria juvenilia fuge.* Cur non dicit voluntaria
2. Tim. 2. 22. deſideria fuge? Iuuentus vtique nomen ætatis eſt: ætates autem natura, non voluntas habet. Et ea concupiſcentia iuueni-
Iuvenilia deſideria. li ætate maximè accenditur. cuius itaque vis, in infante ſopita eſt, ſicut rationis, ſicut ipſius volũtatis. Sed diſcernit oculus

lus Christianus, non Pelagianus, quid de Creatoris institutione, quid de vitii contaminatione vel sumat natura, vel contrahat, Conditorem suo bono prædicans: eodemque propter malum, quo vitiata est, indigens Salvatore. De reatu enim, cum quo homo nascitur, non est quod ei præcipiatur, nisi vt renascatur.

CAP. 236 IVL. DIX. *Iustus admoneretur ab his, quos emendare studebat, vt quantum imperaret, expenderet: & sciret primum esse consilij constantis gradum, imperij modum tenere. Exauctorata quippe doctrina est, quam non tuetur æquitas: & plena auctoritas est, quam iustitiæ libra commendat. Ac per hoc, constat Apostolum reverendum Ecclesiarum informatorem, rationem magisterij sui, consilio, æquitate, humanitate reddentem, nihil de naturali sensisse peccato: sed inculcasse referate vitiorum nos servos non nisi per voluntatem fuisse, & iustitia nos eadem posse, si corrigatur, voluntate servire.*

Verum quia in expositione loci huius fui hactenus occupatus, vt ostenderem per Apostoli Pauli verba Manichæos nihil posse defendi, putoque quod contextu orationis eius veritas patet, quam per omne dictorum suorum corpus exsequitur; hic sit secundi finis libelli: quo tamen ne ego ariò commonemus, nihil Traducianis præter impudentiam remansisse. Quia cum se confiterentur nullum in ratione habere præsidium, Apostoli dictis, quæ exposita sunt, totum sibi solatium vindicabant. Et quoniam claruit nihil in his deforme, nihil non sanctitati, & rationi consentiens fuisse præscriptum; apparet cecidisse sententiam, quam & ratio cum multis auctoritatibus scripturarum, & quæ in † Deo est religio Catholicorum pervicit: & iam locum opinio non tuetur.

* F. Deum

AVG. RESP. Apparet omnibus qui sano capite atque intelligenter hæc legunt, cùm contra verba non magis mea, quàm beati Apostoli, multa tua diceres, nihil te inveniſſe quod diceres; toto vos strepitu loquacitatis egisse, vt eis qui non intelligunt, dixisse aliquid videaris. Velitis, nolitis, *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: Et ita in omnes homines pertransiit.* Quid est *ita?* nisi, *per peccatum, non sine peccato.* Neque enim pertransiret mors, nisi ducente peccato. Mors enim peccatum sequitur, non præcedit. Hinc enim sunt omnes miseriæ mortalium *à die exitus de ventre matris eorum*, sicut scriptum est. Quas miserias vos cum sine vllo peccato accidere dicitis parvulis, iniustum Deum versus eos

Rom. 5. 12.

Mors peccatum sequitur.

Eccl. 40. 1.

eos facitis: Manichæos autem horribiliter adiuvatis. Illi enim ne facerent iniustum Deum, istas miserias à nativitate mortalium immutabili naturæ mali, & ab alio principio venienti substantiæ tribuunt tenebrarum: quos impios, simul & vosipsos vincit Catholica fides, quæ ista omnia peccato illi tribuit, quod ex primi hominis voluntate *intravit in mundum*: quod secuta est mors etiam ista, quæ fugans animam, corpus interimit, quam vos homini, etiamsi non peccasset, dicitis naturaliter fuisse venturam. Vnde sequitur, vt non solam illam imperiosam libidinem, qua nimium delectamini, verùm etiam molestissimam febrem, cæterosque innumerabiles morbos, quibus videmus afflictos parvulos, & mori, in paradiso futuros fuisse dicatis, etiamsi nemo peccasset: quia sine vllius peccati merito hæc perpeti parvulos dicitis. Cohibete vos, quæso, cum fallis & noxiis laudibus vestris. Cohibete vos ab infantibus & lactantibus, quos tanquam nihil mali habentes crudeli errore laudatis. *Ad Christum* liberatorem *venire* liberandos *parvulos finite.* Miseram naturam, quam vitiavit homo primus, vt sanet homo secundus victi correctique permittite.

Miseria mortalium vndè.

Libidine delectabantur Pelagiani.

Falsa & noxia laudes Pelagianorũ.

Mat. 19. 14

LEGI NONAS MARTIAS ROMAE contra Iulianum hæreticum Pelagianum.

Explicit liber secundus.

DIVI
AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI

Ad Eutropium & Paulum Episcopos, Liber de perfectione iustitiæ Nominis, contra Cœlestij Definitiones seu Ratiocinationes.

AD LECTOREM.

Libro cõtra Colatorem, cap. 3.

Oluminis huius beatus Augustinus in Retractationum libris non meminit, ideò fortasse quod inter epistolas habuerit. Nam nisi fallitur Prosper, scriptum fuit non solùm ante libros de Prædestinatione sanctorum, & perseverantiæ dono, verùm etiam ante librum de correptione & gratia, cuius tamen in Retractationibus diserte mentionem facit; non taciturus sanè nec de altero, si eum inter libros reposuisset. Errant autem qui Augustinum eius meminisse arbitrantur in exordio libri de Spiritu & litera: agit enim ibi de secundo libro de peccatorum meritis & remissione; cuius idem est quidem argumentum, sed quem se ait ad ipsum elaborasse Marcellinum, cùm alter ille scriptus sit Paulo & Eutropio Galliarum Episcopis. Esse tamen Augustini nihil dubium est: nam præter Prosperi auctoritatem, citat eundem frequenter & Beda in suis super Pauli epistolas Collectaneis. Refellit autem hic Augustinus quasdam Cœlestii argutias seu ratiocinationes, quibus astruere conabatur, posse nos in hac corruptibili vita ad eam venire iustitiæ perfectionem, vt sine omni prorsus vivamus peccato: ostendens neminem id vnquam assecutum, vel assecuturum, ne per gratiam quidem quam Deus hic præcipuis etiam sanctis suis præstare sit solitus; cum Pelagius & Cœlestius libero id etiam tribuerit arbitrio.

Lib. 2 c. 67.

CAP.

CAPVT I.

SAnctis fratribus & coepiscopis, Eutropio & Paulo Augustinus. Charitas vestra, quæ in vobis tanta est, & tam sancta, vt etiam iubenti seruire delectet, petiuit vt definitionibus, quæ dicuntur Cœlestii esse, respondeam. Sic enim prænotata est eadem chartula quam dedistis, *definitiones, vt dicitur, Cœlestij*: quæ prænotatio credo, quòd non illius, sed eorum sit qui hoc attulerunt de Sicilia, vbi Cœlestius non esse perhibetur. Sed enim multi talia garrientes, &, sicut ait Apostolus, *ipsi errantes, & alios in errorem mittentes*: ex illius tamen hæc esse doctrinâ vel etiam quorundam sectatorum eius, & nos possumus arbitrari. Nam neque istæ breues definitiones, vel potiùs ratiocinationes ab illius abhorrent ingenio, quod in opere alio eius inspexi, cuius eum esse constat authorem: & non frustrà istos fratres qui hæc attulerunt, in Sicilia existimo audisse, quòd ipse docuerit ista vel scripserit. Vellem autem si possem, ità obtemperare vestræ fraternę benevolentiæ, vt etiam ego tam breuiter responderem. Sed nisi & illa commemorem quibus respondeo, quis poterit quemadmodùm responderim iudicare? conabor tamen quantum valuero, adiuuantibus me apud domini misericordiam etiam orationibus vestris, vt non vltrà quàm necesse est meus sermo procurrat.

2. Tim. 3. 13.

CAPVT II.

Ante omnia, inquit, *interrogandus est qui negat hominem sine peccato esse posse; quid sit quodcunque peccatum, quod vitari potest, an quod vitari non potest. Si quod vitari non potest, peccatum non est: Si quod vitari potest; potest homo sine peccato esse, quod vitari potest. Nulla enim ratio vel iustitia patitur saltem dici peccatum, quod vitari nullo modo potest.* Respondemus, vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*. In tantum enim sana non est, in quantùm id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate, non implet; dùm *caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea quæ vult homo faciat. Iterum*, ait, *quærendum est, peccatum voluntatis, an necessitatis esse? Si necessita-*

Rom. 7. 25. Gal. 5. 17.

Ratiocinatio prima.

tis est, peccatum non est: si voluntatis est, vitari potest. Respondemus quod supra; & vt lanemur invocamus eum, cui dicitur in psalmo, *De necessitatibus meis educ me. Iterum*, inquit, *quærendum est, quid sit peccatum; naturale an accidens. Si naturale, peccatum non est: Si autem accidens est & recedere potest; & quod recedere potest, vitari potest; & quod vitari potest, potest homo sine eo esse quod vitari potest.* Respondetur, naturale non esse peccatum; sed accidens naturæ, præsertim vitiatæ, vndè *facti sumus natura filij iræ*: parumque esse ad non peccandum voluntatis arbitrium, nisi adiuta sanetur *gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Iterum*, ait, *quærendum est, quid est peccatum*; actus an res. *Si res est, necesse est vt authorem habeat; & si authorem habere dicitur, iam aliter præter Deum rei alicuius author induci videbitur: at si hoc dici impium est, confiteri necesse peccatum omne actum esse, non rem. Si igitur actus est, imo quia verè actus est, vitari potest.* Respondemus, peccatum quidem actum dici & esse, non rem. Sed etiam in corpore claudicatio eadem ratione actus est, non res. Quoniam res, pes ipse vel corpus vel homo est, qui pede vitiato claudicat, nec tamen vitare potest homo claudicationem, nisi habeat sanatum pedem. Quod etiam in interiore homine fieri potest, sed *gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum* Ipsum sanè vitium quo claudicat homo, nec pes est, nec corpus, nec homo, nec ipsa claudicatio; quæ vtiq; non est quandò non ambulat, cùm tamen insit vitium quo fit claudicatio quandò ambulat. Quærat ergò quod eidem vitio nomen impona; vtrùm rem velit dicere, an actum, an rei potius qualitatem malam, qua deformis actus existit. Sic & in homine interiore animus res est, rapina actus est, avaritia vitium est; id est, qualitas secundum quam malus est animus, etiam quando nihil agit vnde avaritiæ suæ seruiat, etiam quandò audit, *Non concupisces*; seque vituperat, & tamen avarus manet; sed per fidem *renovatur*; id est, sanatur *de die in diem* nec tamen nisi *gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Ratiocinatio 3.

Psal. 24. 17

Ephes. 2. 3.

Ratiocinatio 4.

Ecclus. 10. 17.

2. Cor. 4. 16

CAPVT III.

Ratiocinatio 5.

ITerum, inquit, *quærendum est; vtrumne debeat homo sine peccato esse*, Proculdubio *debet. Si debet, potest; si non potest, ergò nec debet. Etsi non debet homo esse sine peccato, debet ergo cum peccato esse, & iam peccatum non erit, si illud habere debere constituerit. Aut si hoc etiam dici absurdum est, confiteri necesse est, debere hominem sine peccato esse, & constat eum non aliud debere quam potest.* Respondetur eadem similitudine quâ superiùs iam respondimus. Cùm enim vide-

mus claudum qui sanari potest, recte vtiq; dicimus, debet homo iste esse sine claudicatione: & si debet, potest: nec tamen cùm vult continuò potest, sed cùm fuerit adhibitâ curatione sanatus, & medicina adiuverit voluntatem. Hoc fit in interiore homine, quod ad peccatum attinet tanquam ad eius claudicationem, per eius gratiam, qui *venit non vocare iustos, sed peccatores:* quia *non est opus sanis medicus, sed male habentibus.* Mat. 9. 13. & 12.

Iterum, ait, *quærendum est; vtrùm præceptum sit homini sine peccato esse. Aut enim non potest, & præceptum non est: aut quia præceptum est, potest. Nam cur præciperetur, quod fieri omnino non posset?* Respondetur: Ratiocinatio 6. Cõsultissimè homini præcipi, vt rectis passibus ambulet, vt cùm se non posse perspexerit, medicinã requirat, quæ interiòris hominis ad sanandam peccati claudicationem, *gratia Dei est per Iesum Christum Dominum nostrum. Iterum*, ait, *quærendum est; an velit Deus hominem sine peccato esse. Proculdubio vult, & proculdubio potest. Quis enim tam demens est, vt vel dubitet fieri posse quod Deum velle non dubitat?* Ratiocinatio 7. Respondetur: Si nollet Deus hominẽ sine peccato esse, non mitteret filium suũ sine peccato, qui sanaret homines à peccatis. Hoc fit in credentibus & proficientibus *renovatione interioris hominis de die in diem*, donec fiat perfecta iustitia tanquam sanitas plena. *Iterum*, ait, *quærendum est: quomodo vult Deus hominem esse; cum peccato, an sine peccato? Proculdubio non vult esse cum peccato. Quanta hæc impietatis blasphemia sit, cogitandum est, vt dicatur hominem posse esse cum peccato, quod Deus non vult; & negetur posse esse sine peccato, quod Deus vult: quasi aliquem ad hoc Deus creaverit vt posset esse quod nolit, & non posset esse quod velit, & vt contra suam magis quam vt secundum suã existeret voluntatem.* Ratiocinatio 8. Iam superiùs responsum est, sed addendum video, quod *ipe salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.* Rom. 8. 24. & 25. Tunc ergò erit plena iustitia, quando plena sanitas; tunc plena sanitas, quando plena charitas. *Plenitudo enim legis charitas.* Tunc autem plena charitas, quandò *videbimus eum sicuti est.* Rom. 13. 10. 1. Ioan. 3. 2. Neque enim erit quod addatur ad dilectionem, cùm fides pervenerit ad visionem.

CAPVT IV.

Iterum quærendum est, inquit, *per quid efficitur homo cum peccato, per naturæ necessitatem, an per arbitrij libertatem? Si per naturæ necessitatem, culpa caret; si per arbitrij libertatem, quærendum est à quo ipsam arbitrij libertatem acceperit: Proculdubio à* Deo. Ratiocinatio 9.

Deus autem quod dedit, certè bonum est, negari enim non potest. Qua igitur ratione bonum probatur, si magis ad malum quàm ad bonum pronum est? Magis enim ad malum quam ad bonum pronum est, si homo per illud potest esse cum peccato, & non potest esse sine peccato. Respondetur: Per arbitrij libertatem factum vt esset homo cum peccato, sed iam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem. Vnde ad Deum fides clamat, *De necessitatibus meis educ me.* Sub quibus positi, vel non possumus quod volumus intelligere; vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere. Nam & ipsa libertas credentibus à liberatore promittitur. *Si vos*, inquit, *filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Victa enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura. Hinc alia scriptura dicit, *A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.* Sicut ergò *non est opus sanis medicus, sed male habentibus*, ita non est opus liberis liberator, sed servis, vt ei dicat gratulatio libertatis, *Salvasti de necessitatibus animam meam.* Ipsa enim sanitas est vera libertas, quæ non periisset, si bona permansisset voluntas. Quia verò peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas, in qua sicut necesse est permaneat beatè vivendi voluntas, ita vt sit etiam bene vivendi & nunquam peccandi voluntaria felixque necessitas. *Proinde*, inquit, *Deus bonum hominem fecit, & præterquam quod illum bonum fecit, bonum ei insuper vt faceret imperavit. Quam impium, vt confiteamur hominem malum esse, quod nec factus est, nec ei præceptum est; & negemus eum bonum posse esse, quod factus est, & quod ei vt faceret imperatum est.* Respondemus: Quia ergò non seipse homo, sed Deus bonum hominem fecit, Deus eum, non seipse vt sit bonus reficit, dùm volentem, credentem, invocantem liberat à malo, quod sibiipse fecit. Hoc autem fit, dùm *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum renovatur homo interior de die in diem*, vt ad sempiternam, non pœnam, sed vitam resurgat homo exterior in novissimo die.

Psal. 24. 17

Ioan 8. 36.

2. *Pet.* 2. 19. *Mat.* 9. 12. *Psal.* 30. 8.

Peccantes secuta est peccatum habēdi dura necessitas

Ratiocinatio 10.

CAPVT V.

ITerum, ait, *quærendum est; quot modis constat omne peccatum?* DUOBUS, *ni fallor; si aut illa fiant quæ prohibentur, aut illa non fiant quæ iubentur. Tam certè omnia illa quæ prohibita sunt, vitari possunt, quam quæ præcepta sunt, perfici. Nam frustra aut prohiberetur aut iuberetur, quod vel caveri vel impleri non posset. Et quomodo negabimus posse esse hominem sine peccato; cùm confiteri necesse sit eum tam omnia illa quæ vetantur posse cavere, quam quæ imperantur efficere?* Respondetur, multa esse in scripturis sanctis divina præcepta, quæ omnia commemorare nimis operosum est. Sed *Dominus* qui *verbum consummans, & brevians fecit super terram, in duobus præceptis* dixit *legem prophetasque pendere*; vt intelligeremus quicquid aliud divinitùs præceptum est, in his duobus habere finem, & ad hæc duo esse referendum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & diliges proximum tuum tanquàm teipsum. In his*, inquit, *duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.* Quicquid ergò Dei lege prohibemur, & quicquid iubemur facere, ad hoc prohibemur & iubemur, vt duo ista compleamus. Et fortè generalis prohibitio est, *Non concupisces*; & generalis iussio. *Diliges.* Vndè breviter & Apostolus Paulus quodam loco vtrunq; complexus est. Prohibitio enim est, *Nolite conformari huic sæculo*: iussio autem, *Sed renovamini in novitate mentis vestræ.* Illud pertinet ad non concupiscere, hoc ad diligere; illud ad continentiam, hoc ad iustitiam; illud ad declinandum à malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiscendo enim vetustate expoliamur, & novitate induimur diligendo. Sed nec quisquam *potest continens esse, nisi Deus det*; & *charitas Dei diffundatur in cordibus nostris*, non per nosipsos, sed *per spiritum sanctum qui datus est nobis.* Hoc autem fit *de die in diem* in iis qui volendo & credendo & invocando proficiunt, & *præterita obliviscentes, in ea quæ ante sunt extenduntur.* Ad hoc enim lex ista præcipit, vt cùm in his implendis homo defecerit, non se extollat superbia tumidus, sed ad gratiam confugiat fatigatus, ac sic eum lex terrendo ad Christum diligendum pædagogi perducat officio.

Rom. 9. 28. Mat. 22. 40

Ibid. 37. & seq.

Eod. 20. 17.

Rom. 12. 2.

Sap. 8. 21. Rom. 5. 5.

Philip. 3. 13

Ratiocinatio II.

Non concupisces, generalis est prohibitio: Diliges generalis iussio.

Legis officium.

CAP.

CAPVT VI.

Ratiocinatio 12.

Iterùm quærendum est, inquit: *Quomodo non potest homo sine peccato esse, voluntate an naturâ? Si naturâ, peccatum non est; si voluntate, per facile potest voluntas voluntate mutari.* Respondemus admonentes esse cogitandum quanta sit ista præsumptio, quâ dicitur non solùm posse (quod quidem adiuuante gratiâ Dei negandum non est) sed etiam *per facilè posse voluntatem voluntate mutari*, cùm dicat Apostolus; *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Hæc enim invicem adversantur, vt non ea quæ vultis faciatis.* Non enim ait; *Hæc invicem adversantur*, vt quæ potestis facere, nolitis: sed, *vt non ea quæ vultis faciatis.* Cur ergò *concupiscentia carnis* (quæ vtique culpabilis atque vitiosa est, nihilque est aliud quàm desiderium peccati, quod idem Apostolus præcipit, *ne regnet in nostro mortali corpore*; vbi satis ostendit esse tamen *in nostro mortali corpore*, quod permittendum non sit vt regnet.) Cur ergò ista concupiscentia non mutata est eâ voluntate, quam voluntatem satis evidenter expressit Apostolus dicens, *vt non ea quæ vultis faciatis*; si *facilè potest voluntas voluntate mutari?* Nec sanè isto modo naturam, sive animæ, sive corporis, quam Deus creavit & quæ tota bona est, accusamus; sed eam dicimus propriâ voluntate vitiatam, sine Dei gratia non posse sanari. *Iterùm*, ait, *quærendū est: Si non potest homo sine peccato esse, cuius culpa est, ipsius ne hominis, an cuiuslibet alterius? Si ipsius hominis, quomodo culpa hominis est, si hoc non est quod esse non potest?* Respondetur ideò esse culpam hominis, quod non est sine peccato, quia solâ hominis voluntate factum est, vt ad istam necessitatem veniret, quam sola hominis voluntas superare non posset. *Iterum*, ait, *quærendum est: Si natura hominis bona est, quod nullus negare nisi Marcion aut Manichæus audebit; quomodo igitur bona est, si malo ei carere non est possibile? Omne enim peccatum malum esse quis dubitet?* Respondemus: Et naturam hominis bonam esse, & eam malo carere posse. Nam ideò clamamus, *Libera nos à malo*; quod non perficitur, quamdiu *corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Sed hoc agitur gratia per fidem, vt aliquandò dicatur, *Vbi est mors contentio tua, vbi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum, virtus vero peccati lex:* quoniam lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat spiritus charitatem, quæ plena

Concupiscentia carnis, nihil aliud quam peccati est desiderium.

Gal. 5. 17.

Rom. 6. 12.

Ratiocinatio 13.

Ratiocinatio 14.

Mat. 6. 13. Sap. 9. 15. 1. Cor. 15. 55. & 56.

Lex quare virtus peccati Apostolo dicta.

plena & perfecta tunc erit, cùm *videbimus facie ad faciem. Et*
1. Cor. 13. 12. *hoc*, inquit, *dicendum est. Certè iustus est Deus, negari enim non* Ratiocinatio 15.
potest. Imputat autem Deus homini omne peccatum. Et hoc quoque confitendum puto, quia neque peccatum est quicquid non imputabitur in peccatum. Etsi est aliquod peccatum quod vitari non possit, quomodò iustus Deus dicitur, si imputare cuiquam creditur, quod vitari non possit? Respondemus, iam olim contra superbos esse clamatum; *Beatus cui non imputavit Dominus peccatum.* Non enim im-
Psal 31. 2. putat his qui fideliter ei dicunt, *Dimitte nobis debita nostra, sicut*
Mat. 6. 12. *& nos dimittimus debitoribus nostris.* Et iustè non imputat, quia
Mat. 7. 2. iustum est quod ait; *In qua mensura mensi fueritis, in eadem remetietur vobis.* Peccatum est autem, cùm vel non est charitas quæ esse debet; vel minor est quam debet; sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia si potest, prælens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit: & tamen vitari potest, non quandò voluntas superba laudatur, sed quando humilis adiuvatur.

CAPVT VII.

POst hoc ille qui ista conscripsit, introducit personam suã Ratiocinatio 16.
quasi cum altero disputantem, & facit se interrogari, & quasi ab interrogante sibi dici, DA *mihi hominem sine peccato.* Et respondet, *Do tibi qui esse possit.* Et rursus ab interrogante dicitur ei, *Quis est?* Et respondet, *Ipse tu. Quod si dixeris*, inquit, *ego esse non possum; respondendum est, cuius culpa est? Quod si dixeris, mea; dicendum est, Et quomodo tua est, si ipse sine peccato esse non potest?* Iterùm facit se interrogari & dici sibi: *Tu ipse sine peccato es, qui dicis hominem sine peccato esse posse?* Et respondet; *non sum sine peccato. Cuius culpa est? Quod si dixerit*, inquit, *tua est*, respondendum est: *Quomodo mea, si esse non possum?* Nos respondemus nullum cum eis de his verbis esse debere conflictum, quia non est ausus dicere hominem esse sine peccato, vel aliquem, vel seipsum; sed tantummodò esse posse, respondit; quod neque nos negamus. Quandò autem possit, & per quem possit, hoc quæritur. Si enim modò est, non omni animæ fideli positæ in *corpore mortis huius* orandum est, & dicen-
Mat. 6. 12. dum: *Dimitte nobis debita nostra*; cùm iam in sancto baptismo vniversa fuerint dimissa præterita. Quisquis autem membris fidelibus Christi hoc non esse orandum persuadere conatur,

nihil aliud quam seipsum Christianum non esse profitetur. Porrò si per seipsum potest homo esse sine peccato, *ergò Christus gratis mortuus est*: Non autem *gratis Christus mortuus est*, non igitur potest homo esse sine peccato, etiamsi velit, nisi adiuvet *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*. Quod vt perficiatur, & nunc in proficientibus agitur, & omnimodò implebitur contentione mortis assumpta; & charitate quæ credendo & sperando nutritur, videndo & obtinendo perfecta. Gal. 2. 21.

CAPVT VIII.

Ratiocinatio 17.

DEindè instituit divinis testimoniis agere quod intendit. Quod quale sit, diligentiùs advertamus. *Testimonia*, inquit, *quibus probatur præceptum esse homini vt absque peccato sit*. Ad hoc respondemus. Non vtrùm præceptum sit quæritur, quod valde manifestum est; sed ipsum quod præceptum esse constat, vtrùm in *corpore mortis huius* possit impleri, vbi *caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, vt non ea quæ volumus faciamus*. De quo *corpore mortis huius*, non omnis liberatur qui finit hanc vitam, sed qui in hac vita susceperit gratiam, & ne in vanum suscipiat bonis operibus egerit. Aliud est enim exire de hoc corpore, quod omnes homines dies vitæ huius vltimus cogit; aliud est autem *liberari de corpore mortis huius*, quod sola Dei *gratia per Iesum Christum Dominum nostrum*, sanctis & fidelibus eius impertit. Post hanc autem vitam merces perficiens redditur, sed eis tantum à quibus in hac vita eiusdem mercedis meritum comparatur. Non enim ad saturitatem iustitiæ, cùm hinc exierit quisque perveniet, nisi ad eã cùm hic est, esuriendo & sitiendo cucurrerit. *Beati* quippè *qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Quãdiu ergò *peregrinantes à Domino per fidem ambulamus, non per speciem* (vnde dictum est, *Iustus ex fide vivit*) hæc est nostra in ipsa peregrinatione iustitia, vt ad illam perfectionem plenitudinemq; iustitiæ, vbi in specie decoris eius iam plena & perfecta charitas erit, nunc ipsius cursus rectitudine & perfectione tendamus, *castigando corpus nostrum & servituti subiiciendo*, & eleemosynas in dandis beneficiis, & dimittendis quæ in nos sunt commissa peccatis, hilariter & ex corde faciendo, & orationibus indesinenter insistendo; & hoc faciendo in doctrina sana, quâ ædificatur fides recta, spes firma, charitas pura. Gal. 5. 17. Rom. 7. 24. & 25. Mat. 5. 6. 2. Cor. 5. 6. & 7. Abac. 2. 4.

Aliud exire, aliud liberari de corpore mortis huius.

Plant. eis vita æterna merces nulli redditur, nisi qui eius hac vita meritum sibi cõparaverit.

Vita huius iustitia.

Hæc

Hæc est nunc nostra iustitia quâ currimus, esurientes & sitientes ad perfectionem plenitudinemq; iustitiæ, vt ea posteà saturemur. Vndè Dominus in Evangelio cùm dixisset, *Nolite facere iustitiam vestram coram hominibus vt videamini ab eis*; ne istum nostrum cursum fine humanæ gloriæ metiremur; non est in expositione iustitiæ ipsius executus, nisi tria ista, ieiunium, eleemosynas, orationes: ieiunio scilicet vniversam corporis castigationem significans: eleemosynis omnem benevolentiam & beneficentiam vel dandi, vel ignoscendi: oratione insinuans omnes regulas sancti desiderij: vt quoniam in castigatione corporis frenatur concupiscentia, quæ non frenari, sed omnino esse non debet, nec erit in illâ perfectione iustitiæ, vbi nullum erit omninò peccatum, & sæpe in vsu rerum etiã concessarum atq; licitarum exerit immoderationem suam: in ipsâ verò beneficentiâ quâ iustus consulit proximo, quædam fiunt quæ obsint cùm prodesse putata sint; & aliquandò per infirmitatem, vel cùm minùs sufficitur necessitatibus aliorũ, vel parùm in eis proficit quod benignitatis ac laboris impenditur, surrepit tædium, quo fuscetur nilaritas, in quâ *datorem diligit Deus*. Surrepit autem tanto magis, quantò minùs quilq; & tantò minùs, quantò magis profecerit. His atque huiusmodi consideratis, meritò in oratione dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: si tamẽ quod dicimus, faciamus, vt vel ipsi etiam diligantur inimici; vel si quisquam adhuc in Christo parvulus hoc nondùm facit; pœnitenti tamen, quod in eum quisque peccavit, & veniam petenti ex intimo cordis ignoscat, si vult vt eius orationem *pater cælestis* exaudiat. In quâ oratione si contentioli esse nolimus, satis nobis propositum speculum est, vbi inspiciatur vita iustorum qui *ex fide vivunt*, & perfectè currunt, quamvis sine peccato non sint. Vnde dicunt, *Dimitte nobis* quia nondùm quò curritur pervenerunt. Hinc dicit Apostolus, *Non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim; fratres, ego me non arbitror apprehendisse: vnum autem, quæ retrò sunt obliuiscens, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Quotquot ergò perfecti hoc sapiamus*: id est, quotquot perfectè currimus, hoc sapiamus, quod nondum perfecti sumus, vt illic perficiamur quò perfectè adhuc currimus: *vt cum venerit quod perfectum est, quod ex parte est destruatur*; id est, non iam ex parte sit, sed ex toto: quia fidei & spei iam res ipsa

Mat 6.1.

Iustitia Christiana tribus comprehensa ieiunio, eleemosyna, & oratione.

2.Cor.9.7.

Inimico ẽni saltem pœnitenti & veniã petenti, ex animo ignoscendũ.

Philip.3.12 & seq.

1.Cor.13. 10.

non quæ credatur & speretur, sed quæ videatur teneaturque succedet. *Charitas autem* quæ in his tribus *maior est*, non auferetur, sed augebitur & implebitur, contemplata quod credebat, & quod sperabat indepta. In quâ plenitudine charitatis præceptum illud implebitur, *Diliges Dominum Deũ tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Deut. 6. 5. Nam cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omnimodò *ex tota anima* diligitur Deus. Non enim caro sine animâ concupiscit, quàmvis *caro concupiscere* dicatur, quia carnaliter anima concupiscit. Tunc erit iustus sine vllo omninò peccato, quia nulla *lex erit in membris eius* Rom. 7. 23. *repugnans legi mentis eius*; sed prorsùs *toto corde, tota anima, tota* Mat. 22. 37 *mente diliget Deum, quod est primum summumque præceptum.* & 38. Cur ergò non præciperetur homini ista perfectio, quàmvis eam in hâc vitâ nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. Quomodò autem sciretur si nullis præceptis ostenderetur? Sic ergò curramus, vt comprehendamur? Omnes enim qui rectè currunt, comprehendent; non sicut in agone theatrico, *omnes quidem currunt, sed vnus accipit* 1. Cor. 9. *palmam.* 24. & 25. Curramus credendo, sperando, desiderando; curramus *corpus castigando*, & eleemosynas in dandis bonis malisq; ignoscendis, hilariter & ex corde faciendo, & currentium vires vt adiuventur orando, & sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis.

Præcepti dilectionis in futura vita erit ũa nodatio impletio.

Carnem cõcupiscere est animã ipsã carnaliter cõcupiscere.

CAPVT IX.

His præmissis ea testimonia quæ posuit iste cui respondemus, tanquam nos ea protulerimus, diligenter audiamus. *In Deuteronomio, Tu autem perfectus eris coram Domino Deo* Deut. 18. 13 *tuo. Item illic, & non erit inconsummatus in filys Israel. Item salvator* Mat 5. 48. *in Evangelio, Estote perfecti, quia pater vester qui in cælis est; perfectus* 2 Cor. 13. *est. Item Apostolus ad Corinthios secunda, De cætero fratres gaudete,* 11. *perfecti estote. Item ad Colossenses, Corripientes omnem hominem, &* Coloss. 1. 28 *docentes in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem, perfectum in Christo. Item ad Philippenses, Omnia facite sine murmuratione &* Philip. 2. 14 *hæsitatione, vt sitis irreprehensibiles & simplices, sicut filij Dei immaculati. Item ad Ephesios, Benedictus Deus & pater Domini nostri* & 15. *Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cælestibus* Ephes. 1. 3. & 4.

bus in Christo Iesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius. Item ad Colossenses, Et vos cùm essetis aliquando alienati & inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliati in corpore carnis eius per mortem eius, exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles. Item ad Ephesios, Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, vt sit sancta & immaculata. Item ad Corinthios prima, Sobrij estote, & iusti, & nolite peccare. Item in epistola sancti Petri, Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrij, perfectè sperate in eam quæ offertur vobis gratiam, quasi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ concupiscentijs, sed secundùm eum qui vocavit vos sanctum, & ipsi sancti in omni conversatione sitis, quia scriptum est, Sancti eritis, quia ego sanctus sum. Vnde & beatus David dicit, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Et alibi, Et ero immaculatus cum eo. Et alibi, Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Item apud Salomonem, Diligit Dominus sancta corda, accepti sunt autem illi omnes immaculati. Horum testimoniorum aliqua currentes adhortantur, vt perfectè currant; aliqua ipsum finem commemorant quò currendo pertendant; *Ingredi* autem *sine macula* non absurdè etiam ille dicitur, non qui iam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens crīminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis. Ingressum quippe, hoc est, iter nostrum quo tendimus ad perfectionem, munda vndat oratio. Munda est autem oratio vbi veraciter dicitur, *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus*; vt dum non reprehenditur, quod non imputatur, sine reprehensione, hoc est, *sine macula* noster ad perfectionem cursus habeatur: in qua perfectione cùm ad eam pervenerimus, iam non sit omninò quod ignoscendo mundetur.

Coloss. 1 21 & 22.
Ephes. 5. 27
1. Cor. 15. 34.
1. Pet. 1. 13 & seq.
Leuit. 19. 2
Psal. 14. 1. & 2.
Psal. 17. 24
Psal. 118. 1.
Prov. 12.
Mat. 6. 12.

Ingredi sine macula quis dicatur?

Peccata dānabilia & venialia.

CAP.

CAPVT X.

DEindè iſte adhibet teſtimonia quibus oſtendat, non eſſe gravia divina præcepta. Quis autem neſciat, cùm præceptum ſit generale *charitas*, quia *finis præcepti eſt charitas*, & *plenitudo legis eſt charitas*, non eſſe grave quod diligẽdo fit, non timendo? Laborant autem in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere; *ſed perfecta charitas foras mittit timorem*, & facit præcepti ſarcinam, non ſolùm non prementem onere ponderum, verùm etiam ſublevantem vice pennarum. Quæ tamẽ *charitas* vt habeatur, etiam tanta quanta in *corpore mortis huius* haberi poteſt; parum eſt noſtræ voluntatis arbitrium, niſi adiuvet *gratiâ Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*. *Diffunditur* quippè *in cordibus noſtris*, quod ſæpe dicendum eſt, non per noſipſos, ſed *per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis*. Nec aliam ob cauſam ſcriptura commemorat non eſſe gravia divina præcepta, niſi vt anima quæ illa gravia ſentit, intelligat ſe nondum accepiſſe vires, quibus talia ſint præcepta domini qualia commendantur, levia ſcilicet atq; ſuavia; & oret gemitu voluntatis, vt impetret donum facultatis. Qui enim dicit, *Fiat cor meum immaculatum*; Et, *Itinera mea dirige ſecundùm verbum tuum Et ne dominetur mihi omnis iniquitas*; Et, *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra*; &, *ne nos inferas in tentationem*; & cætera huiuſmodi quæ commemorare longum eſt; hoc vtiq; orat, vt præcepta Dei faciat: quæ vt fierent nec iuberetur, ſi nihil ibi noſtra voluntas ageret; nec oraretur, ſi ſola ſufficeret. Commendantur ergò non eſſe gravia; vt cui gravia ſunt, intelligat nondùm ſe accepiſſe donum, quo gravia non ſint; nec arbitretur ea ſe perficere, quando ità facit, vt gravia ſint. *Hilarem enim datorem diligit Deus*. Nec tamen cùm ea gravia ſentit, deſperando frangatur, ſed ad quærendum, petendum, pulſandũq; cogatur. Audiamus ergò & in his teſtimoniis quæ deindè poſuit, Deum ſua præcepta non gravia commendantem. *Quod Dei mandata*, inquit, *non modo impoſſibilia non ſint, verum ne gravia quidem. In Deuteronomio; Et converteturDominus Deus tuus epulari in te ſuper bonis, ſicut epulatus eſt ſuper patres tuos, ſi audieritis vocem Domini Dei veſtri, cuſtodire & facere omnia mandata eius & iuſtitias & iudicia quæ ſcripta ſunt in libro legis huius: ſi converſus fueris ad Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Quia man-*

Quibus gravia ſint vel non ſint Dei præcepta.

Gravia non eſſe Dei præcepta, cur ſcriptura cõmemoret.

Præceptum libertatis arbitrij eſt argumentum; oratio gratiæ.

1. Tim. 1. 5. Rom 13. 10. 1. Ioan 4. 18.

Rom. 5. 5.

Pſal 118 80. Ibid 1. 3. Mat. 6. 10. & 13.

2. Cor. 7. 9.

Deut. 3. 9. & ſeq.

mandatum hoc, quod ego mando tibi hodie, non est grave, neque longè à te est: non est in cælo, vt dicas, quis ascendet in cælum, & accipiet illud nobis, & audientes faciamus? Non est trans mare, vt dicas, quis transfretabit mare & accipiet illud nobis, & audientes faciamus? Iuxtà te est enim verbũ in ore tuo, in corde, & in manibus tuis facere illud. Itẽ *Dñs in Evãgelio, Venite ad me ões qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Item *in Epistola* Mat. 11. 28 & seq.

1. Ioan. 5. 3. *Cũ Ioannis; Hæc est charitas Dei, vt mandata eius observemus, & mandata eius gravia non sunt.* His auditis legitimis & Evangelicis & Apostolicis testimoniis ædificemur ad gratiam, quam non

Rom. 10. 3. intelligunt, qui *ignorantes Dei iustitiam & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Si enim non intelligunt illud

Ibid. 10. ex Deuteronomio, quemadmodum Apostolus Paulus commemoraverit, vt *corde credatur ad iustitiã, ore autẽ fiat cõfessio ad*

Mat. 9. 12. *salutem*; quia *non est opus sanis medicus, sed male habentibus*; isto certè Ioannis Apostoli testimonio quod ad istam sententiam posuit vltimum, vbi ait, *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius servemus, & mandata eius gravia non sunt*; debent vtiq; commoneri, *charitati Dei* non esse grave mandatum Dei, quæ non nisi *per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris*, non per arbitrium humanæ voluntatis; cui plus dando quàm oportet, *ignorant iustitiam Dei*: quæ tamen charitas tunc perfecta erit, cùm pœnalis timor omnis abscesserit.

CAPVT XI.

POst hæc proposuit testimonia quæ contrà eos dici solent, nec ea solvit; sed commemorando quasi contraria, quæstiones arctius illigavit. Ait enim: *Testimonia scripturarum quæ ediverso ponenda sunt his, qui arbitrij libertatem, vel non peccandi possibilitatem imperitè existimant se scripturarum auctoritate posse destruere, Obiicere enim solent*, inquit, *quod sanctus Iob dixerit, Quis mundus est à peccato? Nec insans, cuius est vnius diei vita super terrã.* Deindè quasi respondet huic testimonio aliis testimoniis, *quod ipse Iob dixerit, Iustus enim vir & sine querela, factus sum in derisum.* Non intelligens posse dici hominem iustum, qui perfectioni iustitiæ plurimùm accessit, ità vt ei proximus fieret; quod multos etiam in hâc vitâ potuisse, in quâ *ex fide vivitur*, non negamus. Hoc & illo testimonio confirmatur, quod iste consequenter

Iob. 14. iuxtà 70.

Iob. 12 iuxta 70.

Proponũtur scripturæ, quas sibi à Catholicis obiectas Cælestius alias scripturis conatur eludere.

Prima scripturarum.

quenter adiunxit ab eodem Iob dictum, *Ecce ipse proximus sum iudicio meo, scio quia iustus inveniar.* Hoc enim est iudicium, de quo alibi dicitur, *Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum velut meridiem.* Deniq; non dixit, ibi sum, sed *proximus sum.* Quod si *iudicium* suum illud intelligi voluit, non quo ipse iudicavit, sed quo in fine est iudicandus; iusti in illo iudicio invenientur omnes, qui non fallaciter dicunt, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Per hac enim dimissionem iusti inveniuntur, eo quòd ea quæ hic habebant peccata, eleemosynis deleverunt. Vndè Dominus dicit, *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Deniq; hoc dicetur iustis in regnum promissum ituris, *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare:* & cætera huiusmodi. Sed aliud est, esse sine peccato, quòd de solo in hac vitâ vnigenito dictum est; aliud esse *sine querela*, quod de multis iustis etiam in hac vitâ dici potuit: quoniam est quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in illâ humanâ conversatione, iusta querela esse non possit. Quis enim iustè quæritur de homine, qui nemini male vult, & quibus potest fideliter consulit, nec contrà cuiusquam iniurias tenet libidinem vindicandi, vt veraciter dicat, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et tamen eo ipso quòd verum dicit, *Dimitte, sicut & nos dimittimus;* sine peccato se non esse declarat. Indè est quod dicit, *Nihil iniquum erat in manibus meis, sed munda oratio mea.* Hinc enim erat *munda oratio*, quia veniam non iniustè petebat qui veraciter dabat, & quòd dicit de Domino, *Multas enim contritiones meas fecit sine causa:* non ait, nullas fecit cum causa, sed *multas sine causa.* Non enim propter multa peccata eius, *facta sunt* ei *multæ contritiones;* sed propter probationem patientiæ. Nam propter peccata, sine quibus, vt alibi confitetur, non fuit, pauciora se pati debuisse iudicat. Item quod dicit, *Vias enim eius custodivi, & non declinavi à mandatis eius, neq; discedam.* Custodit vias Dei qui non sic exorbitat, vt eas relinquat, sed in eis currendo proficit: & si aliquandò vt infirmus offendit aut titubat; proficit autem minuendo peccata, donec perveniat vbi sine peccato sit. Non enim aliter potest eo modo proficere, nisi *custodiendo vias eius. Declinat* autem *à mandatis Domini* atq; discedit apostata; non ille qui etiamsi habeat peccatum, confligendi tamen cum eo perseverantiam non relinquit donec eò perveniat vbi nulla cum morte contentio remanebit. In isto ergò conflictu induimur ea iustitia qua hic *ex fide* vivi-

Iob. 13. iuxta 70.

Psal. 36.

Mat. 6. 12.

Luc. 11. At

Mat. 25. 35

Mat 6, 12.

Iob. 16. 18.

Iob. 9. 17.

Iob. 6. 2.

Iob. 23. 11.

Custodire vias domini quis dicatur

Declinare et discedere a vijs Domini quid.

vivitur, & ea quodammodò loricamur. Assumimus quoq; *iudicium*, quod etiam contra nos pro nobis facimus, quandò peccata nostra accusando damnamus: vndè scriptum est: *Iustus ipse sui accusator est in primordio sermonis.* Hinc item dicit, *Iustitiæ vestitui eram & circumdedi: mihi iudicium, sicut chlamydem*: nam & ista vestis belli magis solet esse quàm pacis, vbi adhuc expugnatur concupiscentia, non vbi erit plena sine aliquo prorsus hoste iustitia, novissima inimica morte destructa. Quod autẽ iterùm ait idem sanctus Iob, *Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*: tunc nos in istâ vitâ in quâ *ex fide vivimus*, *non reprehendit cor nostrum*, si eadem fides quâ *corde creditur ad iustitiam*, non negligit reprehendere peccatum nostrum. Vndè dicit Apostolus, *Non enim quod volo facio bonum*, *sed quod odi malum hoc ago.* Bonum est enim non concupiscere, & hoc bonum vult *iustus*, qui *ex fide vivit*; & tamen *facit quod odit*, quia concupiscit, quàmvis *post concupiscentias suas non eat.* Quod si fecerit, tunc verè ipse fecit vt cedat, vt consentiat, vt desiderio peccati obediat. Tunc eum cor eius reprehendit, quia ipsum reprehendit, non illud *peccatum* eius, *quod habitat in membris eius.* Cùm verò non sinit *regnare peccatum in suo mortali corpore ad obediendum desiderijs eius*, *nec exhibet membra sua arma iniquitatis peccato*; *inest* quidem *peccatum in membris eius*, sed *non regnat*, quia non *obeditur desideriis eius.* Et ideò dùm *quod non vult agit*, id est, non vult concupiscere & concupiscit; *consentit legi*, *quia bona est*? Hoc enim vult & ipse quod lex. quia vult & ipse non concupiscere; & lex dicit, *Non concupisces* In hoc quoniam vult, quod & lex vult, proculdubio *consentit legi*: concupiscit tamen, quia non est sine peccato; sed *iam non ipse operatur illud*, *sed id quod in illo habitat peccatum* Ideò *non ipsum reprehendit cor eius in omni vita eius*; hoc est in fide eius, quia *iustus ex fide vivit*: & ideò fides eius est vita eius. *Scit enim quia non habitat in carne eius bonum*, vbi *habitat peccatum*; sed non ei consentiendo *vivit ex fide*, quâ invocat Deum vt adiuuetur pugnans contra peccatum; quod vt omninò ibi non sit, *adiacet ei velle*, *sed perficere bonum non adiacet*: non facere bonum non *adiacet*, *sed perficere.* Nam in eo quòd non consentit, bonum facit; & in eo quòd odit concupiscentiam suam, bonum facit; & in eo quòd eleemosynas facere non cessat, bonum facit; & in eo quòd illi qui in eum peccat ignoscit, bonum facit; & in eo quod petit *sibi dimitti debita sua*, & veraciter dicit,

Prov. 18. 17
Iob. 29. 14.

Iob. 27. 6.

Rom. 7. 15.

Abac. 2. 4.
Eccl. 18. 30

Rom. 5. 12. et 13.

Rom. 7. 16.
Exod. 20. 17

Rom. 7. 17.

Ibid. 18.

Ibid.

Reprehẽdere vel non reprehendere quandò nos cor nostrum dicatur.

Plant. enim

quòd *dimittit* etiã ipse *debitoribus suis*,& orat vt *non inferatur in tentationem*,*sed liberetur à malo*, bonum facit:*et* tamen *perficere bonum non adiacet*, quod tunc erit quando illa concupiscentia quæ *habitat in membris eius*,nulla erit. *Non* ergò *eum reprehendit cor eius*,quandò reprehẽdit *peccatum quod habitat in membris eius*, & non habet quam reprehendat infidelitatem eius. Ità nec in vitâ suâ,id est in fide suâ, à corde suo reprehenditur, & sine peccato non esse convincitur. Quod & ipse Iob de se confitetur vbi dicit;*Nihil te latuit peccatorum meorum Signasti iniquitates meas in sacculo,& annotasti si quid invitus transgressus sum.* Testimonia ergò quæ posuit de verbis sancti viri Iob, nos sicut potuimus, quemadmodùm sint accipienda monstravimus. Nec tamen ille solvit, quod eundem Iob dixisse proposuit; *Quis enim mundus est à peccato? Nec infans cuius est dies vnius vita super terram.*

Bonũ quãdo perficietur.

Iob. 14. 16. et 17.

Iob. 26. iuxta 70.

CAPVT XII.

ITerum proponere solent, inquit, *Omnis homo mendax.* Neq; hoc contra seipsum à se ipso propositum solvit, sed commemorando alia velut cõtraria testimonia, apud eos qui non intelligunt sanctam Scripturam; divina eloquia in lite dimisit. Ait enim; *Quibus respondendum est, quod in Numeri libro scriptum est, Homo verax Et de sancto Iob legitur ità; Erat vir habitans in regione Ausitide, nomine Iob, verax, sine crimine, iustus, Dei cultor, abstinens se ab omni re mala.* Miror quòd ausus est ponere hoc testimonium, voi dictum est, *abstinens se ab omni re mala*, cùm hoc ab omni peccato vellet intelligi; cùm superiùs dixerit, peccatum actum esse, non rem. Reminiscatur ergò quia etiã si actus sit, res potest dici. *Abstinet se* autem *ab omni re mala*, qui peccato, sine quo non est, vel nunquàm omninò consentit, vel si aliquandò premitur, non opprimitur, sicut luctator fortior; & si aliquandò tenetur, non ideò perdit quo superior invenitur. Legitur sanè homo *sine crimine*, legitur *sine querela*; at non legitur sine peccato, nisi filius hominis, vnus idemq; Dei filius vnicus. *Item*, inquit, *apud ipsum Iob; Et miraculum tenuit veracis hominis. Item apud Salomonem de sapientia; Viri mendaces non erunt illius memores; viri autem veraces invenientur in illa. Item in Apocalypsi; & in ore ipsorum non est inventum mendacium; sine macula sunt.* Adhæc & nos respondemus, admonentes, quomodò dicendus sit *homo verax* per Dei gratiam atq; veritatem, qui per seipsum sine dubio mendax est. Vndè dictum est; *Omnis homo mendax*

Secunda scriptura.

Psal. 115. 2.

Num. 25. iuxta 70.

Iob. 1. 1.

Cap. 2.

Abstinere ab omni re mala, quis dicatur.

Eccl. 15. 8.

Apoc. 14. 5.

Psal. 115. 2.

mendax. Hoc, testimonium sonat de sapientia quòd ipse posuit. *Viri autem veraces invenientur in illa*: qui proculdubiò non *in illa*, sed in se ipsis *invenientur esse mendaces.* Sicuti est, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Cùm diceret, *tenebræ*, non addidit *in Domino*: cùm autem dixisset, *lux*, addidit vtiq; *in Domino*: quia in seipsis *lux* esse non possent; *vt qui gloriatur in Domino glorietur.* Illi verò in Apocalypsi propterea tales dicti sunt, quòd *non sit inventum in ore eorum mendacium*, quia non *dixerunt se non habere peccatum*: quod si dicerent, *seipsos deciperent & veritas in eis non esset.* Porrò si *veritas in eis non esset, inveniretur in ore eorum mendacium.* Quòd si propter invidiam, cùm essent sine peccato, dicerent, se non esse sine peccato; hoc ipsum esset mendacium, falsum esset quod dictum est: *Non est inventum in ore ipsorum mendacium.* Ideò ergò *sine macula sunt*, quia *sicut ipsi dimiserunt debitoribus suis*, sic illis Deo dimittente mundati sũt. Ecce nos, vt valuimus, exposuimus quomodò accipienda essent testimonia, quæ pro suâ causâ commemoravit. Ipse autem quomodò sit accipiendum quod scriptum est: *Omnis homo mendax*; omninò non solvit, nec solvere poterit; nisi correcto errore, quo credit hominem sine adiutorio gratiæ Dei, per solam propriam voluntatem posse esse veracem.

Epbes. 5.8.

1. Cor. 1.31

1. Ioan. 1.8

Psal. 115.2.

CAPVT XIII.

SIc aliam quæ sequitur quæstionem proposuit, nec solvit; imò verò auxit, & difficiliorem reddidit, proponendo, *Scriptura*, adversum se prolatum testimonium; *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*: & quasi contraria testimonia referendo, quibus ostenderet esse homines *qui faciunt bonum*: quòd quidẽ ostendit. Sed aliud est, non facere bonum; aliud, non esse sine peccato, etiamsi homo faciat multa bona. Quapropter ea testimonia quæ posuit, non sunt contra illud quòd dicitur, non esse in hac vita hominem sine peccato. Ipse autem non ostendit quemadmodùm dictum sit; *Non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum. Ait enim sanctus* DAVID, inquit, *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Hoc præceptum est, non factum. Quod præceptum non vtiq; faciebant de quibus dictum est; *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Ait *etiam dixisse sanctum* Tobiam; *Noli timere fili, pauperem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus*

Tertia scriptura,

Psal. 13.3.

Psal. 36.3.

Tob. 4.23.

rimus bona. Verisimè tunc erunt homini multa bona cùm *recesserit ab omni peccato.* Tunc enim nulla erunt mala, vt non opus habeat dicere; *Libera nos à malo.* Quàmvis & nunc omnis qui proficit recta intentione proficiens, *recedit ab omni peccato,* & tanto indè fit longinquior, quanto plenitudini iustitiæ perfectioniq; propinquior: quia & ipsa concupiscentia, quod est *peccatum habitans in carne nostra,* etsi manet adhuc in membris mortalibus, minui tamen non desinit in proficientibus. *Mat. 6. 13.*

Aliud recedere aliud recessisse ab omni peccato.

Aliud est ergò *recedere ab omni peccato,* quod nunc in opere est; aliud, recessisse ab omni peccato, quòd in illa perfectione tunc erit. Sed tamen & qui iam recessit, & qui adhuc recedit, non est negandus facere bonum. Quomodò ergo dictum est; *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum* quod ille proposuit & non solutum reliquit; nisi quia populum quendam psalmus ille culpat, in quo *nec vnus erat qui faceret bonum,* dùm volunt remanere filii hominum, & non esse filij Dei, cuius gratia homo bonus, vt *fiat bonum?* De illo enim *bono* dictum hic debemus accipere, quòd ibi ait: *Deus de cælo respexit super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deum.* Hoc ergò *bonum,* quòd est *requirere Deum non erat qui faceret, non erat vsque ad vnum;* sed in eo genere hominum quod prædestinatũ est ad interitum. Super hos enim *respexit* Dei præscientia, protulitque sententiam. *Psal. 13. 3.*

Non est qui faciat bonũ, de quibus intelligẽdũ.

Ib. d. 2.

CAPVT XIV.

Quarta scriptura.

ITem dicunt, inquit, *illud quod salvator ait: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus.* Hanc item propositionem omninò non solvit; sed opposuit velut ex adverso alia testimonia, quibus probaret esse & hominem bonum: Dixit enim *esse respondendum quod idem Dominus alibi ait; bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. Et iterum; Qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Et alibi scriptum est,* inquit. *Bona bonis creata sunt ab initio. Et iterum, Qui sunt boni, erunt habitatores terræ.* Cui sic respondendum est, vt & illud intelligatur quomodò dictum sit, *Nemo bonus, nisi vnus Deus.* Sive quia omnia quæ creata sunt, quamvis ea Deus *fecerit bona valdè,* creatori tamen comparata, nec bona sunt; cui comparata, nec sunt. Altissimo quippè & proprio modo quodam de seipso dixit, *Ego sum qui sum:* sicut dictum est, *Nemo bonus, nisi vnus Deus.* Quemadmodùm de *Luc. 18. 19.* *Mat. 12. 35* *Ibid. 5. 45.* *Eccl. 39. 30* *Prov. 2. 21.* *Matt. 19. 18* *Exod. 3. 14.*

Bonus quomodo solus Deus.

Ioanne

Ioanne dictum est, *Non erat ille lumen*; cùm Dominus eum dicat
Ioan. 1. 8. *lucernam esse*; sicut discipulos, quibus dixit, *Vos estis lumen mundi. Nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio*: sed in com-
Ioan. 5. 35. paratione luminis illius, quod *est verum lumen, illuminans omnẽ*
Mat. 5. 14. *hominem venientem in hunc mundum*; *non erat ille lumen*. Sive quia
& 15. ipsi etiam filii Dei comparati sibiipsis quales in illâ perfectio-
Ioan. 1. 9. ne æterna futuri sunt, ita boni sunt, vt adhuc & mali sint. Quòd de illis dicere non auderem; (Quis enim audeat dicere malos esse, quorum pater est Deus) nisi ipse Dominus dice-
Mat. 7. 11. ret, *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quãtò magis pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* Cùm ait vtique *pater vester*, filios Dei esse iam monstravit; quos tamen adhuc *malos esse* non tacuit. Ille tamen non solvit, quomodò
Mat. 10. 17 & isti boni sint; & *nemo* sit *bonus*, *nisi vnus* DEUS: vnde est ille admonitus qui interrogaverat quid boni faceret, vt illum quæreret cuius gratia bonus esset; cui bonum esse, hoc est ipsum esse; quia incommutabiliter bonus, & non potest omninò malus esse.

Lux & lumen.

Deo bonum esse, est ipsũ eius esse.

CAPVT XV.

Prov. 10. 9. ITem dicunt, inquit; *Quis gloriabitur castum se habere cor?* Et ad hoc respondit multis testimoniis, volens ostendere posse esse in homine *castum cor*: nec tamen dicit quomodò accipiendum sit, quod proposuit contra se dici; *Quis gloriabitur castum se habere cor*; ne scriptura divina in hoc testimonio, & his per quæ respondit, sibi ipsa adversari videatur. Nos autem huic respondentes dicimus ideò secutum esse, *quis gloriabitur castum*
Ibid. 8. *se habere cor*, quoniam præcessit, *cum rex iustus sederit in throno*, cuius cognitionem fugere delicta non possunt, nec illa de qui-
Psal. 18. 13 bus dictum est, *Delicta quis intelligit? Cum ergo rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor?* Aut *quis gloriabitur mundum se esse à peccato?* Nisi fortè isti qui volunt in sua iustitia, non in ipsius iudicis misericordia gloriari. Tamen etiã illa vera sunt quæ respondendo subiecit, quòd *Salvator ait in*
Mat. 5. 8. *Evangelio, Beati mundi corde, quoniam ipsi* DEUM *videbunt*: Et *quod*
Psal. 23. 3. DAVID *dicit, Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco*
& 4. *sancto eius? Innocens manibus & mundo corde*: Et alibi, *Benefac do-*
Psal. 124. 4 *mine bonis & rectis corde. Item apud Salomonem, Bona est substantia,*
Eccl. 13. 30 *cui non est peccatum in conscientia. Item illic, Averte te à delicto, &*
Ibid. 38. 10 *dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.* Item in epistola

Quinta scriptura.

Ioannis, *Si cor nostrum nos non reprehendat, fiduciam habemus ad* 1. Ioan. 3.
Deum, & quæcunque petierimus, accipiemus ab eo. Hoc enim agitur 21. & 22.
voluntate, credendo, sperando, diligendo, corpus castigando, eleemosynas faciendo, iniurias ignoscendo, instanter orando, & proficiendi vires precando, veraciterque dicendo, *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus; & ne inferas nos in tentationem, sed libera nos à malo.* Hoc prorsus agitur vt cor mundetur, & peccatum omne tollatur, & quòd *rex iustus cum in throno sederit*, occultum invenerit minùsque mundatum, eius misericordia remittatur, vt Deo videndo totum sanum mundumque reddatur. *Iudicium enim sine misericordia*; sed *illi qui non fecit misericordiam Superexaltat autem misericordia iudicio.* Quod si non esset, quæ spes esset? Quandoquidem *cùm rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor*, aut *quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Tunc* ergò per eius misericordiam *iusti* Iacob. 2. 13
plenè perfectèque mundati, *fulgebunt sicut sol in regno patris sui.* Mat. 13. 43.
Tunc plena atque perfecta erit *Ecclesia, non habens maculam aut* Ephes. 5. 27
rugam aut aliquid huiusmodi, quia etiam tunc erit verè *gloriosa.* Cùm enim non tantùm ait, *vt exhiberet sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam*; sed addidit, *gloriosam*: satis ingnificavit, quandò erit *sine macula & ruga aut aliquid huiusmodi*, tunc vtiq; quandò *gloriosa.* Non enim modò in tantis malis, in tantis scandalis, in tanta permixtione hominum pessimorum, in tantis opprobriis impiorum dicendum est eam esse *gloriosam*, quia reges ei serviunt, vbi est periculosior maiorq; tentatio; sed tunc potiùs *gloriosa* erit, quandò fiet quod idem ait Apostolus, *Cum Christus apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis* Colos. 3. 4.
cum ipso in gloria. Cùm enim Dominus iple secundum *formam servi*, per quam se *mediator* coniunxit Ecclesiæ, non fuerit glorificatus nisi resurrectionis gloria (Vndè dictum est, *Spiritus non erat datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus*) quomodò dicenda est ante resurrectionem suam, Ecclesia eius esse *gloriosa*? Mũdat ergò eã nunc lavacro aquæ in verbo abluens peccata præterita, & pellẽs ab ea dominationẽ malorũ angelorũ: deindè perficiẽs eius sanitates, facit eã occurrere in illã *gloriosam, sine macula & ruga.* *Quos enim prædestinavit, illos &* Rom. 8. 30.
vocavit; & quos vocavit, ipsos & iustificavit, quos autem iustificavit, illos & glorificavit. In hoc mysterio dictum arbitror, *Ecce ejicio* Luc. 13. 32
dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor; id est perficior. Dixit enim hoc ex persona corporis sui, quod

est

est Ecclesia Dei: ponens pro distinctis ordinatisque temporibus, quod & in sua resurrectione significavit in triduo. Puto autem interesse inter rectum corde, & mundum corde. Nam *Philip.3.13* & rectus corde *in ea quæ ante sunt extenditur, ea quæ retrò sunt obliviscens*; vt recto cursu, id est recta fide atque intentione perveniat, vbi habitet *mundus corde*. Sicut illa singula reddenda sunt singulis, vbi dictum est: *Psal.23.3. & 4.* *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde. Innocens manibus ascendet, & mundus corde stabit.* Illud in opere est, istud in fide. Et illic magis intelligendum quod, *Eccl.13.30* dictum est, *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.* Tunc enim erit verè *bona substantia*, id est veræ divitiæ, cùm transierit tota paupertas, id est cùm consummata fuerit om- *Ibid 38.19* nis infirmitas. Nunc vero *avertat se* homo *à delicto*, cùm proficiendo inde discedit, & *renovetur de die in diem, & dirigat manus* in opera misericordiæ, *& ab omni delicto mundet cor suũ*, misereatur, vt quod restat, per veniam dimittatur. Hoc enim salubriter & sine vana inanique iactantia bene intelligitur in *1.Ioan.3. 21.& 22.* eo, quod dixit sanctus Ioannes; *Si cor nostrum nos non reprehendat, fiduciam habemus ad Deum; & quæcunque petierimus ab eo accipiemus.* Hoc enim videtur isto loco admonuisse, *ne cor nostrum nos* in ipsa oratione & petitione *reprehendat*; hoc est ne fortè cũ cœperimus dicere, *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus*: compungamur non facere quod dicimus, aut etiã non audeamus dicere quod non facimus, & fiduciam petendi amittamus.

Corde rectus & mundus qui differãt.

CAPVT XVI.

Eccl.7.21. ITem sibi opposuit testimonium sanctarum scripturarum, quod eis dici solet, *Quia non est homo iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet.* Et quasi respondit aliis testimoniis, quia *Iob.1.8.* Dominus de sancto Iob ait, *Nunquid considerasti servum meum Iob? Nõ enim est ei similis quisquam in terris, homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni malo.* Vnde iam superiùs diseruimus. Nec tamen ipse ostendit nobis quomodò: & Iob, si hæc verba ità intelligenda sunt, sine vllo peccato fuerit in terra, & verum sit quòd scriptum esse dixit, *Non est homo iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet.*

CAP.

CAPVT XVII.

Sexta scriptura.

ITem dicunt, inquit, *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et huic testimonio quasi respondit ad nihil aliud, nisi vt scripturæ sanctæ inter se litigare videantur: quarum concordiam nos debemus ostendere. Ait enim, *quibus respondendum est quod de sancto Zacharia & Elizabeth Evangelista testatur,* dicens, *Erant autem Zacharias & Elizabeth vxor eius iusti ambo in conspectu Domini, & in omnibus mandatis eius incedentes & iustificationibus Domini sine querela.* Qui *iusti ambo* vtiq; legerant inter ipsa mandata, quemadmodùm sua peccata mundarent. Nam Zacharias, quod de *omni sacerdote de hominibus accepto* in epistola ad Hebræos dicitur, etiam pro suis peccatis vtiq; hostias offerebat. Quomodò autem intelligendum sit quod dicitur, *sine querela,* iam supra satis, quantum opinor, ostendimus. *Et beatus,* inquit, *Apostolus ait, Vt simus sancti & immaculati in conspectu eius.* Hoc agitur, vt hoc simus; si *immaculati* intelligendi sunt, qui omninò sine peccato sunt. Si autem *immaculati sunt* qui sunt *sine crimine,* etiam in hac vita fuisse atque esse negare non possumus: quia non ideò sine vllo peccato est aliquis, quoniam non habet maculam criminis. Vndè & Apostolus cùm ministros eligeret ordinandos, non ait, si quis sine peccato; quod invenire non posset; sed ait: *Si quis sine crimine,* quod vtiq; posset. Nec tamen ipse ostendit quemadmodùm secundum suam causam debeamus accipere, quod scriptum est: *Quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Aperta quippe sententia est de superiore versu illustrius declarata, *Non intres,* inquit, *in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Iudicium* timet, quia *misericordiam* desiderat, quæ *superexultat iudicio.* Hoc est enim *ne intres in iudicium cum servo tuo,* noli me iudicare secundum te qui es sine peccato, *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens:* quod de hac vita dictũ sine difficili quæstione intelligitur. Et quod ait, *non iustificabitur,* ad illam perfectionem̃ iustitiæ retulit quæ in hac vita non est.

Psal. 142.2

Luc. 1.6.

Heb. 5.3.

Ephes. 1.4.

Cap. 11. Immaculati esse qui dicuntur.

Tit. 1.9.

Psal. 142.2

In cõspectu Dei quomodò nemo iustificetur.

CAP.

CAPVT XVIII.

ITem dicunt, inquit, *si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et huic evidentissimo testimonio quasi contrariis testimoniis respondere conatus est, quòd *idem sanctus Ioannes in eadem epistola dicat; Hoc autem dico fratres, vt non peccetis. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare. Item ille; Qui natus est ex Deo, non peccat, quia generatio Dei, conservat eum, & malignus non tanget eum. Item illic,* inquit, *vb. de salvatore ait, quoniam ille apparuit, vt peccata tolleret. Omnis qui in eo manet, non peccat. Omnis qui peccat, non vidit eum nec cognovit eum. Item illic, Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus. quoniam videbimus eum sicuti est: & omnis qui habet spem hanc in eum sanctificat se, sicuti & ipse sanctus est.* Et tamen cùm hæc omnia testimonia vera sint, verum est & illud quod proposuit, & non solvit, *Quod si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ac per hoc, secundum id quod ex Deo nati sumus, & in eo *qui apparuit vt peccata tolleret*, id est in Christo manemus, & non peccamus; hoc est autem, quod *interior homo renovatur de die in diem.* Secundùm autem quod de homine illo nati sumus, *per quem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit*, sine peccato non sumus: quia sine illius infirmitate nondùm sumus, donec illa renovatione, quæ fit *de die in diem*, quoniam secundùm ipsum ex Deo nati sumus, infirmitas tota sanetur, in qua ex primo homine nati sumus, & in qua sine peccato non sumus. cuius reliquiis in homine manentibus interiore, quàmvis *de die in diem* minuantur in proficientibus, *si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quomodo enim verum est, *Omnis qui peccat non vidit eum, neque cognovit eum:* cùm secundum visionem & cognitionem quæ erit in specie, nemo eum in hac vita videat atque cognoscat; secundum autem visionem atque cognitionem quæ est in fide, multi sunt qui peccent; certè ipsi apostatæ, qui tamen in eum aliquandò crediderunt: vt de nullo eorum dici possit, secundùm visionem & cogni-

Septima scriptura.

Ibid 3. 9.

Ibid. 5. 18.

Ibid. 3. 5. & 6.

Ibid. 2. & 3

1. Ioan. 1.

Omnis qui natus est ex Deo non peccat, quo sensu dictum.

2. Cor. 4. 16

Rom. 5. 12.

1. Ioan. 3. 6

Omnis qui peccat quomodo non viderit neq; cognoverit Deum.

tionem quæ adhuc in fide est, *non vidit eum neque cognovit eum?* Sed intelligendum arbitror, quia renovatio perficienda videt & cognoscit; infirmitas verò absumenda non videt, neque cognoscit eum. In cuius quantiscunq; reliquiis constitutis interiùs, *si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Cùm ergò per gratiam renovationis *filij Dei simus*, tamen propter reliquias infirmitatis *nondum apparuit quod erimus, scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Tunc peccatum nullum erit, quia infirmitas nec interior nec exterior vlla remanebit; *& omnis qui habet hanc spem in eum, sanctificat seipsum sicut & ipse sanctus est. Sanctificat* enim *se* non per seipsum, sed credendo in illum & invocando illum qui sanctificat sanctos suos. Cuius sanctificationis perfectio, quæ nunc proficit & crescit *de die in diem*, omnes infirmitatis reliquias ablatura est.

CAPVT XIX.

Obiua scriptura.

ITem dicunt, inquit, Non *volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quibus respondendum esse dicit, *quod idem Apostolus alibi de quodam ait, Quod vult faciat. Item* inquit, *ad Philemonem de Onesimo, Quem ego volueram apud me detinere, vt pro te mihi ministraret; sed sine consilio tuo nihil volui facere, vt non quasi ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Item in Deuteronomio, Vitam & mortem dedit ante faciem tuam, bonum & malum, elige vitam vt vivas. Item apud Salomonem, Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui: addecit ei præcepta & mandata; si voles, præcepta servabunt te, & in posterum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod vis porrige manum tuam. Ante hominem bonum & malum, vita & mors, paupertas & honestas à Domino Deo sunt. Item apud Esaiam: Et si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis; Si autem nolueritis nec obaudieritis me, gladius vos comedet: Os enim Domini locutum est hæc.* Hic verò quantumlibet isti se obtegant, aperiuntur. Declarant enim se contra Dei gratiam vel misericordiam disputare, quam volumus impetrare cùm dicimus, *Fiat voluntas tua sicut in cælo, ita & in terra: vel ne nos inferas in tentationẽ, sed libera nos à malo.* Vt quid enim ista orando tanto gemitu peti-

Rom. 9.16. 1.Cor.7.36

Philem.13. & 14.

Deut.30.15 & 19. Eccl.15.14 et seq.

Esa.1.19. et 20.

Mat 6 10. et 13.

petimus, si *volentis* hominis *& currentis*, & non *miserentis est Dei?* Non quia hoc sine voluntate nostra agitur, sed quia voluntas non implet quod agit, nisi divinitùs adiuuetur. Hæc
Luc. 11.9. est fidei sanitas quæ nos facit *quærere* vt inueniamus, *petère* vt accipiamus, *pulsare* vt aperiatur nobis. Contra istam qui disputat, contra seipsum claudit ostium misericordiæ Dei. Noloplura dicere de re tanta, quia melius eam committo fidelium gemitibus quàm sermonibus meis. Videte tamen obsecro quale sit, ideò *volenti & currenti* misericordiam Dei non esse necessariam, quæ illum etiam prævenit, vt curreret; quia de quodam ait Apostolus, *Quod vult faciat.* Ibi vt arbi-
1. *Cor.*7. trator, vbi sequitur & dicit, *Non peccat, si nubat.* Quasi pro
36. magno habendum sit, velle nubere, vbi de adiutorio divinæ misericordiæ operoliùs disputatur. Aut verò etiam ibi prodest aliquid velle, nisi Deus providentia, quâ gubernat
*Philem.*14. omnia, marem fœminamque coniungat. Aut quoniam *ad Philemonem scripsit Apostolus, vt non quasi ex necessitate bonum eius esset, sed voluntarium:* quasi aliter sit *voluntarium bonum*, nisi cùm
Philip. 2.13 *Deus operatur in nobis, & velle & operari pro bona voluntate.* Aut
*Deut.*30.19 quia *in Deuteronomio scriptum est, Vitam & mortem dedit ante faciem hominis, bonum & malum*; & admonuit vt *eligeret vitam:* quasi & ipsa admonitio non de misericordia veniat; vel aliquid prodesset *eligere vitam*, nisi Deus eligendi charitatem inspiraret, & electam habere præstaret. De quo dictum est;
Psal. 29.6. *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Aut
*Eccl.*15.16 quia dictum est, *Si voles, præcepta servabunt te:* quasi non debeat Deo agere gratias, quia præcepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis, hæc velle non posset. Positis ante hominem *igne & aqua*, quò vult quidem *porriget manum*; sed altior est qui vocat altiùs quam omnis humana cogitatio: Quandoquidem initium corrigendi cor fides est, sicut
*Cant.*4. scriptum est, *Venies & pertransibis ab initio fidei:* & quisquis
iuxta 70. ita elegit bonum, *sicut vnicuique Deus partitus est mensuram*
Rom 12.3. *fidei.* Et *nemo potest ad me venire*, ait princeps fidei, *nisi pater*
*Ioan.*6.44. *meus qui misit me, traxerit eum.* Quod de fide dictum esse quain eum creditur, satis evidenter posteà explanat, vbi dicit,
Ibid 64.65 *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: sed quidam*
& 66. *sunt ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes, & quis eum traditurus esset, et dicebat, Propterea dixi vobis*

quia

quia nemo potest ad me venire, nisi fuerit ei datum à patre meo. Magnum autem aliquid pro sua causa se invenisse arbitratus est apud Esaiam prophetam, quia Deus dixit: *Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis; Si autem nolueritis & non audieritis me, gladius vos comedet. Os enim domini locutum est hæc.* Quasi non lex tota huiusmodi conditionibus plena sit: aut ob aliud superbis præcepta ista data sint, nisi quia *lex prævaricationis gratia posita est, donec veniret semen cui promissum est.* Vndè *subintravit vt abundaret delictum, & vbi abundavit delictum, superabundavit gratia:* id est, vt acciperet homo præcepta, superbè de suis viribus confideris, in quibus deficiens & factus etiam prævaricator, liberatorem salvatoremque requireret; atque ita eum timor legis humilem factum, tanquam *pædagogus* ad fidem gratiamque perduceret. Ita *multiplicatis infirmitatibus postea acceleraverunt*, quibus sanandis opportunè Christus advenit. In cuius gratia non etiam iusti antiqui crediderunt, eadem ipsa gratia eius adiuti, vt gaudentes eum prænoscerent, & quidam etiam prænunciarent esse venturum: vel in illo populo Israel sicut Moyses, & Iesus Nave, & Samuel, & David, & cæteri tales; vel extra ipsum populum, sicut Iob; vel ante ipsum populum, sicut Abraham, sicut Noe, & quicumque alii sunt, quos vel commemorat vel tacet divina Scriptura. *Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus,* sine cuius gratia nemo à condemnatione liberatur, sive quam traxit ex illo, *in quo omnes peccaverunt,* sive quam postea suis iniquitatibus addidit.

Promissa Dei conditionata.

Antiqui iusti et ipsi per Christi gratiam salvati.

Gal 3.19. Rom. 5.20. Psal. 15.4. 1.Tim.2.5. Esa. 1.19. & 20.

CAPVT XX.

QVale est autem quod iste posuit in extremo: *Si quis dixerit potest fieri vt homo vel verbo non peccet? Respondendum est,* inquit, *Si vult Deus, potest: vult enim Deus, ergo potest.* Item ait: *Si quis dixerit, fieri potest, vt homo cogitatione non delinquat? Respondendum est, Si vult Deus, potest: vult enim Deus, ergo potest.* Videte quemadmodum noluit dicere, si Deus adiuvet, potest; cui dicitur, *Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Non vtiq; ad corporalia bona capessenda & mala cavenda, sed ad gerendam perficiendamq; iustitiam; propter quod dicimus, *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.* Nec adiuuatur, nisi qui & ipse aliquid agit; adiuuatur autem si invocat, si credit, si se-

Psal. 26.9. Mat 6.13. Rom. 8.29 et 30.

cun-

eundum propositum vocatus est; quoniam quos antè præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus; quos autem prædestinavit, illos & vocavit; quos autem vocavit, illos & iustificavit; quos autem iustificavit, illos & glorificavit. Currimus ergò cùm proficimus, dùm sanitas nostra in proficientibus currit: sicut etiam cicatrix currere dicitur, quandò benè vulnus diligenterque curatur, vt ex omni parte perfecti sine vlla simus omninò infirmitate peccati, quod non solùm vult Deus, verumetiam vt impleatur facit atque adiuuat. Et hoc nobiscum agit *gratia Dei per* Rom. 5. 5. *Iesum Christum Dominum nostrum*, non solùm præceptis, sacra- Rom. 8. 6. mentis, exemplis; sed & *spiritu sancto*, per quem latenter *diffunditur charitas in cordibus nostris, qui interpellat gemitibus inenarrabilibus*, donec in nobis perficiatur sanitas, & Deus sicut videndus est in æterna veritate monstretur.

Aliquatur nemo nisi qui et ipse aliquid agit.

Cursus prodicitur, factus est.

CAPVT XXI.

QVisquis ergò fuisse vel esse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto *vno mediatore Dei & hominum*, qui bus necessaria non fuerit remissio peccatorum; contrarius est diuinæ scripturæ, vbi Apostolus ait, Rom. 5. 12. *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*: & necesse est, vt impia contentione asserat, esse posse homines, qui sine *mediatore Christo* liberante atque salvante sint liMat. 9. 12. & 13. beri salviq; à peccato, cùm ille dixerit, *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus; non veni vocare iustos, sed peccatores.* Quisquis autem dicit, post acceptam remissionem peccatorum ita quenquam hominem iustè vixisse in hac carne, vel vivere, vt nullum habeat omnino peccatum, contradicit A1. Ioan. 1 8 postolo Ioanni qui ait, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Non enim ait, habuimus; sed, *habemus.* Quod si quis asserit de illo peccato esse dictũ, quod *habitat in carne mortali nostra* secundũ vitiũ quod Rom. 6. 12. peccãtis primi hominis voluntate cõtractũ est, cuius *peccati desiderijs ne obediamus*, Paulus Apostolus præcipit: nõ autẽ peccare, qui eidẽ peccato quâ vis in carne habitãti, ad nullũ opus malũ õninò consentit vel facti, vel dicti, vel cogitati, quamvis ipla concupiscentia moveatur, quæ alio modo peccati nomen

Conclusio operis.

Occupatio.

accipit, quod ei consentire peccare sit, nobisque moveatur invitis: subtiliter quidem ista discernit; sed videat quid agatur de Dominica oratione, vbi dicimus, *Dimitte nobis debita nostra.* Quod, nisi fallor, non opus esset dicere, si nunquàm, vel in lapsu linguæ, vel in oblectanda cogitatione eiusdem peccati desideriis aliquantulum consentiremus, sed tantummodò dicendum esset, *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.* Nec Iacobus Apostolus diceret *In multis offendimus omnes.* Non enim offendit, nisi cui mala concupiscentia contra iustitiæ rationem appetendo seu vitando, faciendum vel dicendum vel cogitandum aliquid, quod non debuit, sive fallens, sive prævalens persuadet. Postremò si excepto illo capite nostro, sui corporis Salvatore, asseruntur vel fuisse, vel esse in hac vita aliqui homines iusti sine aliquo peccato, sive nunquam consentiendo desideriis eius, sive quia pro nullo peccato habendum est, quod tantum est, vt hoc pietati non imputet Deus, (quàm vis aliter sit beatus sine peccato, aliter autem *beatus, cui non imputat Dominus peccatum*) non nimis existimo reluctandum. Scio enim quibusdam esse visum, quorum de hac re sententiam non audeo reprehendere, quanquam nec defendere valeam. Sed planè quisquis negat nos orare debere, *ne inferas in tentationem*: (negat autem hoc qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adiutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem) ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum esse non dubito.

Non ipsa inuenatis concupiscentia, sed cõsensus peccatũ est.

Ibid 13. *Iacob.* 3. 2. *Psal.* 31. 2.

Finis de perfectione iustitiæ.

DI-

DIVI AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI

Liber de gratia & libero arbitrio, ad Valentinum & cum illo Monachos.

Argumentum ex lib. Retract. cap. 66.

PROPTER *eos, qui cum defenditur* Dei *gratiæ purantes negari liberum arbitrium sic ipsi defendunt liberum arbitrium, vt negent* Dei *gratiam, asserentes eam secundum merita nostra dari; scripsi librum, cuius titulus est,* De gratia & libero arbitrio. Ad *eos autem scripsi monachos Adrumetinos, in quorum monasterio de hac re caperat esse contentio, ita vt me consulere aliqui eorum cogerentur. Hic liber sic incipit.*

CAPVT PRIMVM.

PROPTER eos qui liberum arbitrium sic prædicant & defendunt, vt Dei gratiam quâ vocamur ad eum, & à nostris malis meritis liberamur, & per quam bona merita comparamus, quibus ad vitam perveniamus æternam, negare audeant & conentur auferre; multa iam disseruimus, litterisque mandavimus, quantum nobis Dominus donare dignatus est. Sed quoniam sunt quidam qui sic gratiam Dei defendunt, vt negent hominis liberum arbitrium: hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentine frater, & cæteri qui simul Deo servitis, compellente mutuâ

mutuâ charitate curavi. Nunciatum est enim mihi de vobis fratres, ab aliquibus qui in vestra congregatione sunt, & ad nos inde venerunt, per quos & ista direximus, quod de hac re dissensiones in vobis sint. Itaque dilectissimi, ne vos perturbet huius quæstionis obscuritas, moneo vos primùm, vt de iis quæ intelligitis, agatis Deo gratias; quicquid est autem quò pervenire nondùm potest vestræ mentis intentio, pacem inter vos & charitatem servantes, à Domino vt intelligatis orate. Et donec vos ipse perducat ad ea quæ nondùm intelligitis, ibi ambulate quò pervenire potuistis. Hoc admonet Apostolus Paulus, qui cùm dixisset nondùm se esse perfectum, paulò pòst ait: *Quotquot ergò perfecti hoc sapiamus*, id est, ita nos esse perfectos, vt nondum ad perfectionem quæ nobis sufficit venerimus: continuoque subiunxit, *Etsi quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit: veruntamen in quod pervenimus, in eo ambulemus.* Ambulando quippe *in quod pervenimus*, & quò nondum pervenimus, pervenire poterimus, Deo nobis revelante si quid aliter sapiamus, si ea quæ iam revelavit, non relinquamus. Philip. 3. 15. Ibid. & 16.

CAPVT II.

Probatio-est nobis liberum arbitrium. Cõmemoro, pro commonefacio.

REvelavit autem nobis per scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodò autem revelaverit commemoro vos, non humano eloquio, sed divino. Primum, quia ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perveniret. Ideò enim data sunt, vt homo excusationem de ignorantia non haberet: sicut Dominus dicit in Evangelio de Iudæis: *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* De quo peccato dicit, nisi de illo magno, quod præsciebat eorum futurũ quandò ista dicebat, id est, quo eum fuerant occisuri? Neque enim nullum habebant peccatum, antequam Christus venisset in carne ad eos. Item dicit Apostolus: *Revelatur ira Dei de cœlo in omnem impietatem & iniustitiam homi-* Ioan. 15. 22. Rom. 1. 18. 19. & 20.

minum eorum, qui veritatem in iniquitate detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim eius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius ac divinitas, vt sint inexcusabiles. Quomodò dicit inexcusabiles, nisi de illa excusatione qua solet dicere humana superbia: Si scissem, fecissem; ideò non feci, quia nescivi. Aut, si scirem, facerem; ideò non facio, quia nescio? Hac eis excusatio tollitur, quandò præceptum datur. velscientia non peccandi manifestatur. Sed sunt homines qui etiam de ipso Deo se excusare conantur, quibus dicit Apostolus Iacobus: *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tenter. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Item de ipso Deo se excusare volentibus respondet liber proverbiorum Salomonis: *Insipientia viri violat vias eius, Deum autem causatur in corde suo.* Et liber Ecclesiasticus dicit: *Ne dixeris quia propter Deum recessi, quæ enim odit ne facias: Ne dixeris quia ipse me induxit: non enim opus habet viro peccatore. Omne execramentum odit Dominus, & non est amabile timentibus eum. Ipse ab initio fecit illum, & reliquit illum in manu consilij sui. Si volueris conservabis mandata & fidem bonam placiti. Apponet tibi ignem & aquam, ad quodcumque volueris extende manum tuam. In conspectu hominis vita & mors, & quodcumque placuit dabitur ei.* Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri & fieri iubet Deus? Quomodò iubet si non est liberum arbitrium? Quid beatus ille, de quo Psalmus dicit, quod *in lege Domini fuit voluntas eius*: nonnè satis indicat voluntate sua hominem in lege Dei consistere? Deinde tam multa mandata quæ ipsam quodammodo nominatim conveniunt voluntatem. sicut est, *Noli vinci a malo*: & alia similia, sicut sunt, *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Et, *Noli repellere consilia matris tuæ.* Et, *Noli esse sapiens apud te ipsum.* Et, *Noli deficere à disciplina Domini.* Et, *Noli negligere legem.* Et, *Noli abstinere benefacere egenti.* Et, *Noli fabricare in amicum tuum mala.* Et, *Noli intendere fallaci muliери.* Et, *Noluit intelligere vt benè ageret.* Et, *Noluerunt accipere disciplinam*: & innumerabilia talia in veteribus libris divinorum eloquiorum quid ostendunt, nisi libe-

Iacob. 1. 13 14. & 15.

Prov. 19. 3.

Eccl. 15. 11 & seq.

Psal. 1. 2.

Rom. 12. 21

Psal. 31. 9.

Prov 1. 8.

Prov 3. 7.

Ibid. 11.

Ibidem 27.

Ibidem 29.

Prov. 5. 2.

Psal 35. 4.

Per legis cognitionē tollitur excusatio quā adferre hominesin peccatis solent.

rum arbitrium voluntatis humanæ? In libris etiam novis Evangelicis & Apostolicis quid aliud ostenditur, vbi dicitur: *Nolite vobis condere thesauros in terra.* Et, *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* Et, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Et, *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* Et quod dicit Apostolus Paulus: *Quod vult faciat, non peccat si nubat: qui autem statuit in corde suo non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc statuit in corde suo servare virginem suam, benè facit.* Item dicit: *Si autem volens, hoc facio, mercedem habeo.* Et alio loco: *Sobriè estote iustè, & nolite peccare.* Et iterùm: *Vt quemadmodùm prōptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi.* Et ad Timotheum dicit: *Cùm enim in delicijs egerint in Christo, nubere volunt.* Et alibi: *Sed & omnes qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Et ipsi Timotheo: *Noli negligere gratiam quæ in te est.* Et ad Philemonem: *Ne bonum tuum velut ex necessitate esset, sed ex voluntate.* Servos etiam ipsos monet, vt dominis suis *ex animo serviant cum bona voluntate.* Item Iacobus *Nolite itaq; etrare fratres mei & nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi, & nolite detrahere de alterutro.* Item Ioannes in Epistola sua *Nolite diligere mundum*: & cætera huiusmodi. Nempè vbi dicitur: Noli hoc, & noli illud, & vbi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. Nemo ergò *Deum causetur in corde suo*, sed sibi imputet quisque cùm peccat. Neque cùm aliquid secundùm Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate. Quandò enim volens facit, tunc dicendum est opus bonum, tunc speranda est boni operis merces ab eo, de quo dictum: *Qui reddet vnicuique secundùm opera sua.* Qui ergò meruerunt divina mandata, aufertur eis excusatio, quam solent homines habere de ignorantia.

Mat. 5. 19.
Mat. 10. 28
Mat. 16. 24
Luc. 2. 14.
1. Cor. 7. 36 & 37.
1. Cor 9. 17
1. Cor. 15. 34.
2. Cor. 8. 11
1 Tim. 5. 11
2. Tim. 3 12
1. Tim. 4. 14
Phil. v. 14.
Eph. 6. 6. & 7.
Iacob. 2 1.
Ibid 4. 11.
1. Ioa. 2. 15
Mat. 16. 27

CAPVT III.

Quod nec ignorantia excuset vt à pœna liberet

SEd nec ipsi sine pœna erunt qui legem Dei nesciunt. *Qui enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: qui autem in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur* Quod mihi non videtur Apostolus ita dixisse, tanquam peius aliquid significaverit esse passuros qui legē nesciunt in peccatis suis, quàm illos qui sciunt. Peius enim videtur esse perire, quàm iudicari. Sed cùm hoc de genti-

Rom. 2. 12.

gentibus & de Iudæis loqueretur, quia illi sine lege sunt, isti autem legem acceperunt; quis audeat dicere Iudæos *qui in lege peccant*, non esse perituros cùm in Christum non crediderunt, quandoquidem de illis dictum est, *per legem iudicabuntur?* Sine fide enim Christi nemo liberari potest, ac per hoc ita iudicabuntur vt pereant. Nam si peior est conditio nescientium quã scientium legem Dei, quomodò verùm erit quod Dominus in Evangelio ait: *Servus qui nescit voluntatem Domini sui, & facit* Luc. 12. 48. & 47. *digna plagis, vapulabit pauca: servus autem qui scit voluntatem Domini sui, & facit digna plagis, vapulabit multa.* Ecce vbi ostendit graviùs peccare hominem scientem quàm nescientem, nec tamen ideò confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, vt in eis quisque requirat excusationem. Aliud est enim nescisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippè in eo arguitur, de quo dicitur: Psal. 35. 3. *Noluit intelligere vt benè ageret.* Sed & illa ignorantia quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tanquàm simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, vt sempiterno igne non ardeat: si propterea non credidit, quia non audivit omninò quod crederet; sed fortassis vt mitius ardeat: non enim sine Psal. 78. 6. causa dictum est: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt.* Et illud quod ait Apostolus: *Cùm venerit in flamma ignis dare vindictam in eos, qui ignorant Deum.* Veruntamen 2. Thess. 1. 8 vt habeamus & ipsam scientiam, ne dicat vnusquisque, nescivi, non audivi, non intellexi, voluntas convenitur humana, Psal. 31. 9. vbi dicitur: *Nolite esse sicut equus & mulus, quibus non est intel-* Prov. 29. 19 *lectus*: quàmvis peior appareat, de quo dictum est: *Verbis non emendabitur servus durus: si enim & intellexerit, non audiet.* Quãdò autem dicit homo: Non possum facere quod præcipitur, quoniam concupiscentia mea vincor, iam quidem de ignorantia non habet excusationem, nec *Deum causatur in corde suo*; sed malum suum in se cognoscit & dolet: cui tamen dicit Apo- Rom. 12. 21 stolus, *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Et vtique cui dicitur, *noli vinci* arbitrium sine dubio voluntatis ei us convenitur: velle enim & nolle propriæ voluntatis est.

Scientem quam ignorantem peccare gravius

Duplex ignorantia.

CAPVT IV.

SEd metuendum est ne ista omnia divina testimonia, & quæcumque alia sunt quæ sine dubitatione sunt plurima, in defensione liberi arbitrij sic intelligantur, vt ad vitam piam

Transit ad gratia contra Pelagianos tractationem.

& bonam conversationem, cui merces æterna debetur, adiutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur: & audeat miser homo quandò benè vivit & benè operatur, vel potiùs benè vivere & benè operari sibi videtur, in seipso non *in Domino gloriari*, & spem rectè vivendi in seipso ponere, vt sequatur eum maledictum Hieremiæ prophetæ dicentis: *Maledictus homo qui spem habet in homine, & firmat carnem brachij sui, & à Domino discedit cor eius.* Hier. 17.5. Intelligite fratres hoc propheticum testimonium: quia enim non dixit propheta: *Maledictus homo qui spem habet* in seipso, posset alicui videri ideò dictum esse: *Maledictus homo qui spem habet in homine*; vt nemo habeat spem in altero homine, sed in se. Vt ergò ostenderet sic se admonuisse hominem, vt nec in seipso haberet spem, propterea cùm dixisset: *Maledictus homo qui spem habet in homine*: mox addidit, *& firmat carnem brachij sui*: Brachium pro potentia posuit operandi. In nomine autem carnis intelligenda est humana fragilitas: ac per hoc *firmat carnem brachij sui*, qui potentiam fragilem atque invalidam, id est, humanam sibi sufficere ad benè operandum putat, nec adiutorium sperat à Domino. Propter hoc enim subiecit: *Et à Domino discedit cor eius.* Talis est hæresis Pelagiana, non antiqua, sed ante non multum tempus exorta: contra quam hæresim cùm fuisset diutiùs disputatum, etiam ad concilia Episcopalia novissima necessitate perventum est; vnde vobis non quidem omnia, sed tamen aliqua legenda direxi. Nos ergò ad benè operandum spem non habeamus in homine, *firmantes carnem brachij nostri, à Domino discedat cor nostrum*; sed ei dicat: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.* Psal. 26. 9. Proinde charissimi, sicut superioribus testimoniis scripturarum probavimus sanctarum, ad benè vivendum & rectè agendum esse in homine liberum voluntatis arbitrium: sic etiam de gratia Dei, sine qua nihil boni agere possumus, quæ sint divina testimonia videamus. Ac primùm de ipsa vestra professione aliquid dicam: neque enim congregaret vos ista societas in qua continenter vivitis, nisi voluptatem coniugalem contemneretis. Hinc autem Domino loquenti cùm dixissent discipuli: *Si talis est causa hominis cum vxore, non expedit nubere*: respondit eis, *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Mat. 9. 10. & 11. Nunquid non liberum arbitrium

Brachium pro operandi potestate Caro, pro fragilitate humana.

Probat necessariam esse libero arbitrio gratiã Dei.

Castitatis in monasterijs professio

Timo-

1.Tim.5. 22. Timothei est exhortatus Apostolus dicens: *Contine teipsum*? Et in hâc re potestatem voluntatis ostendit: vbi ait, *Non ha-*
1.Cor.7.37 *bens necessitatem; potestatem autem habens suæ voluntatis, vt servet virginem suam*: & tamen *non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*: *quibus* enim non *est datum*, aut nolunt, aut non implent quod volunt: *quibus* autem *datum est*, sic volunt vt impleant quod volunt. Itaquevt *hoc verbum*, quod non ab omnibus capiatur, ab aliquibus capiatur & Dei donum est, & liberum arbitrium. De ipsa quoque pudicitia coniugali nempè
Ibidem 36. Apostolus ait: *Quod vult faciat, non peccat si nubat*; & tamen
Prov.19.14 etiam hoc Dei donum est, dicente scriptura: *A Domino iungitur mulier viro.* Ideò *doctor gentium* & pudicitiam coniugalem, per quam non fiunt adulteria, & perfectiorem continentiam, per quam nullus concubitus quæritur, sermone suo commendans: & hoc & illud donum Dei esse monstra-
1.Cor.7.5. & 7. vit, scribens ad Corinthios, & admonens coniuges *ne se invicem fraudent*: quos cùm admonuisset adiecit: *Vellem autem omnes homines esse sicut & me ipsum*: quia vtique ipse ab omni concubitu continebat. Et continuò subiunxit: *Sed vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic.* Nunquid tam multa quæ præcipiuntur in lege Dei, ne fornicationes & adulteria committantur, indicant aliud quàm liberum arbitrium? Neque enim præciperentur, nisi homo haberet propriam voluntatem, qua divinis præceptis obediret: & tamen Dei donum est, sine quo servari castitatis præcepta non possunt. Vnde ait ille in libro Sapientiæ:
Sap.8.21 *Cùm scirem quia nemo esse potest continens nisi Deus det: & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum.* Vt autem ista
Iacob.1.14. non serventur castitatis sancta mandata, *vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Vbi si dixerit volo servare, sed vincor à concupiscentia mea: respondet Scriptura libero eius arbitrio, quod iam superiùs dixi:
Rom.12.21 *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*: quod tamen vt fiat, adiuvat gratia, quæ nisi adiuverit, nihil *lex erit* nisi *virtus peccati.* Augetur enim concupiscentia, & maiores vires accipit lege prohibente, nisi adiuvet spiritus gratiæ. Hoc
1.Cor.15. 56. est quod dicit ille ipse *doctor gentium. Aculeus autem mortis est peccatum, virtus verò peccati lex.* Ecce vnde dicit homo. Volo legis servare mandatum, sed virtute concupiscentiæ meæ vincor. Et cùm voluntas eius convenitur & ei dicitur:

Nolivinci à malo, quid ei prodest nisi gratia succurrente fiat? Quod ipse Apostolus secutus adiunxit; nam & cùm dixisset, *virtus peccati lex*; continuò subiecit: *Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum.* Ergò & victoria qua peccatum vincitur, nihil aliud est quàm donum Dei, in isto certamine adiuvantis liberum arbitrium. Propter quod dicit & cœlestis magister, *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Ergò vnusquisque contra suam concupiscentiam dimicans *oret, ne intret in tentationem*: id est, ne sit *ab illa abstractus & illectus. Non* autem *intrat in tentationem*, si voluntate bona vincat concupiscentiam malam. Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi à Domino victoria concedatur oranti, *ne intret in tentationem.* Quid verò evidentiùs quàm Dei ostenditur gratia, vbi quod oratur, accipitur? Si enim dixisset Salvator noster, *Vigilate ne intretis in tentationem*, admonuisse videretur tantum modò hominis voluntatem: cùm verò addit, *& orate*, ostendit Deum adiuvare, ne intretur in tentationem. Dictum est libero arbitrio; *Fili noli deficere à disciplina Domini*: & Dominus dicit; *Ego rogavi pro te Petre, ne deficeret fides tua.* Homo ergò gratia iuvatur, ne sine causa voluntati eius iubeatur.

Ibidem 57.

Intrare in tentationē. *Mat.* 26. 41

Oratio evidens est gratiæ documētum.

Prov. 3. 11. *Luc.* 22. 32.

CAPVT. V.

CVm dicit Deus, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos:* vnum horum videtur esse nostræ voluntatis, id est, vt convertamur ad Deum; alterum verò ipsius gratiæ, id est, vt etiam ipse convertatur ad nos, vbi possunt putare Pelagiani suam obtinere sententiam, qua dicunt *gratiam Dei secundùm merita nostra dari.* Quod quidem in Oriente, hoc est, in provincia Palæstina, in qua est civitas Hierusalem, cùm ipse Pelagius ab Episcopis audiretur, affirmare non ausus est. Nam inter cætera quæ illi obiecta sunt, & hoc obiectum est, quod diceret *gratiam Dei secundùm merita nostra dari*; quod sic alienum est à catholica doctrina, & inimicum gratiæ Christi, vt nisi hoc obiectum sibi anathematizasset, ipse inde anathematizatus exisset. Sed fallaciter eum anathematizasse posteriores eius indicant libri, in quibus omnino nihil aliud defendit, quàm *gratiam Dei secundùm merita nostra dari.* Talia ergò de scripturis colligunt, quale est hoc vnum quod paulò ante dixi. *Convertimini ad me & convertar ad vos*, vt secundùm meritum conver-

Zach. 1. 3.

Concilium Palæstinum contra Pelagium.

conversionis nostræ ad Deum, detur gratia eius, in qua ad nos & ipse convertitur. Nec attendunt qui hoc sentiunt; quia nisi donum Dei esset etiam ipsa ad Deum nostra conversio,
Psal. 79. 8. non ei diceretur: *Deus virtutum converte nos.* Et. *Deus tu conver-*
Psal 84. 7. & 5. *tens vivificabis nos* Et, *Converte nos* Deus *sanitatum nostrarum*: & huiusmodi alia quæ commemorare longum est. Nam & venire ad Christum, quid est aliud nisi ad eum credendo conver-
Ioan. 6. 66. ti, & tamen ait: *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei à patre meo?* Item quod scriptum est in libro secundo Paralipo-
2. Para. 15. 2. menon: *Dominus vobiscum, cum vos estis cum eo, & si quæsieritis eum, invenietis; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos*: manifestat quidem voluntatis arbitrium. Sed illi qui dicunt *gratiã Dei secundum merita nostra dari*, ista testimonia sic accipiunt, vt dicant meritum nostrum in eo esse quod sumus cum Deo; eius autem gratiam secundùm hoc meritum dari, vt sit & ipse nobiscum. Item meritum nostrum in eo esse quod quærimus eũ; & secundum hoc meritum dari eius gratiam, vt inveniamus
1. Para. 28. 9. eum. Et in libro primo quod dictum est, *Et tu Salomon fili mi cognosce Deum, & servi ei in corde perfecto, & anima volente: quia omnia corda scrutatur Dominus, & omnem cogitationem mentium novit: si quæsieris eum, invenietur tibi, & si dimiseris eum, repellet te in perpetuum*: declarat voluntatis arbitrium. Sed illi in eo ponunt meritum hominis, quod dictum est: *invenietur tibi*: & omninò laborant quantum possunt, ostendere *gratiam* Dei *secundum merita nostra dari*: hoc est, *gratiam non esse gratiam.* Qui-
Rom. 4. 4. bus enim secundum meritum redditur, *non imputatur merces secundum gratiam, sed secundum debitum*, sicut apertissimè dicit Apostolus. Meritum enim fuit quidem in Apostolo Paulo, sed malum, quandò persequebatur Ecclesiam: Vnde dicit,
1. Cor. 15. 9 *Non sum idoneus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Cùm ergò haberet hoc meritum malum, redditum est ei bo-
Ibidem 10. num pro malo; ideòque secutus adiunxit: *sed gratia Dei sum quod sum.* Atque vt ostenderet & liberum arbitrium, mox addidit, *Et gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi.* Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur & in
2. Cor. 6. 1. aliis, quibus dicit: *Rogamus né in vacuum gratiam* Dei *suscipiatis.* Vt quid enim eos rogat, si gratiam sic susceperunt, vt propriam perderent voluntatem? Tamen ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur boni aliquid posse, continuò cùm dixisset, *Gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi*, subiunxit

Venire ad Christum.

iunxit, atque ait: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*: id est, non solus, *sed gratia Dei mecum*: ac per hoc nec *gratia Dei* sola, nec ipse solus, *sed gratia Dei cum illo*. Vt autem de cœlo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione converteretur, *gratia Dei* erat sola, quia merita eius erant magna, sed mala. 1. Cor. 15. 10. Act. 9.

Denique & alibi dicit ad Timotheum; *Collabora Evangelio secundùm virtutem Dei salvos non facientis, & vocantis vocatione sua, & non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu.* Item merita sua, sed mala commemorans dicit: *Fuimus enim stulti & nos aliquandò & increduli, errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, abominabiles, invicem odio habentes.* Quid illis tã malis meritis nisi pœna vtique debebatur? Sed Deo reddente bona pro malis, per gratiam quæ non secundùm merita nostra datur, factum est quod deinde subiunxit, & dicit: *Cùm autem benignitas & humanitas illuxit salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos; sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis spiritus sancti, quem ditissimè effudit super nos, per Iesum Christum Salvatorem nostrum, vt iustificati ipsius gratia, hæredes efficiamur secundùm spem vitæ æternæ.* 2. Tim. 1. 8. & 9. Tit. 3. Ibidem 4. & seq.

CAPVT VI.

His & talibus testimoniis divinis probatur *gratia Dei*, non *secundùm merita nostra dari*, quandoquidem non solùm nullis bonis, verùm etiam multis meritis malis præcedentibus videmus datam, & quotidie dari videmus. Sed planè cùm data fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per illam tamen: nam si se illa subtraxerit, cadit homo non erectus, sed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter nec quandò cœperit homo habere merita bona debet sibi tribuere illa, sed Deo, cui dicitur in Psalmo: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me*: dicendo, *ne derelinquas me*, ostendit quia si derelictus fuerit, nihil boni valet ipse per se; vnde & ille ait: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.* Putaverat enim suum fuisse bonum, quod ei sic abundabat vt non moveretur: sed vt ostenderetur illi cuius esset illud bonum, de quo tanquàm suo cœperat gloriari, paululum gratia Dei deserente admonitus dicit: *Domine in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem: aversisti faciem tuam à me,*

Habemus ergò & merita bona.

Psal. 26. 9. Psal. 29. 7. Ibidem 8.

me, factus sum conturbatus. Ideò necessarium est homini, vt gratia Dei non solùm iustificetur impius, id est, ex impio fiat iustus cùm redduntur ei bona pro malis, sed etiam cùm fuerit iam *iustificatus ex fide*, ambulet cum illo gratia, & incumbat super ipsam ne cadat. Propter hoc scriptum est in cantico canticorum de ipsa Ecclesia: *Qua est ista quæ ascendit dealbata, incumbens super fratruelem suum?* Dealbata est enim quæ per se ipsam alba esse non potest. Et à quo *dealbata* est, nisi ab illo, qui per Prophetam dicit: *Si fuerint peccata vestra vt phœnicium, sicut nivem dealbabo?* Quando ergò *dealbata* est, nihil boni merebatur, iam verò alba facta, bene ambulat; sed si super eum à quo *dealbata* est, perseveranter incumbat: Propter quod & ipse Iesus super quem incumbit *dealbata*, dixit discipulis suis: *Sine me nihil potestis facere.* Ergò redeamus ad Apostolum Paulum, quem certè invenimus sine vllis meritis bonis, imò cùm multis meritis malis, Dei gratiam consecutum reddentis bona pro malis: videamus quid dicat sua iam propinquante passione, scribens ad Timotheum: *Ego enim iam immolor*, inquit, *& tempus resolutionis meæ instat: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Ista vtique iam merita sua bona commemorat; vt post bona merita consequatur coronam, qui post merita mala consecutus est gratiam. Denique attendite quid sequatur: *Super est*, inquit, *mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Cui *redderet coronam iustus iudex*, si non donasset gratiam misericors pater? Et quomodò esset ista *corona iustitiæ*, nisi præcessisset gratia quæ iustificat impiũ? Quomodò ista debita redderetur, nisi priùs illa gratuita donaretur? Sed cum dicunt Pelagiani hanc esse solam, non secundùm merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur: illam verò quæ datur in fine, id est æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi: respondendum est eis. Si enim merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: quoniam verò merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autẽ accepisti, quid gloriaris quasi nõ acceperis?* Prorsus talia cogitãti verissimè dicitur: Dona sua coronat Deus, nõ merita tua; si tibi à te ipo, non ab illo sunt merita tua: hęc enim si talia sunt, mala

Esaiæ 1.18.

Ioan. 15.5.

2. Tim. 4 6. & 7.

Ibidem 8.

Solam peccatorum remissionem, Dei gratiã quæ non secundũ merita nostra datur, Pelagiani agnoscunt.

Coronat in nobis Deus dona sua, non merita nostra, id est, qua ex nobis ipsis habemus.

1. Cor. 4.7.

sunt, quæ mala sunt, non coronat Deus; si autem bona sunt, Dei dona sunt: quia sicut dicit Apostolus Iacobus: *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Vnde dicit & Ioannes præcursor Domini nostri: *Non potest homo accipere quicquam nisi fuerit ei datum de cœlo:* vtique *de cœlo*, vnde etiam venit spiritus sanctus, quandò Iesus *ascendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus.* Iacob.1.17 Ioan.3.27. Ephes.4.8. Psal.67.19

CAPVT. VII.

SI ergò Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua tanquam merita tua, sed tanquam dona sua. Proinde consideremus ipsa merita Apostoli Pauli, quibus dixit coronam redditurum iudicem iustum, & videamus vtrũ merita ipsius tanquam ipsius, id est ex ipso ei comparata, an dona sint Dei. *Bonum*, inquit, *certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Primò ista bona opera, si non ea præcessissent cogitationes bonæ, nulla essent. Attendite itaque quid de ipsis cogitationibus dicat; ait enim scribens ad Corinthios: *Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, tanquam à nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Deinde singula inspiciamus: *Bonum* inquit, *certamen certavi.* Quæro qua virtute certaverit, vtrùm quæ illi ex semetipso fuerit, an quæ desuper data sit? Sed absit vt tantus doctor ignoraverit legem Dei, cuius vox est in Deuteronomio: *Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea & potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc, sed memoraberis Domini Dei tui, quia ipse tibi dat fortitudinem faciendi virtutem.* Quid autem prodest *bonum certamen*, nisi sequatur *victoria*? Et quis *dat victoriam*, nisi ille de quo dicit ipse: *gratias Deo qui dat nobis victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum.* Et alio loco cùm commemorasset testimonium de Psalmo: *Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus velut oves occisionis:* subiecit atque ait: *Sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos*: non ergò per nos, sed *per eum qui dilexit nos.* Deindè dixit: *Cursum consummavi*, sed ille hoc dixit, qui alio loco dicit: *Igitur non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei.* Quæ sententia nullo modo potest etiam sic converti vt dicatur, non miserentis Dei, sed volentis & currentis est hominis: quisquis enim hoc ausus fuerit dicere, Apertè se ostendit Apostolo contradicere. Postremò dixit: *fidem servavi*, sed ille hoc dixit, qui alibi ait:

2.Cor.3.5. Deut.8.17. & 18. 1.Cor.15. 57. Psal.42.22 Rom.8.37. Rom.9.16.

Apostoli sententiam, non volentis neq; currentis, sed miserentis est Dei, non posse cõverti

1. Tim. 1. 4. ait: *Misericordiam consecutus sum vt fidelis essem.* Non enim dixit, *Misericordiam consecutus sum* quia fidelis eram, sed *vt fidelis essem*: hinc ostendens etiam ipsam fidem haberi nisi Deo miserante non posse, & *esse donum* Dei. Quod apertissimè docet dicens: Ephes. 2. 8. *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed* Dei *donum est.* Possent enim dicere, ideò accepimus gratiã, quia credimus tanquàm sibi fidẽ tribuentes, gratiã Deo: propter hoc Apostolus cùm dixit, *per fidem, & hoc*, inquit, *non ex vobis, sed* Dei *donum est.* Rursvs ne dicerent se suis operibus donum tale meruisse, Ibidem. continuò subiecit: *Non ex operibus, ne forte quis extollatur*: non quia negavit, aut evacuavit opera bona, cùm dicat Rom. 2. 6. *Deum vnicuique reddere secundùm opera eius*: sed quia opera sunt ex fide, *non ex operibus fides*, ac per hoc ab illo sunt nobis opera Abac. 2. 4. iustitiæ, à quo est ipsa fides, de qua dictum est: *Iustus ex fide vivit.* Homines autem non intelligentes, quod ait ipse Apo- Rom. 3. 28. stolus, *arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis*: putaverunt eum dicere sufficere homini fidem, etiam si malè vivat & bona opera non habeat. Quod absit vt sentiret *vas electionis*: qui cùm dixisset quodam loco: *In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium*, mox addidit: *Sed fides quæ per dilectionem operatur.* Ipsa est fides quæ fideles Dei separat ab immundis dæmonibus: nam & ipsi, sicut dicit Apo- Iacob. 2. 19 stolus Iacobus, *credunt & contremiscunt*, sed non benè operantur. Non ergò habent istam fidem ex qua iustus vivit id est, *quæ per dilectionem operatur*, vt reddat ei Deus vitam æternam secundùm opera eius. Sed quia & ipsa bona opera nobis ex Deo sunt, à quo nobis & fides est, & dilectio, propterea idem ipse *doctor gentium*, etiam ipsam vitam æternam, gratiam nuncupavit.

Sic & hodie multi Apostolum intelligunt & interpretantur.

CAPVT VIII.

SEd nascitur inde non parva quæstio, quæ Domino donante solvenda est. Si enim vita æterna bonis operibus reddi- Mat. 16. 27. tur; sicut apertissimè dicit Scriptura; *Quoniam* Deus *reddet vnicuique secundùm opera eius*: quomodò gratia est vita æterna, cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur. ipso Apostolo dicente: Rom. 4. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et iterùm: Rom. 11. 5. & 6. *Reliquiæ*, inquit, *per electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* Et mox addidit: *Si autem gratia, iam non*

Vita æterna quomodò est merces sit, et gratia.

ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Quomodò est ergò gratia vita æterna, quæ ex operibus sumitur? An fortè vitam æternam non dixit Apostolus gratiam? Imò verò sic dixit, vt negari omninò non possit, nec intellectorem acutum, sed tantummodò intentum desiderat auditorem. Cùm enim dixisset: *Stipendium peccati mors*; continuò subdidit: *Gratia autem* Dei *vita æterna in Christo Iesu* Dño *nostro.* Ista ergò quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolvi, nisi intelligamus & ipsa bona opera nostra quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere; propter illud quod ait Dominus Iesus: *Sine me nihil potestis facere.* Et ipse Apostolus cùm dixisset: *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed* Dei *donum est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur*: vidit vtique putare posse homines hoc ita dictum, quasi necessaria non sint opera bona credentibus, sed eis fides sola sufficiat: & rursus posse homines de bonis operibus extolli, velut ad ea facienda sibi sufficiant, mox itaque addidit: *ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparavit* Deus, *vt in illis ambulemus.* Quid est hoc, quod cùm Dei gratiam commendans dixisset, *non ex operibus, ne fortè quis extollatur*: cur hoc dixerit rationem reddens; *ipsius enim sumus*, inquit, *figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis?* Quomodò ergò *non ex operibus, ne forte quis extollatur?* Sed audi & intellige, *non ex operibus* dictum, tanquàm tuis ex teipso tibi existentibus; sed tanquàm his in quibus te Deus finxit, id est, formavit & creavit. Hoc enim ait: *Ipsius sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis*, non illa creatione qua homines facti sumus; sed ea de qua ille dicebat, qui vtique iam homo erat: *Cor mundum crea in me Deus*: & de qua dicit Apostolus: *Si qua ergò in Christo nova creatura, vetera trãsierunt: Ecce facta sunt nova, omnia autem ex* Deo. Fingimur ergò, id est, formamur & creamur *in operibus bonis, quæ* non præparavimus nos, *sed præparavit* Deus, *vt in illis ambulemus.* Itaq; fratres charissimi, si vita bona nostra nihil aliud est quàm Dei gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. Sed illa cui datur tantum nodò gratia est, hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro iustitia, vt verum sit quoniam verum est, *quia reddet vnicuique Deus secundùm opera eius.*

Respondet quæstioni.

Rom. 5. 23.

Ioan. 15. 5.

Ephes. 2. 8.

Ibidem 9.

Non ex operibus quo sensu. Salvari nos neget Apostolus.

Psal. 50. 12

1. Cor. 5. 17 & 18.

Iustificatio tantum est gratia, vita æterna & merces & gratia.

Psal. 161. 13 Apoc. 22. 12.

CAP.

CAPVT IX.

VTrùm autem legerimus in scripturis sanctis, *gratiam pro gratia*, forsitan quæritis; sed habetis Evangelium secundùm Ioannem tanta luce clarissimum, vbi Ioannes Baptista de Domino Christo dicit: *Nos omnes ex plenitudine eius, accepimus, & gratiam pro gratia. Ex eius* itaque *plenitudine accepimus* pro modulo nostro tanquàm particulas nostras, vt benè vivamus: *sicut Deus partitus est mensurã fidei*, quia *vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic*, & ipsa est gratia; sed insuper accipiemus & *gratiam pro gratia*, quandò nobis vita æterna reddetur, de qua dixit Apostolus: *Gratia autem Dei vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro*: cùm priùs dixisset, *Stipendium peccati mors*. Merito enim *stipendium*, quia militiæ diabolicæ mors æterna debitum redditur. Vbi cùm posset dicere, & rectè dicere: *Stipendium* autem iustitiæ *vita æterna* maluit dicere: *Gratia autem Dei vita æterna*: vt hinc intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere. De quo in Psalmo dicit homo eius animæ suæ: *Qui coronat te in miseratione & misericordia*. Nunquid non corona bonis operibus redditur? sed quia ipsa bona operatur ille in bonis operatur, de quo dictum est: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate*, ideo dixit Psalmus: *Coronat te in miseratione & misericordia*: quia eius miseratione bona operantur, quibus corona redditur. Non enim, quia dixit, *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate*; ideò liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset, non superiùs dixisset: *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini*. Quandò enim iubetur vt operantur, liberum eorum convenitur arbitrium: sed ideò *cum timore & tremore*, ne sibi tribuendo quod bene operantur, de bonis tanquàm suis extollantur operibus. Tanquàm ergò interrogaretur Apostolus & diceretur ei, quare dixisti, *cum timore & tremore*? horum verborum rationem, reddidit, dicens: *Deus est enim qui operatur in vobis*. Si enim timetis & tremitis, nõ extollimini tanquàm de vestris operibus bonis, quia *Deus est qui operatur in vobis*. Itaq;, fratres, debetis quidem per liberum arbitrium non facere mala, & facere bona, hoc enim nobis lex Dei præcipit in libris sanctis, sive veteribus, sive novis.

Vita æterna gratia pro gratia.

Ioan. 1. 16.

Rom. 12. 3.

1. Cor. 7. 7.

Rom. 6. 23.

Psal. 102. 4.

Philip. 2. 13

Ibid. 12.

CAPVT. X.

SEd legamus & adiuvante Domino intelligamus Apostolum dicentem *Quia non iustificabitur ex lege omnis caro coram ipso: per legem enim cognitio peccati.* Gal. 2. 16. Rom. 3. 20. *Cognitio* dixit, non consumptio. Quandò autem cognoscit homo peccatum, si non adiuvat gratia vt cognitum caveatur, sine dubio *lex iram operatur.* Quod alio loco ipse Apostolus dicit; ipsius enim verba sunt: *Lex iram operatur.* Rom. 4. 15. Hoc autem dixit, quia ira Dei maior est in prævaricatione, qui per legem cognoscit peccatum, & tamen facit: talis quippè homo prævaricator est legis; sicut & in alio loco dicit: *Vbi enim lex non est, nec prævaricatio est.* Ibidem. Propter hoc & alibi ait: *Vt serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate literæ:* Rom. 7. 6. legem volens intelligi literæ vetustatem, novitatem verò spiritus quid nisi gratiam? Et ne putaretur accusasse legem vel reprehendisse: continuò sibi opposuit quæstionem, & ait: *Quid ergò dicemus: Lex peccatum est? Absit.* Deinde subiunxit: *Sed peccatum non cognovi, nisi per legem:* Ibidem 7. 7. hoc est *seq.* quod dixerat, *per legem cognitio peccati. Nam concupiscentiam*, inquit, *nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces: occasione autem* Exo. 20. 17 *acceptâ peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam: sine lege enim peccatum mortuum erat, ego autem aliquandò vivebam sine lege: adveniente autem mandato, peccatum revixit: ego autem mortuus sum, & inventum est mihi mandatum quod erat in vita, hoc esse in mortem: peccatum enim occasione acceptâ per mandatum sefellit me, & per illud occidit. Itaq; lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum. Quod ergò bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.* Et ad Galatas dicit: *Scientes autem quoniam non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Domini nostri Iesu Christi: & nos in Christo credidimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis, quoniam ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Gal. 2. 16

Legis prævaricator quis?

Litera vetusta quid?

Novitas spiritus quid.

CAP.

CAPVT XI.

QVid ergò quod vaniſſimi homines & perverſiſſimi Pelagiani legem dicunt eſſe Dei gratiam, qua iuvamur ad non peccandum? Quid eſt miſeri quod dicunt, qui ſine vlla dubitatione tanto Apoſtolo contradicunt? Ille dicit peccatum vires adverſus hominem accepiſſe per legem, & eum per *mandatum* quamvis *ſanctum, & iuſtum & bonum*, tamen *occidere, & per bonum operari ei mortem*, de qua non liberaretur, niſi vivificaret ſpiritus eum, quem litera occiderat: ſicut alio loco dicit, *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat*. Et iſti indocibiles contra legem Dei cæci, & contra vocem Dei ſurdi, occidentem literam vivificare dicunt, & vivificanti ſpiritui contradicunt. Ergò, fratres, vt ipſius potius Apoſtoli verbis vos moneam, *debitores ſumus non carni vt ſecundùm carnem vivamus: ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis*. Hæc dixi, vt Apoſtolicis verbis liberum arbitrium veſtrum à malo deterrerem, & exhortarer ad bonum: nec tamen ideò debetis in homine, hoc eſt, in vobiſipſis, non *in Domino gloriari*, quandò non *ſecundùm carnem vivitis*, ſed *ſpiritu actiones carnis mortificatis*. Vt enim non ſe extollerent quibus iſta dicebat, exiſtimantes ſe ſuo ſpiritu tanta hæc bona opera facere poſſe, non Dei; propterea cùm dixiſſet, *Si autem ſpiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis*; continuò ſubiecit: *Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei*. Quandò ergò *ſpiritu actiones carnis mortificatis* vt *vivatis*, illum glorificate, illum laudate, illi gratias agite cuius *ſpiritu agimini*, vt iſta valeatis, vt vos filios Dei eſſe monſtretis: *Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei*.

Dei gratiã qua iuvamur ad non peccandum, Pelagiani legem eſſe contendunt.

1. Cor. 3. 6.

Rom. 8. 12. & 13.

Ibid. 14.

CAPVT XII.

QVotquot ergò adiuncto ſolo adiutorio legis ſine adiutorio gratiæ *confidentes in virtute ſua*, ſuo ſpiritu aguntur, non *ſunt filij Dei*. Tales ſunt de quibus dicit Apoſtolus, quod *ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti*. De Iudæis hoc dixit, qui de ſe præſumentes gratiam repellebant, & in Chriſtum propterea non credebant. *Suam* verò *iuſtitiam* dicit eos *volentes conſti-*

Rom. 10. 3.

Suam iuſtitiam qui conſtituere velle dicantur.

stituere, quæ iustitia ex lege, non quia lex ab ipsis est constituta, sed in lege quæ ex Deo est, suam iustitiam constituerunt, quandò eandem legem suis viribus se implere posse credebant; *ignorantes Dei iustitiam*, non qua iustitia Deus iustus est, sed quæ iustitia est homini ex Deo, & vt sciatis hanc illum eorum dixisse iustitiam, quæ est ex lege, hanc autem Dei quæ homini est ex Deo, audite quid alio loco dicat, cùm de Christo loqueretur: *Propter quem omnia* inquit, *non solùm detrimenta esse credidi, verumetiam vt stercora existimavi esse, vt Christum lucrifaciam, & inveniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo.* Quid est autem, *non habens meam iustitiam quæ ex lege est*; cùm sua non esset lex ipsa, sed Dei: nisi, quia suam dixit iustitiam, quamvis ex lege esset, quia sua voluntate legem se posse putabant implere sine adiutorio gratiæ, *quæ est per fidem Christi?* Ideò cùm dixisset, *Non habens meam iustitiam quæ ex lege est*; secutus adiunxit, *Sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo.* Hanc ignorabant de quibus ait: *Ignorantes Dei iustitiam*, id est, *quæ est ex Deo*, (hanc enim dat non *littera occidens*, sed vivificans spiritus) *& suam volentes constituere*, quam dixit ipse *ex lege iustitiam*, cùm diceret, *Non habens meam iustitiam quæ ex lege est: iustitiæ Dei non sunt subiecti*, hoc est, gratiæ Dei non sunt subiecti: sub lege enim erant, non sub gratia; & ideò eis dominabatur peccatum, à quo non fit homo liber lege, sed gratia. Propter quod alibi dicit: *Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia*: non quia vel mala est, sed quia sub illa sunt quos reos facit iubendo, non adiuvando. Gratia quippè adiuvat, vt *legis* quisque sit *factor*, sine qua gratia sub lege positus tantummodò erit *legis auditor*. Talibus itaque dicit: *Qui in lege iustificamini, gratia excidistis*

Dei iustitia qua homini ex Deo alia est: ab ea qua iustus est Deus.

Phil 3.8. & 9.

Iustitia ex lege.

Rom. 6.14

Gal. 5.4.

CAPVT. XIII.

QVis ita sit surdus adversus Apostolicas voces, quis ita desipiat, imò insaniat nescius quid loquatur, vt audeat dicere, *legem esse gratiam*, cùm clamet qui sciebat quid loqueretur, *Qui in lege iustificamini, à gratia excidistis?* Si autem lex non est gratia, quia vt ipsa lex fiat non potest lex adiuvare, sed gratia nunquid natura erat gratia? Nam & hoc Pelagiani ausi sunt dicere, gratiam esse naturam, in qua sic creati sumus vt

Vt nec lex, sic nec ipsa natura est gratia qua Christiani sumus.

vt habeamus mentem rationalem qua intelligere valeamus, facti *ad imaginem Dei*, vt *dominemur piscibus maris, & volucribus cœli, & omnibus pecoribus quæ repunt super terram.* Sed non hæc est gratia, quam commendat Apostolus *per fidem Iesu Christi.* Hanc enim naturam etiam cum impiis & infidelibus certum est nobis esse communem; gratia verò *per fidem Iesu Christi* eorum tantummodò est, quorum est ipsa fides. *Non enim omnium est fides.* Denique sicut eis qui volentes *in lege iustificari, à gratia exciderunt*, verissimè dicit: *Si ex lege iustitia, ergò Christus gratis mortuus est:* sic & his qui gratiam quam commendat & percipit fides Christi, putant esse naturam, verissimè dicitur. Si ex natura iustitia, *ergò Christus gratis mortuus est.* Iam hic enim erat lex, & non iustificabat; iam hic erat & natura, & non iustificabat; ideò *Christus* non *gratis, mortuus est*; vt & lex per illum impleretur, qui dixit: *Non veni solvere legem, sed adimplere:* & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit *venisse se quærere & salvare quod perierat*, in quem venturum antiqui etiam patres crediderunt, qui diligebant Deum. Dicunt etiam gratiam Dei quæ data est per fidem Iesu Christi, quæ neque lex est neque natura, ad hoc tantum valere, vt peccata præterita dimittantur, non vt futura vitentur, vel repugnantia superentur. Sed si hoc verum esset, vtique in Oratione Dominica cùm dixissemus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, non adderemus, *Et ne nos inferas in tentationē.* Illud enim dicimus vt peccata dimittantur, hoc autem vt caveantur, sive vincantur: quod à *Patre qui in cœlis est*, nulla ratione peteremus, si virtute voluntatis humanæ hoc possemus efficere. Commoneo autem charitatem vestram, & multùm exhortor, vt beati Cypriani librum quem scripsit de Oratione Dominica, diligenter legatis, & quantum vos Dominus adiuverit, intelligatis, memoriæque mandetis. Ibi videbitis quemadmodùm sic alloquatur liberum arbitrium eorum, quos conscriptione sui sermonis ædificat, vt ostendat tamen ea quæ implenda iubentur in lege, in oratione esse poscenda. Quod vtique vanissimè fieret, si ad illa agenda sine divino adiutorio voluntas humana sufficeret.

Quatenus facti sumus ad imaginē Dei.

Si ex lege vel natura iustitia, Christus gratis mortuus.

Gratiā Dei per Iesum Christū Pelagiano in solā remissione præteritorū peccatorum cōfitenti (nō in futurorū vitatione.

CAPVT XIV.

Pelagiani inflatores & præcipitatores liberi arbitrij.

SEd cùm fuerint convicti non defensores, sed inflatores & præcipitatores liberi arbitrij, quia neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa *gratia*, quæ *per Iesum Christum Dominum nostrum* datur, sed ipsa facit vt lex impleatur, vt natura liberetur, peccatum non dominetur. Cùm ergò in his convicti fuerint ad hoc se convertunt, vt quocumque modo conentur ostendere gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Dicunt enim, *etsi non datur secundùm merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur; tamen secundùm merita bonæ voluntatis datur: quia bona voluntas*, inquiunt, *præcedit orantis, quam præcessit voluntas credentis, vt secundum hæc merita, gratia sequatur exaudientis Dei.* Iam quidem de fide, hoc est de voluntate credentis superiùs disputavi, vsque adeò eam demonstrans ad gratiam pertinere, vt Apostolus non diceret: *Misericordiam consecutus sum*, quia fidelis eram; sed diceret, *Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem.* Sunt & alia testimonia, in quibus est quod dixit: *Sapite ad temperantiam; sicut vnicuique Deus partitus est mensuram fidei.* Et quod iam cõmemoravi: *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est.* Et illud quod scripsit ad Ephesios, *Pax fratribus & charitas cum fide à Deo patre, & Domino Iesu Christo.* Et illud vbi ait, *Quia vobis donatum est pro Christo, non solum vt credatis in eum, sed etiam vt patiamini pro eo.* Vtrumque ergò ad Dei gratiam pertinet, & fides credentium, & tolerantia patientium, quia vtrumque dixit *esse donatum*: & illud maximè, vbi dicit, *Habentes eundem spiritum fidei*: non enim ait scientiam fidei, sed, *spiritum fidei*: quod propterea dixit, vt intelligeremus, quia fides & non petita conceditur, vt ei petenti alia concedantur. *Quomodò enim invocabunt*, inquit, *in quem non crediderunt?* Ergò spiritus gratiæ facit vt habeamus fidem, vt per fidem impetremus orando, vt possimus facere quæ iubemur: ideò ipse Apostolus assiduè legi præponit fidem, quoniam quod lex iubet, facere non valeamus, nisi per fidem rogando impetremus, vt facere valeamus. Nam si fides liberi est tantummodo arbitrij, nec datur a Deo, propter quid pro eis qui nolunt credere, oramus vt credant? Quod prorsus faceremus inaniter, nisi rectissimè crederemus, etiam perversas

Argumenta Pelagianorum.

Fidem Dei donum esse.

1. Cor. 7. 25

Rom. 12. 3.

Ephes. 2. 8.

Eph. 6. 23. Phil. 1. 29.

2. Cor. 4. 13

Rom. 10. 14

sas & fidei contrarias voluntates, omnipotentem Deum ad credendum posse convertere. Liberum quidem hominis arbitrium pulsatur vbi dicitur, *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Psal. 94. 8. Sed nisi posset Deus etiam duritiam cordis auferre; non diceret per Prophetam, *Auferam ab eis cor lapideum & dabo eis cor carneum:* Ezech. 11. 19. quod de novo testamento fuisse prædictum, satis Apostolus ostendit, vbi ait: *Epistola nostra vos estis, scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* 2. Cor. 3. 2. & 3. Quod non ideò dictum putemus, vt carnaliter vivant qui debent spiritaliter vivere: sed quia lapis sine sensu est, cui comparatum est cor durum, cui nisi carni sentienti cor intelligens debuit comparari? Sic enim hoc dicitur per Ezechielem Prophetam: *Et dabo eis,* inquit, *cor aliud, & spiritum novum dabo eis, & evellam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iustificationes meas observent, & faciant eas: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, dicit Dominus.* Ezech. 11. 19. & 20. Nunquid ergò possumus nisi absurdissimè dicere, bonum meritum bonæ voluntatis in homine præcessisse, vt avelleretur ab eo *cor lapideum:* quandoquidem ipsum *cor lapideum* non significat nisi durissimam voluntatem, & adversus Deum omninò inflexibilem? Vbi enim præcedit bona voluntas, iam non est *cor vtique lapideum.* Nam & alio loco per eundem Prophetam Deus manifestissimè ostendit non propter eorum aliqua bona merita, sed propter nomen suum ista facere, vbi ait, *Non propter vos ego facio domus Israel, sed propter nomen meum sanctum quod prophanastis in gentibus, quò intrastis illuc: & sanctificabo nomen meum magnum quod profanatum est in gentibus, quod prophanastis in medio eorum, & scient gentes quia ego sum Dominus, dicit Adonai Dominus, cùm sanctificatus fuero in vobis ante oculos eorum: & accipiam vos de gentibus, & congregabo vos ex omnibus terris, & inducam vos in terram vestram, & aspergam vos aqua munda, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris & ab omnibus idolis vestris mundabo vos: & dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo in vobis: & auferetur cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum dabo in vobis: & faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea observetis & faciatis.* Ezech. 36. 22. & seq. Quis ita sit cæcus vt nõ videat, quis ita lapideus vt non sentiat istam gratiam non secundùm merita bonæ voluntatis dari, Domino dicente atque testante: *Non propter vos ego facio domus Israël, sed propter nomen*

sanctum, Quare enim dixit, *Ego facio, sed propter nomen meum sanctum*: nisi ne illi putarent propter bona merita sua fieri, quod non erubescunt dicere Pelagiani? Non solum autem bona merita eorum nulla, verù etiam mala merita præcessisse demonstrat, dicendo, *sed propter nomen meum sanctum, quod prophanastis in gentibus.* Quis non videat horrendum malum esse, nomen sanctum Domini prophanare? Et tamen *propter* ipsum *nomen meum*, inquit, *quod prophanastis vos, ego faciam* vos bonos, *non propter vos*: *& sanctificabo*, inquit, *nomen meum magnum, quod prophanatum est in gentibus, quod prophanastis in medio eorum.* Sanctificare se dicit nomen suum, quod superiùs dixerat sanctum. Hoc est ergò quod oramus in oratione dominica, dicentes, *Sanctificetur nomen tuum*: vt sanctificetur in hominibus, quod per seipsum sine dubio semper est sanctum. Denique sequitur: *Et scient omnes gentes quoniam ego sum Dominus, dicit Adonai Dominus, cùm sanctificatus fuero in vobis.* Cùm ergò ipse semper sit sanctus, sanctificatur tamen in eis quibus largitur gratiam suam, auferendo ab eis *cor lapideum*, per quod nomen Domini prophanaverunt.

Dei nomen quomodo sanctificetur.

Mat. 6. 9.

CAPVT XV.

NE autem putetur nihil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideò in psalmo dicitur: *Nolite obdurare corda vestra.* Et per ipsum Ezechielem: *Proicite à vobis omnes impietates vestras quas impiè egistis in me, & facite vobis cor novum & spiritum novum, & facite omnia mandata mea. Vt quid morienimini domus Israel, dicit Dominus, quia nolo mortem morientis, dicit Adonai Dominus, sed convertimini & vivetis?* Memineri mus Deum dicere, *sed convertimini & vivetis*: cui dicitur, *Converte nos Deus.* Memineri mus Deum dicere: *Proïcite à vobis omnes impietates vestras*: cùm ipse iustificet impiũ. Memineri mus ipsum dicere: *Facite vobis cor novum & spiritum novum*: qui dicit, *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo in vobis.* Quomodò ergò quod dicit, *facite vobis*; hoc dicit *dabo vobis?* Quare iubet, si ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est; nisi quia dat quod iubet, cùm adiuvat vt faciat cui iubet? Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à iustitia libera est quandò servit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quandò servit iustitiæ, & tunc est bona.

Psal. 94. 8.

Ezech. 18. 31. & 33.

Gra-

Gratia verò Dei semper est bona, & per hanc fit vt sit *homo bonæ voluntatis*, qui priùs fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, vt ipsa bona voluntas quæ iam esse cœpit, augeatur: & tam magna fiat vt possit implere divina mandata quæ voluerit, cùm valdè perfectèque voluerit. Ad hoc enim valet quod scriptum est: *Si volueris conservabis mandata*: vt homo qui voluerit & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret vt habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippè adiuvatur vt faciat quod iubetur: tunc enim vtile est velle, cùm possumus; & tunc vtile est posse, cùm volumus: nam quid prodest, si quod non possumus, volumus; aut si quod possumus, nolumus?

Ecel 15. iuxta 70.

Si volueris conservabis mãdata, quo sensu dictũ.

CAPVT XVI.

MAgnum aliquid Pelagiani se scire putant, quandò dicunt: *Non iuberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri.* Quis hoc nesciat? Sed ideò iubet aliqua quæ non possumus, vt noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat quod lex imperat. Deniq; ipse qui dixit: *Si volueris, conservabis mandata*: in eodem libro Ecclesiastico ali quantò post dicit: *Quis dabit in ore meo custodiam & super labia mea signaculum astutum, ne forte cadam ab eo, & lingua mea perdat me?* Iam certè mandata acceperat: *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Cùm ergò verùm sit quod dixit: *Si volueris, conservabis mandata*: quare quærit *in ore suo dari custodiam*, similis ei qui dicit in psalmo: *Pone Domine custodiam ori meo?* Quare non ei sufficit mandatum Dei & voluntas sua; quandoquidem si voluerit, conservabit mandata? Quàm multa Dei mandata sunt contra superbiam? iam novit ea, si voluerit, conservabit ea. Quare ergò paulò pòst dicit, *Domine Pater & Deus vitæ meæ, elationem oculorum ne dederis mihi?* Iam dixerat ei lex: *Non concupisces*: velit ergò & faciat quod iubetur; quoniam si voluerit, conservabit mandata. Quare sequitur & dicit; *Concupiscentiam averte à me?* Contra luxuriã Deus quàm multa mandavit? faciat ea, quia si voluerit, cõservabit mandata. Quid est quod clamat ad Deũ, *Ventris appetitio & concubitus ne apprehendat me?* Si hæc ei præsenti diceremus, rectissimè nobis respõderet & diceret: Ex ista oratione mea qua hæc à Deo peto, intelligite quomodò dixerim,

Non iubet Deus quod sciat non posse ab homine fieri

Fides impetrat quod lex imperat.

Ecl. 22.33

Psal. 33.14

Psal. 140.3.

Eccl. 23.4 & 5.

Exo. 20.17

Eccl. 23.6.

Ibidem.

Si

Dei mandata si volumus, servamus; quo sensu recte dicamus.

Si volueris conservabis mandata. Certum est enim nos mandata servare si volumus; sed quia *præparatur voluntas à Domino*, ab illo petendum est vt tantum velimus, quantum sufficit vt volendo faciamus. Certum est nos velle cùm volumus, sed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum est, quod paulò antè posui, *Præparatur voluntas a Domino*; de quo dictum est; *A Domino gressus hominis dirigentur & viam eius volet*: de quo dictum est; *Deus est qui operatur in vobis & velle.* Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: *Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea observetis & faciatis.* Cùm dicit, *faciam* vt faciatis: quid aliud dicit, nisi *auferam* à vobis *cor lapideum*, vndè non faciebatis? Et hoc quid est, nisi auferam cor durum, vnde non faciebatis, & dabo cor obediens vnde faciatis? Ille facit vt faciamus, cui dicit homo, *Pone Domine custodiam ori meo*: hoc est enim dicere fac vt ponam custodiam ori meo: quod beneficium Dei iam fuerat consecutus, qui dixit: *Posui ori meo custodiam.*

Prov 8. iuxta 70. Psal 36 23 Phil 2. 13. Ezech. 36. 23. Psal. 140 1. Psal. 36. 2.

CAPVT XVII.

QVi ergò vult facere Dei mandatum & non potest, iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cùm magnam habuerit & robustã. Quandò enim martyres magna illa mandata fecerunt, magnâ vtique voluntate, hoc est magnâ charitate fecerunt: de qua charitate ipse Dominus ait; *Maiorem hac charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Vnde & Apostolus dicit: *Qui diligit proximum, legem implevit: nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces; & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur; Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi, malum non operatur: plenitudo ergò legis, dilectio.* Ipsam charitatem Apostolus Petrus nondum habuit, quandò timore Dominum ter negavit. *Timor* enim *non est in charitate*, sicut ait Ioannes Evangelista in Epistola sua, *sed perfecta charitas foras mittit timorem*: & tamen quamvis parva & imperfecta, non deerat quandò dicebat Domino, *Animam meam pro te ponam*; putabat enim se posse quòd se vellet ipse faciebat. Et quis istam etsi parvam dare cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem; & cooperando perficit,

Magna voluntas, magna charitas.

Ioan. 15. 13 Rom 13 8. & seq. Leu. 19 18. Mat. 14 68 & seq. 1. Ioan. 4. 18. Ioan 13. 37

ficit, quod operando incipit? Quoniam ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: *Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum perficiet vsque in diem Christi Iesu.* Vt ergò velimus, sine nobis operatur; cùm autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo vt velimus, dictum est: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle.* De cooperante illo cùm iam volumus, & volendo facimus; *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperātur ad bonum.* Quid est *omnia*, nisi & ipsas terribiles sævasque passiones? Sarcina quippè illa quæ infirmitati gravis est, levis efficitur charitati. Talibus enim Dominus dixit esse suam *sarcinam levem*: qualis Petrus fuit quandò passus est pro Christo, non qualis fuit quandò negavit Christum. Istam charitatem, id est, divino amore ardentissimam voluntatem commendans Apostolus, dicit: *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an gladius, sicut scriptum est; quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus velut oves occisionis? Sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Et alio loco dicit; *Adhuc superem nentiorem viam vobis demonstro: Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & si scivero omnia sacramenta, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero omnia mea pauperibus, & si tradidero corpus meum vt ardeam; charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Charitas magnanima est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non deshonestatur, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, charitas nunquam cadit.* Et paulò post: *Manet*, inquit, *fides, spes, charitas, tria hæc; maior autem horum est charitas: Sectamini charitatem.* Item dicit ad Galatas: *Vos enim in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem servite invicem: Omnis enim lex in vno sermone impletur, in eo quod di-*

Philip. 1. 6.

Phil. 2. 13.

Rom. 8. 28.

Mat. 11. 30.

Rom. 8. 35. & seq.

Psal. 43. 22.

1. Cor. 12. 31.

Ibidem 13. 1. & seq.

Ibid. 13.

Ibid 14. 1.

Gal. 5. 13. & 14.

Lev. 19. 18.

Gratia operans & cooperans.

Sarcina passionum infirmitati gravis, charitati levis efficitur.

diliges proximum tuum sicut teipsum hoc est quod ad Romanos ait, *Qui diligit alterum legem implevit.* Item dicit ad Colossenses: *Super omnia autem hæc charitatem, quæ est vinculum perfectionis.* Et ad Timotheum, *Finis,* inquit, *præcepti est charitas*: & adiungens qualis charitas, *De corde,* inquit, *puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Ad Corinthios autem, cùm dicit: *Omnia vestra cum charitate fiant*: satis ostendit etiam ipsas correptiones, quas alperas & amaras sentiunt qui corripiuntur, cum charitate esse faciendas. Vnde & alibi cùm dixisset, *corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes*: mox subiunxit: *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat.* Ergò & quandò corripiuntur inquieti, non *malum pro malo*, sed potiùs bonum *redditur.* Hæc autem omnia quæ nisi charitas operatur? Et Apostolus Petrus, *Ante omnia,* inquit, *mutuam inter vos charitatem perpetuò habentes, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum.* Dicit etiam Apostolus Iacobus; *Si tamen legem perficitis regalem secundùm scripturas;* Diliges proximum tuum tanquàm teipsum; *benefacitis.* Item Ioannes Apostolus: *Qui diligit,* inquit, *fratrem suum, in lumine manet.* Et alio loco: *Qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum: quia hæc est annuntiatio quam audivimus ab initio vt diligamus invicem.* Itemq; alibi: *Hoc est,* inquit, *mandatum illius, vt credamus nomini filij eius Iesu christi, & diligamus invicem.* Et iterùm: *Hoc,* inquit, *mandatum habemus ab ipso, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Et paulò post: *In hoc,* inquit, *cognoscimus, quia diligimus filios Dei cùm Deum diligimus, & præcepta eius facimus: hæc est enim dilectio Dei, vt præcepta eius servemus, & præcepta eius gravia nō sunt.* Et in Epistola secunda scriptum est: *Non quasi præceptum novum scribam tibi, sed quod habuimus ab initio, vt diligamus invicem.* Dicit etiam ipse Dominus Iesus *in duobus præceptis* dilectionis Dei & dilectionis proximi, *totam legem Prophetasq; pendere.* De quibus *duobus præceptis* in Evangelio secundùm Marcum scriptum est: *Et accessit vnus de Scribis qui audierat illos perquirentes; & videns quoniam illis benè respondisset, interrogavit eum: Quod est primum omnium mandatum? Iesus autem respondit ei: Primum omnium mandatum est: Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus vnus est: & diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: hoc est primum mandatum. Secundùm autem simile illi:* Diliges proximum tuum tanquàm teipsum: *maius horum aliud non est mandatum:* Qicit etiam in Evangelio secundùm Ioannem

Correptio cum charitate facienda.

Pia correptio bonum pro malo reddit.

Rom. 13. 8.
Coloss. 3. 14.
1. Tim. 1. 5.
1. Cor. 16. 14.
1. Thess. 5. 14. & 15.
1. Pet. 4. 8.
Iacob. 2. 8.
Leu. 19. 18.
1. Ioan. 2. 10.
1. Ioan. 3. 10. & 11.
Ibidem 23.
1. Ioa. 4. 21
1. Ioa. 5. 2. & 3.
2. Io. 5. 7. 5
Mat. 22. 40
Marc. 12. 28. & seq.
Deut. 6. 4. & 5.
Lev. 19. 18.

Ioan.13. 34.& 35. Ioannem: *Mandatum novum do vobis vt diligatis invicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

CAPVT XVIII.

HÆc omnia præcepta dilectionis, id est charitatis, quæ tanta & talia sunt; vt quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene: hæc ergò præcepta charitatis inaniter darentur hominibus, non habentibus liberum voluntatis arbitrium: sed quia per legem dantur & veterem & novam, quàmvis in nova venerit gratia quæ promittebatur in vetere, lex autem sine gratia *littera* est *occidens*, in gratia verò *spiritus vivificans*, vnde est in hominibus, charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergò inter nos iudex Apostolus Ioannes, & dicat nobis: *Charissimi, diligamus invicem.* In his verbis Ioannis cùm se illi extollere cœperint & dicere, Vt quid nobis hoc præcipitur, nisi quia ex nobis habemus vt *invicem diligamus*: sequitur continuò idem Ioannes, confundens eos & dicens, *quia dilectio ex Deo est.* Non ita q; ex nobis, sed *ex Deo est.* Cur ergò dictũ est, *diligamus invicẽ, quia dilectio ex Deo est*: nisi quia præcepto admonitũ est liberũ arbitrium, vt quæreret Dei donum? Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi priùs acciperet aliquid dilectionis, vt addi sibi quæreret vndè quod iubebatur impleret. Cùm dicitur, *diligamus invicem*, lex est; cùm dicitur, *quia dilectio ex Deo est*, gratia est. *Sapientia* quippè *Dei legem & misericordiam in lingua portat.* Vnde scriptum est in Psalmo: *Etenim benedictionem dabit qui legem dedit.* Nemo ergò vos fallat fratres mei, quia nos non diligeremus Deum, nisi nos prior ipse diligeret. Idem Ioannes apertissimè hoc ostendit & dicit, *Nos diligamus, quia ipse prior dilexit nos.* Gratia nos facit legis dilectores, lex verò ipsa sine gratia, non nisi prævaricatores facit. Et quod discipulis suis dicit Dominus: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*: nihil aliud indicat nobis. Si enim nos priùs dileximus, vt hoc meritò nos ipse diligeret, priùs illum nos elegimus, vt ab illo eligi

Litera occidens, lex est sine gratia: spiritus vivificans ipsa gratia.

1.Ioa.4.7. Ibidem. Prov.3.inx. 1a 70. Psal.83.8. 1.Ioa.4.19 Ioan.15.16.

mereremur. Sed ipse qui *veritas est*, aliud dicit, & huic vanitati hominum apertissimè contradicit: *Non vos me elegistis*, inquit. Si ergò *non elegistis*, sine dubio nec dilexistis: quomodò enim eum eligerent quem non diligerent? *Sed ego*, inquit, *vos elegi*. Nunquid non & ipsi postea elegerunt eum, & omnibus bonis huius sæculi prætulerunt? Sed quia electi sunt, elegerunt: non quia elegerunt, electi sunt. Eligentium hominum meritum nullum esset, nisi eos eligentis gratia Dei præveniret. Vnde & Apostolus benedicens Thessalonicenses, *Vos*, inquit, Dñs *multiplicet, & abundare faciat in charitate in invicem & in omnes*. Hanc benedictionem dedit, vt nos invicem diligeremus, qui legem dederat vt *invicem diligamus*. Denique alio loco ad eosdem, quia sine dubio in quibusdam eorum iam erat, quod eis vt esset optaverat: *Gratias*, inquit, *agere debemus* Deo *semper pro vobis fratres, sicut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas vnius cuiusque vestrum in invicem*. Hoc dixit, ne fortè de tanto bono quod ex Deo habebant, tanquam ex seipsis id habentes extollerentur. Quod ergò *supercrescit fides vestra*, inquit, *& abundat charitas vnius cuiusque vestrum in invicem, gratias agere debemus* Deo *pro vobis*, non ita vos laudare tanquàm hoc habeatis ex vobis. Et ad Timotheum dicit: *Non enim dedit nobis* Deus *spiritum timoris sed virtutis & charitatis & continentiæ*. In quo sanè Apostoli testimonio cavere debemus, ne nos arbitremur non accepisse *spiritum timoris* Dei, quod sine dubio magnum est Dei donum: de quo dicit Propheta Esaias: *Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris* Domini: non quo timore Petrus Christum negavit, sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Dominus Christus: *Eum timete qui habet potestatem & animam & corpus perdere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete*. Hoc autem dixit, ne illo timore negaremus eum, quo turbatus est Petrus. Hunc enim auferri voluit à nobis cùm priùs dixit: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant*. Huius timoris non accepimus spiritum. *sed virtutis & charitatis & continentiæ*. De quo spiritu idem ipse ad Romanos ait: *Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit, quia charitas* Dei *diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Non itaque per nos, sed per

Electio dilectio.

Apostoli quia electi erant, Christum elegerunt, non quia elegerunt electi.

Spiritus timoris magnum Dei donum.

1. *Thes.* 3. 12.

2. *Thes.* 1

2. *Tim.* 1 7.

Es. 11. 2. & 3.

Luc. 12. 5.

Ibidem 4.

Rom 5. 3. 3. & 5.

per spiritum sanctum qui datus est nobis ipsa charitate fit, quàm Dei donum esse manifestat, vt tribulatio non auferat, sed potiùs operetur patientiam. Ad Ephesios etiam: *Pax*, inquit, *fratribus, & charitas cum fide.* Magna bona; Sed dicat vnde? *A Deo*, inquit, *patre & Domino Iesu Christo.* Ergò hæc magna bona, non sunt nisi Dei dona.

Eph. 6. 23.

CAPVT XIX.

Sed non est mirum, si *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehendunt.* In Ioanne *lux* dicit: *Ecce qualem dilectionem dedit nobis Pater, vt filij Dei vocemur & simus.* Et in Pelagianis *tenebræ dicunt*: Dilectio nobis ex nobis est. Quam si veram, id est, Christianam dilectionem haberent, scirent & vnde haberent; sicut sciebat Apostolus qui dicebat: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo data sunt nobis.* Ioannes dicit: *Deus dilectio est.* Et Pelagiani etiam ipsum Deum non ex Deo, sed ex semetipsis habere se dicunt: & cùm scientiam legis ex Deo nobis esse fateantur, charitatem ex nobis ipsis volunt. Nec audiunt Apostolum dicentem: *Scientia inflat, charitas autem ædificat.* Quid est ineptius, imò verò quid est amentiùs, & ab ipsâ sanctitate charitatis alienius, quàm confiteri ex Deo esse scientiam, quæ sine charitate inflat: & ex nobis esse charitatem, quæ facit vt scientia inflare non possit? Item cùm dicat Apostolus: *Supereminentem scientiæ charitatem Christi*: quid est insaniùs quàm putare ex Deo esse scientiam, quæ subdenda est charitati; & ex hominibus charitatem, quæ supereminet scientiæ? Fides autem vera & doctrina sana ambas esse dicit ex Deo, quia scriptum est: *A facie eius scientia & intellectus procedit.* Et scriptum est: *Charitas ex Deo est.* Et legimus: *Spiritum scientiæ & pietatis*; legimus, *Spiritum virtutis & charitatis & continentiæ*: sed maius est donum charitas quàm scientia: nam scientia quandò est in homine, charitas est necessaria, ne infletur: *charitas* autem *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur.*

Ioan. 1. 5.
1. Ioan. 3. 1.
2. Cor. 2. 12.
1. Ioa. 4. 16.
1. Cor. 8. 1.
Ephes. 3. 19.
Prov. 2. iuxtà 70.
1. Ioa. 4. 7.
Ps. 11. 2.
2. Tim. 1. 7.
1. Cor. 8. 1.
1. Cor. 13. 4.

CAPVT XX.

SAtis me disputasse arbitror adversus eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, & cùm bona fuerit adiuvatur: & sic disputasse, vt non magis ego, quam divina ipsa scriptura vobiscum locuta sit evidentissimis testimoniis veritatis: quæ Scriptura divina si diligenter inspiciatur, ostendit non solùm bonas hominum voluntates quas ipse facit ex malis, & à se factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitâ; verùmetiâ illas quæ conservant sæculi creaturâ, ita esse in Dei potestate vt eas quò voluerit, quâdo voluerit faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdâ præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse iudicat occultissimo quidem iudicio, sed sine vlla dubitatione, iustissimo. Nam invenimus aliqua peccata etiam pœnis esse aliorum peccatorum, sicut sunt *vasa ira*, quæ *perfecta* dicit Apostolus *in perditionem:* sicut est induratio Pharaonis, cuius & causa dicitur ad ostendendam in illo virtutem Dei: sicut est fuga Israelitarum à facie hostium de civitate Hai: in animo enim factus est timor, vt fugerent, & hoc factum est vt vindicaretur peccatum eo modo, quo fuerat vindicandum: vndè dicit Dominus ad Iesum Nave: *Non poterunt filij Israel subsistere à facie inimicorum suorum.* Quid est, *non poterunt subsistere?* Quare non subsistebant per liberum arbitrium, sed per timorem turbata voluntate fugiebant, nisi quia Deus dominatur & voluntatibus hominum, & quos vult, in formidinem convertit iratus? Nunquid non hostes Israelitarum adversus populum Dei quem ducebat Iesus Nave sua voluntate pugnarunt? Et tamen dicit scriptura, *quia per Dominum factum est confortari cor eorum, vt obviam irent ad Israel ad bellum, vt exterminarentur.* Nunquid non sua voluntate homo improbus filius Gemini maledicebat Regi David? Et tamen quid ait David, plenus vera & alta & pia sapientia? Quid ait illi qui maledicentem percutere voluit? *Quid mihi*, inquit, *& vobis filij Sarviæ, dimittite eum vt maledicat, quia Dominus dixit illi maledicere David. Et quis dicet ei, Quare fecisti sic?* Deinde Scriptura divina plenam sententiam Regis velut ab alio initio repetendo commendans: *Et dix-*

Rom. 9. 22. *Exod. 7. 3. & 10.* *Iosue 7. 4. & 5.* *Ibidem 12.* *Ibidem 11. & 20.* *2. Reg. 16. 5* *Ibidem 10.*

Ibidem 11. & 12. *dixit*, inquit, *David ad Abisai & ad omnes pueros eius : Ecce filius meus qui exiit de utero meo quærit animam meam, quanto magis hic filius Gemini ? Sinite illum vt maledicat, quoniam dixit illi Deus; vt videat Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledicto eius in die isto.* Quomodò *dixerit Dominus huic* homini *maledicere David*, quis sapiens & intelliget ? Non enim iubendo dixit vbi obedientia laudaretur, sed quod eius voluntatem proprio vitio suo malam in hoc peccatum iudicio suo iusto & occulto inclinavit, ideò dictum est, *dixit ei Dominus.* Nam si iubenti obtemperasset Deo, laudandus potiùs quàm puniendus esset, sicut ex hoc peccato posteà novimus esse punitum. Nec causa tacita est, cur ei Dñs isto modo dixerit *maledicere David*, hoc est, cor eius malũ in hoc peccatũ miserit vel dimiserit: *vt videat*, inquit, *Dominus humilitatẽ meam & retribuat mihi bona pro maledicto eius in die isto.* Ecce quomodo probatur Deum vti cordibus etiam malorum ad laudem atque adiumentum bonorum. Sic vsus est Iuda tradente Christum : sic vsus est Iudæis crucifigentibus Christum. Et quanta inde bona præstitit populis credituris ? Qui & ipso diabolo vtitur pessimo, sed optimè ad exercendam & probandam fidem & pietatem bonorum, non sibi, quia omnia scit antequàm fiant, sed nobis quibus erat necessarium, vt eo modo ageretur nobiscum. Nunquid non sua voluntate Absalon elegit consilium quod sibi oberat ? Et tamen ideò fecit, quia exaudierat Dominus eius patrem orantem, vt hoc fieret. Propter quod Scriptura ait : *Et Dominus mandavit dissipare consilium Achitophel bonum, vt inducat Dominus super Absolon omnia mala.* Bonum *consilium* dixit, quod ad tempus proderat causæ, quia pro ipso erat contra patrem eius, contra quem rebellaverat vt posset eum opprimere, nisi Dominus consilium dissipasset quod dederat Achitophel, agendo in corde Absolon, vt tale consilium repudiaret, & aliud quod ei non expediebat, eligeret.

3. Reg. 2. 44. & 45.

2 Reg. 17. 14.

Ibidem.

CAPVT XXI.

QVis nõ ista iudicia divina cõtremiscat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum quicquid vult, red-

reddens eis tamen secundùm merita eorum? Roboam filius Salomonis respuit consilium salubre seniorum quod ei dederant, ne cum populo durè ageret; & verbis coævorum suorum potiùs acquievit, respondendo minaciter quibus leniter debuit. Vnde hoc, nisi propria voluntate? Sed hinc ab eo recesserunt decem tribus Israel, & alium regem sibi constituerunt Hieroboam, vt irati Dei voluntas fieret, quod etiam futurum esse prædixerat. Quid enim scriptura dicit? *Et non audivit rex plebem, quoniam erat conversio à Domino, vt statueret verbum suum quod locutus est in manu Ahia Silonitæ de Hieroboam filio Nabath.* Nempè sic factum est & illud per hominis voluntatem, vt tamen *conversio esset à Domino.* Legite libros Paralipomenon, & invenietis in secundo libro scriptum: *Et suscitavit Dominus super Ioram spiritum Philistiim & Arabum qui juxtà erant Æthiopibus, & ascenderunt in terram Iuda; & dissipaverunt eam, & ceperunt omnem substantiam, quæ in domo Regis inventa est.* Hic ostenditur Deum suscitare hostes eis vastandis, quas tali pœna iudicat dignas. Nunquid tamen Philistiim & Arabes in terram Iudæam dissipandam, sine sua voluntate venerunt aut sic venerunt sua voluntate, vt mendaciter scriptum sit, quod *Dominus* ad hoc faciendum eorum *spiritum suscitavit?* Imò vtrumq; verum est, quia & sua voluntate venerunt, & tamen *spiritum* eorum Dominus *suscitavit.* Quod etiam sic dici potest, & eorum *spiritum Dominus suscitavit*, & tamen sua voluntate venerunt. Agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat quod per eos agere ipse voluerit, qui omninò iniustè aliquid velle non novit. Quid est quod *homo* Dei dixit ad Amasiam regem, *Non veniat tecum exercitus Israel, non est enim* Dominus *cum Israel & omnibus filys Ephrem: quoniam si putaveris obtinere in illis, in fugam convertet te Deus ante inimicos, quoniam virtus est* Deo *vel adiuvare vel in fugam vertere?* Quomodò virtus Dei alios iuvat in bello dando eis fiduciam, alios immisso timore vertit in fugam, nisi quia ille qui *in cœlo & in terra omnia quæcumque voluit fecit*, etiam in cordibus hominum operatur? Legimus quid dixerit Ioas Rex Israel, mittens nuncium ad Amasiam Regem, volentem pugnare cum illo. Nam post aliqua dixit: *Nunc sede in domo tua. Quid provocas in malum, & cadis tu & Iuda tecum?* Deinde scriptura subiunxit: *Et non audivit Amasias*

3. Reg 12. 8 & 14.

Ibidem 15.

2. Par. 21. 16, & 17.

2. Par 25. 7. et 8.

Psal. 133. 9

4. Reg. 14. 9 10. et 11.

2. Par. 25. 20.

Amasias, quoniam à Deo erat vt traderetur in manus eius, quoniam quæsierunt Deos Edom. Ecce Deus idololatriæ peccatum volens vindicare, hoc operatus est in eius corde, cui vtique iustè irascebatur, vt admonitionem salubrem non audiret, sed ea contempta iret in bellum, vbi cum suo exercitu caderet. Per Ezechielem Prophetam dicit Deus: *Et Propheta si erraverit & loquutus fuerit, ego Dominus seduxi Prophetam illum, & extendam manum meam super eum; & exterminabo eum de medio*
Hester 2.17 *populi mei Israel.* In libro Hester scriptum est, quæ mulier ex populo Israel in terra captivitatis facta fuerat vxor alieni-
Ibid. 4. 13. & 14. genæ Regis Assueri. Ergò in eius libro scriptum est, quod
Ibid. 3. 9. & seq. cùm haberet necessitatem interveniendi pro populo suo, quem Rex vbicumque in regno eius esset, iusserat trucidari, oravit ad Dominum: cogebat enim eam magna necessitas, vt
Ibid. 14. 3. præter iussum Regis, & præter ordinem suum ad illum auderet intrare. Et videte quid scriptura dicat: *Et intuitus est*
Ibid. 15. 10. & 11. *eam tanquam taurus impetu indignationis suæ, & timuit regina, & conversus est color eius per dissolutionem & inclinavit se super caput delicatæ suæ quæ præcedebat eam: & convertit*
Prov. 21. 1. *Deus, & transtulit indignationem eius in lenitatem.* Scriptum est in Proverbiis Salomonis: *Sicut impetus aquæ, sic cor regis in*
Psal. 104 25. *manu Dei, quocumque voluerit, declinabit illud.* Et in Psalmo centesimo quarto legitur dictum de Ægyptiis, quid eis fecerit Deus: *Et convertit cor eorum vt odissent populum eius, vt dolum facerent in servos eius.* In literis etiam Apostolicis videte
Rom. 1. 24. quæ scripta sunt, in Epistola Pauli Apostoli ad Romanos:
Ibid. 25. *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam.* Item paulò post: *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Item paulò post: *Sicut non probaverunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant*
2. Thess. 10. & 11. *quæ non conveniunt.* Et ad Thessalonicenses in Epistola secunda ait de quibusdam: *Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt vt salvi fierent, ideò mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* His & talibus testimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, iudicio vtique suo aliquan-

aliquandò aperto, aliquandò occulto, semper autem iusto. Fixum enim debet esse & immobile in corde vestro, quia *non est iniquitas apud Deum.* Rom. 9. 14. Ac per hoc quandò legitis, in literis veritatis à Deo seduci homines, aut obtundi vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, vt iustè ista paterentur: ne incurratis in illud proverbium Salomonis, *Insipientia viri violat vias eius, Deum autem causatur in corde suo.* Prov. 19. Gratia verò non secundum merita hominum datur, *alioquin gratia iam non est gratia:* Rom. 9. 6. quia ideò gratia vocatur, quia gratis datur. Si autem potens est, sive per Angelos, vel bonos vel malos, sive quocunque alio modo operari etiam in cordibus malorum, pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab ipso Adam, aut crevit per propriam voluntatem: quid mirum est si per Spiritum sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est vt ipsa corda essent ex malis bona?

Malitia originaliter ab Adã tracta.

CAPVT XXII.

SEd suspicentur homines quælibet merita bona, quæ putant præcedere, vt iustificentur per Dei gratiam, non intelligentes cùm hoc dicunt, nihil aliud quàm se negare gratiam: sed, vt dixi, quod volunt de maioribus suspicentur, de parvulis certè Pelagiani quid respondeant non inveniunt, quorum nec voluntas vlla est in accipienda gratia, cuius voluntatis meritum præcessisse dicant, & insuper eos etiam cum fletu reluctari videmus quandò baptizantur, & divina sacramenta percipiunt. Quod eis ad magnum impietatis peccatum imputaretur, si iam libero vterentur arbitrio: & tamen hæret etiam in reluctantibus gratia, apertissimè nullo bono merito præcedente, *alioquin gratia iam non esset gratia.* Et aliquandò filiis infidelium præstatur hæc gratia, cùm occulta Dei providentia in manus piorum quomodocunque perveniunt; aliquandò autem fidelium filii non eam consequuntur, aliquo impedimento existente, ne possit periclitantibus subveniri. Fiunt verò ista per occultam Dei providentiam, *cuius inscrutabilia sunt iudicia, & investigabiles viæ:* quod vt Apostolus diceret, quid prædixerit intuemini. Agebat enim de Iudæis & gentibus cùm scriberet ad Romanos, id est, ad gentes, & ait:

ait : *Sicut enim aliquando vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis in illorum incredulitate: ita & hi nunc non*
Rom. 11. 30. 31. *crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur : conclusit enim Deus omnes in infidelitate, vt omnium misereatur.* Et cùm attendisset quid dixerit, admirans sententiæ suæ certam quidem veritatem, sed magnam profunditatem, quomodò *concluserit Deus omnes in infidelitate, vt omnium misereatur*, quasi faciens mala vt venirent bona, inox exclamavit atque
Ibidem 33. ait : *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius!* Hæc enim *inscrutabilia iudicia, & investigabiles vias* perversi homines non cogi-
Rom. 3. 8. tantes, & proclives ad reprehendendum non idonei ad intelligendum, putabant & iactitabant Apostolum dicere, *Faciamus mala vt veniant bona.* Quod abiit vt Apostolus diceret; sed homines non intelligentes, hoc putabant dici quandò au-
Rom. 5. 20. diebant quod dixit Apostolus, *Lex autem subintravit vt abundaret delictum; vbi autem abundavit delictum superabundavit gratia.* sed vtique gratia id agit, vt iam fiant bona ab eis qui fecerunt mala, non vt perseverent in malis, & reddi sibi existiment bona. Non itaque debent dicere; *Faciamus mala vt veniant bona*; sed, fecimus mala, & venerunt bona; iam faciamus bona, vt in futuro sæculo recipiamus pro bonis bona; qui in hoc sæculo recepimus pro malis bona. Prop-
Psal 100. 1. pter quod scriptum est in Psalmo : *Misericordiam & iudicium*
Ioan. 3. 17. *cantabo tibi Domine.* Priùs itaque non ideò *venit filius hominis in mundum, vt iudicet mundum, sed vt salvetur mundus per ipsum*; hoc propter *misericordiam* : postea verò propter *iudicium* venturus
Ioan. 9. est iudicare vivos & mortuos; quàmvis & in hoc tempore ipsa salvatio non fiat sine iudicio, sed occulto; ideò ait : *In iudicium veni in hunc mundum : vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.*

CAPVT XXIII.

AD occulta ergo Dei iudicia revocate, quandò videritis in vna causa quam certè habent omnes parvuli, hæreditarium malum trahentes ex Adam, huic subveniri vt baptizetur : illi non subveniri, vt in ipsa obligatione moriatur : illum baptizatum in hac vita relinqui, quem præscivit Deus
Sap. 4. 11. impium futurum : istum verò baptizatum *rapi* ex hac vita, *ne*

malitia mutet intellectum eius; & nolite in istis dare iniustitiam vel insipientiam Deo apud quem iustitiæ fons est & sapientiæ. Sap. 4. 11.
Sed sicut vos exhortatus sum ab initio sermonis huius, *in quod perveniistis, in eo ambulate, & si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit*; & si non in hac vita, certè in altera: *nihil est enim occultum quod non revelabitur.* Quandò ergò auditis dicentem Dominum, *Ego Dominus seduxi Prophetam illum*: & quod ait Apostolus, *Cuius vult miseretur & quem vult obdurat*; in eo quem seduci permittit vel obdurari, mala eius merita credite; in eo verò cuius miseretur, gratiam Dei non reddentis mala pro malis, sed bona pro malis, fideliter & indubitanter agnoscite. Nec ideò auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus: *Ego induravi Pharaonem*, vel *induravi*, vel *indurabo cor Pharaonis*. Non enim propterea ipse Pharao non induravit cor suum. Nam & hoc de illo legitur, quandò ablata est ab Ægyptiis cynomia, dicente scriptura: *Et ingravavit Pharao cor suum & in illo tempore, & noluit dimittere populum.* Ac per hoc & Deus induravit per iustum iudicium, & ipse Pharao per liberum arbitrium. Certi ergò estote, quia non erit inanis labor vester, si in bono proposito proficientes perseveretis vsque in finem. Deus enim qui modò illis quos liberat non reddit secundùm opera eorũ, *tunc reddet vnicuique secundùm opera eius.* Reddet omninò Deus & mala pro malis, quoniam iustus est; & bona pro malis, quoniam bonus est; & bona pro bonis, quoniam bonus & iustus est. Tantummodò mala pro bonis non reddet, quoniam iniustus non est. Reddet ergò mala pro malis, pœnam pro iniustitia; & reddet bona pro malis, gratiam pro iniustitia; & reddet bona pro bonis, gratiam pro gratia.

Supra c. 1.

Phil. 3. 16. & 15.

Mat. 10. 26.

Exech. 14. 9.

Rom. 9. 18.

Exod. 8. 32.

Mat. 16. 27

CAPVT. XXIV.

REpetite assiduè librum istum, & si intelligitis, Deo gratias agite: vbi autem non intelligitis, orate vt intelligatis: dabit enim vobis Dominus intellectum. Mementote scriptum esse: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Ipsa est *sapientia de sursum descendens*, sicut ipse Apostolus Iacobus dicit. Illam verò sapientiam repellite à vobis, & orate vt non

Iacob. 1. 5.

sit

Ibid 1. 14. & *seq.* sit in vobis quam detestatus est, vbi ait: *Quod si zelum amarum habetis & contentiones in vobis sunt, non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio est, ibi inconstantia & omne opus prauum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta suadibilis, plena misericordia & fructibus bonis, inæstimabilis, sine simulatione.* Quid boni ergò non habebit qui hanc sapientiam postularit & impetrarit à Domino? Et hinc intelligite gratiam, quia si ex nobis esset ista *sapientia*, *desursum* non *esset*, nec ab ipso qui nos creavit Deo postulanda esset.

Tit 2. 12. & 13. Fratres orate & pro nobis, *vt temperanter & piè & iustè viuamus in hoc sæculo, expectantes illam beatam spem, & manifestationem Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi*, cui est honor & gloria & regnum cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

Finis de gratia & libero arbitrio.

DIVI

DIVI AVGVSTINI EPISTOLÆ DVÆ,

Vna cum Libro superiori transmissæ.

Augustinus Valentino, in cuius contubernio quidam erat, qui videbatur non rectè sentire de libero arbitrio. docens nec liberum arbitrium sic asserendum, vt nihil tribuamus gratiæ: nec gratiam ita prædicandam, vt negemus liberum hominis arbitrium.

EPISTOLA XLVI.

Domino dilectissimo, & in Christi membris honorando Fratri Valentino, & fratribus qui tecum sunt, Augustinus in Domino salutem.

2. Retract. 66.

VEnerunt ac nos duo iuvenes, Crescónius & Felix, de vestra congregatione se esse dicentes qui nobis retulerunt, monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eo quòd quidam in vobis sic gratiam prædicēt, vt negent hominis esse liberum arbitrium: & quod est gravius, dicant, quod in die iudicij non sit vel *redditurus* Deus *vnicuique secundùm opera eius.* Etiam hoc indicaverunt, quod plures vestrùm non ita sentiant, sed liberum arbitrium adiuvari fateantur per Dei gratiam, vt recta sapiamus atque faciamus; vt cùm venerit Dominus *reddere vnicuique secundùm opera eius*, inveniat opera nostra bona, *quæ præparavit* Deus *vt in illis ambulemus.* Hoc qui sentiunt, benè sentiunt. *Obsecro itaq; vos fratres*, sicut Corinthios obsecravit Apostolus, *per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Primò enim Dominus noster Iesus Christus, sicut scriptum est in Evangelio Ioannis Apostoli,

Mat. 16. 27.

Ephes. 2. 10
1. Cor. 1. 10

Ioan. 3. 17. li, non venit *vt iudicaret mundum, sed vt salvaretur mundus per ipsum.* Postea verò, sicut scripsit Apostolus Paulus, iudicabit Deus mundum quandò *venturus est*, sicut tota Ecclesia in
Rom. 2. 16. symbolo confitetur, *iudicare vivos & mortuos.* Si igitur non est Dei gratia, quomodò salvat mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodò iudicat mundum? Proinde librum vel Epistolam meam, quam secum ad vos supradicti attulerunt, secundùm hanc fidem intelligite, vt neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis, vt à Dei gratia separetis, tanquam sine illa vel cogitare aliquid vel agere secundùm Deum vlla ratione possimus, quod omninò non possumus. Propter hoc enim Dominus cùm de fructu
Ioan. 15. 5. iustitiæ loqueretur, ait discipulis suis, *Sine me nihil potestis facere.* Vnde supradictam Epistolam ad Sixtum Romanæ Ecclesiæ presbyterum contra novos hæreticos Pelagianos noveritis esse conscriptam, qui dicunt *gratiam Dei secundùm merita nostra dari*, vt *qui gloriatur*, non *in Domino*, sed in seipso *glorietur*, hoc est, in homine, non in Domino. Quod prohibet
1 Cor. 3. 21 Apostolus, dicens, *Nemo glorietur in homine.* Et alio loco, *Qui*
Ibid. 1. 31. *gloriatur*, inquit, *in Domino glorietur.* Illi verò hæretici seipsos à seipsis iustos fieri putantes, quasi hoc eis non dederit Deus, sed ipsi sibi, non vtique *in Domino*, sed in semetipsis *gloriantur*
Ibid. 4. 7. Talibus enim dicit Apostolus, *Quis enim te discernit?* Quod ideò dicit, quia de massa illius perditionis quæ facta est ex
Rom. 9. 21. Adam non discernit hominem, vt eum *faciat vas in honorem*, non *in contumeliam*, nisi Deus. Sed quoniam homo carnalis & inaniter inflatus cùm audisset, *Quis enim te discernit*, posset respondere vel voce vel cogitatione, & dicere, discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit me iustitia mea. Mox
2. Cor. 4. 7. Apostolus occurrit cogitationibus eius, & dixit, *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sic autem gloriantur quasi non acceperint, qui se à seipsis iustificari putant; ac per hoc in semetipsis, *non in Domino gloriantur.* Propter quod ego in hac Epistola quæ ad vos pervenit, probavi per testimonia sanctarum scripturarum, quæ ibi potestis inspicere, & bona opera nostra, & pias orationes, & rectam fidem nullo modo in nobis esse posse, nisi
Iacob. 1. 17 hæc acceperimus ab illo, de quo dicit Apostolus Iacobus, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens*

à patre luminum, Nec quisquam dicat meritis operum suorum, vel meritis orationum suarum, vel meritis fidei suæ, sibi traditam Dei gratiam, vt putetur verum esse quod illi hæretici dicunt, *gratiam* DEI *secundùm merita nostra dari*, quod omninò falsissimum: non quia nullum est meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum, (*alioquin quomodo iudicabit* DEVS *mundum?*) Sed misericordia & gratia Dei convertit hominem, de qua Psalmus dicit, *Deus meus misericordia eius præveniet me:* vt iustificetur impius, hoc est, ex impio fiat iustus, & incipiat habere meritum bonum, quod Deus coronabit quandò iudicabitur mundus. Multa erant quæ vobis mittere cupiebam; quibus lectis, totam ipsam causam quæ concilijs Episcopalibus acta est adversus eosdem Pelagianos hæreticos, diligentiùs & plenius nosse posse tis; sed festinaverunt fratres qui ex numero vestro ad nos venerunt, per quos vobis non rescripsimus ista, sed scripsimus. Nullas enim ad nos vestræ charitatis literas attulerunt, tamen susce pimus eos, quoniam simplicitas eorum satis indicabat, nihil illos nobis potuisse confingere. Ideò autem festinaverunt, vt apud vos agerent Pascha, quò possit adiuvante Domino tam sanctus dies vestram pacẽ quàm dissensionem potiùs invenire. Melius autem facietis (quod multum rogo) si ipsum à quo dicunt se fuisse turbatos, ad me mittere non gravemini. Aut enim non intelligit librum meum, aut forte ipse non intelligitur, quandò difficillimam quæstionem & paucis intelligibilem solvere atque enodare conatur. Ipsa est enim quæstio de gratia Dei, quæ fecit, vt homines non intelligentes, putarent Apostolũ Paulum dicere, *Faciamus mala vt veniant bona*. Vnde Apostolus Petrus in secunda Epistola sua, Quapropter, inquit, *Charissimi, hæc expectantes satagite, inviolati & immaculati apud eum reperiri in pace, & Domini nostri patientiam salutem existimantes. Sicut & dilectissimus frater noster Paulus secundùm eam quæ data est ei sapientiam scripsit vobis, vt & in omnibus epistolis loquens, in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles homines pervertunt, sicut & cateras scripturas ad proprium suum interitum.* Cavete ergò quod tantus Apostolus tam terribiliter dicit, & vbi sentitis vos non intelligere, interim credite divinis eloquiis, quia & liberum est hominis arbitrium, & gratia Dei, sine cuius adiutorio liberum arbitrium nec converti po-

Rom. 3.6.

Psal. 58.11.

Rom. 3.8.

1. Pet 3.14. & seq.

ti potest ad Deum, nec proficere in Deo. Et quod piè creditis, vt etiam sapienter intelligatis orate. Et ad hoc ipsum enim, id est, vt sapienter intelligamus, est vtique liberum arbitrium. Nisi enim libero arbitrio intelligeremus atque sapere-
Psal. 93. 8. remus, non nobis præciperetur dicente scriptura, *Intelligite ergò qui insipientes estis in populo; & stulti aliquandò sapite.* Eo ipso quippè quo præceptum & imperatum est, vt intelligamus atque sapiamus; obedientiam nostram requirit, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio. Sed si posset hoc ipsum sine adiutorio Dei gratiæ fieri per liberum arbitrium, vt intelligeremus atque saperemus, non diceretur Deo: *Da mihi intellectum*
Psal. 118. 73. *vt discam mandata tua.* Neque in Evangelio scriptum esset, *Tunc*
Luc. 24. 45. *aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas.* Nec Iacobus Apo-
Iacob. 1. 5. stolus diceret, *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Potens est autem Dominus, qui & vobis donet & nobis, vt de vestra pace & pia consensione, nunciis celerrimis gaudeamus. Saluto vos, non solùm meo nomine, sed etiam fratrum qui mecum sunt, & rogo vt pro nobis concorditer atque instanter oretis. Sit vobiscum Dominus.

Altera eiusdem Epistola.

Augustinus Valentino de eodem argumento. Hæ duæ Epistolæ præferuntur duobus libris, quorum alter habet titulum De gratia & libero arbitrio, alter De correptione & gratia.

EPISTOLA XLVII.

Domino dilectissimo & in Christi membris honorando Fratri Valentino, & fratribus qui tecum sunt, Augustinus in Domino *salutem.*

CResconium Felicem & alium Felicem Dei servos, qui ex vestra congregatione ad nos venerunt, nobiscum egisse Pascha noverit charitas vestra. Quos ideo tenuimus aliquãto diutiùs, vt instructiores ad vos redirent, adversus novos hæreticos Pelagianos, in quorum errorem cadit, qui putat aliquo merito humano

gratiam

gratiam Dei dari, quæ sola hominem liberat *per Dominum nostrum Iesum Christum.* Sed rursum qui putat, quandò ad iudicium Dominus venerit non iudicari hominem secundùm opera sua, qui iam per ætatem vti potuit libero voluntatis arbitrio, nihilominus in errore est. Soli enim parvuli, qui nondùm habent opera propria, vel bona vel mala, secundùm solum originale peccatum damnabuntur, quibus per *lavacrum regenerationis* non subvenit gratia salvatoris. Cæteri autem omnes qui iam vtentes libero arbitrio, sua propria peccata originali peccato insuper addiderunt, si *de potestate tenebrarum* per gratiam Dei non *eruuntur*, nec *transferuntur ad regnum Christi*, non solùm secundùm originis, verùmetiam secundũ propriæ voluntatis merita, iudicium reportabunt. Boni verò etiam ipsi quidem, non solùm secundùm suæ bonæ voluntatis merita præmium consequentur, sed etiam ipsam bonam voluntatem per Dei gratiam consequuti sunt, ac sic impletur quod scriptũ est: *Ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci: gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco.* De qua difficillima quæstione, hoc est, de voluntate & gratia, non opus habui etiam in hac Epistola diutiùs disputare, quoniam & aliam iam eis dederam, tanquàm citiùs rediturus. Et scripsi ad vos etiam librum, quem si adiuvante Domino, diligenter legeritis, & vivaciter intellexeritis, nullas existimo inter vos de hac re dissensiones vlteriùs iam futuras. Portant autem secum & alia, quæ vobis dirigenda esse credidimus, quibus cognoscatis quemadmodùm Catholica Ecclesia, in Dei misericordia Pelagianæ hæresis venena repulerit. Quod enim scriptum est ad Papam Innocentium Romanæ vrbis Episcopum, de concilio provinciæ Carthaginensis & de concilio Numidiæ, & aliquanto diligentiùs à quinque Episcopis, & quæ ipse ad tria ista rescripsit: item quod Papæ Zosimo de Africano concilio scriptum est, eiusq; rescriptum ad vniversos totius orbis Episcopos missum: & quod posteriori concilio plenario totius Africæ contra ipsum errorem breviter constituimus, & supra memoratum librũ meum quem mobò ad vos scripsi: hæc omnia & in præsenti legimus cum ipsis, & per eos misimus vobis. Legimus eis etiam librum Beatissimi martyris Cypriani de Oratione Dominica

Coloss 1.13

Rom 7.10

Intelligit librum præcedentẽ, videlicet de gratia & libero arbitrio.

Epist. 90.

Epist. 92.

Epist. 95.

Epist. 91. 93. 96

Epistola Zosimi nõ extat citatur à Cælestino & ab Aug. Epist. 157.

Hoc concilium non extat citatur à Prospero c. 20. contra Gallos.

Dominica, & ostendimus quemadmodùm docuerit omnia quæ ad mores nostros pertinent, quibus rectè vivimus, à *patre nostro qui in cœlis est*, esse poscenda ne de libero arbitrio, à divina gratia decidamus. Vbi etiam demonstravimus quo modo admonuerit idem gloriosissimus martyr, etiam pro inimicis nostris, qui nondùm in Christum crediderunt, nos vt credant orare debere. Quod vtique inaniter fieret, nisi Ecclesia crederet etiam malas atque infideles hominum voluntates, per Dei gratiam in bonum posse converti. Sed hunc librum Sancti Cypriani quia dixerunt etiam illic apud vos esse, non misimus. Meam quoque Epistolam ad Sixtum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum datam, quam secum ad nos attulerunt, legimus cum eis, & ostendimus adversus eos esse conscriptam qui dicunt *gratiam Dei secundùm merita nostra dari*, hoc est adversus eosdem Pelagianos. Quantum ergò potuimus, egimus cum istis & vestris & nostris fratribus, vt in fide sana Catholica perseverent, quæ neque liberum arbitriũ negat sive in vitam malam sive in bonam; neque tantum ei tribuit, vt sine gratia Dei vàleat aliquid, sive vt ex malo convertatur in bonum, sive vt in bono perseveranter proficiat, sive vt ad bonum sempiternum perveniat, vbi iam non timeat ne deficiat. Vos quoque charissimi, etiam in hac Epistola exhortor, quod nos omnes exhortatur Apostolus, *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad temperantiam, sicus vnicuique Deus partitus est mensuram fidei.* Attendite quid per Salomonem moneat Spiritus sanctus: *Rectos cursus*, inquit, *fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, ne declines in dexteram, neque in sinistram; averte autem pedem tuum à via mala. Vias enim quæ à dextris sunt, novit Dñs; pervers æ verò sunt, quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos; itinera autem tua in pace producet.* In his verbis sanctæ scripturæ considerate, fratres, quia si non esset liberum arbitrium, non diceretur, *Rectos cursus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, ne declines in dexteram, neque in sinistram.* Et tamen sine Dei gratia, si posset hoc fieri, non posteà diceretur, *Ipse autem rectos faciet cursus tuos, & itinera tua in pace producet: Nolite* ergò *declinare neque in dexteram neque in sinistram*: quamvis laudentur *viæ quæ a dextris sunt*, & vituperentur *quæ sunt à sinistris.* Hoc est enim propter quod addidit, *Averte autem pedem tuum a via mala*; hoc est, à sinistra. Quod manifestat in sequẽtibus,

Lib. de gratia & libero arbitrio cap. 2).

Epist. 105.

Rom. 12. 3.

Prov. 4. 26. & 27.

tibus, dicens, *Vias enim quæ à dextris sunt novit Dominus; perversa verò sunt, quæ à sinistris sunt.* Eas vtique *vias* ambulare debemus, quas *novit* Dominus, De quibus in Psalmo legitur, *Novit* Dominus *viam iustorum, & via impiorum peribit.* Psal. 1. 6. Hanc enim non *novit Dominus*, quia *sinistra est.* Sicut dicturus est etiam illis ad sinistram constitutis. *Non novi vos.* Quid est Mat. 7. 23. autem quod ille non novit, qui vtique novit omnia, sive bona hominum, sive mala? Sed quid est, *Non vos novi*; nisi tales vos ego non feci? Quemadmodùm illud, quod dictum est de ipso Domino Iesu Christo, quia *non noverat peccatum*, quid est, 2. Cor. 5. 21. nisi quia non fecerat? Ac per hoc quod dictum est, *Vias quæ à dextris sunt novit Dominus*; quomodò intelligendum est, nisi quia ipse fecit vias dextras, id est, *vias iustorum* quæ sunt vtiq; opera bona, *quæ præparavit Deus*, sicut dicit Apostolus, *vt in* Ephes. 2. 10. *illis ambulemus. Vias* autem sinistras *perversas*, id est, *vias impiorum, non* vtique *novit* quia non eas ipse fecit in homine, sed homo sibi. Propter quod dicit: Odivi autem ego perversas vias malorum, ipsæ sunt à sinistris. Sed respondetur nobis, Cur ergò dixit, *Ne declines in dextram neque in sinistram*; cùm potiùs dicere debuisse videatur, Tene dextram, & ne declines in sinistram? Si bonæ sunt *viæ quæ à dextris sunt*, cur putamus, nisi quia ita viæ sunt bonæ *quæ à dextris sunt*, *vt in dextram* tamen *declinare* non sit bonum? *Declinare* quippè est intelligendus *in dextram*, qui bona ipsa opera quæ ad vias dextras pertinent, sibi vult assignare, non Deo. Et ideò cùm dixisset, *Vias enim quæ à dextris sunt novit Dominus, perversa autem sunt quæ à sinistris sunt*, tanquàm diceretur ei, Quomodò ergò non vis *vt declinemus ad dextram*, sequutus adiunxit, *Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.* Sic ergò intellige, quod tibi præceptum est, *Rectos cursus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige*, vt noveris cùm hoc facis, à Domino Deo tibi præstari vt hoc facias, & *non declinabis ad dexteram*, quàmvis ambules in viis dextris, non *confidens in virtute tua*: & ipse erit *virtus tua*, qui *rectos faciet cursus tuos, & itinera tua in pace producet.* Quapropter dilectissimi, quicunque dicit, voluntas mea mihi sufficit ad facienda opera bona, *declinat in dextram.* Sed rursus qui putant bonam vitam esse deserendam, quandò audiunt sic Dei gratiam prædicari, vt credatur & intelligatur voluntates hominum ipsas ex malis bonas

nas facere, ipsas etiam quas fecerit custodire & propterea dicunt, *Faciamus mala vt veniant bona, in sinistram declinant.* Ideò vobis dixit, *non declinetis in dexteram neque in sinistram*; hoc est, non sic defendatis liberum arbitrium, vt ei bona opera sine Dei gratia tribuatis, nec sic defendatis gratiam, vt quasi de illa securi, mala opera diligatis: quod ipsa gratia Dei avertat à nobis. Taliùm quippè verba sibi proponens Apostolus ait, *Quid ergò dicemus? Permanebimus in peccato vt gratia abundet?* atque his verbis hominum errantium, & Dei gratiam non intelligentium, respondit vt debuit, dicens, *Absit. Si enim mortui sumus peccato, quomodò vivemus in eo?* Nihil potuit dici brevius & melius. Quid enim nobis gratia Dei vtiliùs confert in hoc præsenti sæculo maligno, nisi vt *moriamur peccato?* Ac per hoc ipsi gratiæ invenietur ingratus, qui propter illam vult vivere in peccato, per quam *morimur peccato.* *Deus autem qui dives est in misericordia*, det vobis & sanum sapere, & vsque in finem proficienter in bono proposito permanere. Hoc pro vobis, hoc pro nobis, hoc pro omnibus qui vos diligunt, & pro eis qui vos oderunt; instanter in pace fraterna & vigilanter orate, vt Deo vivatis.

Rom. 3. 8.

Rom. 6. 1.

Ibid. 2.

Eph. 2. 4.

DIVI AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

De Correptione & Gratia, ad Valentinum, & cum illo Monachos,

LIBER VNVS.

Argumentum ex lib. 2. Retractationum cap. 67.

RVrsus ad eosdem scripsi alterum librum, quem De Correptione & Gratia prænotavi, cum mihi nunciatum esset dixisse ibi quendam, neminem corripiendum, si Dei præcepta non facit; sed pro illo vt faciat, tantummodò orandum. Hic Liber sic incipit.

CAPVT. I.

LEctis literis vestris, Valentine Frater dilectissime, & qui simul servitis Deo, quas per fratrem Florum, & eos qui cum illo ad nos venerunt, misit charitas vestra, egi Deo gratias, quod vestram in Domino pacem, & in veritate consensionem, & in charitate flagrantiã, vestro nobis reddito sermone cognovi. Quod autem ad subversionem quorundam apud vos molitus est inimicus, Deo miserante, & eius insidias in suorum servorum provectum mirabili bonitate vertente, ad hoc potiùs valuit, vt nulli vestrum destruerentur in peiùs, sed nonnulli iustruerentur in meliùs. Non itaq; opus est omnia identidem retractare, quæ sufficienter vobis pleno libro disputata transmisimus, quem quomodò susceperitis rescripta indicant vestra. Verùmtamen semel lectum nullo modo arbitremini satis vobis innotescere potuisse. Si ergò eum fructuosissimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notissimum, vt dilucidissimè sciatis quibus & qualibus quæstionibus solvendis atque sanandis, non ibi humana sed divina occurrat authoritas, à

tas, à qua recedere non debemus, si volumus pervenire quò tendimus. Dominus autem ipse non solùm ostendit nobis, à quo *malo declinemus, & quod bonum faciamus*, quod solùm potest
Psal. 36.27 legis litera; verùmetiam adiuvat nos, vt *declinemus à malo & faciamus bonum*, quod nullus potest sine spiritu gratiæ: quæ si desit, ad hoc lex adest, vt reos faciat & occidat. Propter quod
2. Cor. 3. 6. dicit Apostolus: *Litera occidit, spiritus autem vivificat.* Qui ergò legitimè lege vtitur, discit in ea malum & bonum, & non *confidens in virtute sua* confugit ad gratiam qua præstante *declinet à malo, & faciat bonum.* Quis autem confugit ad gratiam, nisi cùm *à Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet*? Ac per hoc
Psal. 36.23. & desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est; de quo ait
Psal. 76.11 ille, *Et dixi, nunc cœpi: hæc est immutatio dextræ excelsi.* Liberum itaque arbitrium, & ad malum & ad bonum faciendum confitendum est nos habere: sed in malo faciendo liber est quisque iustitiæ servus; peccati; in bono autem liber esse nullus
Ioan. 8.36. potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit, *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Nec ita vt cùm quisque fuerit à peccati dominatione liberatus iam non indigeat sui liberatoris auxilio; sed ita potiùs, vt à illo audiens, *Sine me nihil potestis*
Ioan. 15.5. *facere*; dicat ei & ipse, *Adiutor meus esto, ne derelinquas me.*
Psal. 26.9. Hanc fidem quæ sine dubio vera & Prophetica & Apostolica & Catholica fides est, etiam in fratre nostro Floro inveniisse me gaudeo: vnde hi potiùs corrigendi sunt, quos quidem propitio Deo correctos esse iam existimo, qui eum non intelligebant.

Legitimus legis vsus.

Desiderare gratiam initium est gratiæ.

CAPVT II.

INtelligenda est enim *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*, qua sola homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus sive cogitando, sive volendo & amando, sive agendo faciunt bonum; non solùm vt monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, verùmetiam vt præstante ipsa faciant cum dilectione quod faciunt. Hanc quippè inspirationem bonæ voluntatis atque operis, poscebat Apostolus eis quibus
2. Cor. 13. 7. dicebat: *Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali, non vt nos approbati appareamus, sed vt vos quod bonum est, faciatis.* Quis hoc audiat & non evigilet, atque fateatur à Domino Deo nobis esse, vt *declinemus à malo, & faciamus bonum*? Quâdoquidem nò ait Apostolus, monemus, docemus, hortamur, increpamus, sed ait,

Oramus ad Deum ne quid faciatis mali, sed quod bonum est faciatis. Et tamen etiam loquebatur eis, & faciebat illa omnia quæ commemoravi: monebat, docebat, hortabatur, increpabat. Sed sciebat hæc omnia non valere, quæ plantando & rigando faciebat in aperto, nisi eum pro illis exaudiret orantem, qui dat incrementum in occulto. Quoniam sicut idem doctor gentium dicit: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Non se itaque fallant qui dicunt, *Vt quid nobis præceptum atque præcipitur, vt declinemus à malo; & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis*: sed potiùs intelligant si filij Dei sunt; *spiritu Dei se agi*, vt quod agendum est agant, & cùm egerint, illi à quo aguntur gratias agant: aguntur enim vt agant, non vt ipsi nihil agant, & ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, vt quandò id agunt sicut agendum est, id est, cum dilectione & delectatione iustitiæ *suavitatem* quam *dederit Dominus*, vt *terra eorum daret fructum suum*, accepisse se gaudeant. Quandò autem non agunt, sive omninò non faciendo, sive non ex charitate faciendo; orent vt quod nondum habent, accipiant. Quid enim habebunt quod non accepturi sunt; aut quid habent quod non acceperunt?

1. Cor. 3. 7.

Phil. 2. 13. Rom. 8. 14.

Psal. 84. 13.

1. Cor. 4. 7.

CAPVT III.

Correptio non negligenda.

ERgò, inquiunt, *præcipiant tantummodò nobis quid facere debeamus qui nobis præsunt, & vt faciamus orent pro nobis; nos autem nos corripiant & arguant, si non fecerimus.* Imò omnia fiant, quoniam doctores Ecclesiarum Apostoli omnia faciebant, & præcipiebant quæ fierent; & corripiebant, si non fieret; & orabant vt fierent. Præcipit Apostolus dicens; *Omnia vestra in charitate fiant.* Corripit dicens: *Iam quidem omninò delictum est in vobis, quia iudicia habetis vobiscum. Quare enim non magis iniquitatem patimini? quare non potiùs fraudamini? Sed vos iniquitatem facitis & fraudatis, & hoc fratribus. An nescitis, quia iniusti regnum Dei non possidebunt?* Audiamus & orantem: *Vos autem*, inquit, *Dominus multiplicet & abundare faciat in charitate in invicem, & in omnes.* Præcipit vt habeatur charitas; corripit, quia non habetur charitas; orat, vt abundet charitas. O homo in præceptione cognosce quid debeas habere; in correptione cognosce, tuo te vitio non habere; in oratione cognosce, vnde accipias quod vis habere.

1. Cor. 16. 14.

1. Cor. 6. 7. 8. & 9.

1. Thes. 3. 12.

CAP.

CAPVT IIII.

QVomodò, inquit, *meo vitio non habetur, quod non accepi ab illo, à quo nisi detur, non est omninò alius vnde tale ac tantum munus habeatur?* Patimini me paululùm fratres mei, non adversum vos, quorùm rectum est cor cum Deo, sed adversus eos qui terrena sapiunt, vel adversus ipsas humanas cogitationes pro cœlestis & divinæ gratiæ veritate certare. Hoc enim dicunt qui in suis malignis operibus ab huius gratiæ prædicatoribus corripi nolunt. *Præcipe mihi quid faciam; & si fecero, age pro me gratias Deo, qui mihi vt facerem dedit. Si autem non fecero, non ego corripiendus sum, sed ille orandus est vt det quod non dedit: id est ipsam, qua præcepta eius fiant, fidelem Dei & proximi charitatem. Ora ergò pro me vt hanc accipiam, & per hanc ex animo cum bona voluntate, quæ præcipis faciam. Rectè autem corriperer, si eam meâ culpa non haberem: hoc est, si eam possem mihi dare vel sumere ipse, nec facerem; vel si dante illo accipere noluissem. Cùm ergò & ipsa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis? quia vides me eius præcepta facere nolle; & non potius ipsum rogas, vt in me operetur & velle?*

Prov. 8. iuxta 70.

CAPVT V.

AD hæc respondemus: quicũq; Dei præcepta iam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiã propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonstrari; nõn vis vt feriantur, fiatq́ue tibi vtilis dolor, quo me dicum quæras; non vis tibi tuipse ostendi, vt cùm deformem te vides, reformatorem desideres, eiq́ue supplices ne in illa remaneas fœditate. Tuum quippè vitium est quod malus es, & maius vitiũ corripi nolle, quia malus es: quasi laudãda vel indifferenter habenda sint vitia, vt neq; laudentur neque vituperentur: aut verò nihil agat timor correpti hominis vel pudor, vel dolor; aut aliud agat cùm salubriter stimulat, nisi vt rogetur bonus, & ex malis qui corripiuntur, bonos faciat qui laudentur. Quod enim vult pro se fieri qui corripi non vult & dicit, ora potiùs pro me, ideò corripiendus est vt faciat etiam ipse pro se. Dolor quippè ille quo sibi displicet, quandò sentit correptionis aculeum, excitat eum in maioris orationis affectum: vt Deo miserante, incremento charitatis adiutus desinat agere pudenda & dolenda, & agat laudanda atque gratanda. Hæc est correptionis vtilitas, quæ nunc maior, nunc minor

Correptionis necessitas & vtilitas.

nor pro peccatorũ diuersitate salubriter adhibetur, & tunc est salubris, quãdò supernus medicus respicit. Non enim aliquid proficit, nisi cùm facit vt peccati sui quemq; pœniteat. Et quis hoc dat, nisi qui respexit Apostolũ Petrũ negantẽ, & fecit flentẽ? Vnde & Apostolus Paulus posteàquã dixit, *cũ modestia* corripiendos esse diuersa sentientes, protinus addidit: *Ne quandò det eis* DEVS *pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant de* DIABOLI *laqueis.* Cur autem isti qui corripi nolunt, dicunt: *Tantum præcipe mihi & ora pro me, vt quod præcipis faciam?* Cur non potiùs secundùm suum pravum sensum & ista duo respunt, & dicunt: Nec vt præcipias mihi, nec vt ores pro me volo? Quis enim hominum ostenditur orâsse pro Petro, vt daret ei Deus pœnitentiam qua se negasse Dominum fleret? Quis hominum Paulum divinis præceptis ad fidem Christianam pertinentibus erudivit? Cùm ergò audiretur prædicans Evangelium, & dicens; *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem* CHRISTI IESV: responderetur ei; Quid nobis molestus es, vt abs te accipiamus atque discamus, quod tu *non ab homine accepisti neque didicisti?* Potens est ille qui tibi dedit, sic & nobis dare quomodò tibi. Porrò si hoc non audent dicere, sed patiuntur sibi Evangelium ab homine prædicari: quamvis etiam possit non per hominem homini dari, concedant etiam corripi se debere à præpositis suis, à quibus Christi ista gratia prædicatur: quàmvis non negetur, Deum posse quem velit, etiam nullo homine corripiente corrigere, & ad dolorem salûbrem pœnitentiæ occultissima & potentissima medicinæ suæ potestate perducere. Et sicut non est ab oratione cessandum pro eis quos corrigi volumus, etiam si nullo hominum orante pro Petro, *Dominus respexit eum,* & fecit eum suum peccatum flere: ita non est negligenda correptio, quàmvis Deus quos voluerit etiam non correptos, facit esse correctos. Tunc autem correptione proficit homo, cùm miseretur atque adiuvat, qui facit quos voluerit etiam sine correptione proficere. Sed quare isti sic, illi aliter, atque alij aliter diversis & innumerabilibus modis vocentur vt reformentur, absit vt dicamus iudicium luti esse debere, sed figuli.

Correptio salubris, quandò.

Luc. 22. 61. & 62.

2. Tim. 2. 25. & 26.

Gal. 1. 11. & 12.

CAP.

CAPVT VI.

1.Cor.4.7. APostolus, inquiunt, *ait, Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Cur ergo corripimur, arguimur, reprehendimur, accusamur? Quid facimus, qui non accepimus?* Qui hæc dicunt, extra culpam se videri volũt, in hoc quòd non obediunt Deo: quia vtiq; ipsa obedientia munus eius est; quæ necesse est vt insit ei cui *charitas* ineſt, quæ sine dubio *ex Deo est*, & dat eam pater filiis suis. Hãc inquiũt, *non accepimus, quid itaque corripimur; quasi nos eam nobis dare possimus, & nostro arbitrio dare nolimus?* Nec attendunt si nondùm regenerati sunt, primam esse causam, cur obiurgati quod sint inobedientes Deo, sibi debeant displicere, quia *fecit Deus hominem rectum* ab initio humanæ creaturæ, & *non est iniquitas apud Deum*. Ac per hoc prima pravitas quâ Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine in qua eum Deus primitùs fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est. An verò ideo pravitas ista corripienda non est in homine, quia non eius propria qui corripitur, sed communis est omnibus? Imo verò corripiatur & in singulis, quod est omnium. Non enim propterea cuiusquam non est, quod ab ea nullus immunis est. Peccata quidem ista originalia ideò dicuntur aliena, quod ea singuli de parentibus trahunt: sed non sine causa dicuntur & nostra, quia *in illo vno omnes*, sicut dicit Apostolus, *peccaverũt*. Corripiatur ergò origo damnabilis, vt ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur; si tamen qui corripitur filius est promissionis, vt strepitu correptionis forinsecùs insonante atque flagellante, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione *operetur & velle*. Si autem iam regeneratus & iustificatus in malam vitã suâ voluntate relabitur, certè iste non potest dicere, non accepi, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio. Qui si correptione compunctus salubriter ingemit, & ad similia bona opera vel etiam meliora revertitur; nempe hic apertissimè vtilitas correptionis apparet. Sed per hominem correptio sive ex charitate sit, sive non sit, tamen vt correptio prosit, non nisi per Deum fit. An adhuc & iste nolens corripi, potest dicere: *Quid ego feci qui non accepi*; quem constat accepisse, & sua culpa quod acceperat amisisse? *Possum*, inquit, *possum*

Cur iuste corripiantur qui non obediunt Deo, ta nisi gratiam obediãdi nondum acceperint.

Originale peccatum quomodo alienum, & nostrum.

1.Ioan.4.7. Ecclꝛ.7.30. Rom.9.14. Rom.5.12.

omnè, quando me arguit quod ex bona vita in malam meâ voluntate relapsus sum, dicere adhuc: Quid ego feci qui non accepi: accepi enim fidem quæ per dilectionem operatur; sed in illa vsque in finem perseverantiam non accepi: an quisquam dicere audebit istam perseverantiam non esse donum Dei, & hoc tam magnum bonum ita esse nostrum, vt quisquis id habuerit, non ei possit Apostolus dicere, Quid enim habes quod non accepisti, quoniam hoc sic habet vt non acceperit? Ad hæc nos negare quidem non possumus etiam perseverantiam in bono proficientem vsque in finem, magnum esse Dei munus; nec esse nisi ab illo, de quo scriptum est, *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Sed non ideò est eius qui non perseveraverit, negligenda correptio, *ne forte det illi Deus pœnitentiam, & resipiscat de diaboli laqueis.* Correptionis quippe vtilitati hanc sententiam subiunxit Apostolus dicens, sicut suprà commemoravi: *Cum modestia corripientem diversa sentientes, nequando det illis Deus pœnitentiam.* Nam si dixerimus istam perseverantiam tam laudabilem tamq; fœlicem sic esse hominis, vt ei non sit ex Deo: illud primitùs evacuamus, quòd ait Dominus Petro, *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Quid enim ei rogavit, nisi perseverantiam vsque in finem? Quæ profectò si ab homine homini esset, à Deo poscenda non esset. Deinde cùm dicit Apostolus, *Oramus autem ad Deum ne quid faciatis mali;* proculdubiò perseverantiam eis orat ad Deum. Neque enim nihil mali facit qui bonum deserit, & à quo declinare non debet, inclinatur in malum, non perseverans in bono. Illo etiam loco vbi dicit, *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in omni prece mea pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens, super communione vestra in Evangelio à prima die vsque nunc, confidens hoc ipsum, quoniam qui cepit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu.* Quid aliud eis quàm perseverantiam in bono vsque in finem, de Dei miseratione promittit? Itemque vbi dicit, *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est servus Christi Iesu, semper certans pro vobis in orationibus, vt stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei:* quid est, *vt stetis,* nisi vt perseveretis? Vndè dictum est de diabolo, *In veritate non stetit;* quia fuit ibi, sed non permansit. Nam vtiq; iusti in fide iam stabant. Nec aliud oramus cùm oramus, vt qui stat, *stet,* nisi vt perseveret. Item Iudas Apostolus cùm dicit, *Ei autem qui potens est conservare vos sine offensione, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in lætitia:* nonne

Perseverantia omnis Dei donum est.

1.Cor. 4.7

Iacob 1.17

2.Tim.2. 25. & 26.

Ibid. 25.

Luc. 22. 32

2.Cor. 13.7

Philip. 1.3. & seq.

Coloss 4.12

Diabolus aliquò fuit in veritate quanquam in ea non perseveravit

Ioan. 8.44.

Iuda 14.

nonnè apertissimè ostendit donum Dei esse in bono perseverare vsque in finem? Quid enim aliud donat *qui conservat sine offensione*, vt *constituat ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in lætitia*, nisi perseverantiam bonam? Quid est etiam quod in Apostolorum actibus legimus, *Audientes autem gentes gavisæ sunt, & exceperunt verbum domini, & crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam.* Quis *in æternam vitam* potuit *ordinari*, nisi perseverantiæ dono? Quandoquidem *qui perseveraverit vsque in finem, hic salvus erit.* Quâ salute, nisi æterna? Cùm verò in oratione dominica Deo patri dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*: Quid aliud dicimus, quàm vt nomen eius sanctificetur in nobis? Quod cùm iam per *lavacrum regenerationis* effectum sit, quare quotidiè à fidelibus poscitur, nisi vt in eo quod factum est in nobis, perseveretur à nobis? Nam & beatus Cyprianus hoc sic intelligit; exponens quippe eandem orationem, *Dicimus*, inquit, *sanctificetur nomen tuum; non quod optemus Deo, vt sanctificetur orationibus nostris; sed quod petamus à Deo vt nomen eius sanctificetur in nobis.* Cæterum *à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit, Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum; id petimus & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseveremus.* Ecce gloriosissimus martyr hoc sentit, quod in his verbis quotidiè fideles Christi petunt, vt perseverent in eo quod esse cœperunt. Nullo autem dubitante, quisquis à Domino vt in bono perseveret, precatur; donum eius esse talem perseverantiam confitetur.

Act. 13. 48.

Matt. 14. 13

Matt. 6. 9.

Levit. 19. 2

CAPVT VII.

QVæ cùm ità sint, corripimus tamen eos, iusteque corripimus, qui cùm benè viverent, non in eo perseverarunt, Ex bona quippè in malam vitam sua voluntate mutati sunt, & ideò corripiuntur; & si nihil eis correptio profuerit, sed in vita perdita vsque ad mortem perseveraverint, etiam divina in æternum damnatione sunt digni. Nec se excusabunt dicentes, sicut hic modo dicunt, *quare corripimur*; ita tunc, quare damnamur, quandoquidem vt ex bono reverteremur ad malum, perseverantiam non accepimus qua permaneremus in bono? Nullo modo hac excusatione à iusta damnatione se li-

liberabunt. Si enim, sicut veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi; & tamen ab hâc damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere, non se audisse Evangelium Christi, cùm *fides ex auditu* sit: quanto minus se liberabunt qui dicturi sunt, perseverantiam non accepimus. Iustior enim videtur excusatio dicentium, non accepimus audientiam; quàm dicentium, non accepimus perseverantiam (quoniam potest dici, homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares si velles: nullo modo autem dici potest, id quod non audieras, crederes si velles. Ac per hoc & qui Evangelium non audierunt; & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt; & qui Evangelio audito venire ad Christum, hoc est in eum credere noluerunt, (quoniam ipse dixit, *Nemo venit ad me, nisi ei datum fuerit à patre meo*) & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent *lavacro regenerationis* absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt; non sunt ab illa condemnatione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus *ex uno in condemnationem*. Discernuntur autem non meritis suis, sed per gratiam *mediatoris*, hoc est in sanguine secundi Adam *iustificati gratis*. Itaque cùm audimus, *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ab illâ perditionis massa quæ facta est per primum Adam, debemus intelligere neminem posse discerni, nisi quod hoc donum habet quisquis habet, quod gratia Salvatoris accepit. Hoc autem Apostolicum testimonium tam magnum est, vt beatus Cyprianus ad Quirinum scribens, ipsum subiecerit illi titulo, in quo ait, *In nullo esse gloriandum, quando nostrum nihil sit*. Quicunque ergò ab illâ originali damnatione istâ divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium: & cùm audiunt credunt, & in *fide, qua per dilectionem operatur*, vique in finem perseverant: & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant, redeunt: & nonnulli accepta gratia, in qualibet ætate, periculis huius vitæ, mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui *vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo, ante constitutio-*

Rom. 10. 13

Ioan 6. 65.

1. Cor. 4. 7.

Lib. 3. testimoniorum, titulo 3 cap. 4.

Gal. 5. 6.

Rom. 11.6. tutionem mundi per electionem gratiæ. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* Non enim sic sunt
Mat. 20.16 vocati, vt non essent electi; propter quod dictum est, *Multi sunt vocati, pauci verò electi:* sed quoniam *secundum propositum vocati sunt*, profectò *electi sunt per electionem*, vt dictum est *gratiæ*, non præcedentium meritorum suorum; quia gratia illis est
Rom. 8.28. omne meritum. De talibus dicit Apostolus, *Scimus quoniam*
29. & 30. *diligentibus* Deum *omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt: quoniam quos antè præscivit, & prædestinavit conformes imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinavit, illos & vocavit; quos autem vocavit, ipsos & iustificavit; quos autem iustificavit, ipsos & glorificavit.* Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt: *electi sunt* autem, quia *secundum propositum vocati sunt*; *propositum* autem non suum, sed
Rom. 9.11. Dei. De quo alibi dicit, *vt secundum electionem propositum Dei*
12. & 13. *maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori:* & alibi, *Non secundum opera nostra*, inquit, *sed se-*
2. Tim. 1.9. *cundùm suum propositum & gratiam.* Cùm ergò audimus, *Quos autem prædestinavit, illos & vocavit*; *secundum propositum vocatos*
Rom. 8.28. debemus agnoscere, quoniam indè cœpit, dicens, *Omnia coope-*
et seq. *rantur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt:* ac deinde subiunxit, *Quoniam quos antè præscivit, & prædestinavit conformes imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Atque his præmissis subdidit, *Quos autem prædestinavit, illos & vocavit.* Eos itaque vult intelligi, *quos secundum propositum vocavit*; ne putentur in eis esse aliqui vocati & non electi, propter
Mat. 20.16 illam dominicam sententiam, *Multi vocati, pauci electi.* Quicunque enim *electi*, sine dubio etiam *vocati*: non autem quicunq; *vocati*, consequenter *electi*. Illi ergò *electi*, vt sæpè dictum est, *qui secundum propositum vocati, qui* etiam *prædestinati atque præscuti.* Horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nullâ re vincitur Deus. Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Iudas ad opus cui cõgruebat. Ab illo quippè electus est, qui novit benè vti etiam malis, vt per eius opus damnabile, illud propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur. Cùm itaque audimus, *nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est*: illos de-

Omne meritum gratiæ est.

Duplex vocatio.

Electorum & prædestinatorum perit nemo.

Electio per misericordiã et per iudicium.

bemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium. Illos ergò elegit ad obtinendum regnum suum; illum ad effundendum sanguinem suum. Meritò sequitur vox ad regnum electorum, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodò non & cum illo nobis omnia donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis condemnat? Christus Iesus qui mortuus est, magis autem qui & resurrexit, qui est in dextera Dei, qui & interpellat pro nobis?* Quàm fortis autem perseverantiæ vlq; in finem munus acceperint, sequantur & dicant: *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die; æstimati sumus vt oves occisionis. Sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; angelus neq; principatus, neq; præsentia, neque futura, neq; virtus, neque altitudo neque profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Isti significati sunt ad Timotheum, vbi cùm dictum fuisset *Hymenæum & Philetum fidem quorundam subvertere*, mox additum est: *Firmum autem fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Scivit Dominus qui sunt eius.* Horum *fides, quæ per dilectionem operatur*, profectò aut omninò non deficit, aut si qui sunt quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur, & deleta quæ intercurrerat iniquitate, vlq; in finem perseverantia deputatur. Qui verò perseveraturi non sunt, ac sic à fide Christianâ & conversatione lapsuri sunt, vt tales eos vitæ huius finis inveniat; proculdubiò nec illo tempore, quo benè pièque vivunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideò nec *secundum propositum vocati*, ac per hoc nec *electi*; sed in eis *vocati*, de quibus dictum est, *Multi vocati*; & non in eis de quibus dictum est, *pauci verò electi*. Et tamen quis neget eos electos, cùm credunt & baptizantur, & secundùm Deum vivunt? Planè dicuntur electi à nescientibus quid futuri sint, non ab illo qui eos novit non habere perseverantiam, quæ ad beatam vitam perducit *electos*, scitq; illos ita stare, vt præsciret esse casuros.

Rom 8. 33. et seq.

Ibid. 35 et seq.

Psal. 43. 22.

2. Tim. 2. 18 et 19.

Gal. 5. 6.

Mat. 20. 16

CAP.

CAPVT VIII.

Perseverātia cur vni detur, alteri, non detur, inscrutabile.

HIc si à me quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam quâ Christianè viverent, dilectionem dedit; me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum, *O homo, tu quis es qui respondeas* DEO? Et, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius!* Quantùm itaq; nobis iudicia sua manifestare dignatur, gratias agamus; quantùm verò abscondere, non adversùs eius consilium murmurremus, sed hoc quoq; nobis saluberrimum esse credamus. Tu autē quisquis inimicus eius gratiæ sic interrogas, ipse quid dicis? Benè, quod te non negas esse Christianum, & catholicum iactas. Si ergò confiteris donum Dei esse perseverare in bono vsq; in finem; cur hoc donū ille accipiat, ille non accipiat, puto quod mecum pariter nescis, & ambo hic *inscrutabilia iudicia* DEI penetrare non possumus. Aut si ad liberum arbitrium hominis, quod non secundū DEI gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis vt perseveret in bono quisque, vel non perseveret, non DEO donante si perseveret, sed humanâ voluntate faciente; quid moliturus es contra verba dicentis, *Rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua?* An audebis dicere etiam rogante Christo *ne deficeret fides Petri*, defecturam fuisse si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam vsq; in finem perseverare noluisset: quasi aliud Petrus vllo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset vt vellet? Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea quæ fidelis erat, voluntas ipsa deficeret: & permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia *præparatur voluntas à Domino*, ideò pro illo Christus non posset esse inanis oratio. Quandò *rogavit* ergò *ne fides eius deficeret*; quid aliud rogavit nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Ecce quemadmodùm secundùm gratiā Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam; sed gratia potiùs libertatem, & vt perseveret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilē fortitudinē. Mirandum est quidem, multumque mirandum, quod filiis suis Deus quibusdam quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit

Rom 9. 20. Rom. 11. 33

Luc. 22. 32.

Prover 8. in xta 70.

Libertas Christiana gratiam sequitur, non antecedit.

Exempla quædam obstupendorũ iudiciorum Dei.

dit, non dat perseverantiam; cùm filiis alienis scelera tanta dimittat, atque impertita gratia sua, faciat filios suos. Quis hoc non miretur? Quis hoc non vehementissimè stupeat? Sed etiam illud non minùs mirum est, & tamen verum, atq; ita manifestum, vt nec ipsi inimici *gratiæ Dei* quomodò id negent valeant invenire; quod filios quosdam amicorum suorum, hoc est regeneratorum bonorumq; fidelium, sine baptismo hinc parvulos exeuntes, quibus vtiq; si vellet, huius lavacri gratiam procuraret, in cuius potestate sunt omnia, alienat à regno suo, quo parentes mittit illorum; & quosdam filios inimicorum suorum facit in manus Christianorum venire, & per hoc lavacrum introduci in regnum, à quo eorum parentes alieni sunt; cùm & illis malum, & istis bonum meritum nullum sit parvulis, ex eorum propriâ voluntate. Certè hic iudicia Dei, quoniam iusta & alta sunt, nec vituperari possunt, nec penetrari. In his est & illud de perseverantia, de qua nunc disputamus. De vtrisq; ergò exclamemus, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam insrutabilia sunt iudicia eius?* Nec miremur nos vestigare non posse *investigabiles vias eius*. Vt enim alia innumerabilia taceam, quæ aliis dantur, aliis non dantur hominibus à Domino Deo, *apud quem non est acceptio personarum*, nec tribuuntur ista meritis voluntatum, (licut sunt celeritates, vires, bonæ valetudines, & pulchritudines corporum, ingenia mirabilia, & multarum artium capaces naturæ mentium: vel quæ accidunt extrinsecùs vt est opulentia, nobilitas, honores, & cætera huiusmodi, quæ quisque vt habeat, non nisi in Dei est potestate: vt non immorer etiam in baptismate parvulorum, quod nullus istorum potest dicere, sicut illa, ad regnum Dei non pertinere, cur illi parvulo detur, illi non detur, cùm sit vtrùmq; in potestate Dei, & sine illo sacramento nemo intret in regnũ Dei;) Vt ergò hæc taceam vel relinquam; illosipsos intueantur de quibus agitur. De his enim disserimus, qui perseverantiam bonitatis non habent, sed ex bono in malũ deficiente bona voluntate moriuntur. Respondeant si possunt, cur illos Deus, cùm fideliter & piè viverent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, *ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum*. Vtrùm hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempè nihil

Rom. 11. 33

Rom. 2. 11.

Sap. 4. 11.

nil horum nisi perversissimè atque insanissimè dicitur. Cur ergò non fecit? Respondeant qui nos irridentes, quandò in re-
Rom.11.33. bus talibus exclamamus: *Quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius!* Neque enim hoc non donat Deus quibus voluerit, aut verò Scriptura illa mentitur, quæ de mor-
Sap.4 11. te velut immatura hominis iusti ait: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius.* Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis non dat De-
Rom.9.14. us, *apud quem non est iniquitas, nec acceptio personarum,* & in cuius
Rom.2.11. Iob 7.1. potestate est quamdiù quisque in hac vita maneat, *quæ tentatio* dicta *est super terram?* Sicut ergò coguntur fateri donum Dei esse vt finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum; cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant: ita donum Dei esse in bono perseverantiam secundùm Scripturas, de quibus testimonia multa iam posui, fateantur nobiscum; & cur aliis detur, aliis non detur sine murmure adversus Deum dignentur ignorare nobiscum.

CAPVT IX.

NEc nos moveat, quòd filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiam. Absit enim vt ita esset, si de illis prædestinatis essent, & *secundum propositum vocatis*, qui verè sunt *filii promissionis*. Nam isti cùm piè vivunt, dicuntur filii Dei; sed quoniam victuri sunt impiè, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præscientia Dei. Sunt enim filii Dei, qui nondùm sunt nobis, & sunt iam
Ioan. 11.51 & 52. Deo; de quibus ait Evangelista Ioannes, *quia Iesus moriturus erat pro gente; nec tantum pro gente, sed etiam vt filios Dei dispersos congregaret in vnum:* quod vtique credendo futuri erant per Evangelii prædicationem; & tamen antequam esset factum, iam filij Dei erant in memoriali patris sui inconcussa stabilitate conscripti. Et sunt rursùs quidam qui filii Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis; nec
1.Ioan.2.19 sunt tamen Deo. De quibus ait idem Ioannes, *Ex nobis exierũt, sed non erant ex nobis. Quod si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Non ait, *ex nobis exierunt*, sed quia non manserunt nobiscum, iam non sunt ex nobis; verùm ait, *ex nobis exierunt,*

Filij Dei quidam secundũ præsentem iustitiã quidam secundũ Dei præscientiam.

ſed non ex nobis: hoc eſt, & quandò videbantur in nobis, non erant ex nobis. Et tanquam ei diceretur, vnde id oſtendis? *Quod ſi fuiſſent*, inquit, *ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum.* Filiorum Dei vox eſt: Ioannes loquitur in filiis Dei loco præcipuo cõſtitutus. Cùm ergò filij Dei dicunt de his qui perſeverantiam non habuerant, *ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis*; & addunt, *quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum*: quid aliud dicunt, niſi non erant filij, etiam quando erant in profeſſione & nomine filiorum? Non quia iuſtitiam ſimulaverunt, ſed quia in ea non permanſerunt. Neque enim ait. *Nam ſi fuiſſent ex nobis*, veram non fictam iuſtitiam tenuiſſent vtiq; nobiſcum: ſed, *ſi fuſſent*, inquit, *ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum*. In bono illos volebat proculdubio permanere. Erant itaque in bono, ſed quia in eo non permanſerunt, id eſt, non vſque in finem perſeveraverunt, *non erant*, inquit, *ex nobis*; & quandò erant nobiſcum; hoc eſt, non erant ex numero filiorum, & quandò erant in fide filiorum: quoniam qui verè filij ſunt, *præſciti & prædeſtinati ſunt conformes imaginis filij eius*, & *ſecundum propoſitum vocati ſunt* vt electi eſſent. *Non* enim *pertis filius promiſſionis*, ſed *filius perditionis*. Fuerunt ergò iſti ex multitudine vocatorum; ex electorum autem paucitate non fuerunt. Igitur filiis ſuis non prædeſtinatis Deus perſeverantiam non dedit; haberent enim eam ſi in eo filiorum numero eſſent: & *quid haberent quod non accepiſſent*, ſecundùm apoſtolicam veramque ſententiam? Ac per hoc tales filij filio Chriſto dati eſſent, quemadmodùm ipſe dicit ad patrem, *vt omne quod dediſti mihi, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Hi ergò Chriſto intelliguntur dari, qui *ordinati ſunt in vitam æternam*. Ipſi ſunt illi *prædeſtinati*, & *ſecundum propoſitum vocati*, quorũ nullus perit. Ac per hoc nullus eorũ ex bono in malũ mutatus finit hãc vitã, quoniã ſic eſt ordinatus, & ideò Chriſto datus *vt non pereat, ſed habeat vitã æternam*. Et rurſùs quos dicimus inimicos eius, vel parvulos filios inimicorũ eius, quoſcunq; eorũ ſic regeneraturus eſt, vt in ea *fide quæ per dilectionem operatur*, hanc vitam finiant; iam & antequam hoc fiat, in illa prædeſtinatione ſunt filij eius, & dati ſunt Chriſto filio eius, *vt non pereant, ſed habeant vitam æternam*. Denique ipſe ſalvator, *Si manſeritis*, inquit, *in verbo meo, verè diſcipuli mei eſtis*. Nunquid in his computandus eſt Iudas, qui non manſit in verbo eius? Nunquid

Reprobi veram habent ad tempus iuſtitiam, etiamſi in ea non perſeverant.

Dari Chriſto qui intelliguntur.

Rom. 8. 29. & 28.

Ioan. 17. 12

Mat. 20. 16

1. Cor. 4. 7.

Ioan. 6. 39.

Ioan. 8. 31.

in

in his computandi sunt illi, de quibus Evangelium sic loquitur, vbi Dominus cùm commendasset manducandam carnẽ suam, & bibendum sanguinem suum, ait Evangelista, *Hæc dixit*
Ioan. 6 54. 60. & seq. *in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergò audientes ex discipulis eius dixerunt; Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis, Hoc vos scandalizat? Si ergò videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt: sciebat enim ab initio Iesus qui essent credentes, & quis traditurus esset eum, & dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retrò, & iam non cũ illo ambulabant.* Nunquid non & isti discipuli appellati sunt loquente Evangelio, & tamen non erant verè discipuli, quia
Ioan. 8. 31. non manserunt in verbo eius, secundùm id quod ait, *Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei estis.* Quia ergò non habuerunt perseverantiam, sicut non verè discipuli Christi, ita nec verè filii Dei fuerunt, etiam quandò esse videbantur, & ita vocabantur. Appellamus ergò eos & electos Christi discipulos & Dei filios, quia sic appellandi sunt, quos regeneratos piè vivere cernimus; sed tunc verè sunt quod appellantur, si manserint in eo propter quod sic appellantur. Si autem perseverantiam non habent, id est in eo quod cœperunt esse non manent, non verè appellantur quod appellantur, & non sunt: apud eum enim hoc non sunt cui notum est quod futuri sunt, id est ex bonis mali. Propter hoc Apostolus cùm dixisset,
Rom. 8. 28. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: sciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono vsque in finem non permanere, mox addidit, *his qui secundum propositum vocati sunt.* Hi enim in eo quod diligunt Deum, permanent vsque in finẽ; & qui ad tẽpus indè deviant, reverruntur vt vsque in finem perducant, quod in bono esse cœperunt. Ostendens autem quid sit *secundum propositum vocari*, mox addidit ea quæ iã
Ibid. 29 & 30. supra posui: *Quoniam quos ante præscivit, & prædestinavit conformes imaginis filii eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, illos & vocavit*, scilicet secundùm propositum: *quos autem vocavit, ipsos & iustificavit; quos autem iustificavit, ipsos & glorificavit.* Illa omnia iam facta sunt, *præscivit, prædestinavit, vocavit, iustificavit*: Quoniam & omnes iam præ-

Discipuli Christi duobus modis dicti.

Secundum propositum vocari, quid

citi ac prædestinati sunt, & multi iam vocati atque iustificati. Quod autem posuit in fine, *illos & glorificavit*, (siquidem illa gloria est hic intelligenda, de qua idem dicit, *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria*) nondùm factum est, quamvis & illa duo, id est *vocavit* & *iustificavit*, non in omnibus facta sint, de quibus dicta sunt. Adhuc enim vsque in finem seculi multi vocandi & iustificandi sunt; & tamen verba præteriti temporis posuit de rebus etiam futuris, tanquam iam fecerit Deus, quæ iam vt fierent ex æternitate dispositum. Ideò de illo dicit & Propheta Esaias *qui fecit quæ futura sunt*. Quicunq; ergò in Dei providentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, iustificati, glorificati sunt, non dico etiam nondùm renati, sed etiam nondùm nati, iam filii Dei sunt, & omninò perire non possunt. Hi verè veniunt ad Christum; quia ita veniunt quomodò ipse dicit, *Omne quod dat mihi pater ad me veniet; & eum qui venit ad me, non eiciam foras*. Et paulòpòst, *Hæc est*, inquit, *voluntas eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo*. Ab illo ergò datur etiam perseverantia in bono vsque in finem: neque enim datur, nisi eis qui non peribunt, quoniam qui non perseverant peribunt. Talibus Deus *diligentibus eum omnia cooperatur in bonum*, vsque adeò prorsùs *omnia*, vt etiam si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. Discunt enim in ipsa *via iusta cum tremore se exultare* debere, non sibi arrogando tanquam de sua virtute fiduciam permanendi, nec *dicendo in abundantia sua, non movebimur in æternum*; propter quod eis dicitur, *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*. Neque enim ait, & ne veniatis ad viam iustam; sed, *ne pereatis*, inquit, *de via iusta*: quid ostendens, nisi eos esse commonitos, qui iam ambulant in *via iusta*, vt *in timore Deo serviant*, id est *non altum sapiant, sed timeant*? Quod significat, non superbiant, sed humiles sint: vndè & alibi dicit, *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes*: exultent Deo, sed cum tremore, *in nullo gloriantes, quando nostrum nihil sit, vt qui gloriatur, in domino glorietur: Ne pereant de via iusta*, in qua iam ambulare cœperũt, dum sibi hoc ipsum assignant, quod in ea sunt. His verbis vsus est & Apostolus, vbi ait, *Cum timore & tremore vestram ipsorum sa-*

Esa. 45. iuxta 70.

Coloss. 3.

Ioan 6. 37.
Ibid. 39.

Psal. 29. 7.
Psal. 2. 11. & 12.

Rom. 11. 20
Rom. 12. 16

Hier. 9. 23. & 24.

Philip. 2. 12

Præteritipro futuri temporis verbis cur scriptura vtatur.

Serviendum Domino in timore, & exultandum in tremore quid, & quare.

Ibid. 13. *salutem operamini.* Et ostendens quare *cum timore & tremore*, ait, *Deus est enim*, inquit, *qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.* Non enim habebat hunc *timorem & tremorem*, qui *dicebat in abundantia sua, non movebor in aeternum:* sed quia filius erat promissionis, non perditionis, expertus Deo paululũ

Psal. 29. 7. *Ab exemplo Davidis.*

Ibid 8. deferente quid esset ipse, *Domine* inquit, *in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem; Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Ecce doctior, & ob hoc etiam humilior, tenuit viam iam videns & confitens in voluntate sua, *Deum decori eius praestitisse virtutem*, quod sibiipsi tribuens & de se praesumẽs in tali abundantia quam praestiterat Deus, non de illo qui eã praestiterat dicebat, *non movebor in aeternum. Factus est* ergò *conturbatus*, vt se inveniret, & humiliter sapiens, non solùm aeternæ vitæ, verùmetiam in hac vita piæ conversationis & perseverantiæ, in quo spes habenda esset, addisceret. Hæc vox &

Ioan. 13. 37 Apostoli Petri esse potuit: *dixerat* quippe & ipse *in abundantia sua, Animam meam pro te ponam*; sibi festinando tribuens, quod ei fuerat à domino posteà largiendum. *Auertit* autem *ab illo faciem dominus, & factus est conturbatus*, ita vt eum mori pro illo metuens, ter negaret. Sed rursùs convertit ad eum faciem suam dominus, & culpam lachrymis diluit. Quid est enim

Luc. 22. 61. aliud, *Respexit eum*; nisi faciem suam quam paululùm ab illo averterat, revocavit ad eum? *Factus* ergo *fuerat conturbatus.* Sed quia didicit non de seipso fidere, etiam hoc ei profecit in bonum, faciente illo qui *diligentibus eum omnia cooperatur in bonum*; quia *secundum propositum vocatus erat*, vt nemo eum posset eripere de manu Christi, cui datus erat. Nemo ergò dicat, non esse corripiendum qui exorbitat de via iusta, sed ei reditum & perseverantiam a domino tantùm esse poscendam: nemo prudens & fidelis hoc dicat. Si enim *secundùm propositum vocatus est* iste, proculdubio illi etiam quod corripitur, *Deus cooperatur in bonum.* Vtrùm autem sic sit vocatus, quoniam qui corripit nescit, faciat ipse cum charitate quod scit esse faciendum: scit enim talem corripiendum, facturo Deo aut misericordiam, aut iudicium. Misericordiam quidem, si à massa perditionis ille qui corripitur, gratiæ largitate discretus est, &

Rom. 9. 22 & 23. non est inter *vasa iræ* quæ *perfecta* sunt *in perditionem*, sed inter *vasa misericordiæ quæ praeparauit Deus in gloriam.* Iudicium verò, si in illis est damnatus, in his non est prædestinatus.

Abexemplo Petri.

Petrum quo sensu Christus respexerit.

CAPVT X.

HInc exoritur alia quæstio non sanè contemnenda, sed in adiutorio domini, in cuius manu sunt & nos & sermones nostri, aggredienda atque solvenda. Quæritur enim à nobis, quantùm attinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseverare vsque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus, qui certè sine vllo vitio factus est rectus. Nec dico, si perseverantiã non habuit, quomodo sine vitio fuit, cui tamẽ necessarium Dei donum defuit. Huic namque interrogationi facilè respondetur, eum perseverantiam non habuisse; quia in eo bono, quo sine vitio fuit non perseveraverit: cœpit enim habere vitium ex quo cecidit; & si cœpit, antequam cœpisset, vtiq; sine vitio fuit. Aliud est enim non habere vitiũ, & aliud est in ea bonitate, in qua nullum vitium est, non manere. Eo quippè ipso quod non dicitur nunquam sine vitio fuisse, sed dicitur sine vitio non permansisse, proculdubio demonstratur sine vitio fuisse, in quo bono non permansisse culpatur. Sed illud magis quærendum operosiusq; tractandum est, quomodò respondeamus eis, qui dicunt: Si in illa rectitudine in qua sine vitio factus est, habuit perseverantiam, proculdubio perseveravit in ea. Et si perseveravit, vtique non peccavit, nec illam suam rectitudinem Deumque deseruit. Eum autem peccasse, & desertorem boni fuisse, veritas clamat. Non ergò habuit in illo bono perseverantiam, etsi non habuit, non vtiq; accepit. Quomodò enim & accepisset perseverantiam, & non perseverasset? Porrò si propterea non habuit quia non accepit quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Neque enim dici potest ideò non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratiæ largitate. Nondùm quippè erat illa in genere humano perditionis massa antequã peccasset, ex quo tracta est origo vitiata. Quapropter saluberrimè confitemur, quod rectissimè credimus, Deum dominumque rerum omnium qui creavit omnia *bona valde*, & mala ex bonis exoritura esse præscivit, & scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis benè facere, quàm mala esse non sinere; sic ordinasse angelorum & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet quid posset eorum

Quæstio. An primo homini datum fuerit perseverantiæ donũ.

Responsio.

Quæstio altera. Quomodo peccaverit Adam non perseverãdo, si perseverãtiæ donum non accepit.

Responsio.

rum liberum arbitrium; deindè quid posset suæ gratiæ beneficium iustitiæq; iudicium. Denique Angeli quidam, quorum princeps est qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium à domino Deo refugæ facti sunt. Refugientes tamen eius bonitatem quâ beati fuerunt, non potuerunt eius effugere iudicium, per quod miserrimi effecti sunt. Cæteri autem per ipsum liberum arbitrium *in veritate steterunt*, eamq; de suo casu nunquàm futuro certissimam scire meruerunt. Si enim nos de scripturis sanctis nosse potuimus sanctos angelos iã nullos esse casuros, quantò magis hoc ipsi revelata sibi sublimiùs veritate noverunt? Nobis quippè beata sine fine vita promissa est, & æqualitas angelorum. Ex qua promissione certi sumus, cùm ad illam vitam post iudicium venerimus, non indè nos esse lapsuros: quod si de seipsis angeli nesciunt, non æquales, sed beatiores erimus. Veritas autem nobis eorum promisit æqualitatem. Certum est igitur hoc eos nosse per speciem, quod nos per fidem, nullam scilicet iam ruinam cuiusquam sancti angeli futuram. Diabolus verò & angeli eius, etsi beati erant antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant; erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium *in veritate stetissent*, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquàm præmium ipsius permansionis acciperent, id est, vt magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere vlteriùs omninò non possent, & hoc de se certissimè nossent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant; sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine vllo vitio fruebantur. Nam si suum casum futurum nossent æternumq; supplicium, beati vtiq; esse non possent, quos huius tanti mali metus iam tunc miseros esse compelleret. Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis sui futuri casus ignarum, tamen ideò beatum, quia & non mori, & non miserũ fieri in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recto ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine vllo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illam meritò huiusmodi permansionis, beatitudinis plenitudinem, qua & sancti angeli sunt beati, id est, vt cadere non posset vlteriùs, & hoc certissimè sciret. Nam neq; ipse posset etiam in paradiso beatus esse; imò ibi non esset, vbi esse mi-

Angeli per liberum arbitrium steterunt.

De sua perseverantia sunt securi.

Mat. 22. 30

Dæmones ante lapsum quodammodo beati.

Beatitudinis plenitudo.

Dæmones futuri casus sui fuerunt ignari.

Primus homo per liberum suum arbitrium stare & ipse potuit.

Digitized by Google

Primus homo futuri casus sui præscius non fuit,

ſerum non deceret, ſi eum ſui caſus præſcientia timore tanti mali miſerum faceret. Quia verò per liberum arbitrium Deũ deleruit, iuſtum iudicium Dei expertus eſt, vt cum tota ſua ſtirpe quæ in illo adhuc poſita, tota cum illo peccaverat, damnaretur. Quotquot enim ex hac ſtirpe gratia Dei liberantur, à damnatione vtiq; liberantur, qua iam tenentur obſtricti: vndè etiam ſi nullus liberaretur, iuſtum Dei iudicium nemo iuſtè reprehenderet. Quòd ergò pauci in comparatione pereuntium, in ſuo verò numero liberantur multi, gratia fit, gratis fit, gratiæ ſunt agendæ quia fit, ne quis velut de ſuis meritis extollatur, ſed *omne os obſtruatur, & qui gloriatur in domino glorietur.* *Rom. 3. 19. Hier 9. 23. & 24.*

CAPVT XI.

Diſtinctio gratiæ ante & poſt lapſum datæ.

QVid ergò? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, ſed diſparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate ſui conditoris acceperat. Neque enim ea bona & ille ſuis meritis comparaverat, in quibus prorsùs nullum patiebatur malum. Sancti verò in hâc vitâ ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis ſunt, ex quibus clamant ad Deum. *Libera nos à malo.* Ille in illis bonis Chriſti morte non eguit; iſtos à reatu & hæreditario & proprio, illius agni ſanguis abſolvit. Ille non opus habebat eo adiutorio, quod implorant iſti cùm dicunt, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum* quoniã in eis *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnẽ,* atque in tali certamine laborantes ac periclitantes, dari ſibi pugnandi vincendiq; virtutem per Chriſti gratiam poſcunt. Ille verò nullâ tali rixa à ſeipſo adverſus ſeipſum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco, ſua ſecum pace fruebatur. Proindè etſi non interim lætiore nunc, veruntamẽ potentiore gratia indigent iſti: & quæ potentior quã Dei vnigenitus filius, æqualis patri, & coæternus pro eis *homo factus*, & ſine vllo vel originali vel proprio peccato ab hominibus peccatoribus crucifixus? Qui quãvis die tertio reſurrexit, nũquã moriturus vlteriùs, pertulit tamẽ pro mortalibus mortẽ, qui mortuis præſtitit vitam, vt redempti eius ſanguine, tanto ac tali

Adam ante lapſũ Chriſti ſanguine nõ indiguit.

Mat. 6. 13.

Rom 7. 23. 24. & 25.

Gal. 5. 17.

Rom. 8. 31. & 32. tali pignore accepto dicerent, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non & cum illo omnia nobis donauit?* Deus ergò naturam nostram, id est, animam rationalem carnemque hominis Christi susceptit, susceptione singulariter mirabili vel mirabiliter singulari, vt nullis iustitiæ suæ præcedentibus meritis filius Dei sic esset ab initio quo esse homo cœpisset, vt ipse & verbum quod sine initio est, vna persona esset. Neque enim quisquam tantâ rei huius & fidei cœcus est ignorantiâ, vt audeat dicere quàmuis de Spiritu sancto & virgine Maria filium homiuis natum, per liberum tamen arbitrium benè viuendo, & sine peccato bona opera faciendo meruisse, vt esset Dei filius, resistente Euangelio atque dicente, *Verbum caro factum est.* Nam vbi hoc factum est, nisi in vtero virginali, vnde fuit initium hominis Christi? Itemque virgine requirente, quomodò fieret quod ei per angelum nunciabatur, angelus respondit, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Propterea*, inquit, non propter opera, quæ nondum nati vtique nulla sunt; sed *propterea* quia *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Ista natiuitas profectò gratuita coniunxit in vnitate personæ hominem Deo, carnem verbo. Istam natiuitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt. Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in vnitatem personæ à verbo deo natura humana susceptа, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cùm ista susceptio talis esset, vt natura hominis adeo ita susceptа, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret. Per hunc *mediatorem* Deus ostendit eos quos eius sanguine redemit, facere se ex malis deinceps in æternum bonos, quem sic susceptit, vt numquam esset malus, ne ex malo factus semper esset bonus.

Ioan. 1. 14.

Luc. 1. 35.

Hæc fuit posteà Nestoriano-rum hæresis.

Istam gratiam non habuit homo primus, quâ nunquàm vellet esse malus: sed sanè habuit in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset; sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergò deus esse voluit sine sua gratiâ, quam reliquit in eius libero arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono: quod adiutorium si

Primus homo ex eo quod in creatione acceperat, potuisset perseuerare.

homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit, & desertus est. Tale quippè erat adiutorium quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet; non quo fieret vt vellet. Hæc prima est gratia quæ data est primo Adam; sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim qua fit, vt habeat homo iustitiam si velit; secunda ergò plus potest, qua etiam fit vt velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parua erat qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij; quoniam sic adiuuabatur, vt sine hoc adiutorio in bono non maneret, sed hoc adiutorium si vellet desereret. Hæc autem tantò maior est, vt parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit; nisi etiam efficiatur vt velit. Tunc ergò dederat homini deus bonam voluntatem; in illa quippè eum fecerat qui fecerat rectum. Dederat & adiutorium sine quo in ea non posset permanere si vellet; vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet, quia non deerat adiutorium per quod posset, & sine quo non posset perseuerantèr bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est; cuius meritum fuisset, si permanere voluisset; sicut fecerunt angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per liberum arbitrium steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros. Si autem hoc adiutorium vel angelo vel homini quum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet, non vtique sua culpa cecidissent. Adiutorium quippè defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum, & tantò amplius datur *per Iesum Christum dominum nostrum*, quibus id dare deo placuit, vt non solùm adsit, sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus; verumetiam tantum ac tale sit, vt velimus. Est quippè in nobis per hanc dei gratiam in bono recipiendo & perseueranter tenendo, non solum posse quod volumus, verumetiam velle

Potentior est gratia quà Christiani accipiunt, quam quæ Adæ fuit collata.

Dona gratiarū Adæ in creatione collata.

velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo; vnum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque vt reciperet bonum, gratiâ non egebat, quia nondum perdiderat: vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset: & acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quod posset; nam si habuisset, perseuerasset. Posset enim perseuerare etiam si vellet: quod vt nollet, de libero descendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, vt benè velle posset & malè. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quandò non poterit seruire peccato, quæ futura erat & homini, sicut facta est & angelis sanctis merces meriti? Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.

Liberrimum tūc erit arbitrium, cum peccato seruire non poterit.

CAPVT XII.

QVapropter bina ista quid inter se differant, diligenter & vigilanter intuendum est; posse non peccare, & non posse peccare; posse non mori, & non posse mori; bonum posse non deserere, & bonum non posse deserere. Potuit enim non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere. Nunquid dicturi sumus, non potuit peccare qui tale habebat liberum arbitrium? Aut non potuit mori, cui dictum est, *Si peccaueris, morte morieris*? Aut non potuit bonum deserere, cùm hoc peccando deseruerit, & ideò mortuus sit? Prima ergò libertas voluntatis erat, posse non peccare; nouissima erit multò maior, non posse peccare. Prima immortalitas erat posse non mori: nouissima erit multò maior, non posse mori. Prima erat perseuerantiæ potestas, bonum posse nō deserere; nouissima erit fœlicitas perseuerantię, bonum non posse deserere. Nunquid quia erunt bona nouissima potiora atque meliora, ideò fuerunt illa prima vel nulla vel parua? Itemque ipsa adiutoria distinguenda sunt. Aliud est adiutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adiutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus viuere, nec tamen cùm affuerint alimenta, eis fit vt viuat qui mori voluerit. Ergo adiutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit vt viuamus. At verò beatitudo quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adiutorium est enim non solùm sine quo non fit, verum-

Posse non peccare, mori, bonum deserere; & non posse peccare, mori, bonum deserere, quid differant

Duplex libertas, immortalitas, perseuerantia.

Adiutorium sine quo aliquid non fit, & quo aliquid fit.

etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adiutorium & quo fit est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus; & si data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt vt homo viuat, sed tamen sine illis non potest viuere.

Perseuerantiæ adiutorium quale sit primo homini datum.

Primo itaque homini qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum nõ deserere; datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitriũ perseuerare non posset. Nunc verò sanctis in regnum dei per gratiam dei prædestinatis, nõ tantum tale adiutoriũ perseuerantiæ datur; sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur, non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verumetiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. Nõ solùm enim dixit, *Sine me nihil potestis facere*; verumetiam dixit, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Quibus verbis eis non solùm iustitiam, verùm etiam in illa perseuerantiam se dedisse monstrauit. Christo enim sic eos ponente *vt eant & fructum afferant, & fructus eorum maneat*; quis audeat dicere, forsitan non manebit? *Sine pœnitentia sunt enim dona & vocatio dei*; sed vocatio eorum *qui secundum propositum vocati sunt.* Pro his ergò interpellante Christo *ne deficiat fides eorum*; sine dubio non deficiet vsque in finem; ac per hoc perseuerabit vsquè in finem, nec eam nisi manentem vitæ huius inueniet finis. Maior quippè libertas est necessaria aduersus tot & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt, dono perseuerantiæ munita atque firmata, vt cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus; hoc sanctorum martyria docuerunt. Denique ille Adam & terrente nullo, & insuper contra dei terrentis imperium libero vsus arbitrio, non stetit in tanta fœlicitate, in tanta non peccandi facilitate. Isti autem non dico terrente mundo, sed sæuiente ne starent, steterunt in fide, cùm videret ille bona præsentia quę fuerat relicturus; isti futura quæ accepturi fuerant non viderent. Vndè hoc, nisi donante illo à quo misericordiam consecuti sunt vt fideles essent; à quo acceperunt *spiritum non timoris*, quo persequentibus cederent, *sed virtutis & charitatis & continentiæ*, quo cuncta minantia, cuncta inuitantia, cuncta cruciantia superarent? Illi ergo sine peccato vllo data est, cum

Ioan. 5. 5.

Ibid. 16.

Rom. 11. 29.

Maior nunc & potentior sanctorũ quam Adæ in primo illo statu libertas.

1. Tim. 1. 5. 2. Tim. 1. 7.

cum qua conditus est, voluntas libera, & eam fecit seruire peccato: horum verò cùm fuisset voluntas serua peccati, liberata est per illum, qui dixit, *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Et accipiunt tantam per istam gratiam libertatem, vt quàmuis quàmdiu hic viuunt, pugnent contra concupiscẽtias peccatorum, eisque nonnulla surrepant, propter quæ dicant quotidie, *Dimitte nobis debita nostra*; non tamen vltrà seruiant peccato quod est ad mortem, de quo dicit Ioannes Apostolus: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* De quo peccato quoniam nõ expressum est, possunt multa & diuersa sentiri: ego autem dico id esse peccatum, *fidem qua per dilectionem operatur*, deserere vsque ad mortem. Huic peccato vltrà non seruiunt, non prima conditione, sicut ille, liberi, sed per secundum Adam dei gratia liberati; & ista liberatione habentes liberum arbitrium quo seruiant deo, non quo captiuentur à diabolo. *Liberati* enim *à peccato, serui facti sunt iustitiæ*, in qua stabunt vsque in finem, donante sibi illo perseuerantiam, qui *eos præscimt & prædestinauit, & secundum propositũ vocauit & iustificauit & glorificauit*, quoniã illa quæ his promisit, etiam futura iam fecit, cui promittenti *credidit Abraham, & deputatum est illi ad iustitiam. Dedit* enim *gloriam deo plenissimè credens*, sicut scriptũ est, *quia quæ promisit, potens est & facere.* Ipse ergo illos bonos facit, vt bona faciant. Neq; enim propterea eos promisit Abrahæ, quia præsciuit à seipsis bonos futuros. Nam si ita est, nõ suum, sed eorum est quod promisit. Nõ autẽ sic *credidit Abraham*; sed, *non est infirmatus in fide, dans gloriam deo, & plenissimè credens, quia quæ promisit deus, potens est & facere.* Non ait, quæ præsciuit, potens est promittere; aut, quæ prędixit, potens est ostendere; aut, quæ promisit, potens est præscire; sed, *quæ promisit, potens est & facere.* Ipse ergo eos facit perseuerare in bono, qui facit bonos. Qui autem cadunt & pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt. Quàmuis ergo de omnibus regeneratis & piè viuentibus loqueretur Apostolus, dicens, *Tu quis es qui iudices seruum alienum? suo domino stat aut cadit:* continuò tamen respexit ad prædestinatos, & ait, *Stabit autem*, & ne hoc sibi arrogarent, *Potens est enim deus*, inquit, *statuere eum.* Ipse itaque dat perseuerantiam, qui statuere potens est eos qui stant, vt perseuerantissimè stent, vel restituere qui ceciderint: *Dominus* enim *erigit elisos.* Vt ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono

Peccatũ ad mortem, quid

Ioan. 8. 36

Mat. 6. 12.

1. Ioan. 5 16.

Rom. 6. 18.

Rom. 4. 3 Ibid. 20. & 21.

Rom. 14. 4.

Psal. 145

perseuerantiam primus homo, sed perseuerare vel non perseuerare, in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ sine vllo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, vt dignè tantæ bonitati & benè viuendi facilitati, perseuerandi committeretur arbitrium: deo quidem præsciente quid esset facturus iniustè; præsciente tamen, non ad hoc cogente; sed simul sciente quid de illo ipse faceret iustè. Nunc verò posteàquàm est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas. Placuit enim deo quò maximè humanæ superbiam præsumptionis extingueret, *vt non glorietur omnis caro coram ipso*, id est, omnis homo. Vndè autem *non glorietur caro coram ipso*, nisi de meritis suis? quæ quidem potuit habere, sed perdidit: & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium, propter quod non restat liberandis nisi gratia liberantis. Ita ergò *non gloriatur omnis caro coram ipso.* Non enim gloriantur iniusti, quia non habent vndè; nec iusti, quia ex ipso habent vndè; nec habent gloriam suam nisi ipsum, cui dicunt, *Gloria mea & exaltans caput meum.* Ac per hoc ad omnem hominem pertinet quod scriptum est, *Vt non glorietur omnis caro coram ipso.* Ad iustos autem illud, *Qui gloriatur, in domino glorietur.* Hoc etiam Apostolus apertissimè ostendit, qui cùm dixisset, *vt non glorietur omnis caro coram ipso*; ne putarent sancti sine gloria se remansisse; mox addidit, *Ex ipso autem vos estis in Iesu Christo, qui factus est nobis sapientia à deo & iustitia, & sanctificatio & redemptio, vt quemadmodum scriptum est qui gloriatur, in domino glorietur.* Hinc est quòd in hoc loco miseriarum, vbi *tentatio est vita humana super terram, virtus in infirmitate perficitur*: quæ *virtus*, nisi *vt qui gloriatur, in domino glorietur*? Ac per hoc nec de ipsa perseuerantia boni voluit deus sanctos suos in viribus suis, sed *in ipso gloriari*: qui eis non solùm dat adiutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint perseuerare si velint; sed *in eis* etiam *operatur & velle*: vt quoniam non perseuerabunt, nisi & possint & velint, perseuerandi eis possibilitas & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippè Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, vt ideò possint, quia sic volunt; ideò sic velint, quia deus operatur vt velint: nam si in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen

1. Cor. 1. 29.

Psal. 3. 4.

1. Cor. 1. 31.

Ibid. 32.

Hier. 9. 23 & 24. Iob. 7. 1.

2. Cor. 12. 9.

tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio dei, sine quo perseuerare non possent, manerent si vellent, nec deus in eis operaretur vt vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & idcò perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent; aut non ita vellent infirmitate voluntatis, vt possent. Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & idcò quàmuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Ita factum est, vt voluntas hominis inualida & imbecilla, in bono adhuc paruo perseueraret per virtutem dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & sana, in bono ampliore non perseuerauerit, habens virtutem liberi arbitrij; quàmuis non defuturo adiutorio dei, sine quo non posset perseuerare si vellet; non tamen tali quo in illo deus operaretur vt vellet. Fortissimo quippè dimisit atque permisit facere quod vellet; infirmis seruauit, vt ipso donante inuictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere inuictissimè nollent. Dicente ergò Christo, *Rogaui pro te ne deficiat fides tua*, intelligamus ei dictum, qui ædificatur super petram. Atque ita homo dei non solùm quia *misericordiam consecutus est* vt fidelis esset; verumetiam quia fides ipsa non deficit; *qui gloriatur, in domino glorietur.*

Diuina gratia potentia in imbecilla hominis voluntate inter tot aduersa, gubernãtis ac sustentantis.

Luc. 22. 32.

CAPVT XIII.

HÆc de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum dei, quorum ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis; non de his, qui cùm *annunciasset & locutus esset, multiplicati sunt super numerum.* Ipsi autem *vocati* dici possunt, non autem *electi*, quia *non secundum propositum vocati.* Certum verò esse numerum electorum, neque augendum neque minuendum, quàmuis & Ioannes Baptista significet, vbi dicit, *Facite ergò dignum fructum pœnitentiæ: & nolite dicere apud vosmetipsos, Patrem habemus Abraham. Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ:* vt ostendat sic istos esse amputandos si non fecerint fructum, vt non desit numerus qui promissus est Abrahæ: tamen apertiùs in Apocalypsi dicitur, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronã tuam.* Si enim alius non est accepturus nisi iste perdiderit; certus

Certus est ita electorum numerus vt ei nec addi quisquam, nec detrahi possit.

Psal. 39. 6.

Matt. 3. 8. & 9.

Apoc. 3. 11.

Occupatio.

certus est numerus. Quòd autem etiam perseueraturis sanctis sic ista dicuntur, quasi eos perseueraturos habeatur incertum, non aliter hæc audire debent, quibus expedit *non altum sapere, sed timere.* Quis enim ex multitudine fidelium, quàmdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat, quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per satanæ angelum ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus. Hinc & Apostolis dicebatur, *Si manseritis in me*: dicente illo qui illos vtique sciebat esse mansuros. Et per Prophetam, *Si volueritis & audieritis me*: cùm sciret ipse *in quibus operaretur & velle.* Et similia multa dicuntur. Nam propter huius vtilitatem secreti, ne fortè quis extollatur, sed omnes etiam qui benè currunt timeant, dum occultum est qui perueniant: propter huius ergo vtilitatem secreti credendum est quosdam de *filijs perditionis*, non accepto dono perseuerandi vsque in finem; in *fide, quæ per dilectionem operatur*, incipere viuere, & aliquamdiu fideliter ac iustè viuere, & posteà cadere, neque de hac vita priusquam hoc eis contingat, auferri. Quorum si nemini contigisset, tamdiu haberent homines istum saluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Christi gratiam quâ piè viuitur, peruenirent, deinceps iam securi nunquàm se ab illo esse casuros. Quæ præsumptio in isto tentationum loco non expedit, vbi tanta est infirmitas, vt superbiam possit generare securitas. Denique etiam hoc erit; sed tunc, quod iam est in angelis, etiam in hominibus erit, quandò vlla superbia esse non poterit. Numerus ergò sanctorum per dei gratiam dei regno prædestinatus, donatâ sibi etiam vsque in finem perseuerantiâ, illuc integer perducetur, & illic integerrimus iam sine fine beatissimus seruabitur, adhærente sibi misericordia saluatoris sui, siue cùm conuertuntur, siue cum præliantur, siue cùm coronantur. Nam & tunc esse illis dei misericordiam necessariam sancta Scriptura testatur, vbi sanctus Dauid de domino deo suo dicit animæ suæ, *qui coronat te in miseratione & misericordia.* Dicit etiam Iacobus Apostolus, *Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam*: vbi ostendit etiam in illo iudicio, in quo iusti coronantur, iniustique damnantur, alios cum misericordia, alios sine misericordia iudicandos. Propter quod etiam mater Machabæorum filio suo dicit, *vt in illa miseratione*

Nemo de salute & prædestinatione sua certus & securus.

Quo cõsilio Deus perseueraturis, etiam non perseueraturos in adepta iustitia, interdum permiscuit.

Quantũ præsumptionis & elationis periculũ.

Etiam in iudicio necessaria nobis erit misericordia.

Rom. 11. 20.

2 Cor. 13. 7.

Ioan. 15. 7.

Esaiæ 1. 19.

Psal. 102. 4.

Iacob. 2. 13.

2. Mac. 7. 29.

Prou. 20. 8. & 9. ux 10. *seratione cum fratribus tuis te recipiam. Cùm enim rex iustus, sicut* scriptum est, *sederit in throno, non aduersabitur ante eum omne malum. Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato?* Ac per hoc etiam ibi dei misericordia est, qua fit *beatus, cui non imputauit dominus peccatum*: sed tunc pro bonorum operum meritis iusto iudicio etiam ipsa misericordia tribuetur. Cùm enim dicitur, *Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam*: manifestatur in his in quibus inueniuntur bona opera misericordiæ, iudicium cum misericordia fieri; ac per hoc etiam ipsam misericordiam meritis bonorum operum reddi. Non sic est nunc, quando non solùm nullis bonis, sed etiam multis malis operibus præcedentibus, *misericordia eius peruenit hominem* vt liberetur à malis, & quæ fecit, & quæ facturus fuerat, nisi dei gratia regeneraretur, & quæ passurus fuerat in æternum, nisi *eueretur à potestate tenebrarum, & transferretur in regnum filij charitatis dei.* Verùmtamen quia & ipsa *vita æterna*, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo *gratia dei* dicitur, cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur; sine vlla dubitatione confitendum est ideò *gratiam vitam æternam* vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Rectè quippè ipsa intelligitur, quæ in Euangelio legitur, *Gratia pro gratia*, id est pro his meritis quæ contulit gratia. Hi verò qui non pertinent ad hunc prædestinatorum numerum, quos dei gratia siue nondum habentes vllum liberum suę voluntatis arbitrium, sine cum arbitrio voluntatis, ideò verè libero, quia per ipsam gratiam liberato, perducit ad regnum: Hi ergo qui non pertinent ad istum certissimum & felicissimum numerum, pro meritis iustissimè iudicantur: aut enim iacent sub peccato quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum; aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt: arbitrium, inquam, liberum, sed non liberatum, liberum iustitię, peccati autem seruum, quo voluuntur per diuersas noxias cupiditates, alij magis, alij minùs; sed omnes mali, & pro ipsa diuersitate diuersis supplicijs iudicandi. Aut gratiam dei suscipiunt; sed temporales sunt, nec perseuerant, deserunt & deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseuerantiæ dono, iudicio dei iusto & occulto.

Misericordia in extremo iudicio, pro bonorum operum meritis iusto iudicio pijs retribuitur

Col. ff. 1 13.

Vita æterna bonorum operum merces cum sit gratia quomodo dicatur A postol.

Rom. 6. 23.

Ioan. 1. 16.

CAPVT XIV.

PAtiantur ergò homines se corripi quandò peccant, nec de ipsa correptione contra gratiam argumententur, nec de gratia contra correptionem ; quia & peccatis iusta pœna debetur, & ad ipsam pertinet iusta correptio quæ medicinaliter adhibetur, etiam si salus ægrotantis incerta est. Vt si is qui corripitur, ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum, si autem non pertinet, sit correptio pœnale tormentum. Sub isto ergò incerto ex charitate adhibenda est, cuius exitus ignoratur; & pro illo cui adhibetur, orandum est vt sanetur. Cum autem homines per correptionem in viam iustitiæ seu veniant seu reuertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris atque arbustulis operante *dat incrementum Deus*, cui volenti saluum facere, nullum hominis resistit arbitrium ? Sic enim velle vel nolle in volentis, aut nolentis est potestate ; vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult. Et quod scriptum est, quòd *vult omnes homines saluos fieri*; nec tamen omnes salui fiunt, multis quidem modis intelligi potest, ex quibus in alijs opusculis nostris aliquos commemorauimus : sed hic vnum dicam, ita dictum est, *Omnes homines vult saluos fieri*, vt intelligantur omnes prædestinati; quia omne genus hominum in eis est, sicut dictum est pharisæis, *Decimatis omne olus*; vbi non est intelligendum nisi omne quod habebant: neque enim omne olus quod erat in toto terrarum orbe, decimabant. Secundum istum locutionis modum, dictum est, *Sicut & ego omnibus per omnia placeo*. Nunquid enim qui hoc dixit, placebat etiam tam multis persecutoribus suis? Sed placebat omni generi hominum quod Christi congregabat Ecclesia, siue iam intus positis, siue introducendis in eam. Non est itaque dubitandum, voluntati dei, *qui in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit*, & *qui* etiam illa *quæ futura sunt fecit*, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit. Nisi fortè (vt ex multis aliqua commemorem) quando Deus vo-

Correptioni cum iungenda oratio.

Omnes homines quo modo Deus saluos fieri velit.

1. Tim. ii. 4.

Luc. ii. 42.

1. Cor. 10. 33.

Psal. 134. 6.

Esaiæ 43 iuxta 70

luit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere

subdere se memorato viro, siue non subdere, quod vtique in eorum erat positum voluntate, vt etiam deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quò placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Sic enim scriptum est, *Et dimisit Samuel populum, & abijt vnusquisque in locum suum, & Saul abijt in domum suam in Gabaa, & abierunt potentes quorum tetigit Deus corda cum Saul. Et filij pestilentes dixerunt, nunquid saluabit nos hic? Et inhonorauerunt eum, & non attulerunt ei munera.* Nunquid aliquis dicturus est, non iturum fuisse cum Saul quemquam eorum, *quorum tetigit corda Deus* vt irent cum illo; aut ille aliquem pestilentium, quorum vt hoc facerent corda non tetigit? Item de Dauid, quem dominus in regnum successu prosperiore constituit, ita legitur, *Et ambulabat Dauid proficiens, & magnificabatur, & dominus erat cum illo.* Hoc cùm præmissum fuisset, paulò post dictum est, *Et Spiritus induit Amasai principem inter triginta, & dixit, Tui sumus Dauid, & tecum futuri filij Iesse. Pax tibi, & pax adiutoribus tuis, quia auxiliatus est tibi Deus.* Nunquid ille posset aduersari voluntati Dei, & non potiùs eius facere voluntatem, qui in eius corde operatus est per spiritum suum quo indutus est, vt hoc vellet, diceret & faceret? Item paulò post ait eadem Scriptura, *Omnes hi viri bellatores, dirigentes aciem corde pacifico venerunt in Hebron, vt constituerent Dauid super omnem Israel*: sua voluntate vtique isti constituerunt regem Dauid. Quis non videat? Quis hoc neget? Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt corde pacifico; & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit operatur. Propter quod præmisit Scriptura, *Et ambulabat Dauid proficiens, & magnificabatur, & dominus omnipotens erat cum illo.* Ac per hoc *dominus omnipotens* qui *erat cum illo*, adduxit istos vt eum regem constituerent. Et quomodò adduxit? Nunquid corporalibus vllis vinculis alligauit? Intus egit, corda tenuit, corda mouit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergò cùm voluerit reges in terra deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas, quis alius facit vt salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, vt cœlesti constituatur in regno?

1. Reg. 10 25. 26. & 2.

1. Par. 11 9.

1. Par. 12 18.

Psal. 32.

CAPVT XV.

COrripiantur itaque à præpositis suis subditi fratres correptionibus de charitate venientibus, pro culparum diuersitate diuersis, vel minoribus vel amplioribus: quia & ipsa quæ damnatio nominatur, quam facit episcopale iudicium, qua pœna in Ecclesia nulla maior est, potest, si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere atque proficere. Neque enim scimus quid contingat sequenti die: aut ante finem vitæ huius de aliquo desperandum est, aut contradici deo potest ne respiciat & det pœnitentiam, & accepto *sacrificio spiritus contribulati cordisq; contriti*, à reatu quàmuis iustæ damnationis absoluat, damnatumque ipse non damnet. Pastoralis tamen necessitas habet ne per plures serpant dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam; ab illo, cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam. Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat; sic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri. Hoc quippe fit, cùm singulos quosque vt occurrerint, cum quibus id agere valeamus, ad hoc conamur adducere, vt *iustificati ex fide pacem habeant ad Deum*, quam prædicabat etiam Apostolus, cùm dicebat, *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo reconciliari deo.* Quid est enim *ei reconciliari*, nisi *pacem ad illum habere*, propter quam pacem etiam ipse dominus Iesus dixit discipulis, *In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite, Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra; sin autem, ad vos reuertetur?* Cùm hanc Euangelizant pacem, de quibus prædictum est, *Quam speciosi pedes eorum qui annunciant pacem, qui annunciant bona!* nobis quidem tunc incipit esse quisque *filius pacis*, cùm obedierit & crediderit huic Euangelio, & *ex fide iustificatus pacem ad Deum habere* cœperit; secundum autem prædestinationem dei, iam *filius pacis* erat. Neque enim dictum est, super quem requieuerit pax vestra, fiet filius pacis; sed, *Vbi fuerit*, inquit, *filius pacis, requiesceet super eum pax vestra.* Iam ergo & antequam illi annunciaretur hæc pax, *filius pacis ibi erat*, sicut eum nouerat atque præscierat non Euangelista, sed dominus. Ad nos ergo qui nescimus quisnam *sit filius pacis*, aut non sit, pertinet nullum exceptum facere; nullumque discernere; sed

Excommunicationis pœna maior in Ecclesia non est.

Excommunicationis causa.

Quoniã incertum nobis est quos Deus saluare decreuit, omniũ & singulorũ debemus procurare salutem voto, prædicatione & correptione.

Pſal. 50. 19.

Rom. 5. 1

2. Cor. 5. 20.

Luc. 10. 5. & 6.

Eſa. 52. 7.

velle omnes saluos fieri quibus prædicamus hanc pacem. Neque enim metuendum est ne perdamus eam, si ille cui prædicamus, non *est filius pacis* ignorantibus nobis. *Ad nos* enim *reuertetur*, id est, nobis proderit hæc prædicatio, non & illi: si autem *super eum pax* prædicata *requieuerit*, & nobis, & illi. Quia ergo nos qui salui futuri sint nescientes, *omnes* quibus prædicamus hanc pacem, *saluos fieri velle* Deus iubet, & ipse in nobis hoc operatur, *diffundendo* istam *charitatem in corda* Rom. 5. 5 *nostra per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, Potest etiam sic 1. Tim. 2. 4. intelligi, quòd *omnes homines Deus vult saluos fieri*, quoniam Gal. 4. 6. nos facit velle, sicut *misit spiritum filij sui clamantem Abba pater*, id est, nos clamare facientem. De ipso quippe spiritu, alio Rom. 8. loco dicit, *Accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* Nos ergo clamamus, sed ille clamare dictus est, qui efficit vt clamemus. Si ergo *clamantem spiritum* rectè dixit scriptura, à quo efficitur vt clamemus; rectè etiam & volentem deum, à quo efficitur vt velimus: ac per hoc quia & corripiendo nihil aliud debemus agere, nisi vt ab ista pace quæ est ad deum non recedatur, aut ad eam qui recesserat, reuertatur, nos agamus sine desperatione quod agimus. *Si filius pacis est* quem corripimus, *requiesceet super eum pax nostra, sin autem, ad nos reuertetur.* Quàmuis itaque etiam dum quorundam 2. Tim. 2. 19. fides subuertitur, *firmum dei fundamentum stet, quoniam scinit dominus qui sunt eius*, non tamen ideo nos pigri & negligentes esse debemus in corripiendis, qui corripiendi sunt. Ne- 1. Cor. 15 33 que enim frustrà dictum est, *Corrumpunt mores bonos colloquia* 1. Cor. 5. 11. *mala*: &, *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Non argumentemur contra ista præcepta salubremque terrorem dicentes; & *corrumpant bonos mores* Ioan. 17. 12. *colloquia mala, & pereat infirmus*, quid ad nos? *Firmum fundamentum dei stat, & nemo perit nisi filius perditionis.*

Alia interpretatio loci Apostoli, qui vult omnes homines saluos fieri.

CAPVT XVI.

ABsit vt ista garrientes, securos nos in hac negligentia debere credamus. Verum est enim, quia *nemo perit, nisi* Ezech. 3. 18. *filius perditionis*; sed ait Deus per Ezechielem Prophetam, *ille quidem in peccato suo morietur, sanguinem verò eius de manu speculatoris inquiram.* Proinde quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob

hoc *omnes saluos fieri velle* debemus; omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter seuera correptio: Dei est autem illis eam facere vtilem, *quos* ipse *præscivit & prædestinauit conformes imaginis filij sui.* Si enim aliquandò timore non corripimus, ne aliquis indè pereat; cur non etiam timore corripimus, ne aliquis indè plus pereat? Neque enim dilectionis viscera maiora gestamus quàm beatus Apostolus, qui dicit *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes, videte ne quis malum pro malo alicui reddat.* Vbi intelligendum est tunc potius *malum pro malo reddi*, si corripiendus non corripitur, sed praua dissimulatione negligitur. Dicit enim, *Peccantes coram omnibus corripe, vt cæteri timorem habeant.* Quod de his peccatis accipiendum est quæ non latent, ne contra domini sententiam putetur locutus. Ille enim dicit, *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum.* Veruntamen & ipse seueritatem correptionis eousque perducit, vt dicat: *Si nec ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Et quis magis dilexit infirmos, quàm ille qui pro omnibus est factus infirmus, & pro omnibus ex ipsa est infirmitate crucifixus? Quæ cùm ita sint, nec gratia prohibet correptionem, nec correptio negat gratiam: & ideò sic est præcipienda iustitia, vt à deo gratia qua id quod præcipitur fiat, fideli oratione poscatur, & hoc vtrunque ita faciendum est, vt neque iusta correptio negligatur. Omnia verò hæc cum charitate fiant, quoniam *charitas* nec facit peccatum, & *cooperit multitudinem peccatorum.*

Rom. 8. 29.

1. Thes. 5. 14. & 15

1. Tim. 5. 20.

Matt. 18 15.

Ibid. 17.

1. Pet. 4. 8.

Correptione non malum, sed bonũ pro malo redditur.

Publice publica tantum corripienda peccata.

Libri de Correptione & Gratia Finis.

P. PROS-

D. PROSPERI

EPISTOLA

AD

AVGVSTINVM

De reliquijs Pelagianæ hæreseos in Gallia subolescentibus.

DOmino beatissimo Papæ, ineffabiliter mirabili, incomparabiliter honorando, præstantissimo patrono, Augustino Prosper. Ignotus quidem tibi facie, sed tam aliquatenus, si reminiscaris, animo ac sermone compertus: nam per sanctum fratrem meum Leontium diaconum missi Epistolas & recepi: nunc quoque beatitudini tuæ scribere audeo, non solùm salutationis vt tunc studio, sed etiam fidei, qua Ecclesia viuit, affectu. Excubante enim pro vniuersis membris corporis Christi vigilantissima industria tua, & aduersus hæreticarum doctrinarum insidias veritatis virtute pugnante; nullo modo mihi verendum putaui, ne onerosus tibi, aut importunus essem in eo, quod ad multorum salutem, ac perinde ad pietatem tuam pertinet: cùm potius reum futurum esse me crederem, si ea quæ vel è pernicioſa esse intelligo, ad specialem patronum fidei non referrem. Multi ergò seruorum Christi qui in Massilienſi vrbe consistunt, in sanctitatis tuæ scripta quæ aduersus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quicquid in eis de vocatione electorum secundum dei propositum disputasti. Et cùm aliquamdiu tarditatem suam culpare maluerint, quàm non intellecta reprehendere, quidamq; eorum lucidiorem super hoc atque apertiorem beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare; euenit ex dispositione misericordiæ dei, vt cùm quosdam intra Africam similia monuissent, librum de Correptione & gratia, plenum diuinæ

Massilienſium quòdam Augustini libris non intellectis offensi.

tuina authoritatis emitteres. Quo in notitiam nostram insperata opportunitate delato, putauimus omnes querelas resistentiũ sopiendas: quia vniuersis quæstionibus, de quibus consulenda erat sanctitas tua, tam plenè illic absolutè q; respõsum est, quasi hoc specialiter studuerit, vt quæ apud nos erant turbata, componeres. Recensito autem hoc beatitudinis tuæ libro, sicut qui sanctam atq; apostolicam doctrinam tuæ authoritatẽ antea sequebantur, intelligentiores multò instructioresq; sunt facti: ita qui persuasionis suæ impediebantur obscuro, auersiores quam fuerant, recesserunt. Quorum tam abrupta dissensio primùm propter ipsos metuenda est, ne tam claris tamq; egregijs in omnium virtutum studio viris spiritus Pelagianæ impietatis illudat: deinde ne simpliciores quique apud quos horum magna est de probitatis contemplatione reuerentia, hoc tutissimum sibi æstiment, quod audiunt eos, quorum authoritatem sine iudicio sequuntur, asserere. Hæc enim ipsorum definitio ac professio est; Omnem quidem hominem Adam peccante, peccasse; & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione saluari: vniuersis tamen hominibus propitiationem quæ est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, vt quicunque ad fidem & ad baptismum accedere voluerint, salui esse possint. Qui autem credituri sunt, quique in ea fide quæ deinceps per dei gratiam sit iuuanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocator, dignos fecturus electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præuiderit. Ideoque omnem hominem ad credendum & ad operandum diuinis institutionibus admoneri, vt de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cùm voluntariæ deuotioni remuneratio sit parata. Hoc autem propositum vocationis dei quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & reijciendorum dicatur facta discretio, vt secundùm quod placuit creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis adijcere: eo quòd vtraque parte superfluus labor sit, si neque reiectus vlla industria possit intrare, neque electus vlla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos quàm Deus definiuit, accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem: cùm si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio. Remoueri itaque omnem industriam, tolliq; virtutes, & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quandam induci necessitatem; aut diuersarum natura-

Massilien sium sententia partim ca tholica, partim cum Pelagianis cõ sentens.

rum

rum dici dominum conditorē, si nemo aliud posit esse quàm factus est. Atque vt breuius ac plenius quod opinantur exponam: quicquid in libro hoc ex contradicentiū sensu sanctitas tua sibi opposuit, quicquid etiam in libris contra Iulianum ab ipso sub hac quæstione obiectum, potentissimè debellasti, hoc totum ab istis sanctis intentiossimè conclamatur. Et cum contra eos scripta beatitudinis tuæ, validissimis & innumeris testimonijs diuinarum scripturarum instructa proferimus, ac secundum formam disputationum tuarū, aliquid etiam ipsi quo concludantur astruimus, obstinationem suam vetustate defendunt, & ea, quæ de Epistola apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationē diuinæ gratiæ præuenientis electorum merita proferuntur, à nullo vnquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, vt nunc sentiuntur, affirmāt. Cumq; vt ipsi ea exponant, secundum quorum velint sensa deposcimus, nihil se profitentur inuenisse quod placeat, & de his taceri exigunt, quorum altitudinem nullus attigerit. Eò postremò pernicacia tota descendit, vt fidem nostram ædificationi audientium contrariam esse deplorent; ac sic etiam si vera sit, non promendam; quia & perniciosè non recipienda tradantur & nullo periculo quæ intelligi nequeant, conticeantur. Quidam verò horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant vt quum ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur; ne si meritis redditur frustrà gratia nominetur: ad conditionem hanc velint vnusquisq; hominis peruenire, in qua eum nihil prius merentem, qua nec existentem re. liberi arbitrij, & rationalem gratia creatoris instituat, vt per discretionem boni & mali, ad cognitionem dei, & ad obedientiam mandatorum eius possit suam dirigere voluntatē: atq; ad hanc gratiā quâ in Christo renascimur, peruenire per naturalem scilicet facultatem petendo, quærendo, pulsando: vt ideò accipiat, ideò inueniat, ideò introeat, quia bono naturæ bene vsus ad istam saluantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit peruenire. Propositum autem vocantis gratiæ in hoc omninò desinunt, quòd Deus constituerit nullum in regnum suum, nisi per sacramentum regenerationis assumere & ad hoc salutis donum omnes homines vnue saluet, siue per naturalem, siue per scriptam legem, siue per Euangelicam prædicationem vocari. Vt & qui voluerint, fiant filij dei, & inexcusabiles sint qui fideles esse noluerint: quia iustitia dei in eo sit, vt qui non crediderint pereant; bonitas in eo appareat, si neminem repellat à vita, sed indifferenter vniuersos velit saluos fieri, & in agnitionē veritatis venire. Iam hic proferunt testimonia, quibus diuinarū Scripturarū cohortatio ad obediendū incitat hominū voluntates, qui ex libero arbitrio aut faciāt

Aliorum sententiæ magis adhuc Pelagianizant.

quæ inbentur, aut negligant: & consequens putant, vt quia præuaricator ideo dicitur non obediſſe, quia noluit; fidelis quoque non dubitetur ob hoc deuotus fuiſſe, quia voluit; & quantum quiſque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum; pariq; momento animum ſe vel ad vitia, vel ad virtutes mouere, quem bona appetentem gratia dei foueat, mala ſectantem damnatio iuſta ſuſcipiat. Cumque inter hæc innumerabilium illis multitudo obijcitur paruulorum, qui vtique excepto originali peccato, ſub quo omnes homines ſimiliter in primi hominis damnatione naſcuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non ſine dei iudicio ſecernuntur; vt ante diſcretionem boni ac mali de vſu vitæ iſtius auferendi, alij per regenerationem inter cœleſtis regni aſſumantur hæredes; alij ſine baptiſmo inter mortis perpetuæ tranſeant debitores: tales aiunt perdi, taléſque ſaluari, quales futuros illos in annis maioribus ſi ad actionem ſeruarentur ætatem, ſcientia diuina præuiderit. Nec conſiderant ſe gratiam dei, quam comitem, non præuiam humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundum ſuam phantaſiam, non negant eſſe præuentas. Sed in tantum quibuſcunque commentitijs meritis electionem dei ſubijciunt, vt quia præterita quæ non extant, futura quæ non ſint futura confingant, nouóque apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſint, & præſcita non acta ſint. Hanc ſanè de humanis meritis præſcientiam dei, ſecundum quam gratia vocantis operetur, multò ſibi rationabilius videntur aſtruere, cùm ad earum nationum contemplationem venitur, quæ vel in præteritis ſeculis dimiſſæ ſunt ingredi vias ſuas, *vel nunc quoque adhuc in veteris ignorantiæ impietate depereunt, nec vlla eis aut legis aut Euangelij illuminatio coruſcauit: cùm tamen inquantum prædicatoribus oſtium apertum eſt, & via facta eſt,* gentium populus qui ſedebat in tenebris & in vmbra mortis, lucem viderit magnam; *& qui quondam non populus, nunc autem populus Dei ſit; & quorum aliquando non miſertus eſt, nunc autem miſereatur, præmiſſos inquiunt à Domino credituros: & ad vnamquamque gentem ita diſpenſata tempora ac miniſteria magiſtrorum, vt exortura erat bonarum credulitas voluntatum. Nec vacillare illud, quòd* Deus omnes homines velit ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire; *quandoquidem inexcuſabiles ſint, qui & ad vnius veri dei cultum potuerint inſtrui intelligentia naturali; & Euangelium ideo non audierint, quia nec fuerint recepturi. Pro vniuerſo autem humano genere mortuum eſſe dominum.*

Act. 14. 15.

Eſa. 9. 2. & Matt. 4. 16.

Oſea 2. 24. & Rom. 9. 25.

1. Tim. 2. 4.

dominum nostrum Iesum Christum, & neminem prorsus à redemptione sanguinis eius exceptum, etiam si omnem hanc vitam alienissima ab eo mente pertranseat: quia ad omnes homines pertineat diuina misericordiæ sacramentum; quo ideo plurimi non renouentur, quia quod nec renouari velle habeant, præsciantur. Itaque quantum ad deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. In istam verò talis gratiæ prædicationem hi, quorum contradictione offendimur; cùm priùs meliora sentirent, ideo se vel maximè contradixerunt; quia si profiterentur ab ea omnia bona merita præueniri, & ab ipsa vt possint esse donari; necessitate concederent Deum secundum propositum, *& consilium voluntatis suæ, occulto iudicio, & opere manifesto,* aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam; *quia nemo nisi per gratiam iustificetur, & nemo nisi in præuaricatione nascatur. Sed refugiunt istud facere, diuinoque ascribere operi sanctorum merita formidant: nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum, nec augeri posse, nec minui; ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant; ac superflua sit industriæ ac laboris indictio, cuius studium cessante electione frustrandum sit. Ita demum enim posse vnumquemque ad correctionem, aut ad profectum vocari, si se sciat sua diligentia bonum esse posse, & libertatem suam ob hoc dei auxilio iuuandam, si quod Deus mandat, elegerit. Ac sic cùm in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint quæ humanam operentur salutem, dei scilicet gratia & hominis obedientia; priorem voluntatem esse quam gratiam, vt initium saluti ex eo qui saluatur, non ex eo credendum sit fluere qui saluat; & voluntas hominis diuinæ gratiæ sibi paratæ opem, non gratia sibi humanam subiiciat voluntatem. Quod cùm peruersissimum esse reuelante deo misericordia, & instruente nos tua beatitudine nouerimus; possumus quidem ad credendum esse constantes, sed ad auctoritatem talia sententiam non sumus pares: quia multum nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper summo sacerdotij honore supereminent: nec facile quisquam præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores, tantis superiorum disputationibus cuius est contrarie. Ex quo non solum his qui eos audiunt, verumetiam ipsis qui audiuntur, cum dignitatis creatur periculum; dum & multos reuerentia eorum, aut inutilis cohibet pigritia, aut inuo-*

Rom. 9. 21.

rioso ducit assensu: & salubertimum ipsis videtur, quod penè nullius contradictione reprehenditur. Vndè quia in istis Pelagiana pravitatis reliquijs non mediocris virulentia fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocatur; si diuinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, vt ideò quis adiuuetur quia voluit, non ideò quia adiuuatur velit, si originaliter malus receptionem boni non à summo bono sed à semetipso inchoata malè creditur; si aliundè deo placetur, nisi ex eo quod ipse donauerit: tribue nobis in hac causa Papa beatissime, pater optime, quantum donante domino potes diligentiam pietatis tuæ obsecro, vt quæ in istis quæstionibus obscuriora, & ad percipiendum difficiliora sunt, quàm lucidissimis expositionibus digneris aperire. Ac primùm, quia plerique non putant Christianam fidem hac dissensione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione patefacias. Deindè quomodò per istam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. Tum verùm præscientia dei ita secundum propositum maneat, vt ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præscita; an per genera causarum, & species personarum ista varientur: vt quia diuersæ sunt vocationes, in his qui nihil operaturi saluantur, quasi solum dei propositum videatur existere; in his autem qui aliquid boni acturi sunt, per præscientiam possit stare propositum: an verò vniformiter, licet diuidi præscientia à proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito: & sicut nihil sit quorumcunque negotiorum, quod non scientia diuina præuenerit; ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non deo authore defluxerit. Postremò quemadmodum per hanc prædicationem propositi dei, quo fideles fiunt qui prædestinati sunt ad vitam æternam, nemo eorum qui cohortandi sunt impediatur, nec occasionem negligentiæ habeant, si se prædestinatos esse desperent. Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quòd retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par inuenitur & vna sententia, qua propositum & prædestinationem dei secundum præscientiam receperunt; vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusque prauiderit, & sub ipso gratia adiutorio in qua futurus esset voluntate & actione præscierit. Quibus omnibus enodatis, & multis insuper quæ altiore intuitu ad causam hanc pertinentia magis potes videre discussis, credimus & speramus non solùm tenuitatem nostram disputationum tantum præsidio roborandam; sed etiam ipsos quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinionis

Reliquiæ istæ Pelagianæ hæreseos, quam pernitiosæ.

nionis obscurat, defecatissimum lumen gratiæ recepturos. Nam vnum eorum præcipuæ authoritatis & spiritalium studiorum virum, sanctum Hilarium Arelatensem Episcopum, sciat beatitudo tua admiratorem sectatoremq; in alijs omnibus tuæ esse doctrinæ; & de hoc quod in querelam trahit, iampridem apud sanctitatem tuam sensum suum per litteras velle conferre. Sed quia vtrùm hoc facturus, aut quo fine sit facturus, incertum est, & omnium nostrum fatigatio prouidente hoc præsenti seculo dei gratia, in tuæ charitatis & scientiæ vigore sperat, adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis. Necessarium & vtile est etiam quæ scripta sunt scribere, ne leue existimetur quod non frequenter arguitur. Sanum enim putant esse quod non dolet, nec vulnus superducta cute sentiunt, sed intelligant peruenturum ad sectionem, quod habuerit perseuerantem tumorem. Gratia dei & pax domini nostri coronet te in omni tempore, & ambulantem de virtute in virtutem glorificet in æternum Domine Papa beatissime, ineffabiliter mirabilis, incomparabiliter honorande, præstantissime patrone.

D. HILARIVS
ARELATENSIS
AVGVSTINO
DE EODEM ARGVMENTO.

DOMINO *beatiſſimo ac toto affectu deſiderando, & multum in Chriſto ſuſcipiendo patri Auguſtino Hilarius. Si ceſſantibus contradicentium quæſtionibus grata ſunt plerunque ſtudioſorum inquiſitiones, vt etiam illa quæ abſque periculo ignorarentur, ediſcant; arbitror gratiorem fore ſedulitatem noſtræ relationis, quæ dum indicat ſecundum quorundam proſecutiones quadam aduerſantia veritati, non tam ſibi quàm illis qui turbantur & turbant, per conſilium ſanctitatis tuæ ſatagit prouideri, Domine beatiſſime ac toto affectu deſiderande, & multùm in Chriſto ſuſcipiende pater. Hæc ſunt itaque quæ Maſſilia, vel alijs etiam locis in Gallia ventilantur. Nouum & inutile eſſe prædicationi, quòd quidam ſecundum propoſitum eligendi dicantur, vt id nec arripere valeant nec tenere, niſi credendi voluntate donata; excludi putant omnem prædicandi vigorem, ſi nihil quod per eum excitetur, in hominibus remanſiſſe dicatur. Conſentiunt omnem hominem in Adam periſſe, nec inde quenquam poſſe pro arbitrio liberari: ſed id conuenienſ aſſerunt veritati, vel congruum prædicationi, vt cùm proſtratus, & nunquàm ſuis viribus ſurrecturis annunciatur obtinendæ ſalutis occaſio; eo merito quo voluerint & crediderint, à ſuo morbo ſe poſſe ſanari, & ipſius fidei augmentum, & totius ſanctitatis ſuæ conſequantur effectum. Caterùm ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quenquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt: neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & ſupplici voluntate, vnumquenque ægrotum velle ſanari. Quòd enim dicitur,* Crede & ſalutis eris, *vnum horum exigi aſſerunt, aliud offerri; vt propter id quod*

Maſſilienſium & aliorum quorundam in Galliis de prædeſtinatione ſententia

exigitur

exigitur si redditum fuerit, ill quod offertur deinceps tribuatur. Vnde consequens putant, exhibendam ab eo fidem, cuius naturæ id voluntate conditoris concessum est; & nullam ita depravatam vel extinctam putant, vt non debeat, vel possit se velle sanari; propter quod vel sanetur quis à sua, vel si noluerit cum sua ægritudine puniatur. Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa iam valeat: nam illa testimonia vt est illud, Sicut
Rom. 12. 3. vnicuique partitus est mensuram fidei: *& similia, ad id volunt valere, vt adiuuetur qui cœperit velle, non vt etiam donetur vt velit, reiectis ab hoc dono aliis pariter reis, & qui possint similiter liberari, si ea quæ pariter indignis præstatur credendi voluntas, etiam ipsis similiter præstaretur. Si autem, aiunt, dicatur vel talem omnibus remansisse, qua vel contemnere quis valeat, vel obedire; de compendio putant rationem reddi electorum vel reiectorum, in eo quod vnicuique meritum propriæ voluntatis adiungitur. Cùm autem dicitur eis, quare aliis vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur; vel nunc prædicetur quod aliquando penè omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit: dicunt id præscientia esse diuina, vt eo tempore, & ibi, & illis veritas annunciaretur, vel annuncietur, quando & vbi prænoscebatur esse credenda. Et hoc non solùm aliorum catholicorum testimonijs, sed etiam sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur. Vbi tamen eandem gratiam non immore veritatis perspicuitate docueris, vt est illud quod dixit sanctitas tua in quæstione contra Porphyrium, de tempore Christianæ religionis,* tunc voluisse *Epist. 49. quæst. 2.* hominibus apparere Christum; & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & vbi sciebat esse, qui in eum
Rom. 9. 19. fuerant crediturí. *Vel illud de libro in Epistola ad Romanos:* Dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit? Cui sanè inquisitioni, *inquis*, sic respondet, vt intelligamus spiritalibus viris, etiam non secundum terrenum hominem viuentibus, patere posse prima merita fidei & impietatis, quomodo Deus præscientiâ eligat credituros, & damnet incredulos: nec illos ex operibus eligens, nec istos ex operibus damnans; sed & illorum fidei præstans, vt benè operentur, & istorum impietatem deserendo obdurans, vt malè operentur. *Et iterum in eodem libro superiùs:* Æquales omnes sunt ante meritum, nec potest in rebus omnimodò æqualibus electio nominari, quoniam Spiritus sanctus non da-

In expositione quarundam propositionū ex epist. ad Rom. propos. 62.

Propos. 60.

tur

tur nisi credentibus. Non quidem Deus elegit opera quæ ipse largitur, cùm dat Spiritum sanctum, vt per charitatem bona operemur; sed tamen elegit fidem, quia nisi quis credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum dei, id est Spiritum sanctum, per quem infusa charitate bonum possit operari. Non ergò elegit Deus opera cuiusquàm in præscientia quæ ipse donaturus est; sed fidem elegit in præscientia; vt quem crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui spiritum sanctum daret, vt bona operando etiam æternam vitam consequeretur. Dicit enim Apostolus; Idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus. Quod enim credimus, nostrum est; quod autem operamur, illius: *& cætera in eodem opere, qua se acceptare & probare testantur, tanquam conuenientia Euangelicæ veritati. Cæterùm præscientiam & prædestinationem, vel propositum ad id valere contendunt, vt eos præsciverit, vel prædestinauerit, vel proposuerit eligere qui fuerant crediturí. Nec de hac fide posse dici,* Quid habes quod non accepisti? *cùm in eadem natura remanserit, licet vitiata, quæ prius sana ac perfecta donata sit. Quòd autem dicat sanctitas tua, neminem perseverare, nisi perseverandi virtute percepta, hæc eius accipiunt, vt quibus datur incerti licet, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur, quod ad hoc tantum liberum asserunt, vt velit vel nolit admittere medicinam. Cæterùm & ipsi abominari se & damnare testantur, si quis quicquam virium in aliquo remansisse quo ad sanitatem progredi possit, existimet. Nolunt autem ita hanc perseuerantiam prædicari, vt non vel supplicíter emereri, vel amitti contumaciter possit. Nec ad incertum voluntatis dei deduci se volunt, vbi eis quantum putant ad obtinendum vel admittendum, euidens est qualecunque initium voluntatis. Illud etiam testimonium quod posuisti,* Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius; *tanquam non canonicum definiunt omittendum. Vndè illam præscientiam sic accipiunt, vt propter fidem futuram intelligendi sint præsciti, nec cuiquã tali perseuerantiã à qua non permittatur prævaricari, sed à qua possit sua voluntate deficere & infirmari. Asserunt inutilẽ exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur quod correptio valeat excitare: quod quidem inesse naturæ sic se dicere confitentur, vt hoc ipso quod ignoranti veritas prædicatur, ad beneficium præsentis gratiæ referendum sit. Nam si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad vtramque partem, vt de alijs ad alios nullus possit accedere, quò pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia?*

1. Cor. 12. 6.

1. Cor. 4. 7.

Eorundẽ de perseuerantiæ dono contra Augustinum sententia

Sap. 4. 11.

Si

Si ab homine, & si non fides integra, saltem vel dolor compunctæ infirmitatis exoritur, aut periculum demonstratæ mortis horretur? Nam si non potest timere quis unde terretur, nisi eâ voluntate quæ sumitur, non ex eo culpandus quod nunc non vult, sed in eo & cum eo, qui sic aliquando noluit, ut eam damnationem cum suis posteris mereretur incurrere, ut nunquam recta, semper autem prava vellet appetere. Si autem est qualiscunque dolor qui ad exhortationem corripientis oriatur; hanc ipsam dicunt causam propter quam vel reijciatur alius, vel alius assumatur: atque ita non opus esse partes constitui, quibus nec adijciendum sit aliquid, nec detrahendum. Deinde molestum ferunt, ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, *ut ille acceperit perseverantiam, non qua fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc verò Sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adiutorium perseverantiæ detur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum-etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* His verbis sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quandam desperationem hominibus exhiberi. Si enim aiunt, ita Adam adjutus est, ut & stare posset in justitia, & à justitia declinare; & nunc ita Sancti juvantur, ut declinare non possint; (siquidem eam acceperunt volendi perseverantiam, ut aliud velle non possint) vel sic quidam deseruntur; ut aut nec accedant, aut si acceserint & recedant: ad illam voluntatem pertinuisse dicunt exhortationis vel comminationis utilitatem, quæ & persistendi & desistendi obtinebat liberam potestatem; non ad hanc, cui nolle justitiam inevitabili necessitate conjunctum est: præter illos qui sic concreati sunt his, qui cum universa massa damnati sunt, ut exciperentur per gratiam liberandi. Vnde in hoc solo volunt à primo homine omnium distare naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat; hos autem amissis & perditis viribus credentes tantùm, non solùm erigat prostratos, verum-etiam sustulciat ambulantes. Cæterùm quicquid-libet donatum sit prædestinatis, id posse & amittere & retinere propriâ voluntate contendunt. Quod tunc falsum esset, si verùm putarent eam quosdam perseverantiam percepisse, ut nisi perseverantes esse non possint. Inde est quod & illud

Sup. de corr. & grat. c. 11. & 12.

Ibid. cap. 13 pariter non accipiunt, ut eligendorum reijciendorumque esse
Cap. 14. definitum numerum velint : atque illius sententiæ expositionem, non eam quæ à te est deprompta suscipiant; id est, ut non nisi *omnes homines salvos fieri velit*, & non eos tantùm qui ad Sanctorum numerum pertinebunt; sed omnes omninò, ut *Ibidem.* nullus habeatur exceptus. Nec hoc timendum, quod quidam eo invito perire dicantur : sed quomodo aiunt, non vult à quoquam peccari vel deseri justitiam, & tamen jugiter illa deseritur contra ejus voluntatem, committunturque peccata; ita eum salvari velle omnes homines, nec tamen omnes *Ibidem.* homines salvari? Testimonia etiam Scripturæ quæ de Saule vel de David posuisti, non pertinere putant ad quæstionem, *Plant. Alij.* quæ de exhortatione versatur. Alia autem ad id referunt, ut ex his eam gratiam accipiant commendari, qua unusquisque post voluntatem juvatur; vel ad ipsam vocationem, quæ præstatur indignis. Hoc enim & illis locis tuorum opusculorum & aliorum quæ persequi longum est, se demonstrare testantur. Parvulorum autem causam ad exemplum majorum non patiuntur afferri. Quam & tuam sanctitatem dicunt eatenus attigisse, ut incertum esse volueris, ac potiùs *Cap. 13.* de eorum pœnis malueris dubitari. Quod in libro tertio De libero arbitrio ita posuisse meministi, ut hanc eis occasionem potuerit exhibere. Hoc etiam de aliorum libris, quorum est in Ecclesia authoritas, faciunt quod perspicit sanctitas tua non parùm posse juvare contradictores, nisi majora, aut certè vel paria proferantur à nobis. Non enim ignorat prudentissima pietas tua, quantò plures sint in Ecclesia, qui authoritate nominum in sententia teneantur; aut à sententia transferantur. Ad summam, fatigatis omnibus nobis, ad id prosecutio eorum, vel potiùs querela convertitur, consentientibus etiam his qui hanc definitionem improbare non audent, ut dicant : Quid opus fuit hujuscemodi disputationis incerto tot minus intelligentium corda turbari? Neque enim minus utiliter sine hac definitione aiunt, tot annis à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris & tuis & aliorum, cùm contra alios, tum maximè contra Pelagianos, Catholicam fidem fuisse defensam. Hæc mi pater & alia interminabiliter plura, ut summa mea vota confitear, per me deferre maluissem; vel quia hoc non merui, saltem prolixiore tempore omnia, quibus moventur, collecta dirigere : ut quicquid de hac re

1. Tim. 2. 4.

1. Reg. 19. 25. & seq. 1. Par. 12. 18.

contra-

contradicitur quatenus refelli, vel si id non potest, tolerari deberet, audirem. Sed quia neutrum ex voto provenit, malui quomodo potui hæc comprehensa dirigere; quàm penitùs de tanta quorundam contradictione reticere. Sunt ex parte tales personæ, ut his consuetudine Ecclesiasticâ laicos summam reverentiam necesse sit exhibere. Quod quidem ita curavimus Deo juvante servare, ut cùm opus fuit non taceremus, quæ ad quæstionis hujus assertionem exiguitas nostrarum virium suggerebat. Sed nunc summatim quantum festinatio perlatoris admisit, hæc velut cõmonendo suggessi. Tuæ sanè prudentiæ est dispicere quid facto opus sit, ut talium & tantotum superetur vel temperetur intentio. Cui ego jam parùm prodesse existimo te reddere rationem; nisi & addatur authoritas, quam transgredi infatigabiliter contentiosa corda non possint. Sed planè illud tacere non debeo, quod se dicant tuam sanctitatem hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari. Tuum erit decernere, quomodo sit in hoc eorum contradictio toleranda. Nec mireris quòd aliter vel aliqua in hac Epistola addidi, quantum puto, quæ in superiore non dixeram: talis est enim nunc eorum definitio, præter illa quæ per festinationem aut oblivionem fortasse prætermisi. Libros, cùm editi fuerint, quos de universo opere tuo moliris, quæso habere mereamur; maximè ut per eorum authoritatem, si qua tibi in tuis displicent, à dignitate tui nominis jam non trepidi sequestremus. Librum etiam de gratia & libero arbitrio non habemus: superest ut eum quia utilem quæstioni confidimus, mereamur accipere. Nolo autem sanctitas tua sic me arbitretur hæc scribere, quasi de ijs quæ nunc edidisti, ego dubitem. Sufficiat mihi pœna mea, quod à præsentiæ tuæ delitijs exulatus, ubi salubribus tuis uberibus nutriebar, non solùm absentia tua crucior; verumetiam pervicacia quorundam, qui non tantùm manifesta respuunt, sed etiam non intellecta reprehendunt. Cæterùm hac suspicione in tantum careo, ut potiùs infirmitatem meam, qua tales parùm patienter fero, notabilem putem. Qualiter autem ad hæc consulendũ judices, ut dixi, tuæ sapientiæ derelinquo. Nam ad me hoc pertinere credidi; pro ea quã Christo vel tibi debeo charitate, ut quæ in quæstionem veniunt, non tacerem. Quicquid pro ea gratia, quam in te pusilli cum magnis miramur, volueris aut valueris, gratissimè accipiemus tanquam à

Retractationum libros intelligit.

Hilarius Augustinũ fuisse videtur discipulus.

nobis chariſſimâ, & reverendiſſimâ authoritate decretum. Sanè quia urgente prælatore, timui nè vel non omnia, vel hæc ipſa minus dignè conſcius mearum virium, poſſem diligere; egi cum viro, tum moribus tum eloquio & ſtudio claro, ut quanta poſſet collecta ſuis literis intimaret; quas conjunctas his deſtinare curavi. Eſt enim talis qui etiam præter hanc neceſſitatem, dignus tuæ ſanctitatis notitia judicetur. Sanctus Leontius Diaconus cultor tuus, cum meis parentibus multùm te ſalutat. Memorem mei paternitatem tuam Dominus IESVS Eccleſiæ ſuæ annis pluribus donare dignetur Domine Pater. Et infrà: Sciat ſanctitas tua, fratrem meum; cujus maximè cauſa hinc diſceſſimus, cum matrona ſua ex conſenſu perfectam Deo continentiam devoviſſe. Vnde rogamus ſanctitatem tuam, ut orare digneris, quo hoc ipſum in eis Dominus confirmare, & cuſtodire dignetur.

Proſperum intelligere videtur, cujus præcedit epiſtola.

Continentia perpetua votum mutuo inter conjugatos conſenſu initum.

FINIS.

D. AVRE.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

Ad Prosperum & Hilarium,

LIBER PRIMVS,

Qui est de Prædestinatione Sanctorum.

AD LECTOREM.

NE quem moveat, quod huius Operis quod sequitur, non meminit in Retractationibus suis. Retractationum libros habebat in manibus, quum hæc scriberet, quemadmodum ipse testatur libro secundo huius argumenti.

CAPVT I.

DIXISSE quidem Apostolum scimus in Epistola ad Philippenses; *Philip. 3. 1.* *Eadem scribere vobis, mihi quidem non pigrum, vobis autem tutum est.* Idem tamen scribens ad Galatas quum se satis apud eos egisse perspiceret, quod illis per ministerium sermonis sui necessariam esse cernebat; *Gal. 6. 17.* *De cætero*, inquit, *laborem mihi nemo præstet*; vel sicut in plerisque codicibus legitur, *Nemo mihi molestus sit.* Ego autem quamvis me molestè ferre confitear, quod divinis eloquijs quibus *Dei gratia* prædicatur, (quæ omninò nulla est, si *secundum merita nostra datur*) tam multis manifestisque non ceditur; vestrum tamen studium, fraternamque dilectionem filij charissimi Prosper & Hilari, qua eos qui tales sunt, ita non vultis errare, ut post tot libros de hac re atque epistolas meas, adhuc desideretis me hinc scribere; tantùm amo, quantùm non possum dicere; & tantùm me amare, quantùm debeo, non audeo dicere. Quapropter ecce rescribo vobis, & licet jam non vobiscum, tamen etiam per vos adhuc ago, quod me satis egisse credebam. Consideraris enim literis vestris videre mihi videor

eos fratres, pro quibus geritis piam curam, ne teneant poëticam sententiam, qua dictum est; *Spes sibi quisque*; & in illud incurrant quod non poëticè, sed propheticè dictum est; *Maledictus omnis qui spem habet in homine*; eo modo esse tractandos, quo tractavit Apostolus, quibus ait; *Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit.* Adhuc quippe in quæstione caligant de Prædestinatione Sanctorum. Sed habent undè si quid aliter in ea sapiunt, hoc quoque illis revelet Deus, si in eo ambulent in quod pervenerunt. Propter quod Apostolus cùm dixisset, *Si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit: veruntamen*, inquit, *in quod pervenimus, in eo ambulemus.* Pervenerunt autem isti fratres nostri, pro quibus solicita est pia charitas vestra, ut credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo nisi per justitiam secundi hominis aliquem liberari. Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quenquam sufficere posse consentiant. Retenta ergo ista in quæ pervenerunt, plurimùm eos à Pelagianorum errore discernunt. Proinde si in eis ambulent & orent eum qui dat intellectum, *si quid* de Prædestinatione *aliter sapiunt*, ipse illis *hoc quoque revelabit*: tamen etiam nos impendamus eis dilectionis affectum ministeriumque sermonis, sicut donat ille quem rogamus, ut in his literis ea quæ illis essent apta & utilia diceremus. Vnde enim scimus ne fortè Deus noster id per hanc nostram velit efficere servitutem, qua eis in Christi liberâ charitate servimus?

Hier. 17. 5.

Philip. 3. 15.

Ibid. 16.

Quatenus à Pelagiana recesserint Massilienses ob quos ista scribuntur.

CAPVT II.

PRius itaque fidem qua Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere; si tamen diligentiùs id facere possumus, quam in voluminibus tot tantisque jam fecimus. Sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere; ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo; tanquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantùm augeatur in nobis eo merito, quo cœpit à nobis. Non ergo receditur ab ea sententia, quàm Pelagius ipse in Episcopali judicio Palæstino, sicut eadem gesta testan-

Etiam fidei initium ex Dei nobis esse dono.

teſtantur, damnare compulſus eſt, *Gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari*; ſi non pertinet ad Dei gratiam quod credere cœpimus, ſed illud potiùs quod propter hoc nobis additur, ut pleniùs perfectiuſq; credamus: ac per hoc, initium fidei noſtræ priores damus Deo, ut retribuatur nobis & ſupplementum ejus, & ſi quid aliud fideliter poſcimus. Sed contra hæc cur non potiùs audimus; *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia.* Et ipſum igitur initium fidei noſtræ, ex quo niſi ex ipſo eſt? Neque enim hoc excepto ex ipſo ſunt cætera, ſed *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Quis autem dicat eum qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri? Vnde fit, ut jam merenti cætera dicantur addi retributione divinâ, ac per hoc *Gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari.* Quod objectum ſibi Pelagius ne damnaretur, ipſe damnavit. Quiſquis igitur hanc damnabilem vult ex omni parte vitare ſententiam; veraciter intelligat dictum quod Apoſtolus ait; *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo.* Vtrumque enim oſtendit Dei donum, quia utrumque dixit *eſſe donatum.* Nec ait ut pleniùs & perfectiùs credatis in eum; ſed, *ut credatis in eum.* Nec ſeipſum miſericordiam conſecutum dixit ut fidelior, ſed ut fidelis eſſet; quia ſciebat non ſe initium fidei ſuæ priorem dediſſe Deo, & retributum ſibi ab illo ejus augmentum, ſed ab eo ſe factum fidelem, à quo & Apoſtolus factus eſt. Nam ſcripta ſunt etiam fidei ejus initia, ſuntque Eccleſiaſtica celebri lectione notiſſima. Averſus quippe à fide quam vaſtabat, eique vehementer adverſus repente eſt ad illam gratiâ potentiore converſus: convertente illo cui hoc ipſum facturo per Prophetam dictum eſt: *Tu convertens vivificabis nos:* ut non ſolùm ex nolente fieret volens credere, verum etiam ex perſecutore perſecutionem in ejus fidei, quam perſequebatur, defenſione pateretur. Donatum quippe illi erat à Chriſto, non ſolùm ut crederet in eum, verum etiam ut pateretur pro eo. Et ideo commendans iſtam gratiam, quæ non datur ſecundum aliqua merita, ſed efficit omnia bona merita, *Non quia idonei ſumus*, inquit, *cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Attendant hic, & verba iſta perpendant, qui putant ex nobis eſſe fidei cœptum, & ex Deo eſſe fidei ſupplementum. Quis enim non videat, priùs eſſe cogitare quàm credere?

Rom. 11. 35. & 36.

Philip. 1. 29

1. *Tim.* 1. 12. & 13.

Act. 9.

Pſal. 84. 7.

2. *Cor.* 3. 5.

Nullus

Nullus quippe credit aliquid nisi priùs cogitaverit esse credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerrimè credendi voluntatem quędam cogitationes antevolent, moxque illa ita sequatur, ut quasi conjunctissima comitetur, necesse est tamen ut omnia quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur: quamquam & ipsum credere, nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare. Non enim omnis qui cogitat, credit; cùm ideo cogitent pleriq; ne credant: sed cogitat omnis qui credit, & credendo cogitat, & cogitando credit. Quod ergo pertinet ad religionē atq; pietatē, de qua loquebatur Apost: si *non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; profectò *non sumus idonei* credere *aliquid quasi ex nobismetipsis*, quod sine cogitatione non possumus, *sed sufficientia nostra* qua credere incipiamus, *ex Deo est*. Quocirca sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendū quodcunque opus bonum; quod jam isti fratres, sicut vestra scripta indicant, verum esse consentiunt; unde in omni opere bono, & incipiendo & perficiendo *sufficientia nostra ex Deo est:* ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, *sed sufficientia nostra ex Deo est*: quoniam fides si non cogitetur, nulla est: & *non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Cavendum est fratres dilecti à Deo, ne homo se extollat adversus Deum, cùm se dicit facere quod promisit Deus. Nonné fides gentium promissa est Abrahæ, & ille, *dans gloriam Deo, plenissimè credidit*; *Quoniam quod promisit, potens est & facere.* Ipse ergo fidem gentium facit, qui *potens est facere quod promisit.* Porrò si operatur Deus fidem nostram, miro modo agens in cordibus nostris ut credamus, nunquid metuendum est, ne totum facere non possit: & ideo homo sibi primas ejus vendicat partes, ut novissimas ab illo accipere mereatur? Videte si aliud agitur isto modo, nisi ut *gratia Dei secundum merita nostra detur* quolibet modo, ac sic *gratia iam non sit gratia.* Redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis; debetur enim credenti, ut à Domino ipsa fides augeatur, & sit merces fidei cœptæ, fides aucta: nec attenditur cùm hoc dicitur, *non secundum gratiam, sed secundum debitum istam mercedem* credentibus *imputari.* Cur autem non totum tribuatur homini, ut qui sibi potuit instituere quod non habebat, ipse quod instituit augeat, omninò non video: nisi quia resisti non potest divinis manifestissimis

Credere, est cum assensione cogitare.

Rom.4. 20. & 21.

Rom.11. 6.

festissimis testimonijs, quibus & fides, unde pietatis exordium sumitur, donum Dei esse monstratur: quale est illud, quòd *unicuique Deus partitus est mensuram fidei.* Et illud: *Pax fratribus & charitas cum fide à Deo Patre & Domino* IESV *Christo:* & cætera talia. Nolens ergo his tam claris testimonijs repugnare, & tamen volens à se ipso sibi esse quod credit; quasi componit homo cum Deo, ut partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat; & quod est clarius, primam tollit ipse, sequentem dat illi; & in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum.

Rom. 12. 3.
Ephes. 6. 23

CAPVT III.

NOn sic pius atque humilis Doctor ille sapiebat, Cyprianum beatissimum loquor, qui dixit *in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Quod ut ostenderet, adhibuit Apostolum testem dicentem: *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quo præcipuè testimonio etiam ipse convictus sum cùm similiter errarem, putans fidem qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus *temperanter, & iustè, & piè vivamus in hoc seculo.* Neque enim fidem putabam Dei gratia perveniri, ut per illam nobis daretur quod posceremus utiliter; nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis. Vt autem prædicato, nobis Euangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, ante Episcopatum meum scripta. In quibus est illud quod commemorastis in literis vestris, ubi est expositio quarundam propositionum ex Epistola quæ est ad Romanos. Denique cùm mea cuncta opuscula retractarem, eamque retractationem stylo prosequerer, cujus operis jam duos absolveram libros, antequam scripta vestra prolixiora sumpsissem, cùm ad hunc librum retractandum in primo volumine pervenissem, sic inde locutus sum. *Item disputans*, inquam, *quid elegerit Deus in nondum nato, cui dixit serviturum esse maiorem; & quid in eodem maiore similiter nondum nato reprobaverit; de quibus propter hoc commemoratur, quamvis longè posteà prolatum, propheticum testimonium*: Iacob dilexi, Esau autem odio habui; *ad hoc perduxi ratiocinationem, ut dice-*

1. Cor. 4. 7.

Malach. 1. 2. & 3.

Lib. 3. ad Quirinum cap. 4.

Augustinus fatetur se non rectè aliquando de gratia Dei sensisse.

Respondet ad locum suum prò in Epistola Hilario obiectum, ex libro expositionum quarundam propositionum Epistolæ ad Rom. Cap. 23.

ut dicerem: Non ergo elegit Deus opera cuiusquàm in præscientia quæ ipse daturus est; sed fidem elegit in præscientia, ut quem sibi creditu-rum esse præscivit, ipsum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando, etiam æternam vitam consequeretur. Nondum diligentiùs quæsiveram, nec adhuc inveneram qualis sit electio gratiæ; de qua idem dicit Apostolus; Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ *Rom. 11.5.* factæ sunt. *Quæ utique non est gratia, si eam ulla merita præcedunt; ne iam quod datur non secundum gratiam, sed secundum debitum, reddatur potiùs meritis, quàm donetur. Proinde quod continuò dixi; dicit enim idem Apostolus:* Idem Deus qui operatur omnia in *1.Cor.12.6* omnibus; *nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus, ac deinde subiunxi: Quod ergo credimus, nostrum est; quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum Sanctum: Profectò non dicerem, si iam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem spiritu. Vtrumque ergo nostrum est, propter arbitrium voluntatis; & utrumque tamen datum est per spiritum fidei & charitatis. Neque enim sola charitas, sed, sicut scriptum est;* Charitas cum fide à Deo Patre, & Domino IESV *Ephes.6.23.* Christo. *Et quod paulò post dixi; Nostrum est enim credere & velle; illius autem, dare credentibus & volentibus facultatem benè operandi per Spiritum Sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris, verum est quidem, sed eâdem regulâ, & utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem; & utrumque nostrum, quia non sit* *Prov.8.iuxta 70.* *nisi volentibus nobis. Ac per hoc quod etiam postea dixi; Quia neque velle possumus, nisi vocemur; & cùm post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster; nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat. Ac deinde subiunxi; Manifestum est ergo* non volentis neque currentis, sed miserentis Dei esse *quod benè operamur; omninò verissimum est. Sed parùm de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundum propositum Dei: Non enim omnium qui vocantur talis est, sed tantùm electorum.* Itaque quod paulò pòst dixi: *Sicut enim in his quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, ut per munus Dei benè operentur; sic in his quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœna meritum, ut per ipsam pœnam etiam malè operentur: verissimè dixi, sed fidei meritum etiam ipsum esse donum Dei, nec putavi quærendum esse, nec dixi. Et alio loco, Cuius enim miseretur, inquam, facit eum benè operari; & quem obdurat, relinquit eum ut malè operetur. Sed & illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur, & ista obduratio præcedenti iniquitati. Quod quidem verum est, sed adhuc quærendum erat, utrùm*

& meri-

& meritum fidei misericordia Dei praveniat: id est, utrùm ista misericordia ideo tantummodo fiat in homine, quia fidelis est; an etiam facta fuerit ut fidelis esset. Legimus enim dicente Apostolo; Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem: non ait, quia fidelis eram. Fideli ergo datur quidem, sed data est etiam ut esset fidelis. Rectissimè itaque alio loco in eodem libro dixi; Quoniam si non ex operibus, sed misericordiâ Dei & vocamur ut credamus, & credentibus præstatur, ut benè operemur, non est gentibus ista invidenda misericordia: quamvis minus ibi diligenter de illa, quæ per Dei propositum sit vocatione tractaverim.

CAPVT IV.

VIdetis certè quid tunc de fide atque operibus sentiebam, quamvis de commendanda Dei gratia laborarem: in qua sententia istos fratres nostros esse nunc video, quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum. Nam si curassent, invenissent istam quæstionem secundum veritatem divinarum Scripturarum solutam, in primo libro duorum quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, sancti Ambrosij successorem, in ipso exordio Episcopatûs mei; nisi fortè non eos noverunt. Quod si ita est, facite ut noverint. De hoc primo duorum illorum libro, in secundo Retractationum primùm locutus sum, qui sermo meus ita se habet: Librorum, inquam, quos elaboravi Episcopus, primi, duo sunt ad Simplicianum Ecclesiæ Mediolanensis antistitem, qui beatissimo successit Ambrosio, de diversis quæstionibus: quarum duas ex Epistola Pauli ad Romanos in primum librum contuli. Harum prior est de eo quod scriptum est; *Quid ergo dicemus, lex peccatum est? Absit*; usque ad illud ubi ait; *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per* IESVM *Christum Dominum nostrum.* In qua illa Apostoli verba; *Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum:* & cætera, quibus caro contra spiritum confligere ostenditur, eo modo exposui tanquam homo describatur adhuc sub lege, nondum sub gratia constitutus. Longè enim postea, etiam spiritalis hominis (& hoc probabilius) esse posse illa verba cognovi. Posterior in hoc libro quæstio est ab eo loco ubi ait; *Non solùm autem, sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patrem nostri*: usque ad illud

Simplicianus B. Ambrosij in Episcopatu Mediolanensi successor.

Rom.7.7.

Ibid.24. & 25.

Ibid.14.

Rom.9.10.

illud ubi ait; *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissemus & sicut Gomorra similes fuissemus.* In cujus quæstionis solutione elaboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit Dei gratia. Nec nisi ad illud potuit perveniri, ut liquidissimâ veritate dixisse intelligatur Apostolus; *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quod volens etiam Martyr Cyprianus ostendere, hoc totum ipso titulo definivit, dicens *in nullo gloriandum, quando nihil nostrum sit.* Ecce quare dixi superiùs, hoc Apostolico præcipuè testimonio etiam meipsum fuisse convictum; cùm de hac re aliter saperem, quàm mihi Deus in hac quæstione solvenda, cùm ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, revelavit. Hoc igitur Apostoli testimonium, ubi ad reprimendam hominis inflationem dixit; *Quid enim habes quod non accepisti?* non sinit quemquam fidelium dicere, habeo fidem quam non accepi; reprimiturque omninò his Apostolicis verbis tota hujus responsionis elatio. Sed ne hoc quidem potest dici; Quamvis non habeam perfectam fidem, habeo tamen ejus initium quo in Christum primitùs credidi; quia & hic respondetur: *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

1. Cor. 4. 7.

CAPVT V.

Suprà in Epistola Hilarij.

ILlud verò quod putant de hac fide ideo non posse dici; *Quid enim habes quod non accepisti; quia in eadem natura remansit, licet vitiata, quæ prius sana ac perfecta donata sit;* nihil ad id quod volunt valere intelligitur, sicut hoc Apostolus dixerit cogitetur: agebat enim, ne quisquam gloriaretur in homine, quoniam dissensiones exortæ fuerant inter Corinthios Christianos, ita ut unusquisque diceret; *Ego quidem sum Pauli,* alius autem, *ego Apollo*; alius verò, *ego Cephæ*; & inde ventum est, ut diceret; *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt tanquam sint, ut quæ sunt evacuet, ut non glorietur coram Deo omnis caro.* Hic certè contra humanam superbiam satis clara est Apostoli intentio, ne in homine quisquam glorietur, ac per hoc nec in se-ipso. Denique cùm dixisset, *ut non glorietur coram Deo omnis*

1. Cor. 1. 12 *Ibid.* 27. 28 & 29.

omnis caro; ut ostenderet in quo habeat homo gloriari, mox
Ibid. 30. & 31. addidit; *Ex ipso autem*, inquit, *vos estis in Christo* IESV, *qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia & sanctificatio & redemptio*; *ut quemadmodum scriptum est*, *Qui gloriatur*, *in Domino glorietur*; inde pervenit ista ejus intentio, ut posteà increpans
Ierem. 9. 23 & 24. 1 *Cor.* 3. 2. & *seq.* dicat, *Adhùc enim carnales estis: cùm enim sint inter vos æmulatio & contentio, nonné carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Cùm enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli, alius autem, ego Apollo; nonné homines estis? Quid ergo est Apollo, quid autem Paulus? Ministri per quos credidistis; & unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* Videtisne nihil agere Apostolum, nisi ut humilietur homo, & exaltetur Deus solus? Quandoquidem in eis qui plantantur & qui rigantur, nec ipsum plantatorem & rigarem dicit esse aliquid, *sed qui incrementum dat Deus*, quamvis & hoc ipsum quod ille plantat, hic rigat, non ipsis, sed Domino tribuat dicens, *Unicuique sicut Dominus dedit, ego plantavi, Apollo rigavit.* Hinc ergo in eadem intentione persistens, ad
Ibid. 21. hoc venit ut diceret, *Itaque nemo glorietur in homine.* Iam
1 *Cor.* 1. 31. enim dixerat: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Post hæc & alia nonnulla quæ his connectuntur, perducit illuc eadem
2 *Cor.* 4. 6. & 7. ipsa ejus intentio, ut dicat, *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me, & Apollo propter vos; ut in nobis discatis, né suprà quam scriptum est, unus pro altero insletur adversus alterum. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* In hac Apostoli evidentissima intentione, qua contra humanam superbiam loquitur, ne quisquam *in homine, sed in Domino glorietur*: dona Dei naturalia suspicari, sive ipsam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata est, sive vitiatæ naturæ qualescunque reliquias; nimis, quantum existimo, absurdum est. Nunquid enim per hæc dona quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus? Hic autem prius dixit, *Quis enim te discernit?* & deinde addidit, *Quid autem habes quod non accepisti?* Posset quippe dicere homo *inflatus adversus alterum*; discernit me fides mea, justitia mea, vel si quidem aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor, *Quid autem habes*, inquit, *quod non accepisti?* A quo, nisi ab illo qui *te discernit* ab alio, cui non donavit,

quod donavit tibi? *Si autem & accepisti*, ait, *quid gloriaris quasi non acceperis?* Nunquid quæso agit aliud, nisi *ut qui gloriatur, in Domino glorietur?* Nihil autem huic sensui tam contrarium est, quàm de suis meritis sic quemquam gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei: sed gratia quæ bonos discernit à malis, non quæ communis est & bonis & malis. Sit ergo gratia naturæ attributa, qua sumus animantia rationalia, discernimurque à pecoribus; sit etiam gratia naturæ attributa, qua in ipsis hominibus à deformibus pulchri, vel ingeniosi discernuntur à tardis, ac si quid ejusmodi est. Sed non se ille quem coërcebat Apostolus adversus pecus inflabat, nec adversus hominem alterum, de aliquo naturali munere quod inesse posset & pessimo; sed aliquod bonum quod pertineret ad vitam bonam, sibi non Deo tribuens inflabatur, quando audire meruit, *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* Vt enim sit naturæ, fidem posse habere, nunquid & habere? *Non enim omnium est fides*, cùm 2. Thes. 3. 2. fidem posse habere sit omnium. Non autem ait Apostolus, quid autem potes habere quod non accepisti, ut posses habere; sed ait, *Quid autem habes quod non accepisti?* Proinde posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium. Illa itaque natura in qua nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem; ipsa verò fides discernit ab infideli fidelem. Ac per hoc ubi dicitur, *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* quisquis audet dicere, habeo ex meipso fidem, non ergo accepi; profectò contradicit huic apertissimæ veritati: non quia credere vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis *præparatur voluntas à Domino.* Ideo ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est, pertinet. *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* Prov. 8. 35. iuxta 70.

Gratia Dei ea proprie est quæ bonos à malis discernit.

Posse habere fidem vel charitatem, naturæ est hominum; habere autem, gratiæ fidelium.

CAPVT

CAPVT VI.

MVlti audiunt verbum veritatis; sed alij credunt, alij contradicant: Volunt autem isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? sed cùm alijs præparetur, alijs non *præparetur voluntas à Domino*; discernendum est utique quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio. *Quod quærebat Israël*, ait Apostolus, *hoc non est consecutus; electio autem consecuta est: cæteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque in hodiernum diem. Et David dicit, Fiat mensa eorum in laqueum & in scandalum & in retributionem illis: obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva.* Ecce misericordia & judicium, misericordia in electione quæ consecuta est justitiam Dei; judicium verò in cæteros qui excæcati sunt: & tamen illi quia voluerunt, crediderunt; illi quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur & judicium in ipsis voluntatibus facta sunt. *Electio* quippe ista gratiæ est, non utique meritorum. Superiùs enim dixerat, *Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia.* Gratis ergo consecuta est, quod *consecuta est electio*; non præcessit eorum aliquid quod priores darent, & retribueretur illis: *pro nihilo* enim *salvos fecit eos. Cæteris* autem *qui excæcati sunt*, sicut ibi non tacitum est, in retributione factum est. *Vniversæ viæ Domini misericordia & veritas. Investigabiles* sunt autem *viæ eius. Investigabiles* igitur sunt, & *misericordia* quâ gratis liberat, & *veritas* quâ justè judicat.

Rom. 11. 7. & seq. Isa. 6. 9. Psal. 68. 23 Rom. 11. 5. & 6. Ibid. 35. Psal. 55. 8.

CAPVT VII.

SEd forsitan dicant, *Ab operibus* fidem distinguit Apostolus; *gratiam* verò *non ex operibus* esse dicit; non autem dicit, quod non sit ex fide. Ita verò est: sed ipsam quoque fidem *opus Dei* dicit esse IESVS & hanc ut operemur jubet. *Dixerunt enim ad eam Iudæi, Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Respondit* IESVS *& dixit eis, Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Sic ergo distinguit Apostolus *ab operibus* fidem, quem-

Ioan. 6. 28. & 29.

quemadmodum in duobus regnis Hebræorum distinguitur Iudas ab Israël, cùm & ipse Iudas sit Israël. Ex fide autem ideo dicit justificari hominem, non ex operibus; quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur; in quibus justè vivitur. Nam dicit etiam ipse, *Gratia salvi estis facti per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est*: id est, & quod dixi *per fidem, non ex vobis, sed Dei donum est.* Etiam fides, *non ex operibus*, inquit, *né fortè quis extollatur*: solet enim dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat & antequam crederet. Quod de Cornelio dici potest, cujus acceptæ sunt eleemosynæ & exauditæ orationes antequam credidisset in Christum: nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat. Nam *quomodo invocabat, in quem non crediderat?* Sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus: quamvis *nisi Dominus ædificaverit domum in vanum laboraverunt ædificantes eam.* Et dicitur nobis, *fides est à nobis, cætera à Domino ad opera iustitiæ pertinentia*: quasi ad ædificium non pertineat fides, quasi ad ædificium, inquam, non pertineat fundamentum. Quod si in primis & maximè pertinet, in vanum laborat prædicando ædificans fidem, nisi eam Dominus miserando intùs ædificet. Quicquid igitur & antequam in Christum crederet, & cùm credidisset, benè operatus est Cornelius; totum Deo dandum est, *ne fortè quis extollatur.*

Ex fide iustificari nos cur potiùs dixerit Apostolus, quàm ex operibus.

Fides ædificij spiritualis fundamentum.

Gal. 2. 16.

Ephes. 2. 8.

Ibid. 9.

Act. 10. 4.

Rom. 10. 14

Act. 10. 20.

Psal. 126. 1

CAPVT VIII.

PRoinde ipse unus Magister & Dominus quum dixisset quæ suprà commemoravi, *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille*; in eodem ipso sermone suo paulò post ait, *Dixi vobis, quia & vidistis me & non credidistis. Omne quod dat mihi pater ad me veniet.* Quid est, *ad me veniet*, nisi credet in me? Sed ut fiat, pater dat. Item paulò post, *Nolite*, inquit, *murmurare invicem; nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum: & ego eum resuscitabo in novissimo die. Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit à patre, & didicit, venit ad me.* Quid est, *omnis qui audivit à patre & didicit, venit ad me*, nisi, nullus est qui audiat & discat à patre, & non veniat ad me? Si enim *omnis qui audivit à patre & didicit, venit*; profectò omnis qui non venit, non audivit à patre, nec didicit: nam

Ioan. 6. 29.

Ibid. 36. & 37.

Ibid. 34. 44 45.

Esa. 54. 13.

nam si audisset & didicisset, veniret. Neque enim ullus audivit ac didicit, & non venit; sed *omnis*, ut ait veritas, *qui audivit à patre & didicit, venit.* Valdè remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua pater auditur, & docet ut veniatur ad filium. Ibi est & ipse filius, quia ipse est verbum ejus per quod sic docet, nec agit cum carnis aure, sed cordis. Simul est & ibi spiritus patris & filij; neque enim ipse non docet, aut separatim docet: inseparabilia quippe dicimus esse opera Trinitatis. Et ipse est utique Spiritus Sanctus, de quo Apostolus dicit; *Habentes autem eundem spiritum fidei.* Sed ideo patri hoc potissimum est attributum, quia de ipso est genitus unigenitus, & de ipso procedit Spiritus Sanctus: unde longum est enucleatiùs disputare, & de Trinitate, quæ Deus est, laborem nostrum in quindecim libris ad vos jam existimo pervenisse. Valde, inquam, remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Deus auditur & docet. Multos venire videmus ad filium, quia multos credere videmus in Christum; sed ubi & quomodo à patre audierint hoc & didicerint, non videmus. Nimirùm gratia ista secreta est, gratiam verò esse quis ambigat? Hæc itaque gratia quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde repuitur. Ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur. Quando ergo pater intus auditur, & docet ut veniatur ad filium, *aufert cor lapideum & dat cor carneum*, sicut Propheta prædicante promisit. Sic quippe facit *filios promissionis & vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Cur ergo non omnes docet, ut veniant ad Christum; nisi quia omnes quos docet, misericordia docet; quos autem non docet, judicio non docet: quoniam *cujus vult miseretur, & quem vult obdurat*; sed *miseretur*, bonum tribuens; *obdurat*, digna retribuens. Aut si & ista, ut quidam distinguere maluerunt, verba sunt ejus cui Apostolus ait, *Dicis itaque mihi*, ut ipse dixisse accipiatur, *ergo cujus vult miseretur, & quem vult obdurat*, & quæ sequuntur: id est, *Quid adhuc conqueritur; nam voluntati ejus quis resistit?* Nunquid responsum est ab Apostolo, *O homo*, falsum est quod dixisti? Non. Sed responsum est, *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem facere massa*, & sequentia quæ optimè nostis. Et tamen secundum quendam modum, omnes pater docet venire ad suum filium. Non

Schola Dei patris valdè occulta.

2. Cor. 4. 13.

Divinæ gratiæ potentia & energia.

Ezec. 11. 19

Rom. 9. 18.

Ibid. 19.

Ibid. 20. & 21.

Omnes doceri à Deo ad Christum ut veniant, quo sensu recte dicatur.

enim frustrà *scriptum est in Prophetis*, *Et erunt omnes docibiles Dei.* Ioan.6.45.
Quod testimonium cùm præmisisset, tunc subdidit, *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Sicut ergo integrè loquimur cùm de aliquo literarum magistro, qui in civitate solus est, dicimus; omnes iste hic literas docet; non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicunque ibi literas discit: ita rectè dicimus, omnes Deus docet venire ad Christum: non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit. Cur autem non omnes doceat, aperuit Apostolus quantum aperiendum judicavit: *quia volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, & ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Rom.9.22. & 23. Hinc est quòd *verbum crucis pereuntibus stultitia est, his autem qui salvi fiunt, virtus Dei est.* 1.Cor.1.18. Hos omnes docet venire ad Christum Deus, hos *omnes vult salvos fieri, & agnitionem veritatis venire.* 1.Tim.2.4. Nam & si illos quibus *stultitia est verbum Crucis*, ut ad Christum venirent docere voluisset, procul dubio venirent & ipsi. Non enim fallit aut fallitur qui ait, *Omnis qui audivit à patre & didicit, venit ad me.* Absit ergo ut quisquam non veniat, *qui à patre audivit & didicit. Quare*, inquiunt, *non omnes docet?* Si dixerimus, quia nolunt discere quos non docet, respondebitur nobis: Et ubi est quod ei dicitur; *Domine tu convertens vivificabis nos?* Psal.84.7. Aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Ecclesia secundùm præceptum Domini pro persecutoribus suis? Matt.5.44. Nam sic etiam voluit intelligi sanctus Cyprianus quod dicimus; *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*; hoc est, sicut in eis qui jam crediderunt & tanquam cœlum sunt; ita & in eis qui non credunt, & ob hoc adhuc terra sunt. Quid ergo oramus pro nolentibus credere, nisi ut *Deus in illis operetur & velle*? De Iudæis certè Apostolus ait, *Fratres, bona voluntas quidem cordis mei, & deprecatio ad Deum pro illis fit in salutem.* Orat pro non credentibus, quid, nisi ut credant? Non enim aliter consequuntur salutem. Si ergo fides orantium Dei prævenit gratiam; nunquid eorum fides pro quibus oratur ut credant, Dei prævenit gratiam? Quandoquidem hoc pro eis oratur, ut non credentibus, id est fidem non habentibus, fides ipsa donetur. Cùm igitur Euangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt, sed qui credunt prædicatore forinsecus insonante, intus à patre audiunt atque

Serm.6. super orat. Domin. Matt.6.10. Philip.2.13 Rom.10.1.

atque discunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus
Ioan. 6. 44. non audiunt, neque discunt: hoc est, illis datur ut credant, illis non datur; quia *nemo*, inquit, *venit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum*: quod apertiùs postea dicitur. Nam post aliquantum cùm de carne sua manducanda & bibendo sanguine suo loqueretur, & dicerent etiam quidam discipulorum
Ibid. 61. & 62. ejus, *Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciens* IESVS *apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis,*
Ibid. 64. & seq. *Hoc vos scandalizat?* Et paulò post, *Verba*, inquit, *quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt; sed sunt quidam ex vobis qui non credunt.* Et mox Euangelista, *Sciebat*, inquit, *ab initio* IESVS *qui essent credentes, & quis traditurus esset eum, & dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo.* Ergo trahi à patre ad Christum, & audire ac discere à patre, ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quàm donum accipere à patre, quo credat in Christum. Neque enim audientes Euangelium à non audientibus, sed credentes à non credentibus discernebat qui dicebat, *Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo.* Fides igitur & inchoata & perfecta, donum Dei est; & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari omninò non dubitet qui non vult manifestissimis sacris literis repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit *ex uno* omnes esse *in condemnationem*, sine dubitatione justissimam; ita ut nulla Dei esset justa reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Vnde constat magnam esse gratiam, quod plurimi liberantur, & quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur
1. Cor. 1. 31 agnoscunt; ut *qui gloriantur*, non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis, sed *in Domino glorientur*. Cur autem
Rom. 11. 33 istum potiùs quàm illum liberet, *inscrutabilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius.* Meliùs enim & hic audimus aut di-
Rom. 9. 20. cimus, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo*; quàm dicere audeamus quasi noverimus quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid injustum velle non potuit.

Trahi, audire, & discere à patre, quid.

CAPVT IX.

Epist. 49 quæst. 2.

ILlud autem quod in opusculo meo quodam contra Porphyrium sub titulo, De tempore Christianæ Religionis, me dixisse recolitis; ita dixi, ut hanc diligentiorem & operosiorem disputationem de gratia præterirem, non sanè omissa significatione, quod eam loco illo explicare noluissem, quæ posset aliàs vel ab alijs explicari. Nam ita locutus sum inter cætera, respondens propositæ quæstioni: cur Christus post tam longa tempora venerit. *Proinde*, inquam, *cùm Christo non obijciant, quòd eius doctrinam non omnes sequuntur; (sentiunt enim & ipsi, nequaquam hoc rectè obici posse, vel sapientiæ Philosophorum, vel etiam Numini Deorum suorum) quid respondebunt si excepta illa altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, ubi fortassis aliud divinum consilium longè secretiùs latet, sine præiudicio etiam aliarum fortè causarum, quæ à prudentibus investigari queunt, hoc solum eis brevitatis gratia, in huius quæstionis disputatione dicamus; tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam; quando sciebat & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. His enim temporibus & his locis quibus Euangelium eius non est prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat; quales non quidem omnes. sed tamen multi in eius corporali præsentia fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt: quales etiam nunc multos videmus, cùm tanta manifestatione de illo compleantur præconia Prophetarum, nolle adhuc credere, & malle humana astutia resistere, quàm tam clarè atque perspicuè tamq; sublimi & sublimiter diffamatæ, divinæ cedere authoritati. Quamdiu parvus & infirmus est intellectus hominis, divinæ debet credere veritati. Quid ergo mirum, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus seculis noverat, ut eis apparere vel prædicari meritò nollet; quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat? Neque enim incredibile est tales tunc fuisse omnes, quales ab eius adventu usque ad hoc tempus tam multos fuisse atque esse miramur; & tamen ab initio generis humani, aliàs occultiùs, aliàs evidentiùs, sicut congruere temporibus divinitùs visum est, nec prophetari destitit, nec qui in eum crederent, defuerunt: & ab Adam usque ad Moysen, & in ipso populo Israël, qua speciali quodam mysterio gens prophetica fuit; & in alijs gentibus antequam veniisset in carne. Cùm enim nonnulli commemorentur in sanctis Hebraicis libris, iam ex tempore Abrahæ, nec de stirpe eius,*

Quare Christus post tot tempora tandem in carne apparuerit.

eius, nec ex populo Israël, nec adventitia societate in populo Israël; qui tamen huius Sacramenti participes fuerunt: cur non credamus etiam in cæteris hac atque illac gentibus alios atque alios fuisse quamvis eos commemoratos in eisdem authoritatibus non legamus? Ita salus religionis huius, per quam solam veram, salus vera veraciterq́; promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit. Et ab exordio propagationis humanæ usque in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad iudicium prædicatur; ac per hoc & quibus omnimò annunciata non est, non crediturì præsciebantur, & quibus non crediturìs tamen annunciata est, in illorum exemplum demonstrantur. Quibus autem crediturìs annunciatur, hi regno cœlorum & Sanctorum Angelorum societati præparantur. Cernitisné me sine præiudicio latentis consilij Dei aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videretur? Quid enim est verius quàm præscisse Christum, qui & quando & quibus locis in eum fuerant crediturì? Sed utrùm prædicato sibi Christo à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrùm tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere ac disserere tunc necessarium non putavi. Proinde quod dixi, *tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse qui in eum fuerant crediturì:* posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse, qui *electi fuerant in ipso, ante mundi constitutionem.* Sed quoniam si ita diceretur, lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosiùs & laboriosiùs disputari; visum mihi est quod tunc satis erat, breviter esse dicendum, *excepta,* ut dixi, *altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, & sine præiudicio aliarum causarum,* de quibus non tunc, sed aliàs opportuniùs disputandum putavi.

Etiam extra gentem Iudaicam quidam olim post Abrahã salvati, ut Iob, Naamã Syrus & alij.

Ephes. 1. 4.

CAPVT X.

ITem quod dixi, *salutem religionis huius nulli unquam defuisse qui dignus fuit, & dignum non fuisse cui defuit*, si discutiatur & quæratur unde quisque sit dignus, non desunt qui dicant, voluntate humanâ; nos autem dicimus, gratiâ vel prædestinatione divinâ. Inter gratiam porrò & prædestinationem hoc tantùm interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia verò jam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus, *Non ex operibus, ne fortè quis extollatur; ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo* IESV *in operibus bonis*: gratia est. Quod autem sequitur, *Quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*, prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse; potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus. Unde dictum est, *Fecit quæ futura sunt.* Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata; quia etsi sunt quædam quæ ita peccata sunt, ut pœnæ etiam sint peccatorum, unde dictum est, *Tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt*; non ibi peccatum Dei est, sed judicium. Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, præparatio; gratia verò est ipsius prædestinationis effectus. Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium, dicens, *Patrem multarum gentium posui te*: Unde dicit Apostolus: *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini*, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines; quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcepit; non illi faciunt, ut ipse faciat quod promisit: alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ. Non autem sic credidit Abraham, *sed credidit dans gloriam Deo; quoniam quæ promisit potens est & facere*: non ait, prædicere; non ait, præscire, nam & aliena facta potest prædicere atque præscire; sed ait, *potens est & facere*: ac per hoc facta non aliena, sed sua. An fortè opera bona gentium Deus promisit Abrahæ in semine ipsius, ut hoc promitteret quod ipse facit; non autem promisit fidem gentium, quam sibi homines

Quid interſit inter prædeſtinationem & gratiam.

Præſcientia & prædeſtinatio quid diſtent.

Ephes. 2. 9. & 10.

Ibid.

Eſa. 45. iuxta 70.

Rom. 1. 24.

Gen. 17. 5. Rom. 4. 16.

Ibid. 20. & 21.

mines faciunt, sed ut promitteret quod ipse facit, illam præscivit homines esse facturos? Non quidem loquitur sic Apostolus; filios quippe promisit Deus Abrahæ, qui fidei ejus vestigia sectarentur; quod apertissimè dicit. Sed si opera gentium promisit, non fidem; profectò quoniam non sunt bona opera nisi ex fide, (*Iustus* enim *ex fide vivit, & omne quod non est ex fide, peccatum est*; & *sine fide impossibile est placere Deo*) nihilominùs ut impleat quod promisit Deus, in hominum est potestate. Nisi enim homo faciat quod Deo non donante ad hominem pertinet, non faciet ipse quod donet; hoc est nisi habeat homo fidem ex seipso, non implet Deus quod promisit, ut opera justitiæ dentur ex Deo. Ac per hoc ut promissa sua Deus possit implere, non est in Dei, sed in hominis potestate. Quod si veritas & pietas nos credere vetat; credamus cum Abraham, *Quoniam quæ promisit, potens est & facere.* Promisit autem filios Abrahæ, quod esse non possunt, si non habeant fidem: ergo ipse donat & fidem.

Abac. 2. 4. *Rom.* 14. *Heb.* 11.

Rom. 4. 21.

CAPVT XI.

Ibid. 16. SAnè cùm Apostolus dicat, *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio*; miror homines infirmitati suæ se malle committere, quàm firmitati promissionis Dei. *Sed incerta est mihi*, inquis, *de me-ipso voluntas Dei.* Quid ergo? Tua-né tibi voluntas de te ipso certa est, nec times? *Qui videtur stare, videat ne cadat.* Cùm igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori quàm infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit? *Sed cùm dicitur*, inquiunt, *Si credideris, salvus eris; unum horum exigitur, alterum offertur. Quod exigitur, in hominis; quod offertur, in Dei est potestate.* Cur non utrumque in Dei est, & quod jubetur, & quod offertur? Rogatur enim ut det quod jubet; rogant credentes, ut sibi augeatur fides: rogant pro non credentibus, ut eis donetur fides, ut & in suis incrementis, & in suis initijs Dei donum sit fides. Sic autem dicitur, *Si credideris, salvus eris*; quemadmodum dicitur, *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Nam & hic ex his duobus unum exigitur, alterum offertur. *Si spiritu*, inquit, *facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Vt ergo *spiritu facta carnis mortificemus*, exigitur; ut autem *vivamus*, offertur. Num igitur placet, ut *facta carnis mortificare* non donum Dei esse dicamus, neque id donum Dei esse fateamur; quo-

1. *Cor.* 10. 12.

Rom. 10. 9.

Sup. in Psal. Hilarij

Rom. 8. 13.

quoniam exigi audivimus à nobis præmio vitæ si hoc fecerimus, oblato? Absit, ut hoc placeat participibus & defensoribus gratiæ. Pelagianorum est error iste damnabilis; quorum mox Apostolus ora obstruxit, adjungens, *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, ne *facta mortificare* nos *carnis*, non per Dei, sed per nostrum spiritum crederemus. De quo Dei spiritu etiam ibi loquebatur, ubi ait, *Omnia autem hæc operatur unus atque idem spiritus, dividens propria unicuique prout vult.* Inter quæ omnia sicut scitis, nominavit & *fidem*. Sicut ergo quamvis donum Dei sit, *facta carnis mortificare*; exigitur tamen à nobis proposito præmio vitæ: ita donum Dei est & fides, quamvis & ipsa cùm dicitur, *Si credideris, salvus eris*; proposito præmio salutis exigatur à nobis. Ideò enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur quod & nos ea faciamus, & Deus facit ut illa faciamus; sicut per Prophetam Ezechiëlem apertissimè dicit: quid enim apertiùs quàm ubi dicit; *Ego faciam ut faciatis*? Locum ipsum scripturæ fratres charissimi attendite, & videbitis illa Deum promittere facturum se ut faciant, quæ jubet ut fiant. Non sanè ibi tacet etiam merita eorum, sed mala, quibus se ostendit reddere pro malis bona; hoc ipso quod eos facit habere deinceps opera bona, cùm ipse facit, ut faciant divina mandata.

Ibid. 14.

1. *Cor.* 12, 11

Ezech. 36. 27.

CAPVT XII.

SEd omnis hæc ratio quâ defendimus *gratiam Dei per* IESVM *Christum Dominum nostrum*, verè esse gratiam; id est, non secundum merita nostra dari, quamvis evidentissimè divinorum eloquiorum testimonijs asseratur; tamen apud eos, qui nisi aliquid sibi assignent, quod priores dent ut retribuatur eis, ab omni studio pietatis reprimi se putant; laboratur aliquando in ætate majorum, jam utentium voluntatis arbitrio; sed ubi venitur ad parvulos, & ad ipsum *mediatorem Dei & hominum, hominem Christum* IESVM, omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum assertio meritorum: quia nec illi ullis bonis præcedentibus meritis discernuntur à cæteris, ut pertineant ad liberatorem hominum; nec ille ullis humanis præcedentibus meritis, cùm & ipse sit homo, liberator factus est homium.

Rom. 7. 25.

Rom. 11. 35

1. *Tim.* 2. 5.

Quis

Quis enim audiat quod dicuntur parvuli pro suis futuris meritis in ipsa infatuli ætate baptizati exire de hac vita; & ideò alii non baptizati in eâdem ætate mori, quia & ipsorum præscita sunt merita futura, sed mala; non eorum vitam bonam vel malam Deo remunerante vel damnante? Sed nullum Apostolus quidem limitem fixit, quem transgredi non debeat hominis, vt mitiùs loquar, incauta suspicio. Ait enim, *Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum. Gessit*, inquit, non adiunxit, vel gesturus fuit. Sed vndè hoc talibus viris in mentē venerit nescio, vt futura quæ non sūt futura, puniantur, aut honorentur merita parvulorum. Cur autem dictum est, *secundum ea quæ per corpus gessit* hominem iudicandum, cùm gerantur multa solo animo, non *per corpus*, nec per vllum corporis membrum, & plerunq; tam magna, vt talibus cogitationibus pœna iustissima debeatur: sicuti est, vt alia taceam, quod *dixit insipiens in corde suo, non est Deus?* Quid est ergò, *secundum ea quæ per corpus gessit*; nisi secundùm ea quæ gessit eo tempore quo in corpore fuit, vt *per corpus* intelligamus corporis tempus? Post corpus autem nemo erit in corpore, nisi resurrectione novissimâ, non ad vlla merita comparanda, sed ad recipienda pro bonis meritis præmia, vel pro malis luenda supplicia. Hoc autem medio tempore inter depositionem & receptionem corporis, secundùm ea quæ gesserunt per corporis tempus, sive cruciantur animæ sive requiescunt. Ad quod tempus corporis pertinet etiam quod Pelagiani negant, sed Christi Ecclesia confitetur, originale peccatum: quo sive soluto per Dei gratiam, sive per Dei iudicium non soluto, cùm moriuntur infantes; aut merito regenerationis transeūt ex malis ad bona, aut merito originis transeunt ex malis ad mala. Hoc catholica fides novit, in hoc etiam nonnulli hæretici sine vlla contradictione consentiunt. Iudicari autem quemquam non secundùm merita quæ habuit quamdiù fuit in corpore, sed secundùm merita quæ fuerat habiturus si diùtiùs fuisset in corpore; vnde opinari poterint homines, quorum ingenia non esse contemptibilia vestræ indicant literæ, mirans & stupens reperire non possum; nec credere auderem, nisi vobis non credere non auderem: sed spero affuturum Deum, vt commoniti citò videant, ea quæ dicuntur futura fuisse peccata, si per Dei iudicium in non baptizatis possunt

Supra in ep. Prosperi. Neminē iudicari secundum ea opera quæ, si diutius viuerent, facturi fuerant.

Rom. 14. 10
2. Cor. 5. 10

Psal. 13. 1.

iure puniri, etiam per Dei gratiam baptizatis posse dimitti. Quicunq; enim dicit puniri tantùm posse Deo iudicante futura peccata, dimitti autem Deo miserante non posse, cogitare debet quantam Deo faciat gratiæq; eius iniuriam: quasi futurum peccatum prænosci possit, nec possit ignosci. Quod si absurdum est, magis ergò futuris si diù viverent peccatoribus, cùm in parvâ ætate moriuntur, lavacro quo peccata diluuntur, debuit subveniri.

CAPVT XIII.

QVòd si forsitan dicunt, pœnitentibus peccata dimitti, & ideò istos non baptizari in parvulâ ætate morientes, quia præsciti sunt pœnitentiam si viverent non acturi: eos autem qui baptizantur, & parvuli de corporibus exeunt, Deum præscisse acturos pœnitentiam fuisse si viverent: Attendant & videant, si ita est, non iam in parvulis sine baptismate morientibus peccata originalia vindicari, sed sua cuiusq; futura si viveret: itemq; baptizatis non originalia dilui, sed sua futura si viverent, quoniam non possent nisi in maiore ætate peccare: sed alios acturos pœnitentiam, alios non acturos fuisse prævisos; ideò alios baptizatos, alios sine baptismo exisse de hâc vitâ. Hoc si audirent Pelagiani, non iam laborarent negando originale peccatum, quærere parvulis extra regnum Dei nescio cuius suæ fælicitatis locum: maximè quãdò convincuntur non eos habere posse vitam æternam, qui non manducaverunt carnem, nec biberunt sanguinem Christi; & quia in eis, qui nullum habent omninò peccatum, fallus est baptismus qui in remissionem traditur peccatorum. Dicerent enim prorsùs nullum esse originale peccatum, sed pro suis futuris, si viverent, meritis vel baptizari vel non baptizari eos qui de corpore solvuntur infantes; & pro suis futuris meritis eos vel accipere vel non accipere corpus & Sanguinem Christi, sine quo vitam prorsùs habere non possunt; & in vera remissione peccatorum baptizari, quàmvis nullum ex Adam traherent: quoniam remittuntur eis futura peccata, de quibus illos Deus pœnitentiam præscivit acturos. Ità facillimè agerent atq; obtinerent causam suam, qua negant esse originale peccatum, & gratiam Dei non dari nisi secundùm

Ioan. 6.54.

dùm merita nostra contendunt. Sed quia hominum futura, quæ non sunt futura, proculdubiò nulla sunt merita, & hoc videre facillimũ est; ideò nec Pelagiani hoc dicere potuerũt, & multò magis nec isti dicere debuerunt. Dici enim non potest quàm molestè feram, quod viderunt Pelagiani esse falsissimum & absurdissimum; hoc non vidisse istos, qui nobiscum errorem illorum hæreticorum catholicâ authoritate condemnant.

CAPVT XIV.

SCripsit librum de mortalitate Cyprianus, multis ac penè omnibus qui Ecclesiasticas literas amant laudabiliter notum; in quo propterea dicit non solùm non esse fidelibus invtilem mortem, verùmetiam vtilem reperiri; quoniam peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitatem constituit. Sed quid prodest si etiam futura, quæ cõmissa non sunt, peccata puniuntur? Ait tamen ille copiosissimè atq; optimè, peccandi pericula nec deesse in istâ vitâ, nec superesse post istam. Vbi & illud testimonium ponit de libro
Sap 4.11. sapientiæ, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Quòd à me quoq; positum, fratres istos ità respuisse dixistis, tanquã non de libro canonico adhibitum; quasi & excepta huius libri attestatione res ipsa non clara sit, quam volumus
*Ibid.*7. hinc doceri. Quis enim audeat negare Christianus, *iustum, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio futurum?* Quilibet hoc dixerit, quis homo sanæ fidei resistendum putabit? Item si
Exech. 18. dixerit, *iustum, si à sua iustitia recesserit* in quâ diù vixit, & in
24. eâ fuerit impietate defunctus, in quâ non dico vnum annum, sed vnum diem vixerit, in pœnas iniquis debitas hinc iturum, nihil sibi præterita sua iustitia profutura: huic perspicuæ veritati quis fidelium contradicit? Porrò si quæratur à nobis, vtrùm si tunc esset mortuus quandò iustus, pœnas esset inventurus an requiem; nunquid requiem respondere dubitabimus? Hæc est tota causa cur dictum est, à quocunq; sit dictum, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Dictum est enim secundùm pericula vitæ huius, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat; id est, quod ei mortem immaturam fuerat

largiturus, vt tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. De hac quippe vita legitur in libro Iob, *Nunquid non tentatio est vita humana super terram?* Sed quare aliis concedatur, vt ex huius vitæ periculis dùm iusti sunt auferantur; alii verò iusti donec à iustitiâ cadant, in eisdem periculis vita productiore teneantur; *quis cognovit sensum Domini?* Et tamen hinc intelligi datur, etiam illis iustis, qui bonos pios q; mores vsque ad senectutis maturitatem, & diem vitæ huius vltimum servant, non in suis meritis, sed *in Domino* esse *gloriandum*; quoniam qui vitæ brevitate rapuit iustum *ne malitia mutaret intellectum eius*, ipse in quatacunq; vitæ longitudine custodit iustum, *ne malitia mutet intellectum eius*. Cur autem hic tenuerit casurum iustum, quem priùsquam caderet hinc posset auferre, iustissima omninò, sed *inscrutabilia sunt iudicia eius*. Quæ cùm ità sint, non debuit repudiari sententia libri sapientiæ; qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiæ Christi, tam longâ annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab Episcopis, vsque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos, cum veneratione divinæ authoritatis audiri. Certè enim si de divinarum scripturarum tractatoribus qui fuerunt ante nos, proferrem defensionem huius sententiæ, quam nunc solito diligentiùs atque copiosiùs contra novum Pelagianorum defendere vrgemur errorem; hoc est, gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, & gratis dari cui datur, *quia neque volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei:* iusto autem iudicio non dari cui non datur, quia *non est iniquitas apud Deum*. Si huius ergò sententiæ defensionem ex diuinorum eloquiorum nos præcedentibus catholicis tractatoribus promerem; profectò hi fratres, pro quibus nunc agimus, acquiescerent: hoc enim significastis literis vestris. Quid igitur opus est, vt eorum scrutemur opuscula, qui priùsquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod proculdubiò facerent, si respondere talibus cogerentur? Vndè factum est, vt de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis & transeunter attingerent; immorarentur verò in eis, quæ adversos alios inimicos Ecclesiæ disputabant, & in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo vivo, & vero

Liber sapientiæ canonica scriptura authoritatem obtinet in Ecclesia.

Sup. in epist Hilarij.

Iob. 7. 1. iuxta 70.

Rom. 11. 34.

Rom. 9. 16.

Ibid. 14.

vero pro adipiscendâ vitâ æternâ & verâ fœlicitate servitur: frequentationibus autem orationum simpliciter apparebat Dei gratia quid valeret; non enim poscerentur à Deo quæ præcepit fieri, nisi ab illo donaretur vt fierent. Sed qui sententiis tractatorum instrui volunt, oportet vt istum librum Sapientiæ vbi legitur, *Raptus est; ne malitia mutaret intellectum eius*; omnibus tractatoribus anteponant: quoniam sibi eum antepositum fuerunt etiam temporibus proximi Apostolorum egregij tractatores, qui eum testem adhibentes; nihil se adhibere nisi divinum testimonium crediderunt. Et certè beatissimũ Cyprianum disputasse constat, vt celerioris mortis beneficium commendaret, à peccatorum periculis eos eripi, qui hanc vitam finiunt in qua peccari potest. In eodem libro ait inter cætera: *Cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris; & quod diabolo careas, gratularis?* Et alio loco: *Pueri*, inquit, *periculum lubrica ætatis evadunt.* Itemque alio loco: *Quid non*, inquit, *properamus & currimus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus, Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute solicita.* His atque huiusmodi doctor ille sententiis in catholicæ fidei luce clarissimâ, satis aperteq; testatur, vsque ad huius corporis depositionem peccandi pericula tentationesque metuendas; deinceps nulla talia quenquam esse passurum. Quod etsi non testatur, quandò de hâc re Christianus qualiscunq; dubitaret? Quomodò igitur homini lapso, & in eodem lapsu istam vitam miserè finienti, atque ad pœnas eunti talibus debitas; quomodò inquã huic non plurimùm summèq; prodesset, si ex hoc tentationum loco priùsquàm laberetur, morte raperetur? Ac per hoc si absit nimis inconsiderata contentio, tota quæstio ista finita est de illo, qui *raptus est ne malitia mutaret intellectum eius.* Nec ideò liber Sapientiæ, qui tantâ numerositate annorum legi meruit in Ecclesiâ Christi, in quo & hoc legitur, pati debet iniuriam; quoniam resistit eis qui pro meritis hominum falluntur, vt veniant contra Dei manifestissimam gratiam, quæ maximè apparet in parvulis: quorum cum alij baptizati, alij non baptizati vitæ huius terminum sumunt, satis indicant *misericordiam & iudicium*; *misericordiam* quidem gratuitam, *iudi-*

Sap. 4. 11.

Cyprian. in lib. de mortalitate.

cium debitum. Si enim iudicarentur homines pro meritis suæ vitæ, quæ non haberent morte præveniente, sed habituri essent, si viverent; nihil prodesset ei, qui *raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*; nihil prodesset eis qui lapsi moriuntur, si antè morerentur: quod nullus dicere Christianus audebit. Quocircà non debent fratres nostri, qui nobiscum pro catholicâ fide perniciem Pelagiani erroris impugnant, huic Pelagianæ in tantùm favere opinioni, qua opinantur *gratiam Dei secundùm merita nostra dari*: vt quod illi audere non possunt, sententiam veram planè, & antiquitùs Christianam, *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*; destruere moliantur, & id astruere quod non dico creditum, sed somniatum neminem putaremus: secundùm ea scilicet iudicari quemquam mortuorum, quæ gesturus fuerat, si tempore prolixiore vixisset. Ità quippè claret invictum esse, quod dicimus, Gratiã Dei non secundùm merita nostra dari, vt huic veritati contradicentes ingentosi homines hæc ab omnium auribus & cogitationibus abigenda dicere cogerentur.

CAPVT XV.

Prædestinationis illustrissimum exemplum Christus Iesus.

Nestorius meritum hic statuere conatus post fuit.

EST etiam præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse salvator, ipse *mediator Dei & hominum*, *homo Christus Iesus*: qui vt hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana quæ in illo est, comparavit? Respondeatur quæso; ille homo, vt à verbo patri coæterno in vnitatem personæ assumptus, filius Dei vnigenitus esset, vndè hoc meruerit? quod eius bonum qualecunq; præcessit? Quid egit antè, quid credidit, quid petivit, vt ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Nonnè faciente ac suscipiente verbo, ipse homo, ex quo esse cæpit, filius Dei vnicus esse cæpit? Nonnè filium Dei vnicum fœmina illa *gratia plena* concepit? Nonne de spiritu sancto & Virgine Maria Dei filius vnicus natus est, non carnis cupidine, sed singulari Dei munere? Nunquid metuendum fuit, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? Anideò in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat? Nempè ista omnia singulariter admiranda, & alia si qua eius propria veris-

Libertas à peccato.

rissimè dici possunt, singulariter in illo accepit humana, hoc est nostra natura, nullis suis præcedentibus meritis. Respondeat hic homo Deo, si audet, & dicat, Cur non & ego?
Rom. 9. 20. Et si audierit, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo*; nec sic cohibeat, sed augeat impudentiam, & dicat, Quomodo audio, Tu quis es ô homo? Cùm sim quod audio, id est homo, quod est & ille de quo ago, cùr non sim quod & ille? At enim gratia ille talis ac tantus est. Cur diversa est gratia, vbi
Coloss. 3. 25 natura communis est? Certè *non est acceptio personarum apud Deum.* Quis non dico Christianus, sed insanus hæc dicat? Appareat itaq; nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, vndè secundùm vnius cuiusq; mensuram se per cuncta eius membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicunq; Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus: de ipso spiritu & hic renatus, de quo est ille natus; eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est vt nullum haberet ille peccatum. Hæc se Deus esse facturum profectò præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio sanctorum quæ in sancto sanctorum maximè claruit; quam negare quis potest rectè intelligentium eloquia veritatis? Nam & ipsum Dominum gloriæ inquantùm *homo factus est Dei filius* Dei filius, prædestinatum esse didicimus. Clamat doctor gentium in capite Epistolarum suarum, *Paulus Servus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.* Prædestinatus est ergò Iesus, vt qui futurus erat *secundùm carnem* filius David, esset tamen *in virtute filius Dei secundum spiritum sanctificationis*, quia natus est de spiritu sancto & virgine Maria. Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis à Deo verbo susceptio singularis, vt filius Dei & filius hominis simul, & filius hominis propter susceptum hominem, & filius Dei propter suscipientem vnigenitum Deum veraciter & propriè diceretur, ne non trinitas, sed quaternitas crederetur. Prædestinata est ista naturæ humanæ tanta & tam celsa & summa subvectio, vt quo attolleretur altiùs, non haberet; sicut pro nobis ipsa divinitas quovsq; se deponeret humilius, non habuit, quam suscepta natura hominis cum infir-

infirmitatè carnis, *vsque ad mortem crucis.* Sicut ergò prædestinatus est ille vnus, vt caput nostrum esset; ità multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus. Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam; & regnet quæ regnat *Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum*, vnicum Dei filium Dominum nostrum. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit; ipse in nobis membris eius præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat. Neq; enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, vt alienus ab omni obligatione peccati, de spiritu & virgine nasceretur. Sic & nobis vt *ex aqua & spiritu renasceremur*, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum; & si nos ad *lavacrum regenerationis* fides duxit, non ideò putare debemus, priores nos dedisse aliquid, vt retribueretur nobis regeneratio salutaris: ille quippe nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in quem credimus Christum; ille facit in hominibus principium fidei & perfectionem in Iesum, qui fecit hominem *principem fidei & perfectorem Iesum*; sic enim est appellatus, vt scitis, in Epistola quæ est ad Hebræos. Hebr. 12. 2.

CAPVT XVI.

Duplex vocatio.

VOcat enim Deus prædestinatos multos filios suos, vt eos faciat membra prædestinati vnici filij sui, non eâ vocatione quâ vocati sunt qui noluerunt venire ad nuptias; illâ quippè vocatione & Iudæi vocati sunt, quibus *Christus crucifixus scandalum est*; & gentes, quibus *Christus crucifixus stultitia est*: sed eâ vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, dicens *ipsis vocatis Iudæis & Græcis prædicare* illis Plan. *se Christum* Dei *virtutem & Dei sapientiam.* Sic enim ait, *Ipsis autem vocatis*: vt illos ostenderet non vocatos; sciens esse quandã certam vocationem eorum *qui secundùm propositum vocati sunt, quos præscivit & prædestinavit conformes imaginis filij sui.* Quam vocationem significans, ait, *Non ex operibus, sed ex vocante dictũ est ei, Quia maior serviet minori.* Nunquid dixit, *non ex operibus*, sed ex credente? Prorsùs etiam hoc abstulit homini, vt totum daret Deo. Dixit ergò, *sed ex vocante*; non quacunq; vocatione, sed quâ vocatione fit credens. Hanc etiam intuebatur, cùm dice-

Luc. 14. 16 & 17. 1 Cor. 1. 23. Ibid. 24. Rom. 8. 28 & 29. Rom. 9. 12. & 13.

diceret, *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio* Dei Nam & ibi quid
Rom. 11. 29 agebatur paulisper advertite. Cùm enim dixisset, *Nolo enim*
Ibid. 25. 26 & 27. *vos ignorare fratres sacramentum hoc, vt non sitis vobis sapientes; quia cæcitas ex parte in Israel facta est, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est, Veniet ex*
Esai 59. 20 *Sion qui eripiat, & avertat impietatem ab Iacob, & hoc illis à me*
Rom. 11. 28 *testamentum, cùm abstulero peccata eorum:* mox addidit quod diligenter intelligendum est: *Secundum Evangelium quidem inimici propter vos; secundum electionem autem dilecti, propter patres.* Quid est, *secundum Evangelium quidem inimici propter vos*; nisi, quòd eorum inimicitia quâ occiderunt Christum, Evangelio, sicut videmus, sine dubitatione profecit? Et hoc ostendit ex Dei dispositione venisse, qui benè vti novit etiam malis; non vt ei prosint *vasa iræ*, sed vt ipso illis benè vtente, prosint *vasis misericordiæ*. Quid enim apertiùs dici potuit, quàm id quòd dictum est, *Secundum Evangelium inimici propter vos?* Est ergò in malorum potestate peccare. Vt autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras & ordinantis eas, vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Act. 4. & seq. Dei. Legimus in actibus Apostolorum, cùm *dimissi* à Iudæis Apostoli *venissent ad suos, & indicassent quanta eis sacerdotes & seniores dixissent; levaverunt* illi *vocem vnanimes omnes ad Dominum,* Psal. 2. 1. & 2. *& dixerunt;* Domine tu es qui fecisti cælum & terram, & mare & *omnia quæ in eis sunt, qui per os patris nostri* David, *sancti pueri tui, dixisti, Quare fremuerunt omnes gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in vnum, adversus dominum & adversus Christum eius. Convenerunt enim in veritate in civitate ista, adversus sanctum puerum tuum Iesum quem*
Rom. 11. 28 *vnxisti, Herodes & Pilatus & populus Israel, facere quanta manus tua & consilium prædestinavit fieri.* Ecce quod dictum est, *secundum Evangelium quidem inimici propter vos.* Tanta quippè ab inimicis Iudæis *manus* Dei *& consilium prædestinavit fieri*, quanta
Ibid. necessaria fuerant Evangelio *propter vos.* Sed quid est quòd sequitur, *Secundum electionem autem dilecti propter patres?* Nunquid illi *inimici* qui in suis inimicitijs perierunt, & adversantes Christo de gente ipsa adhuc pereunt, ipsi sunt electi atque *dilecti?* Absit. Quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed vtrunq; licet sit inter se contrarium, id est, *inimici* & *dilecti*, quamvis

In malorum est potestate peccare: vt autè hoc vel illud malitia faciant, in solius Dei.

non in eosdem homines, tamen in eandem gentem convenit Iudæorum, & ad idem carnale semen Israel, alijs eorum ad claudicationem, alijs ad benedictionem Israel ipsius pertinentibus. Hunc enim sensum apertiùs superiùs explicavit, vbi ait, *Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est, cæteri verò excæcati sunt*; in vtriusque tamen idem ipse Israel. Vbi ergò audimus, *Israel non est consecutus*, vel *cæteri excæcati sunt*; ibi intelligendi sunt *inimici, propter vos*: vbi verò audivimus, *electio autem consecuta est*; ibi intelligendi sunt, *dilecti propter patres*; quibus patribus vtiq; ista promissa sunt. *Abrahæ* quippè *dictæ sunt promissiones & semini eius*. Vndè & in istâ olivâ oleaster inseritur gentium. Iam porrò electio quam dicit, quia secundùm gratiam, non secundùm debitum, debet vtiq; occurrere, quoniam *reliquiæ per electionem gratiæ factæ sunt*. *Hæc electio consecuta est, cæteris excæcatis*. Secundùm hanc electionem Israelitæ *dilecti propter patres*. Non enim vocatione illâ vocati sunt, de qua dictum est, *Multi vocati*; sed illa, quâ vocantur *electi*. Vndè & hic posteaquam dixit: *secundùm electionem autem dilecti propter patres*; continuò subiecit, vndè agimus, *sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio* Dei: id est, sine mutatione stabiliter fixa sunt. Ad hanc vocationem qui pertinent, *omnes sunt docibiles Dei*, nec potest eorum quisquam dicere, credidi vt sic vocarer: prævenit eum quippè misericordia Dei, quia sic vocatus est vt crederet. *Omnes* enim *docibiles Dei* veniunt ad filium, quoniam audierunt & didicerunt à patre per filium, qui evidentissimè dicit, *Omnis qui audivit à patre & didicit, venit ad me*. Istorum autem nemo perit, quia *omne quod dedit ei pater, non perdet ex eo quicquam*. Quisquis ergò indè est, omninò non perit; nec erit indè qui perit. Propter quod dictum est, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum*.

Ibid. 7.

Gal 3.16. Rom.11.17

Ibid. 5 & 7

Mat.20.16 Rom.11.28 & 29.

Esa.54.13.

Ioan.6.45.

Ibid. 39.

1. Ioan. 2. 19.

CAPVT XVII.

INtelligamus ergò vocationem quâ fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt; sed qui eliguntur vt credant. Hanc enim & Dominus ipse satis aperit, vbi dicit; *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Nam si propterea electi erant, quoniam crediderant; ipsi eum priùs vtique elegerant credendo in eum,

Ioan.15.16

eum, vt eligi mererentur. Aufert autem hoc omninò, qui dicit, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi.* Et ipsi quidem procul dubio elegerunt eum, quandò crediderunt in eum. Vndè non ob aliud dicit, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi*; nisi quia non elegerunt eum vt eligeret eos, sed vt eligerent eum ele-
Psal.58.11. git eos: quia *misericordia eius prævenit eos secundum gratiam*, non *secundum meritum*. Elegit ergò eos de mundo cùm hic ageret in carne, sed iam *electos in ipso, ante mundi constitutionem*. Hæc est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ. Nam
Eph.1.4. quid est quod ait Apostolus, *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem?* Quòd profectò si propterea dictum est, quia præscivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes; contra istam præscientiam loquitur filius, dicens, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi*: cùm hoc potiùs præscierit Deus quod ipsi eum fuerant electuri, vt ab illo mererentur eligi. Electi sunt itaq; *ante mundi constitutionem* eâ prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit; electi sunt autem de mundo ea vocatione, quâ Deus id quod prædestina-
Rom.8.30. vit, implevit. *Quos enim prædestinavit, ipsos & vocavit*; illa scilicet vocatione *secundum propositum*: non ergò alios, sed *quos prædestinavit, ipsos & vocavit*: nec alios, sed *quos* ita *vocavit, ipsos & iustificavit*; nec alios, sed *quos prædestinavit, vocavit, iustificavit, ipsos & glorificavit*; illo vtique fine qui non habet finem. Elegit ergò Deus fideles, sed vt sint; non quia iam erant.
Iac.2.5. Apostolus Iacobus dicit, *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Eligendo ergò facit *divites in fide*, sicut *hæredes regni*. Recte equippè in eis hoc eligere dicitur, quod vt in eis faciat, eos elegit. Rogo quis audiat Dominum dicentem, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi*; & audeat dicere, credere homines vt eligantur, quum potiùs eligantur vt credant, ne contra sententiam veritatis priores inveniantur elegisse Christum, quibus dicit Christus; *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos?* *Divites in fide quomodo Deus elegerit.*

CAPVT XVIII.

QVis audiat Apostolum dicentem, *Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mũdi constitutionem vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm placitum voluntatis suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius; remissionem peccatorum secundùm divitias gratiæ eius, quæ abundavit in nos in omni sapientia & prudentia, vt ostenderet nobis mysterium voluntatis suæ, secundùm bonam voluntatem suam, quam proposuit in illo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis sunt & quæ in terris in ipso; in quo etiam sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui vniversa operatur secundùm consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius.* Eph. 1. 3. & seq.

Quis inquam, hæc audiat diligenter & intelligenter, & audeat de hac, quam defendimus, tam clara veritate dubitare? *Elegit Deus in Christo ante constitutionem mundi* membra eius; & quomodo eligeret eos qui nondùm erant, nisi prædestinando? Elegit ergò prædestinans nos; nunquid eligeret impios & immundos? Nam si quæstio proponatur, vtrùm hos eligat, an potiùs sanctos & immaculatos, quid horum respondeat qui requiratur, ac non statim ferat pro sanctis immaculatisque sententiam? *Præsciebat ergò*, ait Pelagianus, *qui futuri essent sancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, quâ tales futuros esse præscivit, elegit. Elegit ergo*, inquit, *antequam essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos immaculatosque præscivit: vtique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse prævidit.* Intueamur ergò verba Apostoli, atque videamus vtrùm propterea *nos elegerit ante mundi constitutionem*, quia sancti & immaculati futuri eramus, an vt essemus? *Benedictus*, inquit, *Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui nos benedixit in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati.* Non ergò quia futuri eramus, sed *vt essemus*. Nempè certũ est, nempè manifestum est; ideò quippè tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans vt tales per gratiam eius essemus. Ità ergò

Deus quos & quomodo eligat, iustos an iniustos; quos tales per seipsos futuros prævidit, an quos vt tales faceret, prædestinavit.

ergò *nos benedixit benedictione spirituali in cœlestibus in Christo Iesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* Deindè quid adiungat, attendite, *Secundùm placitum*, inquit, *voluntatis suæ*; ne in tãto beneficio gratiæ Dei, placito gloriaremur voluntatis nostræ: *In qua gratificavit nos*, inquit, *in dilecto filio suo*; *in qua* vtiq; voluntate *gratificavit nos*. Sic dictum est, gratificavit à gratia, sicut iustificavit dicitur à iustitia. *In quo habemus*, inquit, *redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ eius, quæ abundavit in nos in omni sapientia & prudentia, vt ostenderet nobis mysterium voluntatis suæ, secundùm bonam voluntatem suam.* In hoc *mysterio voluntatis suæ* posuit *divitias gratiæ suæ, secundum bonam voluntatem suam*, non secundùm nostrã; quæ bona esse non posset, ni ipse *secundum bonam voluntatem suam* vt bona fieret subveniret. Cùm autem dixisset, *Secundùm bonam voluntatem suam*; subiecit, *Quam proposuit in illo*, id est *in dilecto filio suo*, *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris in ipso: in quo etiam & sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum eius, qui vniversa operatur secundùm consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius.* Nimis longum est de singulis disputare. Cernitis autem, proculdubiò cernitis, quantâ manifestatione Apostolici eloquij defendatur hæc gratia, contra quam merita extolluntur humana, tanquam homo aliquid prior det, vt retribuatur ei. *Elegit* ergò *nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum*; non quia per nos *sancti & immaculati* futuri eramus, sed elegit prædestinavitque *vt essemus*. Fecit autem hoc *secundum placitum voluntatis suæ*, vt nemo de suâ, sed de illius ergà se voluntate glorietur: fecit hoc *secundum divitias gratiæ suæ*, *secundum bonam voluntatem suam*, *quam proposuit in dilecto filio suo*, *in quo sortem consecuti sumus prædestinati secundùm propositum* non nostrũ, sed *eius qui vniversa operatur*, vsque adeo vt ipse *in nobis operetur & velle*. *Operatur* autem *secundùm consilium voluntatis suæ*, *vt simus in laudem gloriæ eius*. Hinc est autem quod clamamus, vt *nemo glorietur in homine*, ac per hoc nec in seipso; sed *qui gloriatur*, *in Domino glorietur, vt simus in laudem gloriæ eius*. Ipse quippè *operatur secundùm propositum suum, vt simus in laudem gloriæ eius*, vtique *sancti & immaculati*, propter quod *nos* vocavit *prædestinans ante*

Philip. 2. 13

1. Cor. 3. 21

1. Cor. 1. 31

mundi constitutionem. Ex hoc proposito eius est illa electorum propria vocatio quibus *omnia cooperatur in bonum:* quia *secundum propositum vocati sunt sancti, & sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* Rom. 8.28. Rom. 11.29

CAPVT XIX.

SEd hi nostri, de quibus vel pro quibus nunc agimus, fortitan dicunt, Pelagianos hoc Apostolico testimonio refutari, vbi dicit ideò *nos electos in Christo, & prædestinatos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Ipsi enim putant; acceptis præceptis iam per nosipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio *sanctos & immaculatos in conspectu eius in charitate;* quod futurum Deus quoniam præscivit, inquiunt, ideò *nos ante mundi constitutionem elegit & prædestinavit in Christo:* cùm dicat Apostolus, Non quia futuros tales nos esse præscivit, sed vt essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ, *qua gratificavit nos in dilecto filio suo:* cùm ergò *nos prædestinavit,* opus suum præscivit, quo nos *sanctos & immaculatos* facit. Vnde rectè hoc testimonio Pelagianus error arguitur. *Nos autem dicimus,* inquiunt, *nostram Deum non præscisse nisi fidem qua credere incipimus, & ideò nos elegisse ante mundi constitutionem ac prædestinasse, vt tam sancti & immaculati gratia atque opere eius essemus.* Sed audiant & ipsi in hoc testimonio vbi dicit: *sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum, qui vniversa operatur.* Ipse ergò vt credere incipiamus operatur, *qui vniversa operatur:* vocationem quippe illam de qua dictum est, *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei;* & de qua dictum est, *non ex operibus, sed ex vocante;* cùm posset dicere, sed ex credente; & electionem quam significavit Dominus, dicens, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi;* nec fides ipsa præcedit. Non enim quia credidimus, sed vt credamus elegit nos, ne priores eum elegisse dicamur, falsumq; sit, quod absit, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi.* Nec quia credidimus, sed vt credamus vocamur; atq; illa vocatione, quæ *sine pœnitentia est,* id prorsùs agitur & peragitur, vt credamus. Nec omnia repli canda sunt de hac re tam multa quæ diximus. Deniq; & in huius testimonij consequentibus; Deo gratias agit Apostolus pro his qui crediderunt, non vtique quia eis annunciatum est Evangelium, sed Ephes. 1.4. Ibid. 11. Rom. 11.29 Rom. 9.12. Ioan. 15.16.

Ephes. 1.13 & seq. sed quoniam crediderunt. Ait enim, *In quo & vos audientes verbum veritatis Evangelium salutis vestræ, in quo credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius: propter hoc & ego audita fide vestra in Christo Iesu & in omnes sanctos, non cesso gratias agere pro vobis.* Nova erat & recens eorum fides prædicato sibi Evangelio, qua fide audita, *gratias* DEO *pro eis agit* Apostolus. Si homini gratias ageret pro eo, quod illum vel putaret non præstitisse vel nosset, adulatio vel irrisio veriùs quàm gratiarum actio diceretur. *Nolite errare*, Deus *non irridetur:* Gal. 6.7. donum enim eius est etiam incipiens fides, ne Apostoli falsa vel fallax gratiarũ actio meritò iudicetur. Quid illud? Nonnè initium fidei apparet Thessalonicensium, de quo tamen idem Apostolus DEO *gratias agit*, dicens; 1. Thes. 2. 13. *Propterea & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cùm percepissetis à nobis verbum auditus* DEI, *excepistis non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei, quod operatur in vobis, qui credidistis.* Quid est quod hinc DEO *gratias agit?* Nempè vanum est atque inane, si cui gratias agit de hoc, quod ipse non fecit. Sed quia hoc vanum & inane non est, profectò DEUS cui de hoc opere gratias agit, ipse fecit: vt *cùm percepissent* ab Apostolo *verbum auditus* DEI, *exciperent* illud *non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum* DEI. Deus igitur operatur in cordibus hominum, vocatione illâ *secundum propositum suum*, de qua multùm loquuti sumus, vt non inaniter audiant Evangelium, sed eo audito convertantur & credant, *excipientes non vt verbum hominum, sed sicut* 1. Thes. 1. 6 *est verè verbum* DEI.

Fidei initiũ Dei donum est.

CAPVT XX.

ILlud etiam initium fidei hominum donũ Dei esse nos admonet cùm hoc significet Apostolus in Epistola ad Colossenses, *Orationi instate, vigilantes in illa in gratiarum actione, o-* Coloss 4.2. 3. & 4. *rantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium verbi sui ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam vinctus sum, vt manifestem illud ita vt oportet me loqui.* Quomodò aperitur *ostiũ verbi*, nisi quum sensus aperitur audientis vt credat, & initio fidei facto, ea quæ ad ædificandam salubrem doctrinam prædicantur & disputantur, admittat; ne per infidelitatem corde clauso ea quæ dicuntur, improbet ac repellat? Vndè & ad

Ostii apertio in Evangelio, quid.

Co-

Corinthios ait; *Permanebo autem Epheſi vſque ad Pentecoſten; oſtium enim mihi apertum eſt magnum & evidens, & adverſarij multi.* 1 Cor. 16. 8. & 9.

Quid hic aliud poteſt intelligi, niſi prædicato ibi per eum primitùs Evangelio credidiſſe multos, & multos eiuſdem fidei adverſarios extitiſſe, ſecundùm illud Domini; *Nemo ad me venit, niſi cui datum fuerit à patre meo:* Et, *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni cœlorum, illis autem non eſt datum?* *Oſtium* ergò *apertum eſt* in eis quibus *datum eſt*; *adverſarij* autem *multi* eis quibus *non eſt datum*. Itemque ad eoſdem in ſecunda Epiſtola idem Apoſtolus; *Cùm veniſſem*, inquit, *Troadem in Evangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino, non habui requiem ſpiritui meo, eo quod non invenì Titum fratrem meum; ſed vale illis faciens exij in Macedoniam.* Quibus *vale fecit*, niſi eis qui crediderant, in quorum ſcilicet cordibus Evangelizanti *apertum eſt oſtium*? Quid autẽ adiungat attendite: *Deo autem*, inquit, *gratias qui ſemper triumphare nos facit in Chriſto, & odorem notitiæ ſuæ per nos manifeſtat in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt; quibuſdam quidem odor mortis in mortem, quibuſdam autem odor vitæ in vitam.* Ecce vndè gratias agit miles acerrimus & defenſor invictiſſimus gratiæ: eccè vnde gratias agit, *quia Chriſti bonus odor* ſunt Apoſtoli *Deo*, & *in his qui ſalvi fiunt* gratia eius, *& in his qui pereunt* iudicio eius. Sed vt minùs ſuccenſeatur ab hæc parùm intelligentibus ipſe admonet, cùm adiungit & dicit: *Et ad hæc quis idoneus?* Verùm redeamus ad oſtij apertionem, quâ initium fidei audientium ſignificavit Apoſtolus. Quid eſt enim, *Orantes ſimul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium verbi*: niſi apertiſſima demonſtratio, etiam ipſum initium fidei eſſe donũ Dei? Non enim orando peteretur ab eo, niſi ab ipſo tribui crederetur. Hoc donum cœleſtis gratiæ in illam *purpurariam* deſcenderat, cui, ſicut ſcriptura dicit in Actibus Apoſtolorum, *Deus aperuerat ſenſum eius, & intendebat in ea quæ à Paulo dicebantur*: ſic enim vocabatur, vt crederet. Agit quippè Deus quod vult in cordibus hominum, vel adiuvando, vel iudicando, vt etiam per eos impleatur quod *manus eius & conſilium prædeſtinavit fieri*. Fruſtrà itaque etiam illud, quod Regnorum & Paralipomenon ſcriptura teſte probavimus, cùm Deus vult fieri quod non niſi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda vt hoc velint, eo ſcilicet inclinante, *qui in nobis* mirabili modo & ineffabili *operatur & velle*; ad cauſam de quâ diſſe-

1 Cor. 16. 8. & 9.
Ioan. 6. 66. Mat. 13. 11. Luc. 8. 10.
2. Cor. 2. 12 & 13.
Ibid. 14. 15. & 16.
Ibid. 16.
Coloſſ. 4. 3.
Act. 16. 14.
Act. 4. 28. 1. Reg. 10. 25. & ſeq. 1. Paral. 11. 28.

Supraius ex Hilarij.

differimus, non pertinere dixerunt. Quid enim est aliud, nihil dicere, & tamen contradicere; nisi fortè cur eis hoc visum sit, rationem vobis aliquam reddiderunt, quam vos in literis vestris tacere maluistis? Sed quæ illa esse possit ignoro. An fortè quia ostendimus hoc Deum egisse in cordibus hominum, & ad hoc perduxisse quorum ei placuit voluntates, vt rex constitueretur Saul sive David? Ideo hæc exempla causæ huic convenire non putant, quoniam non hoc est temporaliter regnare in hoc seculo, quod est in æternum regnare cum Deo: ac per hoc existimant ad regna terrena facienda Deum inclinare; ad regnum verò cœleste obtinendum Deũ non inclinare quorũ voluerit voluntates? Sed puto propter regnum cælorum, non propter regnum terrenum esse dictum:

Psal. 118. 36 *Inclina cor meum in testimonia tua.* Vel, *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet.* Vel, *Paratur voluntas à domino,*
Psal. 26. 23. Vel, *Fiat dominus noster nobiscum, sicut erat cum patribus nostris; non derel inquat nos, nec avertat nos a se; inclines corda nostra ad se, vt eamus in omnibus vijs eius.* Vel, *Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes.* Vel, *Dabo eis cor aliud, & spiritum novum dabo eis.* Audiant etiam illud; *Spiritum meum dabo in vobis, & faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea observetis, & faciatis.* Audiant; *A domino diriguntur gressus viri, mortalis autẽ quomodo intelligit vias suas?* Audiant; *Omnis vir videtur sibimetipsi iustus, dirigit autẽ corda Dominus.* Audiant; *Crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam.* Audiant hæc & alia quæcunque non dixi, quibus ostenditur Deus ad regnum etiam cœlorum, & ad vitam æternam parare & convertere hominum voluntates. Cogitate autem quale sit, vt credamus ad constituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum, & ad capessendum regnum cœlorum homines operari voluntates suas. Multa diximus, & fortasse iam dudùm potuimus persuadere quæ volumus, & adhuc tam bonis ingeniis sic loquimur quasi obtusis, quibus & quod nimiùm est, non est satis.

Prov. 8. iuxta 70. 3. Reg. 8. 57. & 58 Baruch. 2. 31. Ezech. 11. 19. Ezech. 36 27. Prov 20. 24 Prov 21. 2. Act. 13. 48.

CAPVT XXI.

SEd dent veniam, novaenim quæstio ad hoc nos compulit: quia cùm in prioribus opusculis nostris satis idoneis testimoniis egissemus donum Dei esse etiam fidem, inventum est quod contradiceretur, ad hoc valere illa testimonia, vt ostendant Dei donum esse incrementum fidei: initium verò fidei quo in Christum primitùs creditur, ab homine ipso esse, nec esse donum Dei; sed hoc exigere Deum, vt cùm id præcesserit, cætera tanquam hoc merito consequantur quæ Dei dona sunt, nec vllum eorum dari gratis, cùm in eis Dei gratia, quæ non nisi gratuita est, prædicetur. Quod videtis quam sit absurdum, propter quod instituimus quantùm potuimus, vt etiam ipsum initium fidei donum Dei esse ostenderemus. Quod etsi diutiùs fecimus, quam forsitan vellent hi propter quos fecimus: hinc ab eis reprehendi parati sumus; dùm tamen & si multò diutiùs quam vellent, & si cum fastidio ac tædio intelligentium, fateantur nos fecisse quod fecimus, id est etiam initium fidei, sicut continentiam, patientiam, iustitiam, pietatem, & cætera, de quibus cum his nulla contentio est, donum Dei esse docuisse. Hic ergo sit huius voluminis terminus, ne offendat vnius nimia longitudo.

Libri primi finis.

DIVI

DIVI AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

Ad Prosperum & Hilarium

LIBER SECVNDVS,

Qui est de bono perseverantiæ.

Docet perseverantiam vsque in finem vitæ, Dei esse donum.

CAPVT I.

TAM de perseverantia diligentiùs disputandum est. Nam & in priore libro cùm ageremus de initio fidei, etiam de hac aliqua diximus. Asserimus ergò donum Dei esse perseverantiã qua vsque in finem perseveratur in Christo: finem autem dico quo vita ista finitur, in qua tantummodò periculum est ne cadatur. Itaque vtrùm quisq; hoc munus acceperit quamdiù hanc vitam ducit, incertum est. Si enim priùsquam moriatur cadat, non perseverasse vtique dicitur, & verissimè dicitur. Quomodò ergò perseverantiam qui non perseveravit, accepisse vel habuisse dicendus est? Nam si habeat aliquis continentiam, & ab ea decidat atque incontinens fiat, si iustitiam, similiter si patientiam, si ipsam fidem, rectè dicitur habuisse & non habere. Continens enim fuit vel iustus fuit, vel patiens vel fidelis fuit, quamdiù fuit: cùm verò esse desistit, non est quod fuit: qui verò non perseveraverit, quomodò perseverans fuit; cùm perseverando quisq; se ostendat perseverantem, quod iste non fecit? Sed ne quisquam reluctetur & dicat, si ex quo fidelis quisq; factus est, vixit, verbi gratia, decem annos, & eorum medio tempore à fide

lapsus est, nonne quinque annos perseveravit? Non contendo de verbis, si & illa perseverantia putatur esse dicenda tanquã temporis sui; hanc certè de quâ nunc agimus perseverantiam qua in Christo perseveratur vsq; in finem, nullo modo habuisse dicendus est, *qui* non *perseveraverit vsque in finem*: potiùsq; hanc habuit vnius anni fidelis, & quantùm infrà cogitari potest, si donec moretur fideliter vixit; quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem à fidei stabilitate defecit.

De qua hic perseverantia disputetur.

CAPVT II.

QVo constituto videamus vtrùm hæc perseverantia, de quâ dictum est; *Qui perseveraverit vsque in finem, hic salvus erit*; donum sit Dei. Quod si non sit, quomodo verum est quod Apostolus ait; *Vobis donatum est pro Christo, non solum vt credatis in eum, verumetiam, vt patiamini pro eo?* Horum quippè vnum pertinet ad initium alterum ad finem: vtrunque tamen est Dei donum, quia vtrunque dictum est *esse donatum*, sicut & superiùs iam diximus. Quod enim est initium veriùs Christiano, quam *credere in Christum*? Quis finis melior est quam *pati pro Christo*? Sed quod ad id pertinet vt credatur in Christum, qualiscunque inventa est contradictio, vt donum Dei non initium, sed augmentum fidei diceretur; cui opinioni donante domino satis superque respondimus. Quid autem dici potest, cur perseverantia vsque in finem non donetur in Christo, cui *donatur pati pro Christo*, aut, vt expressiùs loquar, cui donatur mori pro Christo? Nam & Petrus Apostolus donũ Dei hoc esse demonstrans; *Melius est*, inquit, *benefacientes, si velit voluntas Dei, pati, quam malefacientes.* Cùm dicit, *si velit voluntas Dei*; ostendit hoc diviniùs donari, nec omnibus sãctis vt pro Christo patiantur: neq; enim quos non vult Deus pervenire ad experientiam gloriamq; passionis, non perveniut ad regnum Dei, *si perseveauerint* in Christo *usque in finem.* Sed quis dicat istis non donari perseverantiam, qui ægritudine corporis, vel quocunq; casu moriuntur in Christo; cùm longè difficilior donetur illis à quibus suscipitur & mors ipsa pro Christo? Multo quippe difficiliùs perseveratur, vbi hoc agit qui persequitur ne perseveretur, & propterea vsque ad mortem sustinetur, vt perseveretur. Illam proindè difficiliu[s]

Matt. 10. 22

Philip. 1. 29

Fides initiũ est hominis Christiani martyrium pro Christo finis optimus.

1. Pet. 3. 17.

per-

perseverantiam, istam faciliùs est habere; sed cui nihil difficile est, facile est vtramq́, donare. Hanc enim promisit Deus,
Hier. 32.40 dicens: *Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant.* Quod quid est aliud, quam talis ac tantus erit *timor meus* quē *dabo in cor eorum*, vt mihi perseveranter adhæreant? Cur autē perseverantia ista poscitur à Deo, si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est, cùm id ab eo petitur quod scitur ipsum non dare; sed ipso non donante esse in hominis potestate? sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit? Sed quod
Gal. 6.7. ibi dixi, hoc & hic dico. *Nolite errare*, inquit Apostolus, *Deus non irridetur.* O homo non verborum tuorum tantum, verùmetiam cogitationum testis est Deus; si aliquid à tanto divite veraciter, ac fideliter poscis, ab illo à quo poscis, te accipere crede quod poscis. Noli eum *labiis honorare*, & super eum corde te extollere, credens à teipso tibi esse, quod ab illo te fingis orare. An ab illo perseverantia ista fortè non poscitur, iam hoc qui dicit, non meis disputationibus refellendus, sed sanctorum orationibus revocandus est. An verò quisquā eorum est, qui non sibi poscat à Deo vt perseveret in eo, cum ipsa oratione quæ Dominica nuncupatur, quia eandem Dominus docuit, quando oratur à sanctis, nihil penè aliud quam perseverantia poscì intelligatur? Legite aliquanto intentiùs eius expositionem in beati Cypriani martyris libro, quem de hac re condidit, cuius est titulus De Dominica oratione; & videte ante quot annos contra ea quæ futura erant Pelagianorum venena, quale sit antidotum præparatum. Nam tria sunt, vt scitis, quæ maximè adversùs eos catholica defendit Ecclesia. Quorum est vnum, gratiam Dei non secundùm merita nostra dari; quoniam Dei dona sunt, & Dei gratia etiam conferuntur merita vniversa iustorum. Alterum est; in quantacunq; iustitia sine qualibuscunq; peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum; nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione solvatur. Horum trium hoc, quod loco vltimo posui, solùm non tractatur in supradicto glorioſi martyris libro. De duobus verò cæteris tanta illic perspicuitate differitur, vt supradicti hæretici novi, inimici gratiæ Christi

Lib. super. cap. 19.

Perseverantiam tota penè oratione dominicâ petimus.

Pelagiana doctrina tria potissimum capita.

lapsus est, nonne quinque annos perseveravit? Non contendo de verbis, si & illa perseverantia putatur esse dicenda tanquã temporis fui; hanc certè de quâ nunc agimus perseverantiam qua in Christo perseveratur vsq; in finem, nullo modo habuisse dicendus est, *qui* non *perseveraverit vsque in finem*: potiùsq; hanc habuit vnius anni fidelis, & quantùm infrà cogitari potest, si donec moretur fideliter vixit; quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem à fidei stabilitate defecit.

De qua hic perseverantia disputetur.

CAPVT II.

QVo constituto videamus vtrùm hæc perseverantia, de quâ dictum est; *Qui perseveraverit vsque in finem, hic salvus erit*; donum sit Dei. Quod si non sit, quomodo verum est quod Apostolus ait; *Vobis donatum est pro Christo, non solum vt credatis in eum, verumetiam, vt patiamini pro eo?* Horum quippè vnum pertinet ad initium alterum ad finem: vtrunque tamen est Dei donum, quia vtrunque dictum est *esse donatum*, sicut & superiùs iam diximus. Quod enim est initium veriùs Christiano, quam *credere in Christum*? Quis finis melior est quam *pati pro Christo*? Sed quod ad id pertinet vt credatur in Christum, qualiscunque inventa est contradictio, vt donum Dei non initium, sed augmentum fidei diceretur; cui opinioni donante domino satis superque respondimus. Quid autem dici potest, cur perseverantia vsque in finem non donetur in Christo, cui *donatur pati pro Christo*, aut, vt expressiùs loquar, cui donatur mori pro Christo? Nam & Petrus Apostolus donũ Dei hoc esse demonstrans; *Melius est*, inquit, *benefacientes, si velit voluntas Dei, pati, quam malefacientes.* Cùm dicit, *si velit voluntas Dei*; ostendit hoc diviniùs donari, nec omnibus sãctis vt pro Christo patiantur: neq; enim quos non vult Deus pervenire ad experientiam gloriamq; passionis, non perveniut ad regnum Dei, *si perseveauerint* in Christo *usque in finem.* Sed quis dicat istis non donari perseverantiam, qui ægritudine corporis, vel quocunq; casu moriuntur in Christo; cùm longè difficilior donetur illis à quibus suscipitur & mors ipsa pro Christo? Multo quippe difficiliùs perseveratur, vbi hoc agit qui persequitur ne perseveretur, & propterea vsque ad mortem sustinetur, vt perseveretur. Illam proindè difficiliu-

Matt.10.22

Philip.1.29

Fides initiũ est hominis Christiani martyrium pro Christo finis optimus.

1.Pet.3.17.

per-

perseverantiam, istam faciliùs est habere; sed cui nihil difficile est, facile est vtramq, donare. Hanc enim promisit Deus,
Hier. 32.40 dicens: *Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant.* Quod quid est aliud, quam talis ac tantus erit *timor meus* quē *dabo in cor eorum*, vt mihi perseveranter adhæreant? Cur autē perseverantia ista poscitur à Deo, si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est, cùm id ab eo petitur quod scitur ipsum non dare; sed ipso non donante esse in hominis potestate? sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit? Sed quod
Gal. 6.7. ibi dixi, hoc & hic dico. *Nolite errare*, inquit Apostolus, *Deus non irridetur.* O homo non verborum tuorum tantum, verùmetiam cogitationum testis est Deus; si aliquid à tanto divite veraciter, ac fideliter poscis, ab illo à quo poscis, te accipere crede quod poscis. Noli eum *Labiis honorare*, & super eum corde te extollere, credens à teipso tibi esse, quod ab illo te fingis orare. An ab illo perseverantia ista fortè non poscitur, iam hoc qui dicit, non meis disputationibus refellendus, sed sanctorum orationibus revocandus est. An verò quisquā eorum est, qui non sibi poscat à Deo vt perseveret in eo, cum ipsa oratione quæ Dominica nuncupatur, quia eandem Dominus docuit, quando oratur à sanctis, nihil penè aliud quam perseverantia posci intelligatur? Legite aliquanto intentiùs eius expositionem in beati Cypriani martyris libro, quem de hac re condidit, cuius est titulus De Dominica oratione; & videte ante quot annos contra ea quæ futura erant Pelagianorum venena, quale sit antidotum præparatum. Nam tria sunt, vt scitis, quæ maximè adversùs eos catholica defendit Ecclesia. Quorum est vnum, gratiam Dei non secundùm merita nostra dari; quoniam Dei dona sunt, & Dei gratia etiam conferuntur merita vniversa iustorum. Alterum est; in quantacunq; iustitia sine qualibuscunq; peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum; nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione solvatur. Horum trium hoc, quod loco vltimo posui, solùm non tractatur in supradicto glorioso martyris libro. De duobus verò cæteris tanta illic perspicuitate differitur, vt supradicti hæretici novi, inimici gratiæ Christi

Lib. super. cap. 19.

Perseverantiam tota penè oratione dominicâ petimus.

Pelagiana doctrina tria potissimum capita.

longè ante reperiantur conviĉti esse quàm nati. In his ergò meritis sanctorum, quæ nulla nisi Dei dona sunt, etiam perseverantiam donum Dei esse sic loquitur. *Dicimus*, inquit; *Sanctificetur nomen tuum*; *non quod optemus* DEO *vt sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus ab eo, vt nomen eius sanctificetur in nobis. Caterum à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit; sancti estote, quoniam & ego sanctus sum: id petimus & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quòd esse cœpimus, perseveremus.* Et paulò post de hac ipsa re adhuc disputans, & docens nos perseverantiam petere à Domino; quod nullo modo rectè & veraciter faceret, nisi eius donum etiam hoc esset: *hac*, inquit, *sanctificatio, vt in nobis permaneat oramus, & quia* DOMINUS *& iudex noster, sanato à se & vivificato comminatur non delinquere, ne quid ei deterius fiat: hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus & noctibus postulamus, vt sanctificatio & vivificatio qua de* DEI *gratia sumitur, ipsius protectione servetur.* In sanctificatione igitur perseverantiam, hoc est, vt in sanctificatione perseveremus, nos ab eo petere iste doctor intelligit, cùm sanctificati dicimus, *Sanctificetur nomen tuum.* Quid est enim aliud petere quod accepimus, nisi vt id quoque nobis præstet, ne habere desinamus? Sicut ergò sanctus, cùm Deum rogat vt sanctus sit, id vtique rogat vt sanctus esse permaneat; ita vtique & castus, cùm rogat vt castus sit: continens, vt continens sit; iustus, vt iustus sit; pius, vt pius sit; & cætera, quæ contra Pelagianos dona Dei esse defendimus, hoc sine dubio petunt vt in eis perseverent bonis, quæ se accepisse noverunt. Quod si accipiunt, profectò & ipsam perseverantiam magnum Dei donum quo cætera dona eius conservantur, accipiunt. Quid cùm dicimus, *Veniat regnum tuum:* nùm aliud poscimus, nisi vt veniat & nobis quod esse venturum non dubitamus omnibus sanctis? Ergò & hi qui iam sancti sunt, quid orant, nisi vt in ea sanctitate quæ illis data est, perseverent? Neque enim aliter eis veniret regnum Dei, quod non aliis, sed his *qui perseverant vsque in finem*, certum est esse venturum.

Cipria. ser. de orat. dō.

Mat. 6. 9.

Levit. 19. 2

Ioan. 5. 14

Quomodo petamus quæ accipimus.

Mat. 6. 10.

CAP.

CAPVT III.

Ibid. TErtia petitio est, *Fiat voluntas tua in cœlo & in terra:* vel, quod in plerisque codicibus legitur, magisq; ab orantibus frequentatur, *sicut in cœlo & in terra.* Quod plerique intelligunt, sicut sancti angeli faciunt, & nos faciamus voluntatem tuam. Vult autem ille doctor & martyr, cœlum & terram intelligi spiritum & carnem, & hoc nos orare, vt voluntatem Dei re vtraque concordante faciamus. Vidit in his verbis & alterum sensum sanissimæ fidei congruentem, de quo iam suprà loquuti sumus: vt scilicet pro infidelibus qui sunt adhuc terra, terrenum tantùm hominem primâ nativitate portantes, orare intelligantur fideles, qui cœlesti homine induti, non immeritò cœli nomine nuncupantur. Vbi evidenter ostendit, & initium fidei esse donum Dei, quandò non tantùm pro fidelibus vt augeatur in eis vel perseveret fides, verùmetiam pro infidelibus vt habere incipiant eam, quam penitùs non habebant, & contra quam corda insuper inimica gestabant, sancta orat Ecclesia. Verùm nunc non de initio fidei, de quo in superiori libro multa iam diximus: sed de illa quæ habenda est vsq; in finem perseverantia disputamus, quã petunt vtiq; etiam sancti qui faciunt voluntatem Dei, dicentes in oratione, *Fiat voluntas tua,* Cùm enim iam facta sit in eis, cur vt fiat adhuc petunt, nisi vt perseverent in eo, quod esse cœperunt? Quamvis hic dici possit, non petere sanctos, vt voluntas Dei fiat in cœlo; sed vt fiat in terra sicut in cœlo: vt terra scilicet imitetur cœlum, id est, vt homo angelum, vel infidelis fidelem; ac per hoc id sanctos poscere, vt sit quod nondùm est, non vt perseveret quod est. Quantalibet enim homines sanctitate præpolleant, nondùm sunt æquales angelis Dei; nondùm ergò *sicut in cœlo,* in eis fit voluntas Dei. Quod si ita est, in ea quidem parte quâ optamus, vt homines ex fidelibus fiant fideles, non perseverantia, sed initium videtur optari: in ea verò quâ optamus, vt homines in facienda voluntate Dei æquentur angelis Dei, cùm hoc orant sancti, perseverantiam demonstrantur orare; quoniam nemo pervenit ad illam summam, quæ in regno est, beatitudinem, nisi in ea sanctitate quam sumpsit in terra, *perseveraverit vsque in finem.*

Cælum & terra quemodo in oratione Dominica accipiantur.

CAP.

CAPVT IV.

QVarta petitio est, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Vbi beatus Cyprianus ostendit quomodo & hic intelligatur perseverantia postulari: ait quippè inter cætera; *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum absenti, & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.* Hæc verba sancti hominis Dei, perseverantiam prorsùs à domino sanctos indicant poscere, quando hâc intentione dicunt, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: ne à Christi corpore separentur; sed in ea sanctitate permaneant, quâ nullum quo indè separari mereantur, crimen admittant. Mat. 6. 11.

CAPVT V.

QVinto orationis loco dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; in qua sola petitione non invenitur posci perseverantia. Præterita enim sunt peccata quæ nobis vt dimittantur oramus; perseverantiam verò, quæ in æternum salvos facit, tempori quidem huius vitæ, non tamen peracto, sed ei quod vsque ad eius finem restat, est necessaria. Operæ precium est tamen paulisper intueri, quomodo & in hac petitione iam tunc lingua Cypriani tanquam telo invictissimæ veritatis longè postea futuri confodiebantur hæretici. Etiam hoc Pelagiani audent dicere, *hominem nullum in hac vita nullum habere omninò peccatum*, & in talibus hominibus esse iam in præsenti tempore *Ecclesiam non habentem maculam neque rugam aut aliquid eiusmodi*, quæ vna & sola sponsa sit Christi: tanquam sponsa eius non sit, quæ per vniversam terram quod ab eo didicit, dicit, *Dimitte nobis debita nostra.* Sed attendite quomodo istos gloriosissimus Cyprianus interimat. Cùm enim locum ipsum dominicæ orationis exponeret, ait inter cætera: *Quam necessariè autem, quam provide nos & salubriter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, vt dum indulgentia de Deo petitur, conscientia sua animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat* Mat. 6. 12.

Solos istos omnis peccato carentes Pelagius ad Ecclesiæ vsum pertinere.

Ephes. 5. 27

ceat & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur se peccare quotidie, dū quotidie pro peccatis subetur orare. Sic denique & Ioannes
1.8 *in Epistola sua ponens dixit, Si dixerimus quia peccatū non habemus; nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est:* & cætera quæ hic inferere longum est. Iam verò cùm dicunt sancti, *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo*; quid aliud quam vt in sanctitate perseverent, precantur? Nam profectò concesso sibi isto Dei dono, (quod esse Dei donum, cùm ab illo poscitur, satis aperteque monstratur:) isto igitur concesso sibi dono Dei, *ne inferantur in tentationem*, nemo sanctorum est, qui non teneat vsque in finem perseverantiam sanctitatis: neque enim quisquam in proposito Christianitatis perseverare desistit, nisi in tentationem primitùs inferatur. Si ergò concedatur ei quod orat, vt non inferatur in tentationem, in sanctificatione vtique, quam Deo donante percepit, Deo donante persistit.

CAPVT VI.

Mat. 6. 13. SEd *nolunt*, vt scribitis, *isti fratres ita hanc perseverantiam prædicari, vt non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit*; vbi quid dicant parum diligenter attendunt. De illa enim perseverantia loquimur qua perseveratur vsque in finem; quæ si data est, perseveratum est vsq; in finem; si autem non est perseveratum vsque in finem, non est data, quod iam & superius satis egimus. Non itaque dicant homines perseverantiam cuiquam datam vsque in finem, nisi cum ipse venerit finis, & perseverasse cui data est, repertus fuerit vsque in finem. Dicimus quippe castum quem novimus castum, sive sit, sive non sit in eadem castitate mansurus; & si quid aliud divini muneris habeat, quod teneri & amitti potest, dicimus eum habere quàmdiucunque habet; & si amiserit, dicimus habuisse. Perseverantiam verò vsque in finem, quoniam non habet quisquam, nisi *qui perseveraverit vsque in finem*; multi eam possunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum est, ne fortè cum perseveraverit homo vsque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseveret usq. in finem. Hoc ergò Dei donum suppliciter emereri potest; sed cum datum fuerit, a contumaciter non potest. Cum enim perseveraverit

Sub. in Epist. Hilarij.

Cap. 1.

Quoddam perseverantia meritū.

quisque vsque in finem, neq; hoc donum potest amittere, nec alia quæ poterat ante finem. Quomodò enim potest amitti, per quod fit vt non amittatur etiam quod posset amitti? Sed ne fortè dicatur, vsque in finem perseverantiam non amitti quidem, quum data fuerit, id est, quùm perseveratum fuerit vsq; in finem; sed tunc amitti quodammodò, quandò agit homo per contumaciam, vt ad eam pervenire non possit: sicut dicimus hominem *qui* non *perseveraverit vsque in finem*, amisisse vitam æternam, vel regnum Dei; non quod iam acceperat & habebat, sed quod acciperet & haberet, si perseveraßet: verborum controversias auferamus, & nonnulla etiam quæ non habentur, sed haberi sperantur, posse dicamus amitti. Dicat mihi quisquis audet, vtrùm Deus dare non possit, quod à se poscì imperavit? Hoc certè qui sapit, non dico desipit, sed insanit. Imperavit autem Deus, vt ei sancti eius dicant orantes; *Ne inferas nos in tentationem.* Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, quâ possit vel dignus sit perseverantiam sanctitatis amittere. At enim voluntate suâ quisque deserit Deum, vt meritò deseratur à Deo. Quis hoc negaverit? Sed ideò petimus, *ne inferamur in tentationem*, vt hoc non fiat. Et si exaudimur, vtique non fit, quia Deus non permittit vt fiat. Nihil enim fit nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit. Potens ergò est, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere, ac dirigere in sibi placitum gressum. Cui non frustrà dicitur; *Deus tu convertens vivificabis nos.* Non frustrà dicitur; *Ne des ad movendum pedem meum.* Non frustrà dicitur; *Ne tradas me domine à desiderio meo peccatori.* Postremò ne multa commemorem, cùm vobis plura fortasse occurrant, non frustrà dicitur, *Ne nos inferas in tentationem.* Nam quisquis in tentationem non infertur, profectò nec in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, & qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsùs infertur. *Vnusquisque enim tentatur*, vt scriptum est, *à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deus autem neminem tentat*, tentatione scilicet noxia. Nam est & vtilis, quâ non decipimur vel opprimimur, sed probamur, secundùm quod dictum est, *Proba me domine & tenta me.* Illa ergò noxia tentatione, quam significat Apostolus, dicens; *Ne forte tentaverit vos is qui tentat, & inanis sit labor noster*, Deus, vt dixi, *neminem tentat*, hoc est, neminem infert vel inducit in tentationẽ.

Occupatio.

Occupatio. Voluntate sua quisque deserit Deũ vt meritò deseratur.

Tentatio duplex.

Mat. 6. 13.

Psal. 84. 7.

Psal. 65. 9

Psal. 139. 9

Iacob. 1. 14 & 13.

Psal. 25. 2.

1. Thes. 3. 5

Nam

Nam tentari & in tentationem non inferri, non est malum, imò etiam bonum est; hoc est enim probari. Quod itaque dicimus Deo, *Ne nos inferas in tentationem*; quid dicimus, nisi, ne nos inferri sinas? Vnde sic orant nonnulli, & legitur in codicibus pluribus, & hoc sic posuit beatus Cyprianus; *Ne patiatis nos induci in tentationem.* In Evangelio tamen Græco nusquam inveni, nisi, *Ne nos inferas in tentationem.* Tutiores igitur vivimus, si totum Deo damus. Non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus, quod vidit iste venerabilis martyr. Nam cùm eundem locum orationis exponeret, ait post cætera: *Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ; dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe arroganterque aliquid assumat, ne quis aut confessionis aut passionis gloriam suam ducat;*
Mat. 26.41 *cum Dominus ipse humilitatem docens, dixerit; Vigilate & orate, ne veniatis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: vt dum præcedit humilis & subdita confessio, & datur totum Deo quicquid supplicíter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.*

CAPVT VII.

SI ergò alia documenta non essent, hæc dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret; quia nihil nobis reliquit, in quo tanquã in nostro gloriemur. Siquidem & vt non discedamus à Deo non offendit dandũ esse nisi à Deo, cùm poscendum offendit à Deo. Qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omninò in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt; fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in angelis, qui diabolo cum suis cadente, *in veritate steterunt*, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt. Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum; neque si ad gratiam suam voluit pertinere; vt homo non recedat ab eo. Hanc gratiam po-
Ephes. 1.11 suit *in* illo *quo sortem consequuti sumus, prædestinati secundum propositum eius qui vniversa operatur*; ac per hoc sicut operatur vt accedamus, sic operatur, ne discedamus. Propter quod ei per
Psal 79.18 & 19. Prophetam dictum est, *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & su-*

In conditione hominis viribus erat, non discedere à Deo.

Ad solã nũc Dei gratiam pertinet vt ad Deũ accedamus, vt ab eo non recedamus.

& super filium hominis quem confirmasti tibi, & non discedimus à te. Iste certè non est Adam primus, in quo discessimus ab eo; sed Adam novissimus, super quem fit manus eius, vt non discedamus ab eo. Christus enim totus cum membris suis est propter Ecclesiam, quæ est corpus eius, plenitudo eius. Cùm ergò fit super eum manus Dei, vt non discedamus à Deo, ad nos vtique pervenit opus Dei. Hoc est enim manus Dei, quoniam opere Dei fit vt simus in Christo permanentes cum Deo, non sicut in Adam discedentes à Deo. *In Christo* enim *sortem consequuti sumus, prædestinati secundum propositum eius qui vniversa operatur.* Manus igitur Dei est ista, non nostra, vt non discedamus à Deo. Manus, inquam, eius est ista, qui dixit, *Timorem meum dabo in cor eorum, vt a me non recedant.* Propter quod & posci à se voluit, *ne inferamur in tentationem*; quia si non inferamur, nulla ab eo ratione discedimus. Quod poterat nobis etiam non orantibus dari, sed oratione nostra nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim, nisi ab illo accipimus, à quo iussum est vt petamus? Prorsùs in hac re non operosas disputationes expectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas. Orat, vt increduli credant; Deus ergò convertit eos ad fidem. Orat, vt credentes perseverent; Deus ergò donat perseverantiam vsque in finem: hæc Deus facturũ se esse præscivit. Ipsa est prædestinatio sanctorum, quos *elegit in Christo ante constitutionem mundi, vt essent sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, prædestinans eos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum placitum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit eos in dilecto filio suo, in quo habent redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundùm divitias gratiæ eius, quæ abundavit in eos omni sapientia & prudentia, vt ostenderet eis mysterium voluntatis suæ secundum bonam voluntatem suam, quam proposuit in illo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo quæ in cœlis sunt, & quæ in terris in ipso, in quo etiam & sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum eius qui vniversa operatur.* Contra istam veritatis tam claram tubam, quis homo sobriæ vigilantisque fidei voces vllas admittat humanas.

Hier. 32.40

Petì à se cur Deus voluerit, quæ possit etiam non orantibus dare.

Ephes. 1. 4. & seq.

CAP.

CAPVT VIII.

SEd *cur*, inquit, *gratia Dei non secundum merita hominum datur?* Respondeo, quoniam Deus misericors est. *Cur ergò*, inquit, *non omnibus?* Et hic respondeo: Quoniam Deus iudex iustus est: ac per hoc & gratis ab eo datur gratia: & iusto eius in alios iudicio demonstratur, quid eis quibus datur, conferat gratia. Non itaque simus ingrati, quod *secundum placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ* tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione; vt si indè neminem liberaret, non esset iniustus. *Ex vno* quippè omnes *in condemnationem* non iniustam iudicati sunt ire, sed iustam. Qui ergò liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoscat. Si in remittendo debito bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, nusquam esse apud Deum iniquitas invenitur. *Sed cur*, inquit, *non solum in parvulorum, verumetiam in geminorum vna atque eadem causa, tam diversum iudicium?* Nònne similis quæstio est, cur in diversa causa idem iudicium? Recolamus igitur illos operarios, in vinea qui tota die laboraverunt, & eos qui hora vna, nempe causa diversa est impensi laboris; & tamen idem iudicium in redditione mercedis. Num quid & hic audierunt murmurantes à patrefamilias, nisi hoc *volo?* ita quippe eius erga alios fuit largitas, vt erga alios nulla esset iniquitas. Et illi quidem vtrique in bonis sunt; veruntamen quantùm ad iustitiam spectat, & gratiam, potest & de reo qui liberatur rectè dici, *volo*; potest & de eo qui damnatur; *Tolle quod tuum est & vade; huic autem volo* quod non debetur *donare. An non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Hic ille si dicat, cur non & mihi? Meritò audiet; *O homo tu quis es qui respondeas Deo?* Quem certè in vno vestrum benignissimum largitorem, in te verò exactorem iustissimum, in nullo tamen cernis iniustum. Cùm enim iustus esset, etiamsi vtrumque puniret: qui liberatur, habet vndè gratias agat; qui damnatur, non habet quod reprehendat. *Sed si iam*, inquit, *hoc oportebat, vt damnatis non omnibus, quid omnibus deberetur ostenderet, atque ita gravius suam gratiam vasis misericordiæ commendaret; cur in eadem causa me potius quam illum puniet, aut illum quam me potius liberabit?* Hoc non dico, si quæris quare;

Mat. 20. 1. & seq.

Ibid. 14. & 15.

Rom. 9. 20.

quia fateor me non invenire quid dicam. Si & hoc quæris quare, quia in hac re sicut iusta est ira eius: sicut magna est misericordia eius; ita *inscrutabilia iudicia eius*. Adhuc pergat & dicat, *cur quibusdam qui cum coluerunt bona fide, perseverare vsque in finem non dedit?* Cur putas, nisi quia non mentitur qui dicit; *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis nam si fuissent ex nobis, 1. Ioan. 2. 19.*
mansissent vtique nobiscum? Numquid ergo hominum natura duas sunt? Absit. Si duæ naturæ essent, gratia vlla non esset; nulli enim daretur gratuita liberatio, si naturæ debita redderetur. Hominibus autem videtur, omnes qui boni apparent fideles, perseverantiam vsque in finem accipere debuisse. Deus autem melius esse iudicavit, miscere quosdam non perseveraturos certo numero sanctorum suorum; vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas, non possint esse securi: multos enim à pernicioſa elatione reprimit quod ait Apostolus; *Qui- 1. Cor. 10. 12.*
propter qui videtur stare, videat ne cadat. Voluntate autem sua cadit, qui cadit; & voluntate Dei stat, qui stat, *Potens est enim Rom. 14. 4. Deus statuere illum:* non ergò ipse seipsum, sed Deus. Verun- *Rom. 11. 20*
tamen bonum est *non altum sapere, sed timere*. In cogitatione autem sua vel cadit quisque vel stat. Sicut autem Apostolus ait, quod & in libro superiori memoravi; *Non sumus idonei co- 2. Cor. 3. 5.*
gitare aliquid quasi ex nobismetipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Quem secutus beatus Ambrosius audet & dicit: *Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostra cogitationes*: quod omnis qui humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit. Hoc autem Ambrosius vt diceret in eo libro loquebatur quem de fuga seculi scripsit, docens, hoc seculum non corpore, sed corde esse fugiendum; quod nisi auxilio Dei fieri non posse disseruit. Ait enim: *Frequens nobis de fugiendo seculo iste est sermo, atque vtinam quam facilis sermo, tam cautus & sollicitus affectus: sed, quod peius est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, vt quod studeas evitare, hoc cogites animoq; volvas. Quod cavere difficile est homini, exuere autem impossibile. Denique voti magis eam esse rem quam effectus, testatur Propheta dicendo; Declina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam: non Psal. 118. 36.*
enim in potestate nostra est cor nostrum & cogitationes nostra, quæ improviso offusa mentem animumque confundunt, aliq; aliò trahunt quam tu proposueris; ad secularia revocant, mundana inferunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoque in tempore quo ele-

Perseverantiæ cur interdum non perseveraturos Deus admisceat.

Ambrosius de fuga seculi, cap. 1.

vare

vare mentem paramus, inserti inanibus cogitationibus, ad terrena plerumque deijcimur. Non itaque in hominum, sed in Dei est po-
Ioan.1.12. testate, vt habeant homines *potestatem filii Dei fieri.* Ab ipso quippè accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat *fidem, quæ operetur, per dilectionem*; ad quod
Gal.5.6. bonum sumendum & tenendum, & in eo perseveranter vsq; in finem proficiendum, *non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex*
2.Cor.3.5. *nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; in cuius *est potestate cor nostrum, & cogitationes nostræ.*

CAPVT IX.

EX duobus itaque parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate iam grandibus impiis cur iste ità vocetur, vt vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur; aut non ità vocetur; *inscrutabilia sunt iudicia Dei.* Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia vsq; in finem, illi autem non donetur inscrutabiliora *sunt iudicia Dei.* Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. *Nam si fuissent ex nobis,* ait vnus prædestinatorum, qui de pe-
1.Ioan.2.19. ctore domini biberat hoc secretum, *mansissent vtiq; nobiscum.* Quid est quæso, *non erant ex nobis; nam si fuissent, mansissent vtiq; nobiscum?* Nònne vtriq; a Deo creati, vtrique ex Adam nati, vtriq; de terrâ facti erant, & ab eo qui dixit, *Omnem flatum ego*
Esa.57.16 *feci*; vnius eiusdemq; naturæ animas acceperant? Nònne postremò vtrique vocati fuerant, & vocantem secuti, vtrique ex impijs iustificati, & per *lavacrum regenerationis* vtriq; renovati? Sed si hæc audiret ille qui sciebat proculdubiò quod dicebat, respondere posset & dicere; Vera sunt hæc, secundùm hæc omnia *ex nobis erant*, veruntamen secundùm aliam quandam discretionem *non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Quænam est tandem ista discretio? Patent libri Dei, non avertamus aspectum. Clamat scriptura divina, adhibeamus auditum. *Non erant ex eis*, quia non *erant secundum propositum vocati*; non erant *in Christo electi ante constitutionem mundi*: non erant *in eo sortem consecuti*, non erant *prædestinati secundum propositum eius, qui vniversa operatur.* Nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent

Inscrutabilium Dei iudiciorum exempla.

fissent. Vt enim non dicam, quam sit possibile Deo, aversas & adversas in fidem suam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, vt nullis adversitatibus cedant, nec ab ipso aliqua superati tentatione discedant; cùm possit & quod ait Apostolus facere, vt non eos permittat tentari super id quod possunt. Vt ergò id non dicam, certè poterat illos Deus præsciens esse lapsuros, antequam id faceret, auferre de hâc vitâ. An eò redituri sumus, vt adhuc disputemus, quanta absurditate dicatur, iudicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præscivit eos Deus perpetraturos fuisse, si viverent? Quod ita abhorret a sensibus Christianis, aut prorsùs humanis, vt id etiam refellere pudeat. Cur enim non dicatur & ipsum Evangelium cum tanto labore, passionibusque sanctorum frustrà esse prædicatum, vel adhuc etiam prædicari; si iudicari poterant homines, etiam non audito Evangelio secundùm contumaciam vel obedientiam, quam præscivit Deus eos habituros fuisse, si audivissent. Nec damnarentur Tyrus & Sidon, quàm vis remissiùs, quàm illæ civitates, in quibus non credentibus, à Domino Christo mirabilia signa sunt facta; quoniam si apud illas facta essent, *in cinere & cilicio pœnitentiam egissent*; sicut se habent eloquia veritatis, in quibus verbis suis Dominus Iesus altiùs nobis mysterium prædestinationis ostendit. Si enim quæratur à nobis, cur apud eos tanta miracula facta sint, qui videntes ea non fuerant crediturí, & apud eos facta non sint, qui crederent si viderent; quid respondebimus? Nunquid dicturi sumus, quod in libro illo dixi, vbi sex quibusdam quæstionibus Paganorum, sine præiudicio tamen aliarum causarum, quas prudentes possunt investigare, respondi. Hoc quippè vt scitis, cùm Christus quare post tam longa tempora venerit, quæritur: dixi *quod in his temporibus & his locis quibus Evangelium eius non est prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat, quales multi in eius corporali præsentia fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt.* Item paulò post in eodem libro, atque in eâdem quæstione: *Quid mirum, inquam, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus seculis noverat, vt eis prædicari meritò nollet, quos nec verbis nec miraculis suis credituros esse præsciebat?* Hæc certè de Tyro & Sidone non possumus dicere,

1. Cor. 10. 13.

Luc. 10. 13. Mat. 11. 26.

Cur Tyriis & Sidonijs crediturís nõ sint facta miracula, quæ aliis facta fuere non credituris.

Epist. 49. quæst. 2.

re, & in eis cognoscimus, ad eas causas prædestinationis hæc divina iudicia pertinere, sine quarum causarum latentium præiudicio, tunc ista respondere me dixi. Facilè est quippè vt infidelitatem accusemus Iudæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere
Mat 11.21 noluerunt. Quòd & Dominus increpans arguit & dicit; *Væ*
Luc.10.13. *tibi Corozaim & Bethsaida; quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* Sed numquid possumus dicere, etiam Tyrios & Sydonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent; cùm eis ipse Dominus attestetur quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum. Et tamen in die iudicij punientur, quàmvis minori supplicio quam illæ civitates, quæ apud se virtutibus factis credere noluerunt. Secutus enim Dominus ait: *Verùmtamen dico vobis;*
Mat 11.21. *Tyro & Sydoni*
Luc.10.14. *remissius erit in die iudicij, quàm vobis.* Severiùs ergò punientur. isti, illi *remissius*; sed tamen punientur. Porrò si etiam secundùm facta quæ facturi essent si viverent, mortui iudicantur; profectò quia fideles futuri erant isti, si eis cum tantis miraculis fuisset Evangelium prædicatum, non sunt vtique puniendi; punientur autem. Falsum est igitur & secundùm ea mortuos iudicari quæ facturi essent si ad eos viventes Evangelium perveniret, Et si hoc falsum est non est cur dicatur de infantibus, qui pereunt sine baptismate morientes, hoc in eis eo merito fieri, quia præscivit eos Deus, si viverent, prædicatumq; illis fuisset Evangelium, infideliter audituros. Restat igitur vt solo peccato originali teneantur obstricti, & propter hoc solùm eant in damnationem: quoniam videmus aliis eandem habentibus causam; non nisi per
Rom.9.14. Dei gratuitam gratiam regenerationem donari; & eius occulto, iusto tamen iudicio, quoniam *non est iniquitas apud Deum*, quosdam etiam post baptismum pessimè vivendò perituros; in hac tamen vita quousq; pereant detineri; qui non perirent, si eis corporis mors lapsum eorum præveniens subveniret; quoniam nullus mortuus iudicatur ex bonis seu malis, quæ fuerat si non moreretur acturus: alioquin Tyrij & Sidonij, non secundùm ea quæ gesserunt pœnas luerent; sed potiùs secundùm ea quæ gesturi fuerant, si in eis illæ virtutes Evangelicæ factæ fuissent, per grandem pœnitentiam, & per Christi fidem consequerentur salutem,

CAPVT X.

QVidam disputator Chatholicus non ignobilis hunc Evangelij locum sic exposuit, vt diceret, præscisse dominum Tyrios & Sidonios à fide fuisse posteà recessuros, cum factis apud se miraculis credidissent, & misericordia potiùs non eum illic ista fecisse; quoniam graviori pœnæ obnoxij fierent, si fidem quam tenuerant, reliquissent, quàm si eam nullo tempore tenuissent. In qua sententia docti hominis & admodùm acuti, quæ sint adhuc meritò requirenda, quid me nunc attinet dicere, cùm & ipsa nobis ad id quod agimus suffragetur? Si enim miseratione Dominus non fecit in istis virtutes, per quas fieri possent fideles, ne graviùs punirentur cùm posteà fierent infideles, quod eos futuros fuisse præscivit; satis aperteque demonstratur de his peccatis neminem iudicari mortuorũ, quæ præscivit fuisse facturum, si aliquo modo ei ne illa faciat subvenitur: sicut Tyriis & Sidoniis, si sententia illa vera est, subvenisse dicitur Christus, quos maluit non accedere ad fidem, quàm scelere multo graviore discedere à fide, quod eos si accessissent, præviderat fuisse facturos. Quàmvis si dicatur, cur non factum est vt crederent potiùs, & hoc ejs præstaretur, vt antequàm fidem relinquerent, ex hac vita migrarent; quid responderi possit, ignoro. Qui enim dicit, relicturis fidem beneficium fuisse concessum, ne habere inciperent quod graviore impietate desererent, satis indicat non iudicari hominem ex eo quod prænoscitur, malè fuisse facturus, si ei quocunq; beneficio vt id non faciat, consulatur. Consultum est igitur & illi, qui *raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Sap. 4 11. Sed cur non ita consultum fuerit Tyriis ac Sidoniis vt crederent & raperentur, *ne malitia mutaret intellectum eorum*; forsitan responderet ille, cui placuit isto modo hanc solvere quæstionem. Ego verò quantum ad hoc quod ago attinet, sufficere video, vt secundùm istam quoque sententiam, demonstrentur homines non iudicari de his quæ non fecerunt, etiam si facturi fuisse prævisi sunt. Quanquam, vt dixi, hanc opinionem qua putantur in morientibus vel mortuis vindicari peccata, quæ præsciti sunt facturi esse si viverent, etiam refellere pudeat, ne videamur & nos existimasse alicuius esse momenti, quam maluimus disputatione cohibere, quàm silentio præterire.

CAP.

CAPVT XI.

Rom. 9. 16. PRoinde ſicut Apoſtolus ait; *Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*; qui & parvulis quibus vult, etiam non volentibus neque currentibus ſubvenit, quos *ante conſtitutionem mundi elegit in Chriſto* daturus etiam eis gratiam gratis, hoc eſt nullis eorum vel fidei vel operum meritis præcedentibus; & maioribus etiam his quos prævidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros; quibus non vult ſubvenire, non ſubvenit, de quibus in ſua prædeſtinatione occultè quidē, ſed iuſtè aliud iudicavit: *non* enim *eſt iniquitas apud* DEVM, ſed *inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inveſtigabiles viæ eius*; *Vniverſæ* autem *viæ* DOMINI *miſericordia & veritas*. *Inveſtigabilis* ergò eſt *miſericordia*, qua *cuius vult miſeretur*, nullis eius præcedentibus meritis; & *inveſtigabilis veritas*, qua, *quem vult obdurat*, eius quidem præcedentibus meritis, ſed cum eo *cuius miſeretur* plerunque communibus. Sicut duorum geminorum, quorum vnus aſſumitur, alius relinquitur, diſpar eſt exitus, merita communia. In quibus tamen ſic alter magna Dei bonitate liberatur, vt alter nulla eius iniquitate damnetur. *Nunquid* enim *iniquitas eſt apud Deum? Abſit.* Sed *inveſtigabiles ſunt viæ ipſius*. Itaq; *miſericordiam* eius in his qui liberantur, & *veritatem* in his qui puniuntur, ſine dubitatione credamus: neque *inſcrutabilia* ſcrutari, neque *inveſtigabilia* veſtigare conemur. *Ex ore* quippè *infantium & lactantium* ſuam *perfecit laudem*: vt quod in his videmus, quorum liberationem bona eorum merita nulla præcedunt; & in his quorum damnationem vtriſque communia originalia ſola præcedunt; hoc & in maioribus fieri nequaquam omninò cunctemur, id eſt, non putantes, vel ſecundùm ſua merita gratiam cuiquam dari, vel niſi ſuis meritis quenquam puniri, ſive pares qui liberantur atque puniuntur, ſive diſpares habeant cauſas malas: vt *qui videtur ſtare, videat ne cadat*; & *qui gloriatur*, non in ſemetipſo, ſed *in* DOMINO *glorietur*. Cur autem *cauſam parvulorum ad exemplum maiorum*, ſicut ſcribitis *non patiuntur afferri homines*, qui contra Pelagianos non dubitant eſſe peccatum originale quod *per vnum hominem intravit in mundum, & ex vno* omnes ille *in condemnationem*? Quod & Manichæi non accipiunt, qui non ſolùm omnes veteris inſtrumenti ſcripturas in vlla authoritate non habent, verùmetiam

Ibidem 14. Rom. 11. 33 Pſal. 24. 10

Rom. 9. 18.

Obduratio-nis in homine meritum.

Rom. 9. 14.

Pſal. 8. 3.

Supra in Epiſtola Hilarii.

1. Cor. 10. 12.

Ibid. 1. 13.

Rom. 5. 12. & 16.

Manichæi libros veteris inſtrumenti non recipiunt, nec in eos alios quam volunt.

quæ ad novum pertinẽt testamentum sic accipiunt, vt suo quodam privilegio, imò sacrilegio quod volunt sumant, quod nolunt reiiciant. Contra quos agebam in libris De libero arbitrio, vnde isti nobis præscribendum putant. Ideò quæstiones operosissimas incidentes enucleatè solvere nolui, ne nimium longum opus esset, vbi me adversus tam perversos testimoniorum divinorum non adiuvabat authoritas. Et poteram, sicut feci, quodlibet horum verum esset, quæ non definitè interponebam, certa tamen ratione concludere, in omnibus Deum esse laudandum, sine vlla necessitate credendi duas, sicut illi volunt, coæternas boni & mali permixtas esse substantias. Deniq; in primo Retractationum libro, quod opus meum nondùm legistis, cùm ad eosdem libros retractãdos veniissem, hoc est. De libero arbitrio, ita loquutus sum. *In his, inquam, libris ita multa disserta sunt, vt incidentes nonnulla quæstiones, quas vel enodare non poteram, vel longam sermocinationem in præsenti requirebant; ita differentur, vt ex vtraque parte, vel ex omnibus earundem quæstionum partibus, in quibus non apparebat quid potiùs congrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, vt quodlibet eorum verum esset, laudandum crederetur, vel etiam ostenderetur* Deus. *Propter eos quippè disputatio illa suscepta est, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci; & Deum, si ita est, creatorem omnium naturarum culpandum esse contendunt, eo modo volentes secundùm suæ impietatis errorem, (Manichæi enim sunt,) immutabilem quandam, & Deo coæternam introducere naturam mali.* Item post aliquanta alio loco: *Deinde dictum est, inquam, ex qua miseria peccantibus iustissimè inflicta liberet Dei gratia, quia homo sponte, id est, libero arbitrio cadere potuit, non etiam surgere: ad quam miseriam iusta damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ, nec ab isto malo liberatur quisquam, nisi Dei gratia. Quam miseriam nolunt Pelagiani ex iusta damnatione descendere, negantes originale peccatum: quàmvis ignorantia & difficultas, etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicuti in eodẽ libro tertio disputauimus. Quæ disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt scripturas sanctas veteris testamenti, in quibus peccatum originale narratur. Et quicquid in de in literis Apostolicis legitur, detestabili impudentia immissum fuisse contendunt à corruptoribus scripturarum, tanquàm non fuerit ab Apostolis dictum. Contra Pelagianos autem hoc defendendum est, quod vtraque scriptura*

Cap. 9.

Argumentũ librorum de libero arbitrio.

2. *sen. dist. 27. c. si legitur.*

3. *sent. dist. 25 c sed forte.*

Cap. 20.

ra commendat, quam se accipere profitentur. Hæc dixi in primo libro Retractationum, quum retractarem libros De libero arbitrio. Nec sola sanè ista ibi à me dicta sunt de his libris, verum & alia multa, quæ huic ad vos operi inserere, longum putavi, & non necessarium, quod & vos existimo esse iudicaturos, cùm omnia legeritis. Quàmvis ergò in libro tertio De libero arbitrio ita de parvulis disputaverim, vt etiã si verum esset quod dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ; vincerentur tamen Manichæi, qui volunt duas, boni scilicet & mali, coæternas esse naturas: nunquid ideò fides in dubium vocanda vel deserenda est, quam contra ipsos Pelagianos catholica defendit Ecclesia, quæ asserit originale esse peccatum, cuius reatus generatione contractus, regeneratione solvendus est? Quod si & isti fatentur nobiscum, vt simul in hac causa Pelagianorum destruamus errorem; cur putant esse dubitandum, quod etiam parvulos Deus, quibus dat suam gratiam per baptismatis sacramentum,

Coloss.1.13. *eruat de potestate tenebrarum, & transferat in regnum filij charitatis suæ?* In eo ergò quod aliis eam dat, aliis non dat, cur nolunt

Psal.100.1. *cantare Domino misericordiam & iudicium?* Cur autem illis potiùs quàm illis detur, *quis cognovit sensum* Domini? Quis

Rom.11.34 *inscrutabilia* scrutari valeat? Quis *investigabilia vestigare?*

CAPVT XII.

Eph.1.5.& 6. COnficitur itaq; gratiam Dei non secundùm merita accipientium dari, sed *secundùm placitum voluntatis eius, in*

1.Cor.1.31 *laudem & gloriam* ipsius *gratiæ eius*, vt *qui gloriatur*, nullo modo in se ipso, sed *in Domino glorietur*: qui hominibus dat quibus vult, quoniam misericors est; quod & si non det, iustus est: &

Rom.9.23. non dat quibus non vult, *vt notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.* Dando enim quibusdam quod non merentur, profectò gratuitam, & per hoc veram suam gratiam esse voluit. Non omnibus dando, quid omnes mererentur ostendit. Bonus in beneficio certorum, iustus in supplicio cæterorum; & bonus in omnibus, quoniam bonum est, cùm debitum redditur; & iustus in omnibus, quoniam iustum est cùm debitum sine cuiusquam fraude donatur. Defenditur autem sine meritis Dei gratia; id est, vera gratia, etiam si parvuli bap-

Veram Dei gratiam defendi posse, etiamsi nullum esset, vt volebat Pelagius, originale peccatum.

Vide lib. 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 6.

baprizati, ſicut Pelagiani ſentiunt non *eruuntur de poteſtate tenebrarum*; quia nulli peccato ſicut putant, tenentur obnoxii, ſed tantùm in regnum Domini transferuntur: etiam ſic enim ſine vllis bonis meritis datur eis regnum quibus datur; & ſine vllis malis meritis non datur eis, quibus non datur. Quod adverſus eoſdem Pelagianos dicere ſolemus, quandò nobis obiiciunt, quod fato tribuamus Dei gratiam, dicendo eam non ſecundùm merita noſtra dari. Ipſi enim potiùs Deigratiam fato in parvulis tribuunt, qui dicunt *fatum eſſe, vbi meritum non eſt.* Nulla quippè merita etiam ſecundùm ipſos Pelagianos, poſſunt in parvulis inveniri, cur alii eorum mittantur in regnum, alii verò alienentur à regno. Sicut autem nunc vt oſtenderem gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari, ſecundùm vtrunque ſenſum hoc defendere malui; & ſecũdùm noſtrum ſcilicet, qui obſtrictos originali peccato parvulos dicimus; & ſecundùm Pelagianorum, qui originale negant eſſe peccatum; nec tamen ideò mihi eſt ambigendum, habere parvulos quod eis dimittat qui *ſalvum facit populum ſuum à peccatis eorum:* ita & in tertio libro De libero arbitrio ſecundùm vtrunque ſenſum reſtiti Manichæis, ſive ſupplicia ſive primordia naturæ ſint ignorantia & difficultas, ſine quibus nullus hominum naſcitur; & tamen vnum horum teneo. Ibi quoq; à me ſatis evidenter expreſſum eſt, quod non ſit iſta natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati. Fruſtrà itaq; mihi de illius libri mei vetuſtate præſcribitur, ne agam cauſam ſicut debeo agere parvulorum, & inde gratiam Dei non ſecundùm merita hominum dari, perſpicuæ veritatis luce convincam. Si enim quandò libros De libero arbitrio laicus cœpi, presbyter explicavi, adhuc de damnatione infantium non renaſcentium, & de renaſcentium liberatione dubitarem; nemo vt opinor, eſſet tam iniuſtus atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi eſſe iudicaret. Cùm verò rectiùs poſſit intelligi, non me propterea de hac re dubitaſſe credi oportere; quia contra quos mea dirigebatur intentio, ſic mihi viſi ſunt refellendi, vt ſive pœna eſſet peccati originalis in parvulis, quod veritas habet; ſive non eſſet, quod nonnulli errantes opinantur; nullo modo tamen quam Manichæorum error inducit, duarum naturarum, boni ſcilicet & mali; permixtio crederetur: abſit vt cauſam parvulorum ſic relinquamus, vt eſſe nobis dicamus incer-

C. 20 & 23

Matt. 1. 21.

incertũ, vtrũ in Christo regenerati, si moriãtur parvuli, transeant in æternam salutem; non regenerati autem transeant in
Rom. 5. 12. mortem secundam; quoniam quod scriptum est; *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines transiit*; aliter rectè intelligi non potest: nec à morte perpetua, quæ iustissimè est retributa peccato, liberat quemquam pusillorum atque magnorum, nisi ille qui propter remittenda & originalia & propria nostra peccata mortuus est, sine vllo suo originali propriove peccato. Sed quare illos potiùs quàm illos? iterùm atque iterùm dicimus,
Rom. 9. 20. Rom. 11. 33 Eccl. 3. 22. nec nos piget, *O homo tu quis es qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius.* Et hoc adiiciamus: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Videtisne charissimi quàm sit absurdum, & à fidei sanitate atque sinceritate veritatis alienum, vt dicamus parvulos mortuos secundùm ea iudicari, quæ præsciti sunt facturi esse si viverent? In hanc autem sententiam, quàm certè omnis sensus humanus quantulacunque ratione subnixus, maximèque Christianus exhorret, ire compulsi sunt, qui sic à Pelagianorum errore alieni esse voluerunt, vt tamen *gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*, qua nobis vna post lapsum primi hominis, in quo omnes cecidimus, subvenitur, *secundum merita nostra dari* sibi adhuc existiment esse credendum, & disputatione insuper proferendum. Quod ipse Pelagius ante Orientales Episcopos iudices, damnationis suæ timore damnavit. Hoc autem si non dicatur de mortuorum scilicet operibus quæ facturi erant si viverent bonis aut malis, per hoc nullis & in ipsa Dei præscientia non futuris, hoc ergò si non dicatur, quod cernitis quantò errore dicatur; quid restabit, nisi vt gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, quod contra hæresim Pelagianam Catholica defendit Ecclesia, remota contentionis caligine fateamur; atque id maximè in parvulis evidentiore veritate cernamus? Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subvenire: illis autem non subvenire, cùm sit vtrisque causa communis; aut res humanas in parvulis non divina providẽtia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cùm rationales vel damnandæ vel liberandæ sint animæ, quandoquidem *nec*
Mat. 10. 29. *passer cadat in terram* sine voluntate *patris nostri qui in cœlis est*; aut parentum negligentiæ sic tribuendũ est, quod parvuli sine baptismo moriuntur, vt nihil ibi agant superna iudicia; tanquàm

quàm ipsi qui hoc modo malè moriuntur, parentes sibi negligentes voluntate propriâ de quibus nascerentur, elegerint: quid dicam, quod parvulus aliquandò antequàm illi per ministerium baptizantis succurri posſit, expirat? Plerumq; enim festinantibus parentibus & paratis ministris, vt baptismus parvulo detur, Deo tamen volente non datur, qui eum paululùm in hac vita nõtenuit, vt daretur. Quid est, quod aliquãdò parvulis infidelium filiis potuit, ne irent in perditionem, & filiis fidelium non potuit baptismate subveniri? Vbi certè ostenditur, quòd *personarum apud Deum non sit acceptio*; alioquin cultorum suorum potiùs, quàm inimicorum filios liberaret. Rom. 2. 11.

CAPVT. XIII.

IAm verò quoniam de Bono perseverantiæ nunc agimus, quid est quod morituro non baptizato subvenitur, ne sine baptismate moriatur; & baptizato casuro non subvenitur, vt ante moriatur? Nisi fortè illi adhuc absurditati auscultabimus, quâ dicitur nihil prodesse cuiquam mori antequàm cadat, quia secundùm eos actus iudicabitur, quos eum præscivit Deus acturum fuisse si viveret. Hanc perversitatem sanitati fidei tam vehementer adversam, quis patienter audiat, quis ferat? Et tamen hoc dicere vrgentur, qui non fatentur gratiam Dei non secundùm merita nostra dari. Qui autem nolunt dicere vnumquemque mortuorum secundùm ea iudicari, quæ Deus illum præscivit acturum fuisse si viveret; intuentes quàm manifesta falsitate, & quanta absurditate dicatur; non eis remanet cur dicant, quod in Pelagianis damnavit; & ab ipso Pelagio damnari fecit Ecclesia *gratiam Dei secundùm merita nostra dari*: cùm videant alios parvulos non regeneratos ad æternam mortem, alios autem regeneratos ad æternam vitam tolli de hâc vita; ipsos quoque regeneratos, alios perseverantes vsque in finem hinc ire; alios quovsque decidant hic teneri, qui vtique non decidissent, si antequàm laberentur, hinc exissent: & rursus quosdam lapsos quovsque redeãt non exire de hac vita, qui vtique perirent si antequàm redirent, exirent. Vndè satis dilucidè ostenditur, & inchoandi, & vsquein finem perseverandi gratiam Dei, non secundùm merita nostra dari; sed donari secundùm ipsius secretissimam eandem-

demque iustissimam, beneficentissimam, sapientissimam vo-
Rom. 8. 30. luntatem: quoniam *quos prædestinavit, ipsos & vocavit* vocatio-
Rom. 11. 29 ne illâ, de qua dictum est; *Sine pœnitētia dona sunt & vocatio* Dei: ad quam vocationem pertinere nullius est homo ab omnibus certâ asseveratione dicendus, nisi cùm de hoc sæculo exierit;
Iob. 7. 1. *In hac autem vita humana quæ tentatio est super terram, qui vide-*
1. Cor. 10. *tur stare videat ne cadat.* Ideò quippe (sicut iam supra diximus) Cap. 8.
12. nō perseveraturi perseveraturis providentissima Dei volūtate miscentur, vt esse discamus *non alta sapientes, sed humilibus con-*
Rom. 12. 16 *sentientes, & cum timore & tremore nostram* ipsorum *salutem ope-*
Phil. 2. 12. *remur. Deus est enim qui operatur in nobis, & velle & operari pro bona*
Ibidem 13. *voluntate.* Nos ergò volumus, sed *Deus in nobis operatur & velle*; nos ergò operamur, sed *Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate.* Hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc est pium, hoc verum, vt sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quicquid agimus; quod autem attinet ad pie-
2. Cor. 3. 5. tatis viam & verum Dei cultum, *non sumus idonei cogitare aliquid tanquàm ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Non enim est in potestate nostra cor nostrum & nostra cogitationes*: Vnde idem qui hoc ait, item dicit Ambrosius, *Quis autem tam beatus qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine divino auxilio qui* De fuga seculi cap. 1.
fieri potest? & nullo profectò modo. Denique, inquit, *suprà eadem scrip-*
Psal. 83. 6. *tura dicit, Beatus vir cuius est auxilium eius abs te Domine, ascensus in corde eius* Hoc vtique vt diceret, non solùm in literis sacris legebat, sed sicut de illo viro sine dubitatione credendum, est etiā in corde suo sentiebat Ambrosius. Quod ergò in sacramē- In Canone Missæ.
tis fidelibus dicitur, vt *sursum corda habeamus ad Dominum*, munus est Domini; de quo munere ipsi *Domino Deo nostro gratias agere*, à sacerdote post hanc vocem quibus hoc dicitur, admonentur; & *dignum & iustum esse* respondent. Cùm enim *non sit in nostra potestate cor nostrum*, sed divino sublevetur auxilio, vt as-
Coloss. 3. 1. & 2. cendat, & *quæ sursum sunt sapiat, vbi Christus est in dextra Dei sedens, non quæ super terram*; cui de hac tanta re agendæ sunt gratiæ, nisi hoc facienti *Domino Deo nostro*, qui *nos* per tale beneficium liberando, de profundo huius mundi *elegit, & prædestinavit ante constitutionem mundi*?

CAPVT XIIII.

SEd aiunt *prædestinationis definitionem vtilitati prædicationis adversam.* Quasi verò adversata sit Apostolo prædicanti. Nonnè ille doctor gentium in fide & veritate prædestinationem totiens commendavit, & verbum Dei prædicare non destitit? Nunquid quia dixit, *Deus est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate sua.*; Philip. 2. 13
Ideò non ipse, & vt velimus, quæ Deo placeant, & vt operemur, hortatus est? aut quia dixit; *Qui in vobis bonum opus cœpit, perficiet vsque in diem Christi Iesu*; Philip. 1. 6
ideò vt inciperent homines & perseverarent vsque in finem, ipse non suasit? Nempè ipse Dominus hominibus præcepit, vt crederent, atque ait, *Creditis in Deum, & in me credite*; Ioan. 14. 1.
nec tamen ideò eius falsa sententia est, nec vana definitio vbi ait, *Nemo venit ad me*, id est, nemo credit in me, *nisi fuerit ei datum a patre meo.* Ioan. 6. 66.
Nec rursus, quia vera est hæc definitio, ideò vana est illa præceptio. Cur ergò prædicationi, præceptioni, exhortationi, correptioni, quæ omnia frequentat Scriptura divina, existimamus inutilem definitionem prædestinationis, quam commendat eadem Scriptura divina? An quisquam dicere audebit Deum non præscisse, quibus esset daturus vt crederent? Aut quos daturus esset filio suo, vt *ex eis non perderet quemquam?* Quæ vtique si præscivit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit. Ioan. 6. 39.
Hæc prædestinatio sanctorum nihil aliud est quàm præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. Cæteri autem vbi nisi in massa perditionis iusto divino iudicio relinquuntur? Vbi Tyrij relicti sunt & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam vt crederent, non erat eis datum, etiam vnde crederent est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant; & tamen si Dei altiore iudicio, à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ possent credere, si audirent vtique talia vel viderent. In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Iudæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus. Cur enim non poterant

Docet prædestinationis doctrinã vtilitati prædicationis non esse adversam. Supra in Epistola Hilarii & Prosperi.

Prædestinatio quid.

rant

Ioan. 12. 37 & seq rant credere, non tacuit Evangelium dicens: *Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit; Domine quis credidit auditui nostro & brachium Domini cui revelatum est?* Esa. 53. 1. *Et ideò non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excæcavit oculos eorum, & induravit cor illorum, vt non videant oculis, nec intelligant corde, & convertantur, & sanem illos.* Esa. 6. 10. Non erant ergò sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum, & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa vidissent; sed nec illis profuit quod poterant credere quia prædestinati non erant ab eo, cuius *inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ*; Rom. 11. 33 nec istis obfuisset quod *non poterant credere*, si ita prædestinati essent, vt eos cæcos Deus illuminaret, & induratis *cor lapideum* vellet auferre. Verùm quod dixit Dominus de Tyris & Sidoniis, aliquo alio modo potest fortassis intelligi; neminem tamen venire ad Christum, *nisi cui fuerit datum*, & eis dari qui *in illo electi sunt ante constitutionem mundi*, proculdubiò confitetur, à quo non surdis auribus cordis eloquium diuinum auribus carnis auditur: & tamen hæc prædestinatio quæ satis apertè etiã verbis Euangelicis explicatur, non prohibuit Dominum & propter incipiendum dicere, quod paulò ante commemorauit: *Creditis in Deum, & in me credite*: Ioan. 14. 1. & propter perseverandum, *Oportet semper orare, & non deficere.* Luc. 18. 1. Audiunt enim hæc & faciunt quibus datum est, non autem faciunt, siue audiant siue non audiant, quibus *non datum est.* Mat. 13. 11. *Quia vobis*, inquit, *datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum*: quorum alterum ad *misericordiam*, alterum ad *iudicium* pertinet illius, cui dicit anima nostra; Psal. 100. 1. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Nec prædestinationis igitur prædicatione impedienda est prædicatio fidei perseverantis & proficientis, vt quod oportet audiant, & *quibus datum est* vt obediant. Rom. 10. 14 *Quomodò enim audient sine prædicante?* Nec rursùs prædicatione fidei proficientis & vsque ad vltimum permanentis, impedienda est prædicatio prædestinationis, vt qui fideliter & obedienter vivit non de ipsa obedientia tanquàm de suo non accepto bono extollatur; sed *qui gloriatur*, 1. Cor. 1. 31. Ierem. 9. 23 & 24. *in Domino glorietur. In nullo enim gloriandum, quandò nostrum nihil sit.* Quod vidit fidelissimè Cyprianus, & fidentissimè definivit, per quod vtiq; prædestinationem certissimam pronunciavit. Lib. 3. ad Quirin. c. 4. Nam si *in nullo gloriandum est, quandò nostrum nihil*

sit, profectò nec de obedientia perseverantissima gloriandum est. Nec ita nostra, tanquàm non sit nobis desuper donata, dicenda est. Et ipsa igitur Dei donum est, quod se daturum Deus vocatis suis illa vocatione, de qua dictum est, *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio dei*: omni Christiano confitente præscivit. Hæc est igitur prædestinatio, quàm fideliter atq; humiliter prædicamus. Nec tamen idem doctor & factor qui & in christũ credit & in sãcta obediẽtia vsq; ad passionẽ pro Christo perseverantissimè vixit, ideò cessavit prædicare Evãgeliũ, exhortari ad fidem piosq; mores, atque adipsam vsq; in finem perseverantiam; quoniam dixit *in nullo gloriandum, quãdò nostrum nihil sit*, vbi veram Dei gratiam, id est, quæ non secundùm merita nostra datur, sine vlla ambiguitate declaravit; quam le daturum quoniam præscivit Deus, his Cypriani verbis proculdubiò prædestinatio prædicata est; quæ si Cyprianum à prædicatione obedientiæ non prohibuit, nec nos vtique debet prohibere. Quamvis ergò dicamus Dei donum esse obedientiam; tamen homines exhortamur ad eam. Sed illis qui veritatis exhortationem obedienter audiunt, ipsum donum Dei *datum est*, hoc est obedienter audire; *illis autem* qui non sic audiunt, *non est datum*. Non enim quicunque, sed Christus, *Nemo*, inquit, *venit ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo*. Et, *Vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum*. Et de continentia, *Non omnes*, inquit, *capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*. Et cùm Apostolus ad pudicitiam coniugalem coniuges hortaretur, *Vellem*, inquit, *omnes homines esse sicut meipsum, sed vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic*. Vbi satis ostendit non tantùm continentiam donum Dei esse, sed coniugatorum etiam castitatem. Quæ cùm vera sint, hortamur ad hoc quantùm cuique nostrûm datum est vt possit hortari, quia & hoc eius donum est, in cuius manu sunt & nos & sermones nostri. Vnde & Apostolus, *Secundùm gratiam*, inquit, *quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui*: & alio loco, *Vnicuique*, inquit, *sicut Dominus dedit, Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, aliquid est, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Ac per hoc sicut exhortatur & prædicat rectè, sed ille qui accepit hoc donum; ita exhortantem atque prædicantem profectò ille obedienter audit, qui accepit hoc donum. Hinc est quod Dominus quum eis loqueretur, qui

Rom. 11. 29

Ioan 6. 66. Mat. 13. 11 Mat. 19. 11

1. Cor. 7. 7.

1. Cor. 3. 10 Ibid. 5. 6. & 7.

carnis

Luc.8.8. carnis aures apertas haberent. dicebat tamen: *Qui habet aures audiendi, audiat*, quas non omnes habere proculdubiò noverat. A quo autem habeant, quicunque habent, ipse Dominus o-
Baruch. 2. 31. stendit, vbi ait, *Dabo eis cor cognoscendi me & aures audientes.* *Aures* ergò *audiendi*, ipsum est donum obediendi, vt qui id haberent, venirent ad eum, ad quem *nemo venit, nisi fuerit ei datum à patre* ipsius. Exhortamur ergò atque prædicamus; sed *qui habent aures audiendi*, obedienter nos audiunt; qui verò eas nõ
Mat.13.13. habent, fit in eis quod scriptum est, *vt audientes non audiant*; audientes videlicet corporis sensu, non audiant cordis assensu. Cur autem illi habeant *aures audiendi*, illi non habeant; hoc est, cur illis *datum sit à patre* vt veniant ad filium, *illis autem non*
Rom.11.34. *sit datum, quis cognovit sensum Domini, aut quis eius consiliarius fuit?*
Rom 9.20. Aut *tu quis es homo, qui respondeas Deo?* Nunquid ideò negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est? Nunquid, inquam, propterea dicturi sumus quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit non possumus invenire?

Aures audiendi voluntas est obediendi.

CAPVT XV.

SEd aiunt, vt scribitis, *neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiæ audientibus multis, Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem, vel accepta perseverantia maneatis in fide; cæteri verò qui in peccatorum delectatione remoramini, ideò nondum surrexistis, quia nec dum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit. Verùntamen si qui estis necdùm vocati, quos gratia sua prædestinaverit eligendos, accipietis eandem gratiam, qua velitis & fitis electi. Et si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires vt obedire cessetis.* Ista cùm dicuntur ita nos à confitenda Dei vera gratia, id est, quæ non secundùm merita nostra datur, & à confitenda secundùm eam prædestinatione sanctorum deterrere non debent; sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, vt dicat; *Sive nunc rectè vivatis, sive non rectè, tales vos eritis posteà, quales vos Deus futuros esse præscivit, vel boni si bonos, vel mali si malos.* Nunquid enim si hoc audito nonnulli in torporem segnitiemq; vertantur, & à labore procli-
Eccl.18.30. ves ad libidinem *post concupiscentias suas eant*, propterea Dei falsum

Incommoda & inutilis formula prædicanda prædestinationis.

falsum putandum esse, quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos futuros esse præscivit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur; si autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Fuit quidam in nostro Monasterio, qui corripientibus fratribus cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, respondebat; qualiscunque nunc sim, talis ero qualem me Deus futurum esse præscivit. qui profectò & verum dicebat, & hoc verò non proficiebat in bonum; sed vsqueadeò profecit in malum, vt deserta monasterii societate fieret canis reversus ad suum vomitum, & tamen adhuc qualis sit futurus, incertum est. Nunquid ergò propter huiusmodi causas, ea quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt vel tacenda; tunc scilicet quandò si non dicantur, in alios itur errores?

Monasterium Augustini.

CAPVT XVI.

SVnt etiam qui propterea vel non orant, vel frigidè orant, quoniam Domino dicente didicerunt, scire Deum quid nobis necessarium sit priusquàm petamus ab eo. Num propter tales huius sententiæ veritas deserenda, aut ex Evangelio delenda putabitur? Imò cùm constet Deum, alia etiam non orantibus; sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut vsque in finem perseverantiam: profectò qui ex seipso hanc se habere putat, non orat vt habeat. Cavendum est igitur, ne dùm timemus, ne tepescat exhortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio. Dicatur ergò verùm, maximè vbi aliqua quæstio, vt dicatur, impellit, & capiant qui possunt; ne fortè cùm tacetur propter eos qui capere non possunt non solùm veritate fraudentur, verùmetiam falsitate capiantur, qui verum capere, quo caveatur falsitas, possunt. Facile est enim, imò & vtile, vt taceatur aliquod verum propter incapaces. Nam vndè est illud Domini, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò*. Et illud Apostoli, *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quasi parvulis in Christo. Lac vobis potum dedi, non escam; nondùm enim poteratis. sed nec adhuc quidem potestis?* Quàmvis modò quodã dicendi fieri possit, vt id quod dicitur, & *parvulis lac*, & grandibus *esca* sit. Sicut, *in principio erat verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*; quis Christianus tacere potest? quis cape-

Matt. 6. 8.

Veritas aliquandò tacenda.

Idem lac parvulis, grandibus esca esse potest.

Ioan 16.12.

1.Cor. 3.1. & 2.

Ioan.1.1.

capere? aut quid in doctrina sana potest inveniri grandius? Quod tamen & parvulis non tacetur, & nec grandibus nec parvulis occultatur. Sed alia est ratio verum tacendi, alia verum dicendi necessitas. Causas verum tacendi longum est omnes quærere vel inferere; quarum tamen est & hæc vna, ne peiores faciamus eos qui non intelligunt, dùm volumus eos qui intelligunt facere doctiores: qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores quidem non fiunt, sed nec peiores fiunt. Cùm autem res vera ita se habet, vt fiat peior nobis eam dicentibus, ille qui capere non potest: nobis autem tacentibus, ille qui potest; quid putamus esse faciendum? Nònne potiùs est dicendum verum, vt *qui potest capere capiat*, quàm tacendum, vt non solùm id ambo nō capiant, verùmetiá qui est intelligētior, ipse sit peior? Qui si audiret & caperet, per illum etiam plures discerent. Quo enim est capacior vt discat, eò magis est idoneus vt alios doceat. Instat inimicus gratiæ atque vrget modis omnibus, vt credatur *secundum merita nostra dari*, ac sic *gratia iam non sit gratia*. Et nos nolumus dicere, quod teste scriptura possumus dicere: timemus enim videlicet, ne loquentibus nobis offendatur, qui veritatem non potest capere, & non timemus ne tacentibus nobis qui veritatem potest capere, falsitate capiatur? Aut enim sic prædestinatio prædicāda est, quemadmodùm eam sancta scriptura evidenter eloquitur, vt in prædestinatis *sine pœnitentia sint dona & vocatio Dei*: aut *gratiam Dei secundùm nostra dari merita* confitendum, quod sapiunt Pelagiani, quàmvis ista sententia, quod sæpè iam diximus, legatur in gestis Episcoporum orientalium etiam ipsius Pelagij ore damnata. A Pelagianorum porrò hæretica perversitate tantum isti remoti sunt, propter quos hæc agimus, vt licet nondùm velint fateri prædestinatos esse, qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permancant, iam tamen fateantur quod eorum præveniat voluntatem quibus datur hæc gratia. Ideò vtique, ne non gratis dari credatur gratia, sicut veritas loquitur, sed potiùs secundùm præcedentis merita voluntatis, sicut contra veritatem Pelagianus error obloquitur. Prævenit ergò & fidem gratia, alioquin si fides eam prævenit, proculdubiò prævenit & voluntas, quoniam fides sine voluntate non potest esse. Si autem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, profectò prævenit omnem obedientiam, prævenit etiam charitatem, qua vna

Verum tacendi vel non tacendi causa.

Rom. 11. 6.

Rom. 11. 29.

Fides sine voluntate esse non potest.

Deo

Deo veraciter & suaviter obeditu, & hæc omnia gratia in eo cui datur, & cuius hæc omnia prævenit operatur.

CAPVT XVII.

REstat in his bonis vsque in finem perseverantia, quæ frustrà quotidie à Domino poscitur, si non eam Dominus per gratiam suam in illo, cuius orationem exaudit, operatur. Videte iam à veritate quàm sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam vsq; in finem huius vitæ; cùm vitæ huic quandò voluerit ipse det finem: quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem *perseverare vsque in finem* Sed mirabilior & fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quòd etiam parvulis quibus obedientia non est illius ætatis vt detur, datur hæc gratia. Ista igitur sua dona quibuscunq; Deus donat, proculdubiò donaturum se esse præscivit, & in sua præscientia præparavit. *Quos* ergò *prædestinavit, ipsos & vocavit* vocatione illâ, quam me sæpè commemorare non piget: de qua dictum est *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* Nam in sua quæ falli mutariq́ue non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omninò, nec aliud quicquam est prædestinare. Sicut autem ille quem castum futurum esse præscivit, quàmvis id incertum habeat, agit vt castus sit: ita ille quem castum futurum prædestinavit, quàmvis id incertum habeat, non ideò non agit vt castus sit, quoniam Dei dono, se audit futurum esse quod quærit imò etiam gaudet eius *charitas, nec inflatur*, tanquam id non acceperit. Non solùm ergò prædicatione prædestinationis ab hoc opere non impeditur, verùm ad hoc adiuvatur, vt cùm *gloriatur, in Domino glorietur.* Quod autem dixi de castitate, hoc de fide, hoc de pietate, de charitate, de perseverantia, &, ne pergam per singula, hoc de omni obedientia qua obeditur Deo, veracissimè dici potest. Sed ij qui solùm initium fidei, & vsque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, vt Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates, cætera verò ipsum dare concedunt, cùm ab illo impetrantur credentis fide, cur ad ipsa cætera exhortationem eorum cæterorumq́; prædicationem definitione prædestinationis non metuunt impediri? An fortè nec ipsa dicunt prædestinata? Ergò nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nescivit. Quod si & dan-

Rom. 8. 30.

Rom. 11. 29

1. Cor. 1. 31.

dantur, & ea se daturum esse præscivit; profectò prædestinavit. Sicut ergò ipsi hortantur quoque ad castitatem, charitatem, pietatem, & cætera quæ Dei dona esse confitentur, eaq; ab illo esse præcognita, ac per hoc prædestinata negare non possunt, nec dicunt exhortationes suas impediri prædicatione prædestinationis Dei, hoc est, prædicatione de his donis eius futuris præscientiæ Dei; sic videant nec ad fidem, nec ad perseverantiam impediri exhortationes suas, si & ipsa, quod verum est, esse Dei dona, eaque præcognita, id est, ad donandum prædestinata esse dicantur; sed impediri potiùs
1.Cor.1.31 atque subverti hac prædestinationis prædicatione illum tantummodò perniciosissimum errorem, quo dicitur *gratia Dei secundum merita nostra dari*; vt *qui gloriatur*, non *in* Domino, sed in seipso *glorietur*. Quod vt apertiùs propter tardiusculos explicemus, rememorationem meam ferant, quibus ingenio
Iacob. 1.5. prævolare donatum est. Dicit Apostolus Iacobus, *Si quis vestrùm indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Scriptum est & in proverbiis Sa-
Prov. 2.6. lomonis, *Quoniam* Dominus *dat sapientiam.* Et de continentia legitur in libro Sapientiæ, cuius authoritate vsi sunt magni & docti viri, qui longè ante nos eloquia divina tractarunt:
Sap. 8.21. ibi ergò legitur, *Cùm scirem, quia nemo esse potest continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientia scire, cuius esset hoc donum.* Hæc ergò Dei dona sunt, id est, vt de aliis taceam, sapientia & continentia. Acquiescunt & isti: (neque enim Pelagiani sunt, vt adversus istam perspicuam veritatem dura & hæretica pervervsitate contendant.) *Sed hæc*, inquiunt, *vt à Deo dentur nobis, fides impetrat, quæ incipit à nobis:* quam fidem & incipere habere, & in ea vsque in finem permanere, tanquàm id non à Domino accipiamus, nostrum esse contendunt. Hic proculdubiò contradicitur Apostolo dicenti; *Quid enim habes quod non accepisti?* Contradicitur & martyri Cypriano dicenti, *in nullo gloriandum, quandò nostrum nihil sit.* Cùm hæc & alia multa quæ piget repetere, dixerimus atque ostenderimus & initium fidei, & vsque in finem perseverantiam, Dei dona esse, nec vlla futura esse sua dona, & quæ danda essent, & quibus danda essent, Deum non præscire potuisse, ac per hoc prædestinatos ab illo esse, quos liberat & coronat; respondendum putant, *prædestinationis definitionem vtilitati prædicationis adversam, eò quod hac audita, nemo possit correptionis stimulis excitari.*

Commodè iterum libri Sapientiæ.

1.Cor.4.7.

Lib.1. ad Quæst.c.4.

tari. Hæc dicantes nolunt hominibus prædicari dona Dei esse, vt veniatur ad fidem, & permaneatur in fide; ne plus desperatio quàm exhortatio videatur afferri, dùm cogitant qui audiunt, incertum esse humanæ ignorantiæ cui largiatur Deus, cui non largiatur hæc dona. Cur ergò & ipsi nobiscum prædicant, dona Dei esse sapientiam & continentiam? Quod si hæc cùm Dei dona esse prædicantur, non impeditur hortatio qua homines hortamur esse sapientes & continentes; quæ tandem causa est vt existiment impediri exhortationem, quâ exhortamur homines venire ad fidem; & in eâ permanere vsque in finem? Et si hæc dona Dei esse dicantur, quod scripturis eius testibus comprobatur, ecce vt de continentia taceamus, & de sola in hoc loco sapientia disputemus: nempè suprà memoratus Apostolus Iacobus dicit, *Quæ desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordia & fructibus bonis, inæstimabilis sine simulatione.* Iacob. 3. 17. Cernitisne obsecro, *à patre luminũ*, sapiẽtia quâ multis & magnis & bonis referta descẽdat? *Omne* quippè *datũ optimũ* sicut idẽ dicit, *& omne donũ perfectũ desursũ est, descendẽs à patre luminũ.* Iacob. 1. 17. Cur ergò, vt omittam cætera corripimus impudicos & contẽtiosos, quibus tamen prædicamus donũ Dei esse *sapientiã pudicã* atque *pacificam*; nec timemus ne permoti divinæ voluntatis incertò, plus in hac prædicatione desperationis quam exhortationis inveniant, nec correptionis stimulis adversus seipsos, sed potiùs adversus nos excitentur, quia eos corripimus hæc non habentes, quæ ipsi dicimus non humana voluntate proferri, sed divina largitate donari? Cur denique ipsum Apostolum Iacobum huius gratiæ prædicatio non deterruit corripere inquietos, & dicere; *Si zelum amarum habetis; & contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari & mendaces esse adversus veritatem; non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, vbi inconstantia, & omne opus prauum.* Iacob. 3. 14 15. & 16. Sicut ergò corripiendi sunt inquieti & divinis eloquiis testibus & ipsis quos nobiscum isti communes habent actibus nostris; neque hanc impedit correptionem, quod *sapientiam pacificam* qua contentiosi corriguntur atque sanantur, donum Dei esse prædicamus: ita corripiendi sunt infideles, vel in fide non permanentes, non impediente istam correptionem prædicatione gratiæ Dei, quæ fidem quoque ipsam & in ea permansionem dona Dei esse commendat; quia et si ex fide impetratur sapientia, sicut ipse Iacobus cùm di-

Iacob. 1.5. xisset; *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei:* mox addidit; Ibidem. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans:* non tamen quoniam fides datur priùsquam postuletur ab illo cui datur, ideò dicenda est non esse donum Dei, sed esse à nobis, quia data est nobis, nõ petentibus nobis. Apostolus enim apertissimè dicit, *Pax fratribus & charitas cum fide à Deo patre & Domino Iesu Christo.* Eph. 6. 23. A quo ergò *pax & charitas*, ab illo est & *fides*; propter quod ab illo eam non solùm augeri habentibus, verùmetiam non habentibus poscibus dari. Neque isti propter quos hæc dicimus, qui prædicatione prædestinationis & gratiæ exhortationem clamitant impediri, ad sola illa exhortantur dona, quæ non à Deo dari, sed à nobis esse contendunt; sicut sunt initium fidei, & in ea vsque in finem perseverantia: quod vtique facere deberent; vt tantùmmodò infideles hortarentur, vt crederent, & fideles, vt credentes permanerent. Ea verò quæ nobiscum Dei dona esse non negant, vt nobiscum Pelagianum demoliantur errorem: sicut est pudicitia, continentia, patientia, & cætera quibus rectè vivitur, & ex fide impetrantur, à Domino oranda monstrare & orare solùm vel sibi vel aliis debuerunt, non autem quemquam vt ea capesceret, & retineret, hortari. Cùm verò & ad hæc exhortantur vt possint, atque exhortandos esse homines confitentur; satis vtique ostendunt, nec eâ prædicatione impediri exhortationes sive ad fidem, sive ad perseverantiam vsque in finem: quia & ista Dei dona esse nec à seipso cuiquam, sed ab illo tribui prædicamus. At enim *vitio suo quisque deserit fidem, cùm cedit tentationi atque consentit, quâ cùm illo agitur vt deserat fidem.* Quis negat? Sed non ideò dicenda est in fide perseverantia non esse donum Mat. 6. 13. Dei. Hanc enim quotidie poscit, qui dicit, *Nenos inferas in tentationem*; & si exauditur, hanc accipit; ac per hoc quotidie vt perseveret petens, profectò perseverantiæ suæ spem non in se ipso, sed in Deo ponit. Ego autem nolo exaggerare meis verbis, sed illis cogitandum potiùs relinquo, vt videant quale sit quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis quàm exhortationis afferri: hoc est enim dicere, tũc de sua salute hominem desperare, quandò Hier. 17.5. spem suam non in seipso, sed in Deo didicerit ponere; cum Propheta clamet, *Maledictus omnis qui spem ponit in homine.* Hæc vtique dona Dei, quæ dantur electis secundùm Dei propositum

vocatis, (in quibus donis est & incipere credere, & in fide vsque ad vitæ huius terminum perseverare; sicut tanta rationum atq; authoritatum contestatione probavimus,) hæc, inquam, Dei dona, si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur à Deo: præsciuntur autem; hæc est igitur prædestinatio quam defendimus.

CAPVT XVIII.

Prædestinatio præscientia interdū nomine significatur.

VNdè aliquandò eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus, *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Hoc quod ait *præscivit*, non rectè intelligitur nisi prædestinavit, quod circumstantia ipsius locutionis ostendit. Loquebatur enim de reliquiis Iudæorum, quę *salvæ factæ sunt*, pereuntibus cæteris. Nam superiùs dixerat *ad Israel dixisse* Prophetam, *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem*: & tanquàm responderetur, Vbi sunt ergò factæ promissiones Dei ad Israel; continuò subiunxit, *Dico ergò, nunquid repulit Deus plebem suam? Absit; nam & ego Israelita sum ex semine Abraham de tribu Beniamin*: tanquã diceret, *nam & ego* ex ipsa plebe sum. Deinde addidit vndè nunc agimus, *Non repulit Deus plebem suam quam præscivit.* Atque vt ostenderet Dei gratia fuisse relictas reliquias, non meritis operum eorum, secutus adiunxit, *An nescitis in Helia quid dicit scriptura? quemadmodum interpellat Deum adversus Israel*, & cætera. *Sed quid dicit illi*, inquit, *responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal.* Non enim ait, relicta sunt mihi, aut reliquerunt se mihi; sed *reliqui mihi. Sic ergò*, inquit, *& in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* Et connectens illa quę iam suprà interposui, *Quid ergò?* & huic interrogationi respondens, *Quod quærebat*, inquit, *Israel, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est, cæteri verò excæcati sunt.* In hac ergò *electione* & in his *reliquijs*, quę *per electionem gratiæ salvæ factæ sunt*, voluit intelligi *plebem*, quam propterea *Deus* non *repulit*, quia *præscivit.* Hæc est illa electio quâ eos quos voluit *elegit in Christo ante constitutionem mundi, vt essent sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate, prædestinans eos in adoptionem filiorum.* Nullus igitur qui hæc intelligit, negare vel dubitare permittitur, vbi ait Apostolus, *Non repulit Deus*

Rom. 11. 2.
Rom. 10. 21
Esa. 65. 2.
Rom. 11. 1.
Ibidem 2.
Ibidem.
Ibid 4.
3 Reg. 19. 18.
Rom. 11. 5. & 6.
Ibid. 7.
Ephes. 1. 4. & 5.

Deus plebem suam quam præscivit, prædestinationem significare voluisse. Præscivit enim reliquias, quas *secundùm electionem gratiæ* fuerat ipse facturus: hoc est ergò prædestinavit: sine dubio enim præscivit, si prædestinavit; sed prædestinasse, est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus.

CAPVT. XIX.

QVid ergò nos prohibet, quandò apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? Magis autem fortasse voluerunt hoc verbo in ea re vti, quod facilius intelligitur & non repugnat; imò & congruit veritati quæ de prædestinatione gratiæ prædicatur. Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse. Puto tamen eis qui de hac re sententias tractatorum requirunt, sanctos & in fide atque doctrina Christiana indubitabiliter vsquequaque diffamatos viros, Cyprianum & Ambrosium, quorum tàm clara testimonia posuimus, debere sufficere, & debere ad vtrumque, id est vt & gratiam Dei gratuitam, sicut credenda atque prædicanda est, per omnia credant & per omnia prædicent; & eandem prædicationem prædicationi quâ hortamur pigros, vel corripimus malos, non opinentur adversam: quia & isti viri cùm sic prædicarent Dei gratiam, vt vnus eorum diceret *in nullo gloriandum, quandò nostrum nihil sit*: alter autem, *non est in potestate nostra cor nostrum & nostra cogitationes*: non tamen hortari & corripere destiterunt, vt fierent præcepta divina. Nec timuerunt ne diceretur eis, Quid nos hortamini? Quid & corripitis, si *nihil* boni habeamus quod *sit nostrum*, & si *non est in potestate nostra cor nostrum*? Hæc ne dicerentur eis, nequaquàm illi sancti eâ mente timere potuerunt, quæ intelligebant paucissimis esse donatum, vt nullo sibi homine prædicante, per ipsum Dominum vel per angelos cœlorum doctrinam salutis accipiant; multis verò id esse donatum, vt Deo per homines credant. Quoliber tamen modo dicatur homini verbum Dei, procul dubio qui sic audit vt illi obediat, donum Dei est. Vndè supradicti tractatores excellentissimi divinorum eloquiorum, & gratiam Dei veram, sicut prædicanda est, prædicarunt, id est, quam nulla merita humana

Cyprianus lib. 3. ad Quirin. c. 4.

Ambrosius de fuga sæcul. cap. 1. Pauciss. mis donat tum, vt hominis nullius ministerio doctrinam salutis acciperent.

præcedunt, & ad facienda divina præcepta instanter hortati sunt, vt qui haberent donum obedientiæ, quibus iussis obediendum esset, audirent: si enim gratiam merita nostra vlla præcedunt, profectò aut facti alicuius, aut dicti aut cogitationis est meritum, vbi & ipsa intelligitur voluntas bona. Sed brevissimè complexus est omnium genera meritorum, qui dicit *in nullo gloriandum, quandò nostrum nihil sit.* Qui verò ait, *non est in nostra potestate cor nostrum, & nostra cogitationes*; nec ipse facta & dicta præteriit: non enim est dictum factumvè hominis, quod non ex cordis cogitatione procedat. Quid autem amplius de hac re agere Cyprianus martyr glorioſissimus, & doctor lucidissimus potuit, quàm vbi nos in oratione Dominica etiam pro inimicis fidei Christianæ orare oportere commonuit; vbi de initio fidei quod etiam hoc donum Dei sit, quid sentiret ostendit; & pro perseverantia vsque in finem, quia & ipsam non nisi Deus eis qui perseveraverint, donat, Ecclesiam Christi quotidie orare monstravit Beatus quoque

Ambrosius super Lucã in expositione prooemij.

Ambrosius cùm exponeret quod ait Lucas Evangelista, *Visum est & mihi*, Potest, inquit, *non soli visum esse, quod sibi visum esse declarat; non enim voluntate tantùm humana visum est, sed sicut placuit ei qui in me loquitur Christus, qui vt id quod bonum est, nobis quoque videri bonum posſit, operatur: quem enim miseratur, & vocat. Et ideò qui Christum sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Christianus, respondere, visum est & mihi: quòd cùm dicit, non negat Deo visum: à Deo enim præparatur voluntas hominum. Vt enim Deus honorificetur à sancto, Dei gratia est.* Itemque in eodem operis, re, hoc est in expositione eiusdem Evangelii cùm ad illum veniſſet locum, vbi Dominum ad Hierusalem pergentem Samaritani recipere noluerunt; *Simul discipuli*, inquit, *quia recipi noluit ab ijs quos sciebat non simplici mente conversos. Nam si voluisset, ex indevotis feciſſet devotos. Cur autem non receperint eum, Evangelista ipse monstrat dicens; quia facies eius erat euntis in Hierusalem; discipuli autem recipi intra Samariam gestiebant. Sed Deus quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.*

Luc. 1. 3.

Prov. 8.

Luc. 9. 53.

Ibid.

Lib 7. comment. in Luca c. 9.

Quid evidentiùs, quid illustriùs à verbi Dei tractatoribus quærimus, si & ab ipsis quod in scripturis clarum est, audire delectat? Sed his duobus qui sufficere debuerunt, sanctum Gregorium addamus & tertium, qui & credere in Deum, & quod credimus confiteri, Dei donum esse testatur, dicens: *Vnius deitatis quaſo vos confitemini trinitatem. Si verò aliter vultis,*

Gregorius Nazianzenus erat. in in Pentecoſt.

dicite

dicite vnius eſſe naturæ, & Deus vocem dari vobis à ſancto Spiritu deprecabitur: id eſt rogabitur Deus vt permittat vobis dari vocem, quâ quod creditis, confiteri poſſitis. Dabit enim, certus ſum; qui dedit quod primum eſt, dabit & quod ſecundum; qui dedit credere dabit & cõfiteri.

Iſti tales tantiq; doctores dicentes non eſſe aliquid, de quo tanquàm de noſtro, quod nobis Deus non dederit gloriemur; nec ipſum cor noſtrum & cogitationes noſtras in poteſtate noſtra eſſe; & totum dantes Deo, atque ab ipſo nos accipere confitentes, vt permanſuri convertamur ad eum; vt quod bonum eſt, nobis quoque videatur bonum, & velimus id illud, vt honoremus Deum, & recipiamus Chriſtum, vt ex indevotis efficiamur devoti & religioſi, vt in ipſam Trinitatem credamus, & confiteamur etiam voce quod credimus: hæc vtique gratiæ Dei tribuunt, Dei munera agnoſcunt, ab ipſo nobis, non à nobis eſſe teſtantur. Nunquid autem quiſquam eos dicturus eſt, ita confeſſos iſtam Dei gratiam vt auderent negare eius præſcientiam, quam non ſolùm docti, ſed indocti etiam confitentur? Porrò ſi hæc ita Deum noverant dare, vt non ignorarent eum daturum ſe eſſe præſciſſe, & quibus daturus eſſet non potuiſſe neſcire; proculdubio noverant prædeſtinationem, quam per Apoſtolos prædicatam contrà novos hæreticos operoſiùs diligentiùſque defendimus: nec tamen eis obedientiam prædicantibus, & ad eam ſicut quiſque poterat ferventer hortantibus, vllo modo rectè dicereturꝰ; Si non vultis obedientiam ad quam nos accenditis, in noſtro corde frigeſcere, nolite nobis iſtam Dei gratiam prædicare, quâ Deum dare fatemini, quæ & nos vt faciamus hortamini.

CAPVT XX.

QVamobrem ſi Apoſtoli & doctores Eccleſiæ, qui eis ſucceſſerunt, eoſque imitati ſunt, vtrumque faciebant; id eſt & Dei gratiam, quæ non ſecundùm merita noſtra datur, veraciter prædicabant; & piam obedientiam præceptis ſalubribus inſtruebant: quid eſt quod invicta concluſi violentia veritatis rectè ſe iſti noſtri dicere exiſtimant: *Et ſi verum eſt quod dicitur de prædeſtinatione beneficiorum Dei, non eſt tamen populis prædicandum.* Prædicandum eſt prorſus, vt *qui habet aures audiendi, audiat.* Quis autem habet, ſi non accepit ab illo qui ait, *Dabo eis cor cognoſcendi me, & aures audientes?* Certè qui non accepit, reiiciatꝰ dùm tamen qui capit, ſumat & bibat, bibat

Supra in Epiſtola Proſperi & Hilarij.

Luc. 8. 8. Baruch 2. 31.

bibat & vivat. Sicùt enim prædicanda est pietas, vt ab eo *qui habet aures audiendi*, Deus rectè colatur, prædicanda est pudicitia, vt ab eo *qui habet aures audiendi*, nihil genitalibus membris illicitum perpetretur, prædicanda est charitas, vt ab eo *qui habet aures audiendi*, Deus & proximus diligatur: ita & prædicanda est ista prædestinatio beneficiorum Dei, vt *qui habet aures audiendi*, non in seipso, sed *in Domino glorietur*. Quòd autem dicunt, *non opus fuisse huiuscemodi disputationis incerto minus intelligentium tot corda turbari, quoniam non minus vtiliter sine hac definitione prædestinationis, per tot annos defensa est catholica fides, tum contra alios, tùm maximè contra Pelagianos, tot catholicorum & aliorum & nostris præcedentibus libris*: multùm miror eos dicere, nec attendere vt de aliis hic taceam, ipsos libros nostros & antequàm Pelagiani apparere cœpissent conscriptos & editos, & videre quàm multis eorum locis futuram nescientes Pelagianam hæresim credebamus, prædicando gratiâ quâ nos Deus liberat à malis erroribus & moribus nostris, non præcedentibus bonis meritis nostris, faciens hoc secundùm gratuitam misericordiam suam. Quod pleniùs sapere cœpi in ea disputatione quam scripsi ad beatæ memoriæ Simplicianum, Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, in mei episcopatus exordio, quando & initium fidei donum Dei esse cognovi & asserui. Quid autem meorum opusculorum frequentius & delectabilius innotescere potuit, quàm libri confessionum mearum, cùm & ipsos ediderim antequàm Pelagiana hæresis exitiasset? In eis certè dixi Deo nostro, & sæpè dixi; *Da quod iubes, & iube quod vis*. Quæ mea verba Pelagius Romæ cùm à quodam fratre coepiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquantò commotius, penè cum eo qui illa commemoraverat, litigavit. Quid verò nobis primitus & maximè Deus iubet, nisi vt credamus in eum? Et hoc ergò ipse dat, si benè illi dictum est, *da quod iubes*. Et in eisdem etiam libris quod de mea conversione narravi, Deo me convertente ad eam fidem, quâ miserrimâ & furiosissimâ loquacitate vastabam: nònne ita narratum esse meministis, vt ostenderem me fidelibus & quotidianis matris meæ lachrymis ne perirem fuisse concessum? Vbi vtique prædicavi, non solùm aversas à rectâ fide, sed adversas etiam rectæ fidei, Deum suâ gratiâ ad eam convertere hominum voluntates. De proficiente porrò perseverantia quem-

In Epistola Hilarij.

Lib. 10. c. 29.

Lib. 3. c. 11 & 12. & lib. 9. c. 8.

quemadmodùm Deum rogaverim, & scitis & potestis recensere cùm vultis. Omnia itaque Dei dona quæ in eodem opere sive optavi, sive laudavi, quis non dicam negare, sed dubitare saltem audeat Deum daturum se esse præscisse, & quibus daturus fuerit, nunquàm potuisse nescire? Hæc est prædestinatio manifesta & certa sanctorum: quam posteà diligentius & operosius, cùm iam contrà Pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit Didicimus enim singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contrà quas diligentius defenderetur scriptura divina, quàm si nulla talis necessitas cogeret. Quid autem coegit loca scripturarum, quibus prædestinatio commendata est, copiosius & enucleatius isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicunt, *Gratiam Dei secundum merita nostra dari*: quid quid est aliud quàm gratiæ omninò negatio?

Hæreses quid bonæ per occasionem Ecclesiæ adferant.

CAPVT XXI.

HÆc ergò vt ingrata Deo sententia destruatur, gratuitis Dei beneficiis quibus liberamur inimica, & initium fidei, & in ea vsque in finem perseverantiam secundùm scripturas, vndè iam multa diximus, dona Dei esse defendimus; quoniam si à nobis esse dicimus initium fidei, vt eo cætera Dei dona mereamur accipere; concludunt Pelagiani *gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Quod ita exhorruit catholica fides, vt damnari timens, hoc Pelagius ipse damnaverit. Itemque si dicimus à nobis esse perseverantiam nostram, non à Domino, respondent illi, ita nos à nobis habere initium fidei sicut finem; sic argumentantes, multò magis nos habere à nobis illud initium fidei, si à nobis habemus permanere vsque in finem; cùm perficere quam inchoare sit maius: ac sic identidem concludunt, *gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Si autem vtrumque Dei donum est, & hæc Deus dona sua, (quod negare quis potest?) daturum se esse præscivit; prædestinatio prædicanda est, vt possit vera Dei gratia, hoc est, quæ nō secundum merita nostra datur, insuperabili munitione defendi. Et ego quidem in illo libro cuius est titulus, de correptione & gratia, qui sufficere non potuit omnibus dilectoribus nostris, puto me ita posuisse donum Dei esse, etiam perseverare vsque in finem, vt hoc anteà, si me non fallit obli- *Cap. 6.*

Eeeee vio,

vio tam expresse atque evidenter, vel nusquam, vel penè nusquam scripserim. Sed ita hæc nunc dixi, vt non ante me nemo dixerit. Beatus quippè Cyprianus in oratione Dominica sicut iam ostendimus, petitiones nostras ita exposuit, vt in ipsa prima petitione perseverantiam nos diceret poscere; id nos orare asserens, dicendo, *Sanctificetur nomen tuum*, cùm in baptismate sanctificati fuerimus, vt in eo quod esse cœpimus, perseveremus. Videant tamen ij quibus amantibus me, ingratus esse non debeo, qui propter hoc, quod in quæstionem venit, omnia mea, sicut scribitis, se profitentur amplecti: videant, inquam, vtrùm in primi libri posterioribus partibus, eorum duorum quos mei episcopatus initio antequam Pelagiana hæresis appareret, ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum scripsi, remanserit aliquid quo vocetur in dubiũ, gratiam Dei non secundùm merita nostra dari: & vtrùm ibi non satis egerim, etiam initium fidei esse donum Dei: & vtrùm ex iis quæ ibi dicta sunt, non consequenter eluceat, & si non sit expressum, etiam vsque in finem perseverantiam non nisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum regnum & gloriam. Deindè ipsam epistolam, quam iam contra Pelagianos ad sanctum Paulinum Nolanum Episcopum feci, cui Epistolæ contradicere modò cœperunt; nònne ante annos plurimos ædidi? Eam quoque inspiciant quam dedi ad Sixtum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum, quando adversus Pelagianos acerrimâ conflictatione certavimus, & talem reperient, qualis illa est ad Paulinum. Vndè recolant adversus hæresim Pelagianam iam ante aliquot annos ista dicta esse atque conscripta, quæ nunc eis displicere mirandum est: quàmvis neminem velim sic amplecti omnia mea vt me sequatur, nisi in iis in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, vt nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem, sed proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen à perfectione cœpisse: quandoquidem arrogantius loquor quàm verius, si vel nunc dico me ad perfectionem sine vllo errore scribendi iam in istâ ætate venisse. Sed interest quantum & in quibus rebus erretur; & quàm facilè quisque corrigat, vel quantâ pertinaciâ suum defendere conetur errorem. Bonæ quippè spei est homo, si eum sic proficientem dies vltimus vitæ huius invenerit, vt adiiciantur ei quæ proficienti

Matt. 6. 9.

Duo libri ad Simplicianum.

Epistola ad Paulinum quæ est numero 106.

Epistola ad Sixtum 106

Bona spei homo.

ti defuerunt, & perficiendus quàm puniendus potiùs iudicetur. Quocirca, si hominibus, qui propterea me dilexerunt, quia pervenit ad eos, antequàm me diligerent, aliqua mei laboris vtilitas, nolo existere ingratus; quantò magis Deo, quẽ non diligeremus, nisi priùs dilexisset nos, & fecisset dilectores suos? quoniam charitas ex ipso est: sicut dixerunt quos 1. Ioa. 4 7. fecit magnos, non solùm amatores, verùmetiam prædicatores suos. Quid est autem ingratius, quàm negare ipsam *gratiam Dei*, dicendo eam *secundum merita nostra dari*? Quod in Pelagianis fides catholica exhorruit, quod ipsi Pelagio capitale crimen obiecit, quod ipse Pelagius non quidem amore veritatis, sed tamen suæ damnationis timore damnavit. Quisquis autem dicere *gratiam Dei secundum merita nostra dari*, sicut catholicus fidelis exhorret; nec ipsam fidem subtrahat Dei gratiæ, quâ misericordiam consecutus est vt fidelis esset: ac per hoc gratiæ Dei tribuat perseverantiam quoq; vsque in finem, quâ misericordiam consequitur, quam poscit quotidie, vt nõ inferatur in tentationem. Inter initium autem fidei & perfectionem perseverantiæ, media sunt illa, quibus rectè vivimus, quæ ipsi etiam donari nobis à Deo fide impetrante consentiũt. Hæc autem omnia, initium scilicet fidei, & cætera vsque in finem dona sua, Deus largiturum se vocatis suis esse præscivit. Nimiæ igitur contentionis est, prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare.

CAPVT XXII.

QVæ tamen non ita populis prædicanda est, vt apud imperitam vel tardioris intelligentiæ multitudinem re darguii quodammodò ipsa suâ prædicatione videatur: sicut redargui videtur & præscientia Dei, (quam certè negare non possunt,) si dicatur hominibus, *sive curratis, sive dormiatis, vos præscivit qui falli non potest, hoceritis.* Dolosi autem vel imperiti medici, est etiam vtile medicamentum sic alligare, vt aut non prosit, aut obsit; sed dicendum est, *Sic currite vt comprehendatis*, atque vt ipso cursu vestro ita vos esse præcognitos noveritis, vt legitimè curreretis: & si quo alio modo Dei præscientia prædicari potest, vt hominis segnitia repellatur. Quàmvis ergò ita se habeat de prædestinatione definitâ sententia voluntatis Dei, vt alij ex infidelitate, acceptâ voluntate

Prædestinatio quomodò citra offensionem prædicanda.

1. Cor. 9. 24.

te obediendi, convertantur ad fidem, vel perseverent in fide: cæteri verò qui in peccatorum damnabilium delectatione remorantur, si & ipsi prædestinati sunt, ideò nondùm surrexerunt, quia nondùm eos adiutorium gratiæ miserantis erexit. Si qui enim nondùm sunt vocati, quos gratiâ suâ prædestinavit, eligendos, accipient eandem gratiam, quâ electi velint esse & sint. Si qui autem obediunt, sed in regnum eius, & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt; nec vsque in finem in eadem obedientia permanebunt. Quàmvis ergò hæc vera sint, non tamen isto modo dicenda sunt audientibus multis, vt sermo ad ipsos etiam convertatur, eisque dicantur illa istorum verba quæ vestris litteris indidistis, & quæ superiùs interposui: ita se habet *de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate, acceptâ obediendi voluntate veneritis ad finem.* Quid opus est dici, *alij ex vobis?* Si enim Ecclesiæ Dei loquimur, si credentibus loquimur, cur alios eorum ad fidem venisse dicentes, cæteris facere videamur iniuriam, cùm possimus congruentiùs dicere: Ità se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt ex infidelitate veneritis ad fidem acceptâ voluntate obediendi, & acceptâ perseverantia maneatis in fide? Nec illud quod sequitur, est omninò dicendum, id est: *cæteri verò qui in peccatorum delectatione remoramini, ideò nondùm surrexistis, quia necdum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit*: cùm benè & convenienter dici possit & debeat, Si qui autem adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite saluberrimam disciplinam. Quod tamen cùm feceritis, nolite extolli quasi de operibus vestris, aut gloriari quasi hoc non acceperitis; *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate*: & à Domino gressus vestri diriguntur, vt eius viam velitis. De ipso autem cursu vestro bono rectoque condiscite vos ad prædestinationem diuinæ gratiæ pertinere. Item quod sequitur & dicitur: *Verumtamen si qui estis nondum vocati, quos gratiâ suâ prædestinaverit eligendos, accipietis eandem gratiam quâ velitis & fitis electi*: duriùs dicitur quàm dici potest, si nos non quibuslibet hominibus loqui, sed Christi Ecclesiæ cogitemus. Cur enim non potiùs ità dicitur: Et si qui sunt nondùm vocati, pro eis vt vocentur oremus? Fortassis enim sic prædestinati sunt, vt nostris orationibus concedantur & accipiant eandem gratiam, quâ velint esse atque efficiantur electi. Deus enim qui

Odiosa & fugienda prædicanda prædestinationis formula.

Corripit superiorem formulam

Phil. 2. 13.

Psal. 36. 23.

qui omnia quæ prædestinavit implevit, ideò & pro inimicis fidei orare nos voluit; vt hinc intelligeremus quod etiam ipse infidelibus donet vt credant, & volentes ex nolentibus faciat. Iam verò quod illis verbis connectitur, miror si vllo modo potest in populo christiano quisquam infirmus patienter audire, cùm dicitur eis: *Et si qui obeditis, si prædestinati estis reiiciendi, subtrahentur obediendi vires, vt obedire cessetis.* Hoc enim dicere quid videtur aliud esse, quam maledicere, aut mala quodammodò prophetare? Sed si & de iis qui non perseverant, aliquid placet dicere, vel necesse est, cur non potiùs ità saltem dicitur, vt paulò ante à me dictum est: primùm, vt non de ipsis, qui in populo audiunt, hoc dicatur, sed de aliis ad ipsos, id est, vt non dicatur: *Si qui obeditis si prædestinati estis reiiciendi:* sed si qui obediunt, & cætera per verbi personam tertiam dicantur, non per secundam? Res enim non optabilis, sed abominabilis dicitur, & durissimè quasi in audientium frontem compellendo colliditur, quando quis eis quibus loquitur, dicit *Et si qui estis qui obeditis: si prædestinati estis reiiciendi, subtrahentur obediendi vires vt obedire cessetis.* Quid enim sententiæ deperit, si ità dicatur; Si qui autem obediunt, sed in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec vsque in finem in eadem obedientia permanebunt? Nonnè & veriùs eadem res & congruentiùs dicitur, vt non ipsis tantum malum tanquàm optare videamur, sed de aliis referre, quod oderint, nec ad se existiment pertinere, sperando orandoque meliora? Illo autem modo, quo id dicendum putant, eadem sententia eisdem penè verbis etiam de præscientia Dei, quam certè negare non possunt, pronunciari potest, vt dicatur, *Et si qui obeditis, si præscati estis reiiciendi, obedire cessabitis.* Nempè hoc verissimum est: ità sanè, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum, non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis apposito. Illum etiam modum, quo vtendum esse in prædestinationis prædicatione nos diximus, loquenti ad populum non existimo debere sufficere, nisi hoc vel huiusmodi aliquid addat, vt dicat: Vos itaque etiam ipsam obediendi perseverantiam *à patre luminum* à quo *descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum*, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atq; hoc faciendo confidere non vos esse à prædestinatione populi eius alienos, quia etiam hoc vt faciatis, ipse largitur. Absit

Iacob.1.17.

autem à vobis ideò desperare de vobis, quoniam spem vestrã in ipso habere iubemini, non in vobis. *Maledictus* enim *omnis homo qui spem habet in homine* Et, *Bonum est confidere in Domino quam confidere in homine*, quia *beati omnes qui confidunt in eum.* Hanc spem tenentes, *servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Quoniam de vita æterna, quam *filius promissionis* promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi cùm consummata fuerit ista *vita*, quæ *tentatio est super terram*; sed faciet nos perseverare in se vsque in eius vitæ finem, cui quotidie dicimus; *Ne nos inferas in tentationem.* Hæc atq; huiusmodi cùm dicũtur sive paucis Christianis, sive multitudini Ecclesiæ, cur metuimus sanctorum prædestinationem & veram Dei gratiam, id est, quæ non secundùm merita nostra datur, sicut eam sancta scriptura prædicat, prædicare? An verò timendum est, ne tunc de se homo desperet, quandò spes eius ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret, si eam in seipso superbissimus & infelicissimus poneret?

Hier. 1.17. *Psal. 117.8.* *Psal. 2.13.* *Ibid. 11.* *Iob. 7.1.* *Mat. 6.13.*

De vita æterna nemo securus in hac vita

CAPVT XXIII.

ATque vtinam *tardi corde* & infirmi qui non possunt, vel nondùm possunt scripturas, vel earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, vt magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit & habebit Ecclesia ab exordiis suis, donec finiatur hoc seculum. De hac enim re, quam nunc adversus novos hæreticos, non commemorare tantum; sed planè tueri & defensare compellimur; nunquàm tacuit in precibus suis, etsi aliquandò in sermonibus exerendam nullo vrgente adversario non putavit. Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis eius vt crederent? Quando fidelis quisquam amicum, proximum, coniugem habuit infidelem, & non ei petivit à Domino mentem obedientem in christianam fidem? Quis autem sibi vnquàm non oravit vt in Domino permaneret? Aut quis sacerdotem super fideles Dominum invocantem; si quando dixit, Da illis Domine in te perseverare vsque in finem, non solùm voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potiùs super eius talem benedictionem, & corde credente & ore confitente respondit amen: cùm aliud in ipsa oratione Dominica non orent fi-

Ecclesiæ totius in ipsius orationibus testimonia.

fideles, dicentes maximè illud, *Ne nos inferas in tentationem*; nisi vt in sancta obedientia perseverent? Sicut ergò in his orationibus; ita & in hac fide nata est, & crescit & crevit Ecclesia, quâ fide creditur, gratiam Dei non secundùm merita accipientium dari. Quandoquidem non oraret Ecclesia vt daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet & aversas & adversas hominum ad se convertere voluntates; nec oraret Ecclesia, vt perseveraret in fide Christi, non decepta vel victa tentationibus mundi, nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum, vt bonum quod non tenemus nisi propriâ voluntate, non tamen teneamus nisi ipse *in nobis operetur & velle*. Nam si hæc ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed à seipsa sibi dari putat; non veras, sed perfunctorias orationes habet, quod absit à nobis. Quis enim veraciter gemat, desiderans accipere quod orat à Domino, si hoc à seipso se sumere existimet non ab illo: præsertim, *quoniam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus*, ait Apostolus, *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*? Qui enim scrutatur corda, scit quid sapiat spiritus, quia secundùm Deum interpellat pro sanctis. Quid est, *ipse spiritus interpellat*, nisi interpellare facit *gemitibus inenarrabilibus*, sed veracibus, quoniam veritas est spiritus? Ipse est enim de quo alio loco dicit; *Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem; Abba Pater*. Et hîc quid est, *clamantem*, nisi clamare facientem, tropo illo quo dicimus lætum dic, qui lætos facit? Quod alibi manifestat, vbi dicit; *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater*. Ibi dixit, *clamãtem*; hic verò, *in quo clamamus*: aperiens videlicet quomodo dixerit, *clamantem*, id est, sicut iam exposui, clamare facientem. Vbi intelligimus, & hoc ipsum esse donum Dei, vbi veraci corde & spiritaliter clamemus ad Deum. Attendant ergò quomodo falluntur, qui putant esse à nobis, non dari nobis vt petamus, quæramus, pulsemus; & hoc esse dicunt quod gratia prædicetur merito nostro, vt sequatur illa, cùm accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulsantibus: nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, vt oremus, hoc est petamus, quæramus, atque pulsemus. *Accipimus* enim *spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater*. Quod vidit beatus Ambrosius. Ait enim, *Et orare Deum, gratia spiritalis est; sicut scriptum est: Nemo dicit Dominus Iesus, nisi in spi-*

Rom. 8. 26.

Gal. 4. 6.

Rom. 8. 15.

S. Spiritus quo sensu interpellet pro nobis & clamet Abba pater.

In 1. comm. super Esaiã.

Spiritu sancto. Hæc igitur quæ poscit à Domino, & semper ex quo esse cœpit, poscit Ecclesia, ista Deus vocatis suis daturum se esse præscivit, vt in ipsa prædestinatione iam dederit, quod Apostolus sine ambiguitate declarat. Scribens quippè ad Timotheum; *Collabora*, inquit, *Evangelio secundum virtutem Dei salvos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundùm suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu antè tempora aterna; manifesta autem nunc per adventum Salvatoris nostri Iesu Christi* illa itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis huius & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos curadiligentiori defenditur; ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audet aliquando eam non orasse, sive vt crederent infideles, sive vt perseverarent fideles. Quæ bona si semper oravit, semper ea Dei dona esse vtique credidit, nec ab illo esse præcognita vnquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædestinationis huius fidem, quæ contra novos hæreticos novâ sollicitudine nunc defenditur, nunquàm Ecclesia Christi non habuit. 1.Cor.1.3 2.Tim.1.8. 8. 9. & 10.

CAPVT XXIV.

Conclusio. SEd quid plura? Satis docuisse me existimo, vel potiùs pluſquàm satis, dona Dei esse, & incipere in Dominum credere, & vsq; in finem in Domino permanere. Cætera verò bona ad vitam piam, quâ Deus rectè colitur pertinentia, etiam ipsi propter quos hæc agimus, Dei dona esse concedunt. Omnia porrò dona sua, & quibus ea fuerat largiturus, Deum præscisse negare non possunt. Sicut ergò cætera prædicanda sunt, vt qui ea prædicat, obedienter audiatur; ità prædestinatio prædicanda est, vt qui obedienter hæc audit, non in homine, ac per hoc nec in seipso, sed *in Domino glorietur*, quia & hoc Dei præceptum est; & hoc præceptum obedienter audire, id est, vt *qui gloriatur, in Domino glorietur*, similiter vt cætera, Dei donum est. Quod donum qui non habet, non dubito dicere, alia quæcumque habet, inaniter habet. Hoc Pelagiani, optamus, vt habeant, isti autem nostri vt plenius habeant. Non itaque simus in disputationibus prompti, & in orationibus pigri. Oremus dilectissimi, oremus, vt Deus gratiæ det etiam inimicis nostris, maximeque fratribus & dilectoribus nostris, intelligere & confiteri post ingentem & ineffa- 1.Cor.1.31

ineffabilem ruinam, qua in vno omnes cecidimus neminem nisi gratia Dei liberari; eamque non secundum merita accipientium tanquam debitam reddi, sed tanquam veram gratiam nullis meritis præcedentibus gratis dari. Nullum autem est illustrius prædestinationis exemplum quàm ipse Iesus; vnde & in primo libro iam disputaui, & in huius fine commendare delegi: nullum est, inquam, illustrius prædestinationis exemplum quàm ipse *Mediator*. Quisquis fidelis vult eam bene intelligere, attendat ipsum, atque in illo inueniat & seipsum. Fidelis, inquam, qui in eo veram naturam credit, & confitetur humanam, id est nostram, quàmuis singulariter suscipiente Deo verbo, in vnicum filium Dei sublimatam, ita vt qui suscepit & quod suscepit, vna esset in Trinitate persona. Neque enim homine assumpto quaternitas facta est, sed Trinitas mansit, assumptione illa ineffabiliter faciente personæ vnius in Deo & homine veritatem. Quoniam non Deum tantùm dicimus Christum, sicut hæretici Manichæi; nec hominem tantùm, sicut hæretici Photiniani; nec ita hominem vt aliquid minus habeat quod ad humanam certum est pertinere naturam; siue animam, siue in ipsa anima mentem rationalem, siue carnem, non de fœmina sumptam, sed factam de verbo in carnem conuerso atque mutato, quæ omnia falsa & vana hæreticorum Apollinaristarum tres partes varias diuersasque fecerunt. Sed dicimus Christum Deum verum, natum de Deo Patre sine vllo initio temporis, eundemque hominem verum, natum de homine matre certa plenitudine temporis, nec eius humanitatem, qua minor est Patre, minuere aliquid eius diuinitatem, qua æqualis est Patri; hoc autem vtrumque vnus est Christus, qui & secundum Deum verissimè dixit, *Ego & pater vnum sumus*; & secundum hominem verissimè dixit; *Pater maior me est*. Qui ergo hunc fecit *ex semine Dauid* hominem iustum, qui nunquam esset iniustus, sine vllo merito præcedentis voluntatis eius; ipse ex iniustis facit iustos, sine vllo merito præcedentis voluntatis ipsorum, vt ille caput, hi membra sint eius. Qui ergo fecit illum hominem sine vllis eius præcedentibus meritis, nullum quod ei dimitteretur, vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum; ipse nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum. Qui fecit illum

Prædicta natiuitas illustrissimum exemplum Christus Iesus. Cap. 15.

De Christi incarnatione perniciose scripserũt Manichæi, & Photiniani.

Apollinaristæ, quorum tres fuere sectæ.

Ioan. 10. 30.

Ioan. 14. 28.

talem vt nunquam habuerit habituruſque ſit voluntatem malam, ipſe facit in membris eius ex mala voluntate bonam. Et illum ergo & nos prædeſtinauit, quia & in illo vt eſſet caput noſtrum; & in nobis, vt eius corpus eſſemus, non præceſſura merita noſtra, ſed opera ſua futura præſciuit. Qui legunt hæc, ſi intelligunt, agant Deo gratias; qui autem non intelligunt, orent vt eorum ille ſit doctor interior, *à cuius facie eſt ſcientia & intellectus.* Qui verò errare me exiſtimant, etiam atque etiam diligenter quæ ſunt dicta conſiderent, ne fortaſſis ipſi errent. Ego autem cùm per eos qui meos labores legunt, non ſolum doctior, verum etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnoſco; & per hoc Eccleſiæ Doctores maximè expecto, ſi & in ipſorum manus venit, dignenturque noſſe quod ſcribo. Prov. 2. iuxta 70.

FINIS.

D. AVGV.

D. AVGVSTINI

OPERIS IMPERFECTI

IN IVLIANVM

Variæ Lectiones ceu restitutiones ex Codice Manuscripto, & Paludani æditione ad exemplar Parisiense anni 1635.

EXEMPLAR, SINE NOTA,

M. manuscriptum.
P. Paludanus.

Lectionem huius æditionis maiore charactere expressimus.

C. caput L. lineam P. paginam designat.

IN PRÆFATIONE.

PAg. 350. l. 5. denique in illo opere nupt.
P. *diuinique operis. In illo opere nupt.*
ibid. l. vlt. *repellerem.*
P. refelleram.
c. 1. l. 15. *his illis libris.*
P. his libris.
c. 2. l. 2. *odio.*
M. P. odia.
ibid. p. 352. l. 7. *sensus in scripturis purissimus.*
M. P. sensu in scripturis purissimo.
c. 3. l. 4. *perspicuè.*
M. P. perspicuæ.
c. 5. l. 3. *sed non ad doc.*
P. sed nos ad doc.
c. 6. l. 4. *quod essent lustra.*
P. quod essent iusta.
c. 8. l. 1. *monumenta fideique monumenta.*
M. P. fideique monumenta.
c. 9. l. 5. *sorde.*
P. sordes.
c. 10. l. 5. *impetrare.*
P. impetrari.
ibid. l. 6. ipsa laudatio.
M. *ista laudatio.*
ibid. l. 7. *nos tamen inquantum.*
P. nos tamen quantum.
ibid. l. 10. *vt est contra.*

P. vt contra.
c.11.l.2. *à distinctione.*
M. P. ad distinctionem.
ib.l.4. *& confessorum.*
P. confessorum.
c.12.l.1. *priori ergo operi.*
M. priori ergo opere.
ib.l.11. *valemus opes.*
P. valemus opis.
ib.l.14. *sed in ecclesia.*
P. sed si in ecclesia.
ib. *& beatæ adesset si ibi vos.*
P. & adepta esset, ibi vos.
c.14.l.2. *quoniam.*
M. P. quia.
ib.l.7. *hoc quidem dicit.*
P. hoc quidem dicitur.
c.16.l.11. *ista sententia & c.*
P. Aug. resp. ista sent.
c.17.l.vlt. *cum legerim.*
P. cum legerem.
c.19.l.4. *quo cum.*
M. P. qui cum.
ib.l.14. *curtauerimus.*
P. truncauerim.
ib. *hic excerptis.*
M. P. his excerptis.
c.19. p. 358. l. 3. *discerptis quæ magis quam congregatis.*
M. P. discerptisque, magis quam aggregatis.
ib.l.4. *ita accessisse.*
P. ita cessisse.
c.21.l.5. *vt ab illo.*
P. & ab illo.
c.22.p.359.l.24. *vt hæc verba venaretur.*
P. vt ad hæc verba veniretur.
ib.l.33. *simplicitate.*
P. simplicitati.
eod. cap. pag.360. l.5. *factum esse Iulianum.*
P. factum esse, te Tullianum.
c.23.l.12. *permanserit.*
P. permiserit.
ib.l.14. *decore.*
P. dedecore.
c.24.p.361.l.9. *qui in verbis.*
P. quia in verbis.
eod.cap.l.6. *errores ea sed.*
P. errores sed.
c.25.l.2. *barchiarchæ suæ.*
Ha resiarcha sua.
ib.l.3. *qui vel de &c.*
P. quosque vel de &c.
c.28.l.2. *inculcatum est.*
P. inculcatum est.
ib.l.3. *discedù.*
M. *discedit.*
P. discede.
ib.l.5. *inquam.*
M. *iniquam.*
P. iniquum.
c.32.p.363.l.4. *disputant.*
M. P. dei putant.
ib.l.8. *Iesum se vt eum.*
M. P. Christum vt eum.
c.33.l.3. *admouebis.*
M. P. ammouebis.
ib.l.6. *quod per script.*
M. P. quæ per &c.
ib.l.9. *à saluatore conf. infantes.*
P. saluatorem conf. infantiæ.
c.35.l.9. *dic & quâ iustitiâ.*
M. dic etiam quâ &c.
ib.l.10. *ille se sine.*
P. ille sine.
ibid. p.364. l.3. *pelagianos quam christianos*
P. pelagianus quam christianus.

cap.36

c.36.l.1. *qua tantam.*
M. P. qui tantum.
ib.l.13. *ad hinc excipiũ.*
M. P. an hinc excipis.
ib.l.14. *magnam non minuere.*
M. P. magnam minuere.
c.38 l.3. *de pecoribus.*
P. quæ de pecoribus.
ibid. *id nunc implere.*
M. P. id tunc implere.
ibid. pag. 365. l. 20. *id eſt quod neque vol.*
P. quod eſt neque vol.
ib.l.21. miſerentis dei eſt.
M. *miſerentis eſt dei*
c.39.l.4. quia hoc ipſum.
M. *quia & hoc ipſum.*
ib.l.10. *ſi nullam eſſe dicitũ.*
M. *ſi vllam eſſe dicitũ.*
P. ſi miſeriam eſſe &c.
ibid pag. 366. l. 1. *ſi ambobus oſtende in bapt. &c.*
P. & oſtende in bap.
c.40 l.4. *condemnat niſi ſpiritus.*
M. P. condemnat niſi ſpretus.
ibid.l.2. *imaginem niſi ſpiritus.*
imaginem niſi ſpretus.
ib.l.7. *eum ſpiritum non.*
M. P. eum ſpretum &c.
ibid. *eos inuenies.*
P. eos inuenias.
c.43 *en ſegregare.*
M. P. *abundas.*
ibid.l.2. *quod intellectui.*
P. ſed quod intellectui.
c.44 l.6. *en ſine prius.*
M. P. ſine prius.
c.45.l.7. per Iſaiam dicitur.
M *per Iſaiam Deus.*
ibid.l.vlt. *ille & metet.*
M. P. illa & metet.
c.47.l.20. *vel dedecori.*
P. vel dedecoris.
ibid.l.21. *vel dolores.*
P. vel doloris.
ibid.l.24. *de appetitu.*
P. id appetitus.
ibid. pag. 369. l.4 & 5. à fine *ſed primum origin.*
P. ſed pertinet origin.
ibid. *adhuc genus tertium.*
P. ad hoc genus &c.
c.48.l.8. *qua monſtrato.*
M. P. quo monſtrato.
ib.l.14. *cuiuſpiam homini.*
M. P. cuiuſpiam hominis.
ibid.l.26 *Deus percuſſiti.*
M. P. deus: percuſſiſti.
ibid.l.33. *vel conſcinx.*
P. vel Conſſenſis.
ibid.pag.371.l.10. *qua ſcribens.*
M, P. *qua ſcribens.*
ibid.l.11. *Iſraelem in lumbis.*
M. *Iſrael Leui in lumbis.*
ib.p.372.l.5. *homo piſſime.*
M. P. homo piſſimus.
ib.l.10. *conquirantur.*
P. conquerantur.
ib.l.12. *proueniant.*
P. peruenient.
c.49.l.6. *proficerũ.*
P. profeceris.
cap.50. pag.374. l.15. *quo tertium locum.*
tertium quoque locum.
ibid.l.vlt. *felicitas repromiſſa.*
M. P. felicitate repr. &c.
c.52.l.2. *ſed quomodo.*
M. P. ſed quoniam.
ibid.l.7. *itaque prætermiſit.*

P. itaque quæ præter &c.
ibid.l. 9. *tradit amatque.*
M. P. traditam atque.
ibid.l.10. *Permouet.*
M. P. promouet.
ibid.l.27. *gratia domini.*
M. P. gratiæ Dei.
ibid.pag.376.l.2. *dictorum meorum.*
P. doctorum meorum.
ibid.l.3. *dicturus es manichæum.*
P. dicturus es me Manich-
ibid.l.6.à fine. *esse concordissimos.*
P. & concord-
ibid.l.seq. *damnaberis.*
M. P. damneris.
c.53.p.377.l.7. *subloquentium.*
P. subloquentium errori.
ibid.l.13. *vnicam rem. conla-*
P. vna tam rem. conl.
ibid.l.30. *dari pro illis reis.*
P. *dari per illa reis.*
c.54.l.15. *vitare non potuit.*
M. P. vitiare.
c.55.l.2. *in nouato eadem in nouantis.*
M. P. innouata ideſt innouantis.
ibid.l.3. *aut accusat.*
M. P. aut accuſata.
cap.56. l.6. *ergo Christi.*
M. *ergo & Christi.*
ibid.l.9. *aut si non prodeſt vt cogimini.*
P. vt cogimini.
ibid.l.12. *credentibus sed habentibus.*
P. credendi habentibus.
ibid.l.13. *& quomodo.*
M. P. & quoniam.
ibid.l.16. *profectò pertinent.*
P.: profectò non pertinent.
c.57.l.5. *iustum : doceatur.*
P. iuſtum doceatur.
ibid.l.8. *idololatria & parricida.*
P. vt idololatræ & parri.
ib.l.9. *& paruulos omnes.*
P. & paruuli hos omnes.
ibid.p.381.l.1. *propter propria.*
M. P. propria.
ibid.l.4. *Christiana & gratia.*
P. Chriſtianæ gratiæ.
c.62.l.13. *hic reatenetur.*
M.P. hinc rea tenetur.
c.63.l.14. *vt ita dei.*
M. P. vt ira dei.
ib.p.384.l.2. *conspectu in iudicium.*
P. conſpectu tuo in iudicium.
ib.l.10. *Dei nostri per subst.*
M. P. Dei noſtri non per ſubſt.
ib.l.25. *aliud excidisse.*
P. aliud accidiſſe.
c.64.p.385.l.4. *qua sententiâ.*
M. P. quâ ſententiâ.
ib.l.10. *eos qui de paren.*
P. eoſque qui de paren.
non negaui.
M. *non negamus.*
ib.l.36. *morituros est Christus.*
P. mortuus eſt Chriſtus.
ibid. *tu autem & iam.*
M. P. tu autem etiam.
ib.l.39. *& paruulis mortuus.*
P. & pro paruulis mortuus.
c.66. p.387. l.21. *& propter linguam frontis elisionem.*
P. & præter linguam frontis elationē
c.67.p.388.l.30. *nec insistebat regi.*
M. *nec insistebat regis.*
P. nec inſiſtebat legi.
ib.p.389.l.2. *quomodo bonitas.*
M. P. quoniam bonitas.
ib.l.7. *ferum vero.*
M. P. ſæuus vero.
ib.l.28. *crucifixus est cruci.*

M. con-

M. *confixus est cruci.*
ib.p.390.l.9. *ne tua videretur.*
M. *ne tua conrideretur.*
P. ne tua rideretur.
ib.l.10. quis enim non videat.
M. *quis enim non rideat.*
ib.l.vlt. *commisit ille dicens.*
M. P. commisi, ille dicit.
ib.p.391.l.1. *atque adeo.*
P. itaque adeo.
ib.l.12. *cui dicitur in finem.*
M. P. cui dicetur.
ib.l.17. *intellectores apostolos.*
P. intellectores apostoli.
credisti.
M. P. *credidisti.*
c.68.l.20. vehementer.
M. *me vehementer.*
c.68.p.393.l.10. *satiandæ libidini.*
M. P. satiandæ libidinis.
ad ipsos si autem vos.
P. *ad ipsum estote ne vos.*
c.69.p.394.l.14. *cum essem in carne.*
M. P. cum essemus in carne.
ib.l.34. *peccati mei quæ.*
P. peccati quæ.
c.70.l.5. *quam à se institutam.*
M. P. quæ à se instituta.
ib.l.8. *ita esse quam.*
M. P. ira esse &c.
ib.l.10. *authorem infamant &c.*
P. te authore infamant.
ib.l.14. *atque vbi non.*
M. P. atque vt non.
ib.l.18. *eaque impudenter.*
P. ea quæ impudenter.
ib.l.19. *frequentata vobis.*
M. P. frequentantur à vobis.
ib.p.396.l.7. *maiores nostri.*
M. P. matres nostræ.
ib.l.25. *vel coniuge.*
P. vel in coniuge.
ib.l.vlt. *regeneratione saluandum.*
P. regeneratione soluendum.
c.71.l.3. repugnans legi.
M. P. *repugnat legi.*
ib.l.21. *ei consensimus.*
P. ei consentimus.
ib.398.l.14. deprauata seruiuit.
M. *deprauata deprauata &c.*
ib.l.15. *vtra mala esset.*
M. P. vtraque mala esset.
ib.l.20. *ausu deposita cont.*
M. P. ausu deposito cont.
ib.p.399.l.2. *vt summa iniuria.*
P. vt sine iniuria.
c.72.l.1. *eius rei modestia.*
P. eius rei mod.
ib.l.10. *inenitabili veatui.*
M. *inenitabili veatui.*
ib.p.400.l.18. *dum & spiritu.*
P. dum & in spiritu.
ib.l.26. *vitiatam perijsse naturam.*
P. vitiatâ perijsse naturâ.
ib.l.28. *idem vobis faciamus.*
id est vobis &c.
ib.p.401.l.15. *porro in vos euertiu.*
M. P. porro vos euert.
c.73.l.7. *sequuntur enim verba ea.*
M. *sequuntur enim iam verba eius.*
P. sequuntur enim verba eius.
ib.p.401.l.vlt. *verum nomen incurrunt.*
M. P. verum crimen incurrunt.
ib.p.402.l.4. *certaminibus summa.*
M. P. certaminis summa.
ib.l.24. *contra quæ latras.*
P. contra quem latras.
c.74.l.3. *multum falleris mentiris.*
M. *multum falleris meditaris.*
P. multum falleris vel fallere meditaris

ditaris.
ib.p.403.l.7. *& ipſa rerum.*
M. *vt ipſa rerum.*
P. tum & ipſa rerum.
ib. l.8. tum etiam veſter
M. *ita etiam veſter.*
c.75.p. 404.l.1. *impitatis temporibus.*
M. P. *impietatis temporibus.*
c.79.l.9. *iuſtitia conceperit.*
M. P. iuſtitiam conceperit.
ib.l.11. *ſanctam cogitatione.*
P. ſancta cogitatione.
c.80.l.8. *voluntatem etiam ſola ratione.*
M. P. *voluntate etiam ſola rationem.*
c.84.l.3. *tu iam confeſſus.*
M. P. tu aut confeſſus.
ibid. *confeſſus res eſſe lib.*
M. *confeſſus eſſe lib.*
P. confeſſus es lib.
c.85.p.408. l.5. *ac per hoc deprauata in deterius voluntate ſua.*
In deterius voluntate, ac per hoc.
M. P. deprauata ſua.
c.86.l.11, magiſter dominus.
M. *magiſter* Deus.
ib.l.16. *qua concupiſc.*
P. quia concupiſc.
c.87.p.409.l.1, *idem dominus noſter.*
P. id eſt dominus.
ib.l.4. *& nullu poſt.*
P. & nulli poſt.
ibid. *ſeruiret peccatis.*
P. ſeruirent peccatis.
ib.l.16. *illam integram permanentem.*
P. illâ integrâ permanente.
c.88.l.6. *quâ etiam oſtendit.*
quia etiam &c.
ib.l.7. *eam à diabolo poſſidere.*
M. *eam à diabolo poſſideri.*
P. à diabolo poſſideri.
ib.p.410.l.22. peccatum non faciunt.
M. *peccatum ipſum non* &c.
ibid.l.vlt. *videritis.*
M. P. videretis.
c.89.p.411.l.1. *non capiti in vos.*
M. P. non capit in vobis.
ib.l.vlt. *vt intenderes.*
M. P. vt intenderet.
c.90.l.4. *quid criminum.*
P. quia criminum.
ib.l.18. *ab illa ſeducta.*
P. ab illo ſeducta.
c.91.l.8. *tu audi ſaltem.*
P. te audi ſaltem.
c.92.l.6. *quia ei conſtat.*
M. P. quia ei conſtat.
c.93.l.26. *Deus qui dignatur vocat.*
P. Deus quos &c.
c.94.l.14. *& eis placet quod eis eſt liberum.*
P. hoc eis placet quod eis libet.
ib.l.18. *arbitrio libertatis.*
P. arbitrio voluntatis.
ib.p.414.l.6. *cum enim hæc.*
P. cum hæc.
ib.l.9. *& item poſt.*
P. & iterum poſt.
ib. *datur ergo inquit poteſtas.*
P. datur ergo poteſtas.
ib.l.15. *nos quidem dicere.*
P. nos quidam dicere.
ib.l.25. *appellatione boni vindicari.*
M. *appellationum boni ſui indicari.*
P. appellatione boni vindicari.
ib.l.33. *imago doceretur.*
P. imago diceretur.
ib.l.vlt. *expectauit.*
P. ſpectauit.
c.95.l.5. *quod valentia.*
M. P. quando valentiam.

ibid.l.6.

ib.l.6. *bona itaq; voluntati innu. &c. adiut.*
M. *bonæ itaque voluntati innu. &c. sunt adiut.*
P. donatque voluntati innumera adiutor.
ib.l.7. *vt fabricetur.*
P. non vt fabricetur.
ib. *adiutorij destructa libertas.*
M. P. arbitrij destructa &c.
c.96.p.416.l.12. *mortuũ est per peccatũ*
M. P. mortuum est propter peccatũ.
ib.p. 416.l.3.à fine. *quid hoc nisi.*
M. quid est hoc nisi.
c.97.p.417.l.2. *ita vtique naturis.*
P. ita vtrimque naturis.
ib. l.21. *cogi bene facere ab eâ naturâ mali &c.*
P. cogi bene facere ab eâ naturâ boni quæ malum, non potest velle, sed dicit naturam boni cogi malefacere ab ea natura mali &c.
c.98.l.4. *in bonis hominibus.*
M. *in boni hominibus.*
P. imponi hominibus.
ib.l.24. *veritatis dogma.*
M. *veritatis dogmatum.*
P. veritas dogmatum.
ib.l.26. *& quia cum Manichæo dicis naturam malam id est manca libertate delinqui &c.*
P. id est mancâ libertate delinqui. Et quia cum Manichęo dicis naturam malam &c.
ib.l.29. *opus nos esse.*
M. P. opus non esse.
ib.l.30. *imprimis asseris.*
M. P. imprimi asseris.
ib.l.33. *inadibile.*
P. ad inamissibile.
ib. *consecreta peruenerit.*
M. P. consecrata &c.
ib.l.35. *contrauenires.*
P. contraueniret.
ib.p.419.l.3. *de ipsis veraciter.*
P. de seipsis &c.
ib.l.20. *videre si oculos.*
M. P. videres &c.
c.101.l.13. *arbitrium antè.*
P. si arbitrium antè.
ib.l 18. *inuenies respondisse.*
M. P. inueniet &c.
c.104.l.7. *quia perit libertas.*
M. P. qua perit libertas.
c.105 l.2. *quomodo voluntas.*
M. P. quoniam &c.
ib.l. 3.à fine *hoc nescisunt.*
P. nescisunt.
ib.p.423.l.6. *sicut inuitus.*
P. si quid inuitus.
ib.l.12. *quam necessitate.*
M. P. quam necessitate peccabit.
ib.l.24. *in homine bono.*
M. P. in homine vno.
ib.l.33. *vel né fiant.*
P. vel quæ fiant.
c.106.p.424.l.21. *de ipso ei præs-*
P. *de seipso ei præs-*
ib.p.425.l.12. *intellectus huius.*
intellectus est huius.
c.107.l.9. *in se habet indicium.*
M. *in se habet inindicium.*
P. in se habet indicium
ib.l.pen. *perseuerat inuita.*
P. perseuerat inuicta.
c.108.l.pen. *si Dominus non liberat.*
M. si Deus non liberat.
c.109.l.19. *fructicis iure decerperet.*
P. fruticis fructum iure decerperet.
ib.l.27. *non Manichæus.*
P. non quasi Manichæus.
c.112.l.7. *nec peccare.*
P. nec certare.

c.113.p.429.l.9. *ſecundum iuſtitiam.*
P. ſecundum iudicium.
ibid.l.vlt. *apparebit.*
P. apparebis.
c.115.l.1. *tempore loquerib.*
P. tempore loquaris.
ib.l.7. *ſed alium qualem ſcribit manichæus principem tenebrarum.*
M. P. ſed talium quales adſcribit Manichæus &c.
diuerſos morbos.
P. diuerſo morbo.
c.117.p.431.l.4. *ante meipſum.*
P. ante ipſum.
c.119.l.3. *ne malè diſputares.*
P. me male diſputare.
ibid. l.9. *de dei dici poteſt.*
M. P. de præſcientia dei dici poteſt.
c.120.l.10. *hoſtibus tradita.*
P. hoſtibus tradidit.
c.121.l.5. *alius autem.*
M. *alios autem.*
P. alias autem.
c.122.l.2. *profanius inuenire.*
P. profanius inuenerim.
c.124.l.6. *ni condemnatione creati.*
P. in condemnationem.
ib.l.16. *ſpiritum fidei.*
M. P. eundem ſpiritum fidei.
c.130.l.3. *in iudicio ſe dicere.*
P. inuidioſe dicere.
ib.l.5. *alius ſimiliter vanus.*
M. P. alius ſimiliter vanus.
c.131.l.17. *non ſeminibus.*
P. non in ſeminibus.
c.132.l.5. *vſque profectus eſt.*
M. P. vſque prouectus eſt.
ib.l.8. *quâcumque gente.*
D. quacumque gente.
c.133.p.438.l.12. *ô iudæ.*
M. P. ô iudæe.
ib.l.14. *argumentatus nihil.*
M. P. argumentatus es nihil.
ib.l.28. *qui enim debebat.*
M. P. quid enim &c.
ib.l.36. *quid debeat etiam.*
M. P. quid debebat &c.
ib.l.37. *facio domum Iſrael.*
M. P. facio domus &c.
ib.p.439.l.18 à fine *arrogantiam mentitur Apoſtolus.*
P. arrogantiam Apoſtolus.
c.134.l.3. *reclamare euangelio.*
M. P. reclamaret euangelio.
ibid. *audiret.*
M. *audet.*
P. audiret.
ibid l.4. *ſupplicari* Deo.
M. P. ſupplicare Deo.
ib l.6. *ideo ambiguum.*
M. P. ambiguum, ideo.
ibid.l.10. *ſufficiebat negationes.*
P. ſufficiebat negari.
ib.l.20. *gloriam autem dare.*
P. gloriam autem dari.
ib.l.25. *ſeruat vos in honorem.*
M. P. erit vas in honorem.
ibid.l.34. *faciat prior.*
P. facit prior.
ibid.l.35. *lege Ezechielem.*
M. P. lege mihi Ezech.
c.135.l.8. *diuerſo nos.*
M. *& diuerſo non.*
P. & è diuerſo nos.
c.136.l.7. *nam hoc.*
M. P. non hoc.
ibid.p.448.l.3. *adoptare fatuimini.*
P. adoptari &c.
ib.l.8. *perſeuerantem veg.*
P. perſeueranter &c.

c.138.l.2. *vnde ipſam ſenſ.*
P. vnde iſtam &c.
ibid.l.10. *latetur inquit.*
M. P. epuletur inquit.
ib.l.3.à fine *vel qui dicit.*
P. væ qui &c.
ib p.443.l.3. *ego lauaui.*
M. P. ego leuaui.
ibid.l.24. *non niſi vnus.*
M.P. vt ille talis non &c.
c.139.l.4. *babiloniæ captiui.*
P. babilonicæ &c.
ibid.l.vlt. *vno imminet.*
P. vni &c.
ib.p.444.l.1. *ſundat arua.*
P. findat &c.
c.140.l.12. *ſecundum prophetam.*
M. P. ſecundum prophetiam.
ibid.l.20. *audes garrire.*
M. P. aude garrire.
ib.l.pen. *ſuis diſputationibus.*
P. tuis &c.
ib.p.445.l.10. *auſi quia propheta.*
P. niſi quem prophetæ.
c.141.p.446.l.19. *Iſaac patrem noſtrũ.*
P. Iſaac patris noſtri.
ibid.l.31. *cum gratiâ.*
M. P. contra gratiam.
ib.p.447.l.30. *eſſe teſtimonium.*
P. eſſe teſtimonio.
ib.p.448.l.12. *dicit ille reſp.*
M. P. dicit illi &c.
ib.l.16. *non eſt, deinde.*
P. non eſt gratia, deindè.
ibid. *quod ergo inquit.*
M. P. quid ergo &c.
ibid.l.23. *qua fiunt vaſa.*
P. quâ fiunt &c.

Libro 2.c.2.l.7. *& cuſſe cornu.*
M. P. vt erecto &c.
ibid. *velifecit.*
P. velificet.
ib.l.13. *quia nomine Manich.*
M. qua nomine &c.
vt dicitur paruulos.
P. abundat.
c.3.l.10. *dogma noſtrorum.*
P. *dogma paucorum.*
ſed melius in exemplari
& in manuſcriptis.
c.4.l.3. *omnia peruerſa.*
M. *omnia peruerſo.*
P. omnia peruersè.
ibid.l.10. *quod indicantur.*
P. quod non dicantur.
c.7.l.13. *intimationem.*
P. in tentationes.
c.8.l.1. *qua magnam bonorum.*
P. quæ magnum honorem.
ibid.l.2. *prædicate.*
M. P. prædicare.
c.10.l.2. *dum quoſdam vitio.*
dum quidem erat vitio.
ibid. *mordet.*
M. P. mordax.
ibid.l.3. *tamen exhort &c.*
P. tuum &c.
c.15.l.3. *& hominum malorum.*
P. hominum malorum, & pet.
ibid.l.4. *in ſeipſum.*
M. P. in ſe ipſe.
ibid l.6. *quod tibi dixi.*
P. quando tibi dixi.
c.16.l.3. *ſponte creſcentium.*
P. ſponte areſcentium.
ib.p.455.l.2. *breuiter priu.*
P. ſi breuiter &c.
ibid.l.11. *concluſum eſt.*

M. concluſumque eſt.
c.20.l.6. *rationem fuiſſe.*
P. orationem &c.
c.21.l.5. *quod cum ex.*
P. quorum cum ex.
c.22.l.7. *ſplendor apparuerit.*
M. P. ſplendor aperuerit.
ib.p.457.l.9. *contextu loci.*
P. contextum loci.
c.24.l.1. *reſponde ergo ibi tu quidem.*
P. reſpondi ego ita quidem.
ibid.l.5. *in eis fuit.*
M. P. in eo fuit.
ib.l.8. *ſed hæ pertinent.*
P. ſed hæ pertinent.
ib. *peccaſſe promiſeras.*
P. peccaſſe præmiſeras.
ib.p.458.l.11. *inde naſcatur.*
P. inde trahatur.
c.25.l.4. *conditam ratio.*
P. conditam tam ratio.
ib.l.11. *reperi vt videſ.*
M. P. reperiet vt videat.
ibid.l.vlt. *hoc opere tuo.*
M. P. hoc de opere tuo.
c.27.l.3. *per quod inuen.*
M. P. per quid inuen.
c.28.l.7. *ne per primam.*
P. anne per prima.
ibid l.16. *impie, vt*
P. induxi vt.
ibid. *diceres credere.*
M. P. dicerem credere.
c.30.l.12. *vnde colligis.*
P. vnde colligitur.
c.31.l.1. *damnas nuptias.*
M. P. damna nuptias.
ib.l.18. ſpiritalis, ſed hoc.
M. *ſpiritalis, hoc.*
ib.l.23. *hominum membris.*
P. hominem.
c.32.l.8. *non à te.*
P. non vti à te.
c.34.l.6. *primi lector.*
M. P. pius lector.
c.35.l.16. *in quo cæteri.*
M. P. in quo de cætero.
c.36.l.8. *cogitat inferri.*
P. cogat inferri.
c.37.p.465.l.8. *quia adhuc cal.*
M. P. quid adhuc cal.
c.39.p.466.l.9. *pertinet à Deo.*
P. pendet à Deo.
c.40.l.pen. *cauſa copulatis.*
M. P. cauſa copulatos.
c.41.l.1. *igitur à naſcentibus.*
M. *igitur à naſcentes.*
P. igitur ad naſcentes.
c.45.p.468.l.vlt. *atque illicitente.*
M. P. atque illiciente.
c.46.l.5. *probat barbaries.*
P. probatur barbaries.
c.48.p.470.l.23. *quod imitando.*
P. non quod imitando.
c.49.l.3. *lacerare per ſpicuum.*
P. laborare &c.
c.51.l.10. *eis exponens.*
P. eis exponens.
c.53.l.4. *quod indicaret.*
P. quod indicatur.
ib.l.7. *ſermonem eum dixit.*
M. P. ſermone eum dixit.
ib.p.478.l.1. *iſta ſcripta.*
P. iſtius adſcripta.
c.56.l.2. *nominat hominem.*
M. P. nominans hominem.
ib.p.474.l.5. *tranſit: his autem.*
P. intrauit &c.
ibid.l.5. *tranſit: ſed per-*
P. intrauit.
ibid.l.16. *aliquid inſtituti.*

P. ali-

P. aliquando inſtituti.
ibid.l.23. *ſi duo nominaſſet.*
P. ſi duos nominaſſet.
ib.l.25. *duorum nominum.*
M. *duorum nomina.*
P. duorum nomine.
ib.l.26. *abundaret : exemplum.*
P. abundaret exempl.
ib.l.33. *à muliere initium tu vis eſſe peccati & propter illam.*
P. à muliere enim initium factum eſt peccati & per illam.
c.57.l.5. *vtique hominis.*
M. P. vtique hominum.
ib.l.9. *& vniuerſitas.*
P. & diuerſitas.
ib.l.19. *prolis gignitur.*
M. P. proles.
c.61.l.3. *ſubſtantia carnis.*
M. P. ſubſtantia.
ibid.l.vlt. impertire.
P. impertiri.
c.63.p.478.l.13. *opitulator aliquid.*
M. P. opitulatus aliquid.
ibid. *ipſa iam apertè.*
M. P. ipſa tam apertè.
c.66.l.12. *& propter illam.*
P. & per illam.
ib.l.24. *non finit.*
P. non ſinit.
c.68.l.1. *tranſijt in eum.*
M. P. tranſijt in eo.
c.69.l.3. *oſtendat.*
P. oſtendatur.
ib.l.4 à fine. *quia omnes.*
P. niſi quia omnes.
c.73.l.6. *oculos opperiatis.*
M. P. oculos aperiatis.
ib.l.12. *præcipit quia.*
M. P. præcepit &c.
c.76.l.8. *erit mortaliter.*
erit, immortaliter.
ib.l.vlt. *generatione detractum.*
P. regeneratione &c.
c.77.l.2. *quia nonnunquam.*
P. quia nunquam.
ib.l.9. *non ſolum aliquid.*
P. non ſolum non aliquid.
ib.l.10. *non præcipitur.*
M. P. no. quidem præcipitur.
c.83.l.3. *fuiſſe veſtibulum.*
P. fuiſſe veſtigium.
c.84. *dictus eſt vſque.*
P. dictus vſque.
c.87.p.487.l.11. *Apoſtolica creatura.*
M. P. Apoſtatica.
c.89.l.vlt. *non iuſta.*
P. non iniuſta.
c.91.l.5. *quomodo hoc.*
M. P. quoniam hoc.
c.90.p.488.l.3. *quam ea ab illo.*
M. P. quam ea quæ ab illo.
c.92.l.5. *confiteris.*
P. confitereris.
c.93.l.10. *adſque aſperis.*
M. P. atque aſperis.
c.94.l.6. *in miniſteria.*
P. in myſterijs.
c.98.p.490.l.vlt. *contra quem Chriſtus.*
P. contra quam Chriſtus.
ib.p.491.l.11. *quod ſequuntur verba.*
P. quod loquuntur verba.
ib.l.15. *quia id quod.*
M. P. qua id quod.
ib.l.pen. *contra illum.*
P. contra illam.
c.99.l.14. *remittantur.*
P. remittatur.
c.102.l.7. *conſtantiam dictorum.*
P. conſtantiam doctorum.

exeda c.103.l.5. *quid inquis sine delicto*
P. quo? inquit nisi delicto.
ib.l.20. *præbuisse peccato.*
P. præbuisse peccati.
ib.p.494.l.3. *si in Christo.*
P. nisi in Christo.
ib.l.5. *per quod peccatum.*
M. P. per quid &c.
c.104.l.3. *abiectione subductas.*
P. abiectione si ducas.
ib.l.10. *te affero dogmati.*
me affero &c.
ib.p.495.l.7. *sicut vos dicere.*
P. sicut contra vos dicere.
c.105.l.6. *ad eandem rationem.*
M. P. ad condemnationem.
ib.l.15. *sua quoque voluntate.*
P. sua cuiusque &c.
ib.p.496.l.32. *auctum & nondum multiplicatione.*
P. aucti & nondum multiplicati.
iam maligno.
P. *iam magno.*
c 106.l.3. *sed in peccato.*
sed in vno peccato.
c.107 l.5. *est ante naturam.*
P. est à te naturam.
ib.p 498.l.1. *factos se esse.*
P. factum esse.
c.108.l.9. *quod ea salus.*
P. quos ea &c.
ib.l.12. *non sibi baptizatos.*
P. non nisi &c.
ib.l.25. *generationi generatio.*
P. generationi regeneratio.
ib.l.26. *ita generatio.*
P. ita regeneratio.
c.110.l.4. *in commemorationem.*
P. in commendationem.
ibib.l.6. *originali malo esse causam miseriam.*
P. originale malum esse causam miseriæ.
ibid. *causam miseriam.*
M. P. causam miseriæ.
c.112.l.10. *ex quo vnum.*
ex quo vno.
c.113.l.14. *sicut dicunt paruulos.*
P. sicut dicit &c.
ib.l.23. *sed vos respondere.*
M. P. sed vos respondete.
ib.l.33. *fine dei sui regno.*
P. in dei sui regno.
c.114.p.501.l.1. *paruulos in multis.*
P. paruulos multis.
ib.l.6. *quia & te.*
M. *qua & te.*
P. quæ & te.
c.115.l.26. *horrendam impietatem.*
P. horrenda impietate.
c.116 l.2. *nec sufficere.*
P. nec suffugere.
ib.l.14. *renatos esse.*
P. se natos esse.
ibid.l.pen. *ab illo reparari.*
P. ab illo separari.
c.117.p.503.l.13. *quod vos fragiles.*
P. quod quam vos &c.
ibid.l.14. *iustitia dei.*
P. iustitia dei.
ibid.l.pen. *gratia vias.*
gratiæ, in alijs veritatem
iudicij iuxta domini vias.
c.119.l.24. *gratiam, qui paruulos.*
P. gratia, qui &c.
c.122.l.7. *corporum quam.*
P. corporumque sexuumq; quam &c.
ib.l.8. *voluptatem sexuumque.*
P. voluptatem quæ.
ib.p.506.l.5. *castitate benè vtuntur.*

P. castè

P. cassè & benè &c.
ibid. l. pen. *emendum est.*
M. P. sanandum est.
c. 126. p. 506. l. vlt. *maioris ætatis.*
M. P. maioris ætatis.
ibid. p. 507. l. 9. *multa inuenirent.*
M. P. multis &c.
c. 128. l. 10. *quibus contigit.*
P. quibus contingit.
ibid. l. 11. *alij qui habent.*
M. P. aliqui habent.
c. 129. l. 7. *proferret affectum.*
P. præferret &c.
c. 130. l. pen. *destruatur ac fautium inimicorum & defensorum.*
P. destruat, ac lactentium inimicum & defensorem.
c. 131. l. 9. *sicut definis.*
P. si vt definis.
ibid. l. pen. *sed in singula.*
P. sed vel singula.
c. 132. l. 2. *nostrum dogma.*
P. nostrorum &c.
c. 133. l. 7. *Apostolum habent.*
P. Apostolum nullum habent.
c. 135. l. 4. *frangoris.*
P. fragoris.
ibid. l. 18. *quia mortui sunt.*
P. ergo mortui non sunt.
ib. l. vlt. p. 510. & 511. l. 1. *feceris. Ideo.*
P. feceris alienos. In eo.
c. 136. l. 1. *hic quoque.*
P. hinc quoque.
l. 137. l. 10. *quam propaginem.*
P. quia propaginem.
c. 138. l. vlt. *mortuos negabis.*
P. mortuos non negabis.
c. 141. l. 2. *motibus æquè.*
P. omnibus æquè.
ibid. l. 3. *quoniam nullo.*
M. P. qui eam nullo.
c. 142. l. 11. *magis enim abund-*
P. magis abund-
ibid. l. 20. *qua tulit in multa.*
M. P. quæ attulit &c.
c. 144. l. 18. *moderatione prudentiæ.*
M. P. moderationem.
c. 145. l. 3. à fine *vt sint tam pauci.*
P. vt sint tamen pauci.
c. 146. l. 12. *qua spiritum.*
P. qui suum spiritum.
ib. p. 516. l. 1. *imitatione iustitiæ.*
M. P. imitatione iustitia.
ib. l. pen. *regenerationem generationi.*
P. *non generationem &c.*
c. 147. l. 18. *negat, ne sibi.*
M. P. negat omnes, ne sibi.
c. 148. p. 517. l. 5. *quomodo non est contra*
M. P. quoniam non &c.
ib. l. 16. *attendite codicem.*
M. P. attende &c.
ib. l. pen. *voluntate peccantes.*
P. voluntate peccantibus.
c. 149. l. 6. *abundne, quimisset.*
M. P. aliud nequiuisset.
c. 151. l. 10. *Ada probitatem*
P. ad probitatem.
ib. l. 19. *magnam disputationem virtutum.*
P. magnâ, disputationum virtute.
c. 152. l. 3 norma correctis.
P. *norma correctionis.*
sed vide emend.
c. 153. p. 521. l. 3. *propheta dicit.*
per prophetam dicit.
c. 154. l. 6. *pater prædictus.*
pater erat prædictus.
c. 156. l. 7. *si non promitteret,*
M. P. non promittere.

ibid.

ibid.l.pen. *iuſtantia potentes.*
P. iactantia potentes.
ibid. *illorum arrogantia mentiente.*
M. P. illum arrogantia mentientem.
c.158 p.523.l.12. *non attenditis ergo.*
P. non attenditis rogo.
ib.l.23. *facienda diuina.*
M. P. ad facienda diuina.
ib.l.30. *non dicendi ſunt.*
P. dicendi ſunt.
c.160.l.3. *ſi deſtrueretur.*
M. P. deſtrueretur.
ib.l.4. *propter legem.*
M. P. ſi præter legem.
ib.l.7. *cuique ſine lege.*
P. cuiquam ſine lege.
ib.l.10. exinanita fides.
M. *exinanita eſt fides.*
c.163.l.4 à fine *qui ex illa ſucceſſione.*
P. qui ex illo &c.
ib l.3. à fine *qui in illa gratia.*
P. qui in iſto gratiæ.
c.164.l.15. *prima natiuitate.*
M. P. prima natiuitate.
c.166.l.23. *cum charitas Dei.*
M. P. quoniam charitas Dei.
ib.l.3.à fine *in Deo glorietur.*
M. in domino glorietur.
c.167.l.2. *inter iudicare.*
P. inter indicia.
ib.p.527.l.pen. *idem per dona.*
P. id eſt per dona.
c.168.l.1. *reſtitue ergo.*
P. reſtituet &c.
l.3. *reſtitue planè.*
P. reſtituet planè.
ib. *vt fideles ſunt.*
P. vt fideles ſint.
c.170.l.10. *& qui mori.*
M. P. qui mori.

ib.p.529.l.1. *ſecundum vos non eſt.*
P. ſecundum vos non eſt Ieſus.
c.171.l.6. *dilucidior.*
M. P. dilutior.
c.172.p.530.l.19. *vt peruenisſet.*
P. vt peruenirent.
c.173.l.11. *atque ab hoc.*
P. atque ob hoc.
ib.p.531.l.14. *hinc quippè.*
P. ſic quippè.
Proſper ſent. 299.c.174.l.9. *quomodo intell.*
M. P. quoniam intell.
ib.p.532.l.30. poſt immunes, *plurimos Apoſtolus dicit quos ideo ait.*
P. *hæc malè in textum irrepſerunt.*
c.178.l.6. *quam credis ita eſſe.*
P. qua credis &c.
ib.p.534.l.3. *homines corpus.*
M. P. hominis corpus.
ib. l.8. *debuit eſſe ſecundum.*
P. debuiſſet ſecundum.
ib.l.23. *& ergo de omnibus.*
P. ergo de omnibus.
ib.l.25. *quippe vndè.*
P. quippe indè.
ib. *vllus in matre.*
P. vllus in matrem.
c.179.p.535.l.5. *qua coniuncta.*
M. P. qua coniuncta.
c.181.l.1. *parricidia.*
M. P. parricida.
c.184.l.5. *ergo peccatum.*
M. P. ergo peccantium.
ibid. *voluptatem.*
P. voluntatem.
c.185.l.8. *peccatum vt per-*
P. peccatum præuaricationẽ, vt per.
ib.l.4. à fine *idem exemplum eius.*
M. P. id eſt exemplum eius.

cap.

c.186. pag. 537.l.ult. *ut in ſomnium.*
M. P. ut in ſomnum.
c.187. l. ult. Iul. *prohibentur erraſſe.*
M.P. perhibentur erraſſe.
ib.d.l.8. Aug. *ut ſervaret.*
P. ut ſervarent.
c.188.l.6.Aug. *legem atque iuſtitiam.*
M.P. legemque, juſtitiam.
c.190.l.6.*cùm dixit formam.*
P.eum dixit formam.
c.193.l.4. *veritate peccaſſent.*
P. unitate peccaſſent.
ib.p.541.l.6. *regnaret, ſimilitudo.*
P. regnaret, fecit ſimilitudo.
c.194.l.penult.*ſed ite rationibus.*
M.ſed iterationibus.
c.196.l.ult.*ille ac ille non traijcit.*
M.P. ille non traijcit.
c.198.l.7.*populum Chriſti, & Chriſti*
P. populum, & Chriſti.
c.199.p.543.l.2. *quid de ipſis inſanis.*
P. quid deſipis, & inſanis.
ib.l.18.*& expergiſceris.*
M.P.& expergiſcereris.
c.200.l.4.*imputatur peccatum.*
P. non imputatur.
c.201.l.7.*totidem libera.*
P. itidem liberæ.
c.202.Aug.l.17. *quia non in*
P.qui non in.
ib.22. *quomodo nulla.*
M.P. quoniam &c.
c.205.l.1. *verba vindicant.*
P.verba indicant.
ib.l.1.Aug.*evertetur.*
P. evertitur.
ib.p.546.l.8. *Quis enim videat.*
P.quis enim non videat.
ib.l.18.*pauci, qui liber.*
M.P.paucis qui liber.

c.206.l.2. *infinitam.*
P. indefinitam.
c.208.l.7. *quia ſentiri.*
P. quia ſentire.
ib.l.7.Aug. *quia non erat Mani.*
P. qui non erat &c.
c.209.p.548.l.1. *liberentur.*
M.P. liberantur.
ib.l.12.*ſi unus in civitate.*
P. ſi ſit unus &c.
c.211.l.3.Aug. *loquebantur.*
P.loquebatur.
c.212.p.539.l.5. *ut adhuc laudem.*
P. ut ad hanc &c.
c.214.l.8.*qua gratia virtutem.*
M. P. gratiæ conſecutos quæ gratia virtut. &c.
ib. Aug.l.2.*hanc enim formaverit.*
M.P. hunc enim &c.
ib.Aug.l.19. *An iuſti ſunt.*
P. en juſſi eſtis.
c.215.l.2. *qua iniquitate.*
M.P. quæ iniquitatem.
ib.l.7.Aug. *iuſti conſtituuntur.*
P.peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per imitationē obedientiæ unius hominis juſti conſtituuntur &c.
ib.l.13. *generationis principio.*
P. generationis principem.
ib. p.551.l.ult. *conſtituit multos*
P. conſtitui multos.
ib.p.552. l.6. *& conſtitueret.*
P.& conſtituerentur.
c.216.l.4. *ut in parte mali.*
P. & in parte mali.
ib.l.8. *extitiſſe, multiplicariq; iuſtitiam.*
P. extitiſſe, tranſijſſe, multiplicariq; injuſtitiam.
ib.l.2.Aug. *dicis non per inobedient.*
P. dicis per inobebient.

ib.l.5. *quia verum.*
M.P. qua verum.
ib.l.8. *ſic in mala.*
P. ſic in mali.
c.217.l.9. Aug. *qui ante legem.*
M.P. quæ ante legem.
ib.p 553.l.penult. *altera prælium.*
M. P. ex altera &c.
c.218.l.6 *quia impudentia.*
P. quâ impudentia.
ib.l.penult.Iul. *& hoc à nullo.*
P. ſed hoc &c.
ib. l.ult.Iul. *poſtera imperari.*
P. poſſet &c.
ib.l.12.Aug. *in paradiſo pacem.*
P. in paradiſi pacem.
ib.l.16. *à quibus bellatur.*
P. à quibus debellatur.
ib.p.555.l. 3. *per quæ peccatum.*
P. per quem &c.
c.219.l. 2. *non ſolum prohibitum.*
P. non ſolùm non prohibitum.
c.220.l.3. *ad hoc intende.*
P. adhuc intende.
ib.l 7. *ſub introeunte peccato.*
M. ſubintroeunte peccatum.
P. lege ſubintroeunte, peccatum.
ib.l.4. à fine. Iul. *in quo lator legis.*
P. in quem lator legis.
ibid. *evenire contraria.*
P. evenere &c.
ib.p.556.l.10. *vitium, in lege ſubin.*
P. vitiõ, lege ſubint.
c.221.p.557.l.4. *peccantis à ſenſu.*
M.P. peccantis aſſenſum.
ib.l.6. *prævaricatione peccare.*
P. prævaricatione peccari.
c.223.p.569.l.4. *non habebas.*
P. non habebis.
c.224.l.4. *abren. vocare.*
P. abren. vocari.
225.l.22, Aug. *aliquo in morte.*
M.P.aliqui non in morte.
ib.l.3.in fine. *generatione, mentiatur.*
M.P.generatio, ne mentiatur.
c.226.l.10. *fauſto credis.*
P. fauſto Authore credis.
ib. l. 14. *nihil deforme.*
M.P. nihil tam deforme.
ibid. *ambiguitatem tamen eſſe.*
M.P. ambiguitatem eſſe.
c.229.l.3. *cuius imitatione.*
M.P. cujus mutatione.
c.230.l.3.Aug. *quia prædicta eſt.*
P. quia prædicata eſt.
c.234 l.ult. *lex velit.*
P. lex ut velit.
c.235.l.6.Aug. *vis non infante.*
P. vis in infante.
ib.l.7. *ſic ipſius voluntatis.*
P. ſicut ipſius voluntatis.
236.l.17. *& quomodo claruit.*
M.P. & quoniam claruit.
ib.p. 577.l.3. *naturæ malo & ab alio.*
M.P. naturæ mali, &c.
ib.l.5. *peccata illi tribuit.*
P. peccato illi tribuit.
ib. l.14. *quaſi nec ullius.*
P. qui ſine ullius.

FINIS.

Nota quod in numeris Paginarum tranſeatur immediatè à num. 558. ad 569.

Obſer-

OBservandum est propositum eorum qui suprascriptas varias lectiones Operis imperfecti in Iulianum collegerunt, fuisse ut sibi primùm & amicis privatum haberent, deinde in publicum proferrent aureum illud opus, quod valde desideratur, à mendis plurimis, quibus scatet, purgatum. Nec fœlicius id perfici posse visum esse, quam collatâ ultimâ æditione anni 1635. (quæ priori multò emendatior est) cum manuscripto Codice, quod unicum extat in Bibliothecâ Thuanâ, adhibitâ pariter eruditissimâ Reverendiss. D. Paludani lectiurâ, quasi face lucidissimâ ad propellendas mendorum tenebras, quibus Aurei illius Operis Thesauri tam in manuscripto Codice, quàm in vulgatis æditionibus involvuntur. Sed religionis fuit, ut quàm minimùm ab æditione illa recederetur, nisi in quantum manuscripti Fides exigeret, & ubi abesset omnis depravationis suspicio etiam ex conjecturis & judicio D. Paludani: item selecti sunt ex reliqua ejus lectura sexcenti circiter alij illustriores loci commodius in margine è regione apponendi ad majorem Operis elucidationem, reliquis in libri calcem rejciendis. Eâ mente collectæ sunt suprascriptæ lectiones ceu restitutiones, in quibus mendosæ multæ sunt ex manuscripto interpositæ non ædendæ in publicum, sed observatæ ut magis notum sit, & ubi opus fuerit, probetur multùm tribuendum doctissimis simul ac fœliciss mis Domini Paludani conjecturis, qui quasi assiduâ meditatione mentem Divi Augustini, imbiberit, nullâ communicatione autographi, nec correctioris æditionis, sola perspecta priori mendosissima Divinum illud Opus optimè restituerit. Verùm dum de Operis huiusce impressione communicato consilio deliberatur, moniti Lovanij procurari & cœptam esse novam æditionem Operum D. Augustini contra Pelagianos, utilitati publicæ consultum credidimus: Si ut correctius

æderetur Opus illud, variæ illæ lectiones offerrentur. Et ubi relatum peractam Operis illius impressionem, expeti tamen lectiones illas in calce apponendas: Licet vix in calce apponi possint, nisi selectiores aliquot: Non denegandas tamen uti collectæ sunt censuimus Eximio & Meritissimo Doctori ijs usuro solitâ discretione ad majorem Dei gloriam, quæ unicus fuit quantulæcumque Operæ illius scopus.

Parisijs 3. Feb. 1648.

LECTORI.

SAlvum nobis movit, LECTOR HVMANISSIME, secundasque curas nostras excivit ista tam accurata quæ præcessit Parisiensium Theologorum opera: ut hancce æditionem librorum Operis imperfecti sarperemus sive sarriremus: quia cùm recenter lucem viderint, pauca extant exemplaria ad quæ emendentur: eaque nævis ac mendis innumeris (si commendatissimam Paludani æditionem excipias) exundantia. Totam etiam medullam ac spiritum doctrinæ suæ contra Pelagianos in isto Opere contraxisse videtur Augustinus, ut proinde quàm emendatissimum reproduci: invidiæ quoque non parùm expositum erat, ut suspicionem omnem detergere oportuerit. Luctuosum nobis fuit, dum in areolam istam descendimus, tot vepres atque urticas in ea enatas observare, quæ correctorum oculos & aures nondum isti muneri assuetorum (ita in omnibus rerum usus prævalet) fefellerunt. Etsi vero ad scrupulum æstimari possimus in hac re subinde trutinatores: Operis majestas, & quæ suggessit Paludanus, quæque jam-jam subindicavimus momenta, istud à nobis exposcere videbantur; neque tamen vel sic omnia emendasse nobis adblandiri audemus. Argum esse oporteat, quem nihil fugiat. Quæ mendosa sunt, qualiter legenda sint adscribimus. Siquæ verò conjecturæ præter Paludani lectionem inspersæ (paucæ sunt quæ in corpus subintrarunt, reliquas in marginem rejecimus cum nota fortè, vel, F.) utramque lectionem minore charactere expressimus, apposita ad lectionem Paludani, litterâ, P. Vt optio sit quam præeligas. Siquæ alia cujuspiam momenti quæ lectionem remorari queant, aciem atque attentionem nostram fortassis effugerint: ad limam Paludani revocabis. Interpunctionum diversitatem restituimus, ubi res exposcere visa est: reliquarum restitutionem ad æquitatem Tuam remisimus. Istud Compendij interim ex hoc labore nostro reportaturus, ut uno in volumine exiguâque tabulâ, omni quæ hactenus prodijt æditione atque exemplari fruaris.

Pag.

PAg. 350. lin. 5. *nos esse nuptiarum. Denique in illo opere, nuptiarum bonum &c.*

Palud. *nos esse nuptiarum, divinique operis. In illo, nuptiarum bonum &c.*

Videri potest in hanc rem lib. 2. de nup. cap. 2. Ibid. lin. 20. *tradenda.* Pal. *reddenda.*
Lib. 1. c. 1. lin. 3. objeceram, lege, abjeceram. Ib. lin. 4. Resp. Aug. responsum hoc est, dele, hoc
Ibid. lin. 5. Catholica lumine, lege, Catholica lumina.
Cap. 2. lin. 12. brevitas, lege veritas. Cap. 3. lin. 4. perspicor, lege, perspicuæ.
Cap. 8. lin. 2. *ut intelligantur.* Pal. *quæ & intelligantur.*
Ibid. lin. 4. *& propter.* Pal. *ut propter.*
Cap. 12. lin. 2. Resp. Aug. Ecclesia, lege, Ecclesia. Cap. 19 l. 5. Res Aug. invicti, lege, invicta
Pag. 359. lin. 6. in Christo: his verbis, lege, in Christo. His verbis
Cap. 37. lin. 1. angusta, lege, augusta.
Cap. 38. lin. 12. Res. Aug. *id est; quod* Pal. *quod est, neque*
Ibid. lin. 13. *Miserentis Dei est.* Pal. *Miserentis Dei.* Ibid. in illo, lege, in hoc
Cap. 40. lin. 2. meliore, lege, *meliores.* Pal. *Consecrationem meliorum*
Pag. 357. lin. 2. *apertissima.* Pal. *apertissimè.* Ibid. lin. 20. malui ea, dele ea,
Cap. 47. lin. 1. *animi eius iam est, qui* Pal. *animi, eius iam qui*
Pag. 369. lin. 33. *quæ.* Pal. *quod,*
Pag. 372. lin. 2. justum, lege, istum. Pag. 375. lin. 3. *commentus fecerat.* Pal. *commentus fuerat.*
Ibid. lin. 15. *qui sum.* Pal. *quia sum,* Ibid. lin. 22. rerrum, lege rerum.
Cap. 50 lin. 8. *si esset uspiam, reus convinceretur esse, non Deus,*
Pal. *si esset uspiam reus, convinceretur esse non Deus,*
Pag. 374. lin. 7. ad Marg. Ier. 34. lege 32. Ibid. lin. 17. *dicit.* Pal. *dicitis,*
Pag. 375 lin. 5. nimirum, lege, nimium,
Ibid. lin. 18. currunt. Nisi ut in its, lege, currunt, nisi ut in ijs,
Pag. 376. lin 8. justius, lege, astutius. Pag. 377. lin. 17. *sed eodem.* Pal. *sed idem*
Ibid. lin 27. exercitationem, lege, execrationem.
Ibid Res. Aug. lin. 2. *quod posterius posuisti, dari per illam,*
Pal. *quod prius posuisti, dari per illa,*
Cap. 54. lin. 9. nullum, adde habet. Cap. 55, Res. Aug. lin. 11, sed, adde, etiam
Pag. 38. lin. 8. utique, adde, &. Cap. 57. lin. 6. *non potest, quamvis.* Pal. *non potest, & quamvis*
Cap. 59. lin. 2. *quæ sermo.* Palud. *quibus sermo*
Pag. 382. lin. 21. ergo lege, ego, Cap. 60. Resp. Aug. lin. 4. nihil, adde, est,
Pag. 384. lin. 4. misereris, lege, miseraris. Ibid. lin. 6. prohibet, dele, comma,
Pag. 387. lin. 5. bonorum, dele, comma.
Pag. 389. lin. 2. adducit, adde interrogationem: Ibid. lin. 37. ad marg. Ibid. 4. lege, Rom. 4. 6
Cap. 68. lin. 5. Resp. Aug. insipienté, lege, incipientem. Pag. 393. lin. 9. satiendę, lege, satiandę
Cap. 69. pag. 394. Resp. Aug. lin. 7. nostri, lege, nostro. Pag. 396. lin. 3. terrena, lege, terrenam
Cap 71. lin. 3. non fuit, lege, fuit. *Iuxta additionem Plant.*
quæ ita legendum sustinet in annotationibus, unde similiter
corrigatur lib. 2. de nup. c. 2.
Pag. 398. lin. ult. doceri, lege, docere,
Pag. 402. Resp. Aug. lin. 8. Non enim dicerem. lege, non enim dicerem,
Pag. 403. lin. penult. Printipe, lege, Principe, Pag. 404. lin. 1. impietate, lege, impietati,

Ibid. lin. 2. Epiſcopis, lege Epiſcopis Cap. 76. lin. 1. non, lege nam
Cap. 78. adde in marg. Cicero. lib. 1. Officior. Cap. 80. lin. 4. ſecreræ, lege ſecretæ
Ibid. Reſ. Aug. lin. 1. *ſolam*, Palud. *ſola*,
Pag. 409. lin. 22. Domino, lege domo
Cap. 88. lin. 6. quin quia etiam. dele *quia*, Palud. *quia etiam*,
Ibid. lin. 7. poſſideri adde comma
Pag. 410. lin. 22. ſed ab hoc, lege, & ab hoc,
Pag. 411. lin. 4. *qualis nunc non indiget liberante?* Palud. *qualis nunc indiget liberante.*
Cap. 90. Ibid. lin. ult. Iul. innocua, lege innocuæ Ibid. Reſ. Aug. lin. 4. facilius. lege facilius,
Cap. 91. Reſ. Aug. lin. 5. *neceſſitate vicii* Palud. *neceſſitati vicio*
Cap. 93. Reſ. Aug. lin. 6. certum, adde, eſt Ibid. lin. 8. ad marg. lib. 2. lege lib. 7
Pag. 413. lin. 3. nolueritis &, adde, non Cap. 94. lin. 1. opore, lege opere
Ibid. lin. ult. pag. 413. dixi, lege dixit Pag. 414. lin. ult. ſpectant, lege ſpectavit
Cap. 96. lin. 1. ſolum. lege ſolum, Pag. 416. lin. ult. Iul. quæ fuit in eo &c. *Pal. omittit*
Pag. 417. lin. 6. nunc, lege non Ibid. lin. 7. usalum, lege malum
Ibid. lin. 12. oſt, lege eſt Ibid. lin. 18. affirmaras, lege affirmarat
Ibid. lin. 20. adjuvares? lege adjuvares! Pag. 418. lin. 5. ad mar. adde cap. 98.
Ibid. lin 6. n lege in Ibid. lin. 12. bominem, lege hominem
Ibid. lin. 19. poteſt, lege poteſt. Ibid. lin. 30. amitteres, lege ammitteres
Ibid. lin. 32. affirmes, lege affirmas
Ibid. lin. ult. Iul. contravenires, lege *convenire* Palud. hoc modo legit ſententiam:
Hoc enim modo, etſi rationi, nequaquam tamen eorum, quos ſequeris, dogmatibus contravenire
Pag. 419. lin. 18. convitiari. Nobis, lege convitiari nobis
Cap. 99. lin. 2. caruis, lege carnis Cap. 100. lin. 4. profeſſone, lege profeſſione
Ibid. Reſ. Aug. ad marg. ſup. cap. 23. lege 28. Cap. 101. lin. 1. conſtet, lege conſtes
Ibid. Reſp. Aug lin. 3. dicas. Eum, lege dicas, eum Cap. 105. lin. 2. abſtineret, lege abſtinere
Pag. 424. linea 6. Aut, lege Ac Pag. 425. lin. 1. dicimus, adde punctum
Cap 107. lin. 9. judicum, lege judicium Cap. 108. Reſ. Aug. linea 3. autem, adde etiam
Cap. 109. linea 12. formiline, lege formidine Ibid. lin. 20. huic, lege hinc
Cap. 111. ad marg. ſup. c. 24 lege 74 Ibid. Iul. lin. ult. mala, lege malo
Cap. 112. lin. 5. voluntatis, deditione, lege *voluntatis, degeneri deditione* Palud. *devictione*
Pag. 429. linea 16. differatur, lege differatur Ibid. linea 19. pelliceris, lege polliceris
Pag. 431. lin. 2. ſuperare, lege ſuperari Cap. 123. lin. 5. innocentiæ, lege innocentia
Ibid. Reſp. Aug. linea 1. ad marg. adde lib. 1. in Luc. c. 1. 17
Pag. 433. lin. 12. humiliatis, lege humilitatis Cap. 125. linea 6. potentia, lege pœnitentia
Cap. 126. lin. 1. Reſp. Aug. adde ad marg. lib. 1. de Pœnit. c. 2.
Pag. 434. linea 1. conductoribus, lege condoctoribus
Cap. 127. linea 9. Reſp. Aug. nuncupatur, lege nuncupantur
Cap. 131. lin. penult. Iul. Parentis, lege parentis
Pag. 439. lin. 5. à fine: intelligijs, lege intelligis. Ibid. linea penult. non eſt ex, dele oſt
Cap. 134. lin. 10. *negaſſe* Palud. *negari*
Ibid. ad marg. in fine 26. lege 36.
Cap. 135. linea 4. opus, bonum, lege opus bonum
Ibid. linea ult. Reſp. Aug. obſucrarique, lege obſcuratique
Cap. 136. linea 1. *obnixa* Palud. *obnoxia*
Ibid. linea 8: utrùm, lege verum
Ibid: linea 4: Reſp. Aug. comdemnat, lege commendat
Cap: 138. lin. 8. afflictio, lege afflicto

Ibid:

Ibid. lin. 9. terram ſuam, reverteretur annuntiat &, lege, terram ſuam reverteretur, annuntiat, &
Pag 443. lin. 16. Reſ Aug. ſecunum, lege ſecundum
Cap. 140. ad marg. Iſa. 48. 5. lege 45, 8. Pag. 445. lin. 1. e ſe. lege à ſe
Cap. 141. lin. 4. à fine non, habes, lege non habes
Pag. 446 lin. 5. à fine: dicta eſt, adde iſta Ibid. lin. 4. à fine: enim, lege etiam,
Pag. 448. lin. 27. hoc eſt in, dele in
Ibid. lin. 28. dictum, adde eſt Ibid lin. 34. ſex, lege ſed
Ibid. lin. 36. quos, lege quod Ibid. evaderetis in, dele in
Lib. 2. cap 1. lin: ult: Reſp. Aug. Catholicos, adde Chriſtianos
Cap. 3. Reſp. Aug. lin. penult. *vide in reſtitutionibus Pariſienſium*
Cap. 7. Reſ. Aug. lin. 6. his qui fieri, dele fieri
Pag. 453. lin. 1. in præſentia, lege in præſentiarum
Cap. 13. lin. 6. Iul. profanatiſſimi, lege profaniſſimi
Ibid. lin. 2. Aug. eruditio, adde neque juſtitia
Ibid. lin. 3. imò, adde hæc, Pag. 455. lin. 6. eum, lege eam
Ibid. ex oppoſito ad marg. 17. lege 27. Cap. 18. lin. 1. productum, lege perductum
Cap. 20. lin: 6. Iul. rationem, lege orationem Cap. 22. in fine ad marg. Cap. 12. lege 126
Pag. 457. lin. 6. veferens, lege referens Cap. 23. lin. ult. Iul. claude Parentheſim
Pag. 458. lin. 6, ammittis, lege amittis Ibid. lin. 13. inſurrexit, lege inſurrexi
Cap. 25. lin: 2. *interpolationa* Palud. *interpellatione*
Ibid. lin: 4. conditam, lege *condi tàm* Pal: *conditam tàm*
Cap: 27. lin: 13. Iul: *Traducianos eſſe clauſura* Palud. *Traducianas eſſe clauſuras*
Cap: 28. lin: 6. *connivente* Palud. *cohibenta*
Ibid. lin: 12. commitionem, lege commixtionem Pag. 461: lin: 7. quàm, lege quam
Cap: 29. lin: 3. babitare, lege habitare Ibid: lin: 7. amittat, lege ammittat
Cap. 30. lin. 2. nominabi, lege nominabis Ibid. lin: 3. ergo, lege ego
Pag. 462. lin. 15. ad marg. Ioan. 1. lege 14 Pag. 464. lin: 1. tranſire, lege tranſiret
Cap. 36. lin. 8. forte legendum reverentia rationis, vel, reverenda ratio
Pag. 465. lin. 5. conſtantia, lege conſtantiæ
Pag 466. lin: 2. indicante, lege judicante
Pag. 467. lin. 2 liberet, lege liberet Cap. 41. lin. 7. fit, lege ſit
Cap. 47. lin. penult: Iul. ſpectare, lege ſpectaret
Cap. 48. Reſ Aug. lin. 2. loquaciſſimè, lege loquaciſſime
Ibid. lin: 7. hoc, lege hic
Cap. 50. Reſp. Aug. lin. 5. peccatum, lege peccatum?
Cap. 51. lin. 2. diviſitionibus, lege diviſionibus
Cap. 52. lin. 14. Reſp. Aug. imitetur, lege imitemur
Cap. 53. lin. 5. auferre, lege afferre Cap: 61. lin. 5. judicatur, lege indicatur
Cap. 62. lin. 3. ſané, lege ſanæ Cap. 70. lin. 8. quocumque, lege quodcumque
Cap. 74. lin. 10. Reſ. Aug. quod, lege hoc Cap. 79. lin. ult. Iul. amittendi, lege ammittendi
Cap: 83. lin. 1. Reſ. Aug. intrare, lege iterare Ibid. lin 3. *qua* Pal. *quia*
Cap. 84. lin. 2. perſcripſit, lege præſcripſit
Ibid. Reſ. Aug. lin. 6. dictum eſt, adde; ut etiam ipſam legem ſententiæ iſta concluderet. Quomodo dictum eſt
Cap. 97. Reſ. Aug. lin. 7. ſolùm, lege ſolum Ibid. lin. 4. à fine: autem, adde &
Pag. 490. lin: 3. à fine: multò, lege multa

Digitized by Google

Cap:99. lin:7. tam, lege, jam, Cap:100. lin: 1. dixeris, adde per,
Cap: 102. lin:2. obſtrepitum, lege, obſtrepitum,
Cap: 103. Reſ. Aug. lin:2. exercere, lege, exerere,
Cap:105. lin:13. imitatione : dele duo puncta, Ibid: pag:495.lin: penult. in, lege,ex
Pag:496. lin:1. ex multis, adde delictis, Ibid:lin:18. honeſtate, adde deſiderij
Pag.497.lin: 7. loquacitate, lege, loquacitatis
Ibid.ad marg. Cap.115. lege 106. & infrà cap. 106. lege 107.
Cap.106. lin. 3. operetur, lege operatur,
Cap.112 lin:3.à fine, ſi ergo, lege, *ſic ergo*, Palud. *ſi ergo*
Ibid: inferre, lege inſerere
Cap: 113. Reſ. Aug. lin.2. reprehendere. quod ſitis, lege, reſpondere, quid ſitis
Ibid ad marg. Ambr. lib.2. lege lib.1. Cap:115. Reſ. Aug.lin:10.ullâ,lege,ulla
Cap: 116. lin.4. commiſiſſe, lege commiſiſſe,
Cap: 117. Reſ. Aug: lin: 5. E tamen, lege Et tamen,
Ibid:defenſione juſtitia Dei niteris, lege *juſtitiæ* Palud. *defenſione, juſtitiâ Dei niteris*,
Ibid:lin.7. totâ, lege tota, Cap:119. lin. penult. Iul. Ex hoc uno, lege Et ex hoc uno,
Ibid: Reſ.Aug.lin:1. multum dicis , lege eadem multum dicis.
Cap:121. Tu ſi quid, lege Tu etſi quid, Cap: 122 lin. 2. hoc ſolum, lege ob hoc ſolum,
Ibid.lin.8 conſiliatricem, lege conciliatricem. Pag: 506.ad marg. Gal. lege Gen.
Cap.126. lin. 4. repetione, lege repetitione.
Cap.129.Reſ.Aug.lin.2.falſos, lege ſalvos, Cap. 131.lin.6.multæ, lege multa
Pag: 509. lin.5 erubeſcitis ? adde non expaveſcitis ?
Cap.140. lin: ult Iul.amoviſſe, lege ammoviſſe, Pag.513.lin.1. tibi,lege ibi
Cap.143.lin.1. fuit, lege ſui. Pag. 515.lin.18.diſcernatur, lege diſcernantur,
Cap.146.Reſ Aug. lin.3. per ejus ; dele ; Pag:515.lin.3. à fine:aliquid, lege aliqui
Cap. 147. lin. 2. vigilantior , lege vigilanter
Pag. 518. lin: 26. es, lege eſt Cap. 151. lin. 18. eâ, lege ea
Cap.152.lin.8. Iudæa, lege Iudææ, Cap.156.lin.4. ablationi, lege ablutioni
Cap.157.lin.4. tibi tantum, lege ſibi tantum Ibid.lin.6.dignitate,lege dignitatem
Pag:523.lin:7. hæreditatis, lege hæreditas Cap.160 lin.ult.gratiâ,lege gratia
Pag. 526. lin: 16. columnioſe, lege calumnioſe
Pag. 527. Reſ Aug: lin: 3. hoc de te, lege hoc te Cap: 167 lin.2. indicia,lege iudicare
Cap. 172. lin. 2. *percipere* Palud. *præcipere*,
Pag. 530. lin:19. ſumus ? lege ſumus , Cap. 173. lin: 6. humana. lege humanæ
Pag: 532. Reſ: Aug: lin: 11. pertinebant, hinc, lege, pertinebant. Hinc
Ibid: erue, lege exue.
Pag: 534. lin: 1. ſolùm, lege, ſolum
Ibid: lin. 30. me de omni, lege , nec ideo tamen neſcio, de omni.

Menda ex reliqua parte Operis.

Pag:108. lin: 24: lege quis enim non putet, Pag:109: l: 28: &, lege ſic:
Pag: 129 l:2. Præbuiſtine, lege , Præbuiſti : ne fortaſſis
Pag: 180 l: 10: honeſtate, lege inhoneſtate,
Pag: 610: l.3. à fine c. 2: meruerunt, lege noverunt
Pag:663: l:10: à fine ,Chriſtus, lege Chriſti,
Pag: 705: l:8: clarius, lege, elatius. Ibid: l 20:perveniri, lege præveniri,
Pag:747.l.6. à fine, Si,lege, niſi. Pag. 778. l.9. propter, lege, præter.

INDEX

INDEX

Præcipuarum rerum & verborum quę hoc ſecundo Tomo continentur.

Prior numerus paginam, poſterior caput libri deſignat. Diuerſis character verbis Auguſtini aliquas eius ſententias exprimit.

A

ABEL poſt lapſum, iuſtorum primus. 473. 54. & 477. 62.

Abel Adamo non Chriſtus opponi deberet ſi de imitatione ageret Apoſtolus ad Rom. quinto. 536. 183.

Cur Abel ab Apoſtolo non contraponatur Adamo tanquam primus iuſtus. 473. 54.

Abel carnem habuit peccati. 535. 180. & 184.

ABIMELECH. Quo ſenſu clauſa omnis vulna in domo Abimelech. 51. 15. & 171. 19.

Abimelech quomodo ſanatus à Deo. 52. 15

An ei & eius fœminis Deus reddiderit libidinem. 51. 15.

ABRAHÆ tanquam oliuæ oleaſter inſeritur gentium. 730. 16.

Abrahæ corpus emortuum 160. & 161. 11.

Abrahæ & Saræ deerat fœcunditas. 46. 10. & 162. 11.

Quanodo genuerunt Iſaac non defuit concupiſcentia carnis. ibid.

Contra ſentit Iulianus. 54. 19. & 160. 11.

Fœcunditas non libido à Deo illis eſt reſtituta. 46. 10. & 162. 11.

Secuta tamen eſt in illis libido donum fœcunditatis. 160. 11 & ſeqq.

Non pertinet tamen libido in eo caſu ad Dei donum. ibid.

Explicatur exemplo hominis claudi qui reſuſcitatur. ibid.

ADAM eſt creatus rectus & ſine vitio. 670. 10.

Adami caro nō fuit ſimilitudo carnis peccati. 278. 15.

Non habuit moriendi neceſſitatem. 416. 96.

Quo ſenſu factus mortalis. 392. 68.

Pelagiani contendunt moriturum ſi non peccaſſet. 392. 68.

Vide verbo mors.

Aliqui exiſtimarunt quod fuerit creatus cæcus. 7. 5.

Exploduntur. ibid.

Gratiarum dona in creatione ei collata. 674. 11.

Non fuere parua. 674. 11. & 675. 12.

Vires voluntates eius. 678. 12.

In eius viribus non diſcedere à Deo. 747. 7.

Fortiſſimus. 679. 12.

Ad bonum opus liber. 151. 7.

Adiutorium gratiæ ad quid ei neceſſariū. 674. 11.

Adiutoriū gratiæ quale ei datum. 674. 11.

Vide gratia ante lapſum.

An & quale adiutorium perſeuerantiæ ei datum. 670. 10. Vide plura V. gratia, & perſeuerantia.

Si id defuiſſet ſine ſua culpa cecidiſſet. 674. 11.

Per liberum arbitriū ſtare potuit. 671. 10.

Si ſtetiſſet idem præmium quod Angeli ſtantes fuiſſet conſecutus. ibid.

Potuit habere merita per liberum arbitrium ſed ea perdidit. 678. 12.

Non posse peccare fuisset ei merces meriti si perseueraſſet. 675. 11. Vide peccatum, impeccabilitas.

Habuit in libero arbitrio vt bene velle posset & male. 675. 11

Meritum eius fuisset si perseueraſſet. 674. 11

Quod non perseuerauit fuit eius culpa. ibid.

Per liberum arbitrium Deum deseruit. 672. 10

Non indigebat ante lapsum sanguine Christi 672. 11

Nec adiutorio ad resistendum concupiscentiæ motibus. ibid.

Quomodo peccauerit non perseuerando si non habuit perseuerantiæ donum. 670. 10

Futuri sui peccati fuit ignarus. 671. 40. & 672. 10

Primum peccatum commisit in paradiso. 71. 34.

Antequam seminasset. 534. 178

Evam fuit peccando imitatus. 541. 194

De primi peccati origine subtilis quæstio. 255. 4

Eius initium à superbia. 254. 4

Peccatum primum Adami magnum. 28 32. & 71. 34. & 184. 26. & 489. 94

Ineffabiliter grande. 423. 105.

Majus quam sint communiter hominibus nota peccata. 71. 34

Grandius quam possimus iudicare. 71. 34

Vnde tanta grauitas eius peccati, 539. 189

Peccauit in magna non peccandi facilitate. 676. 12

Superatus sine certamine. 428. 112

A peccato abstinere ei valde liberũ. 455. 17

Quare. ibid.

Nulli iam est tam liberum. 369. 47

Vt abstineret à peccato non indigebat gratia Christi 455. 17

Per peccatum ipsi sua nuditas nuntiata. 371. 48.

Cur ante peccatum se Adam & Eua non texerint. Sententia Iuliani. 238. 16. & 244. 2

Exploditur tanquam absurda. ibid.

Ratio allata ab Augustino. 238. 16

Quas partes texerint post peccatum. 245 2. & 127. 6

Membra prius glorianda tunc pudenda texerunt. 73. 35

Quid in eis texerint. 239. 16

De quo & quando erubuerint quando ea texerunt. 20. 20. & 40. 5. & 43. 7. & 45. 9

Cur se absconderint. 239. 16

Adam per peccatum voluntatem liberam fecit seruire peccato. 677. 12

Per illud magna in deterius facta mutatio naturæ. 28. 33. & 71. 34. & 184. 26. & 489. 94

Per illud humana natura vitiata. 525. 163 & 551. 215

Per Adam natura perdita. 625. 13

Ex illo vulnere per liberum arbitrium duorum hominum inflicto totum genus humanum claudicat. 239. 16

Adam perdendo se omnes perdidit in se. 451. 7

In eius lumbis fuerunt omnes qui per concupiscentiã carnis ex eo erat orituri. 371. 48

In eo peccante omnes vnus homo fuimus. 40. 5. & 451. 7

Quomodo. 535. 179

In eo omnes peccauerunt & moriuntur. 478. 63. & 491. 98.

Tota posteritas in eo peccauit & damnata est. 672. 10.

Per illius vnius voluntatem malam omnes in eo peccauerunt, quando omnes ille vnus fuerunt, de quo propterea singuli peccatum originale traxerunt. 40. 23

Eius peccatũ recte dicitur alienũ. 525. 163

Quomodo & nostrum. ibid.

Adã peccãdo ex olea factus oleaster. 28. 32

Totũ genus humanũ fecit oleastrum 29. 32

Ad eum pertinet omnis qui successione propaginis nascitur. 551. 215. Vide V. parvuli, & V. peccatum originale.

An plus nocuerit Adæ peccatum, quam profit Christi gratia. 490. 97

Adam tantum temporali morte nocuit eis quos Christi gratia liberat. 491. 98.

Adam forma Christi à contrario. 62. 27. & 633. 177

Non tamen per omnia conformis. 62. 27.

Cur ab Apostolo Christo opponatur. 433. 54

Secundum Iulianum non prima forma peccati, sed maxima. 359. 189

Totum genus humanũ quodammodo duo homines Adam & Christus. 525. 163

Vide V. Christus, gratia.

Adiutorium. Vide V. gratia.

ADVLTERIVM. Filij nati de adulterio sunt aliquid bonum. 53. 20

Ex eo tamen non possunt adulteria excusari. 1. & 56. 21.

AMBROSII elogium. 139. 9

Eum Augustinus habet vt iuum patrẽ. 81. 3

Fuit laudatus à Pelagio. 31. 35. & 40. 6. & 66. 29. & 99. 7. & 371. 48. & 544. 202.

A Iouiniano dicitur Manichæus. 41. 5

Agnoscit originale peccatum. 8. 3. & 100. 7 & 114. 2. & 122. 5

Eius sententijs ad id probandum contra Iulianum vtitur Augustinus. 114. 2. & seq: per totum fere lib. secundum.

Dei gratiam vt prædicanda est prædicauit. 773. 19

Dicit nullum delicti expertem qui est ex viro & muliere genitus. 31. 35. Vide V. peccatum.

Pelagianos nondum apparentes damnauit. 31. 35

ANGELORVM quidam per liberum arbitrium steterunt. 671. 10. & 674. 11

Quidam per liberum arbitrium ceciderunt. ibid.

Quale habuerint adiutorium. 674. 11. Vide V. gratia.

Si hoc adiutorium Angelo defuisset, non vtique suâ culpâ cecidisset. 674. 11.

Eius ratio. ibid.

Non posse peccare Angelis stantibus fuit merces meriti. 425. 102. & 675. 11

Sic Deus ordinauit Angelorum & hominum vitam vt in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium iustitiæq; iudicium. 670. 10

Vide V, Adam. gratia.

Angelorũ imitatio à Deo petenda. 472. 54

Iulianus id fatendo dogma suũ configit. ib.

Angelorum creatio, peccatum, vide V. diabolus.

ANIMÆ cupiditates quomodo carnis dicantur. 263. 7

Animæ & carnis discordia in naturã versa. 122. 5

Quæstio de animæ productione est obscurissima. 254. 4. & 477. 61

Sine salutis labe nescitur. 255. 4

Non est temere definienda. 277. 15

De ea re fluctuario Augustini. 534. 178

Inter mortem & resurrectionẽ animæ aut cruciantur aut quiescunt. 271. 12

ARBOR bona & mala quænam. 60. 26. & 106. 8. & seq: & 208. 3

Iuliano coniugium arbor bona. 106. 8

Reijcitur. ibid.

Primum hominis vel Angeli peccatũ non sunt fructus arboris malæ, sed arborem malam constituit vnde deinceps fructus mali nascerentur. 208. 8

Arbor sterilis non est bona. 210. 3

Eius fructus nulli vel mali 209. 3

ARIANI Catholicos agnominant Sabellianos. 57. 23

Pejus sentiunt quam Sabelliani. 57. 23

ATHANASII tempore totus fere orbis Arianus. 403. 75

Athanasiani ab Arianis dicebantur Catholici. 404. 75

Ex 650. Episcopis vix septem adhæsisse Athanasio refert Iulianus. ibid.

AVARITIA radix omnium malorum 109. 75

AVDIRE nos à patre cur specialiter dicat Christus. 712. 8

Nemo audit & discit quin veniat. 713. 8

Non audiuit à patre qui non venit. 712. 8

Quando pater intus auditur & docet vt veniatur ad filium, aufert cor lapideum, & dat cor corneum. 713. 8

AVGVSTINVS ab Ambrosio baptisatus. 30. 35. & 81. 3

Conuersus ad fidem quam vastabat. 776. 20.

Matris lacrymis concessus ne periret. ibid.

Fidei patronus specialis. 687.

Pro vniuersis Christi membris eius excubat industria. 687.
Nocte & die occupatur. 349.
Non solet viris militaribus sua opuscula mittere. 4. 2.
Fatetur se aliquando non recte de gratia sensisse. 705. 3.
Eius error. ibid.
Retractatio. ibid.
Fatetur se olim minus diligenter de vocatione secundum propositum tractasse. 707. 3.
Quo argumento fuerit conuictus cum non bene de gratia sentiret. 705. 3. & 708. 4.
Libros confessionum scripsit ante exortos Pelagianos. 776. 20.
In illis vera gratia prædicata. ibid,
Libros de libero arbitrio Laicus inchoauit Presbyter explicauit. 758. 12.
In eis operosissimas quæstiones non soluit, quare? 756. 11.
Libros ad Simplicianum ante hæresim Pelagij scripsit. 778. 21.
Dum eos scriberet Deus ei aliud quam ante sapiebat reuelauit. 708. 4.
In eis plenius de gratia sapere cæpit. 776. 20.
In libro de correptione & gratia expressissime de gratia & perseuerãtia scripsit. 777. 21
Sex libri eius contra Iulianum opus valde elaboratum. 75.
Eius operis distributio. 75. & 77. 1.
Augustinus non vult alios omnia eius sic amplecti vt eũ sequantur, nisi in ijs, in quibus eum non errare perspexerint. 778. 21.

B.

BAPTISMVS est indelebilis. 11. 10.
In eo fit exsufflatio vt Princeps mundi mittatur foras. 53. 18.
An in eis qui nullum habent peccatum falsitus. 722. 13.
Ob quem finem sit institutus. 425. 106.
Quid baptisari in morte Christi. 97. 6. & 290. 3. & 510. 135.
Nemo baptisatur nisi in morte Christi. 570. 225.
Lex baptismi ad parvulos pertinet. 514. 163
Baptismo acquiritur remissio omniũ peccatorum. 113. 1. & 319. 15. & 421. 101.
Remanet tamen infirmitas. 113. 1.
Baptismo etiam attribuitur remissio peccatorum eum secutorum. 29. 33.
Quomodo. ibid.
Non debet tamen ideo repeti. ibid.
Sine eo pœnitentia non prodest. ibid.
Tollit omnia mala. ibid.
Non tamen in hoc sæculo. 30. 34.
Est causa totius sanitatis. 327. 18.
Qualis sanitas in eius susceptione acquiratur. 325. 18.
Baptisati cur non statim eruantur ab omnibus malis. 489. 94.
Cur non statim detur eis immortalitas. 491. 98. & seq:
Eius beneficio ad futuri sæculi perfectionem peruenitur. 313. 13.
Eo etiam corpus sanctificatur, ibid.
Quomodo. ibid.
Non omne quod est in homine per baptismum sanctificatur. 323. 17
Non concupiscentia. ibid.
Baptisatus caret omni peccato, non omni malo. 320. 16.
Contra prauas consuetudines dimicat. 338. 23.
Iulianus baptismum vocat consecrationem. 366. 40.
Fatetur eum necessarium parvulis. 377. 53. & 378. 54.
Ad quid. ibid. Vide V. parvuli.
BASILIVS agnoscit peccatum originale. 88. 5. & 101. 7.
Putat Augustinus eum esse fratrem Gregorij Nazianzeni. 89. 5.
Scripsit librum contra Manichæos. 86. 5.
Ex eo argumentatur contra Augustinum Iulianus. 86. 5.
Respondetur. ibid.
Quod ait facile posse malum à voluntate vel substantia separari nõ humanæ facile est voluntati sed misericordiæ Dei. 87. 5.
BEATITVDINIS plenitudo in quo consistat. 671. 10.
Eius appetitus naturalis. 200. 3.

BELLVM in homine vnde. 261.7.
Non potest esse sine malo. 163. 7.
Repugnat fælicitati paradisi. 396. 70.
BONVM opus quodnam dicatur ab Augustino. 210. 3.
Bonus oculus bona intentio. 210.3.
Bonum opus præcedit intentio bona. 618.7
Bona quędã non bene fiunt. 203.3.& 208.3
Nemo sterilitèr bonus. 203. 3.
Bonum perficere quid. 25 29.& 185.& 186 c. 26.
Aliquid non est eo ipso bonum quod bonus eo bene vtitur. 281. 16.
Bono non bonum sed malũ vincitur. 262.7
Bonũ quando perficiendũ. 25.29.& 594.29
Bona mens maxime sibi placet, sed periculosè & pernicioſe. 207. 3.
Bonum scyllæum quid? 322. 16.
BRVTVM. In quibusdam brutis quædam coniugiorum confœderatio. 6. 4.
Quędam cum coeunt videntur magis agere negotium substituendi generis, quam explendæ libidinis. 6. 4.
Illorum duorum illud est in pecore simile hominis, hoc in homine simile pecoris. ibid.
Bruta quædam cur iam homini terribilia. 94 6. & 102. 7.
Ex eo terrore, & læsione colligitur peccatum originale. ibid.
Brutalis siue bestialis matrimonij vsus quis 6. 4.
Cur concupiscentia non sit vitiũ vt brutis. Vide V. concupiscentia, & libido.

C.

CALLIGONVS Ennuchus ob attentatam meretricé gladio percussus. 314. 14
CALLIPHONTIS error. 385.64.
CARO pro homine ponitur. 26.30.&477.61
Caro morbidus carnis effectus 27 31.
Carnis corruptio facta recedente spirituali Dei gratia 336. 22.
Quomodo captiua sub lege peccati. 27. 31
Quomodo dictum non sunt duo sed vna caro. 476. 59.
Carnem concupiscere est animã carnaliter concupiscere. 314. 4 & 588. 8.
Facta carnis mortificare Dei donũ. 719. 11
Contrarium est error Pelagianus. ibid.
Caro quantum ad substantiam in regeneratis est regnum Dei. 27. 31.
CÆCITAS mentis magna pœna. 246. 3.
Peccatum est, & pœna peccati, & causa peccati. 247. 3.
CELESTIVS est apud Cartaginem absente Augustino debellatus 148. 1.
Fatebatur naturam humanam parvulis redimi. 152. 3.
CHARITATEM an habeamus à nobis. 408. 86.
Non habemus eam nisi à Deo per spiritum gratiæ. 247. 3. & 415. 94. & 633. 18. & 635. 18.
Charitatem sibi, scientiam legis Deo tribuebant Pelagiani 635. 19
Inepte & amenter. ibid.
Charitas majus donum est quam scientia, eique supereminet. ibid
Tunc aliquid aliquid agitur vt agendum est, quando fit cum dilectione & delectatione iustitiæ. 654 2.
Quidquid homo se putauerit facere bene, si sine charitate fiat nullo modo fit bene 633. 18.
Charitas sola vult beatificũ bonum 415. 95
Delectatione charitatis, delectatio peccati vincitur 426. 107.
Charitati leuis est sarcina peccatorum, infirmitati grauis 631. 17.
Charitati præcepta non sunt grauia. 591. 10 Vide V. præceptum.
Charitas levem fecit passionem Petro patienti, quæ grauis fuerat neganti. 631 17.
Præceptum charitatis in futura vita omnimode implebitur. 588.8.
Deus hic non diligitur ex tota anima, quare? ibid
An recte hic præcipiatur tanta perfectio charitatis etsi eam nemo habeat ibid.
Quare & ob quem finem? ibid
In patria nõ auferetur sed augebitur ibid.
CHRISTVS an incarnatus ex proprijs meritis. 443. 138. & 444. 140. & 673. 11.
Absque meritis factus liberator hominum. 720. 12.
Sicut eius generatio, ita nostra regeneratio gratuita. 728. 15.

Ea gratiâ fit ab initio fidei quicunque Christianus qua gratiâ homo ille ab initio factus est Christus. 727. 15

Christus illustrissimum exemplar nostræ prædestinationis 726. 15. & seq:

Quomodo prædestinatus filius Dei. 725. 15

Natura humana non habebat quo extolleretur altius nec diuinitas quo se demitteret humilius. 727. 15

Stulte quis peteret cur non & in sibi ea gratia sit collata, cum sit ejusdē naturæ ibid.

Asserere Christi aliorumque carnem esse eiusdem puritatis est hæreticum. 277. 15

Christus natus est in vera carne, non tamē carne peccati. 554. 218

Solus natus sine commixtione sexuum. 13 12. & 31. 35

Solus natus non per libidinem & concupiscentiam. 40. 5. & 169. 18

Cur noluerit per concupiscentiam nasci. 554. 218

An ideo solus sine peccato quia nō est natus per concupiscentiam. 12. 12. & 31. 35. & 22 24. & 278. 15

Ex hac lege carnis repugnanti lege mentis nihil corpus Christi traxit, quia non ex illa virgo concepit. 119. 4

Ex hac lege carnis repugnante legi mentis eandem legem prima nativitate nemo non traxit quia nisi ex illa mulier nulla concepit, ibid.

Solus Christus eo quod sit natus ex Virgine nec senserit nascendo peccatum generationis obnoxiæ vinculis nō tenetur. 138. 9. vide 40. 5

In Christi carnem quia non transijt concupiscentia, ideo nec peccatum. 277. 15

Si concupiscentiam habuisset non eam sanasset in nobis. 279. 15

Non tollitur exempli ratio à Christo licet non habuerit concupiscentiam nobis communem. ibid.

Non fuit de mundo. Quomodo 288. 2

Eius corpus quomodo in similitudinem carnis peccati. 277. 15

Non habuisset similitudinem carnis peccati nisi aliorum omnium, esset caro peccati. 535. 180

Mortalitatem de carnis mortalitate traxit, 278. 15

Alias non fuisset similitudo carnis peccati. 278. 15

Humana natura ab ipso assumpta impeccabilis. 673. 11

Christus peccatum maior fecisset si parvulus habuisset. 279. 15

Christi voluntas liberrima. 726. 15.

An ideo in illo non libera voluntas erat ac non tanto magis erat quanto magis erat quanto magis peccato seruire non poterat, ibid.

Christus propter Ecclesiam. 748. 7

Gratia per Christum. ibid.

Christus plus profuit quam Adam obfuit. 499. 112

An reparet omnia per Adam elisa. 488. 90

Ad Christum pertinet omnis qui renascitur. 525. 163

Non tantum liberat quia malum fecimus, sed etiam ne malum faciamus. 409. 97

Exempli magisterium tantum volunt in ipso agnoscere Pelagiani. 279. 15

Christo dari qui dicantur. 666. 9

In Christo quomodo omnes viuificandi. 548 209. Vide V. omnis.

Christus mortuus pro parvulis 70. 33

Non est mortuus nisi pro mortuis. 510. 135

Non est mortuus pro non habentibus peccatum. 291. 4

Causa fundendi sanguinis Christi nulla nisi in remissionem peccatorū 530 172. & 70. 33

Quando aliquis mortis Christi in baptismo sit particeps tunc pro illo moritur Christus. 320. 15

Si per naturam voluntatemq; iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. 199. 3

Si per doctrinas hominum qualiscunque iustitia ergo gratis Christus mortuus est. ibid.

Si per seipsum potest homo esse sine peccato ergo gratis Christus mortuus est. 586. 8

Christus cur post tot demum secula in carne demum apparuerit. 716. 9

Quomodo dicatur mortuus peccato. 370 225. Vide mori peccato.

Christus secundum Iulianum non prima forma iustitiæ sed maxima. 539 188

Discipuli Christi duobus modis 667. 9

CHRYSOSTOMVS, à Iuliano laudatus. 99. 7.

Chrysostomi pro originali peccato testimonia. 93. 6. & seq: & 101. & seq: c. 7
Eius authoritatem Augustino obijcit Iulianus. 91. 6
Respondetur ibid. & seq:
Quo sensu dixerit parvulos non habere peccata. 92. 6
Iulianus legit *conquinatos peccato*. 92. 6
Male: Textus restituitur. ibid. & seq:
Vnde factum quod in materia originalis peccati Chrysostomus obscurius sit locutus. 93. 6
CIRCVMCISIO Sacramentum mediatoris in carne venturi. 47. 11
Futura baptismatis. 301. 7
Figura regenerationis. 482. 73
Significabat per Christum tolli peccatum. 482. 73
Significabat abolitionem peccati originalis. 556. 221
Facienda die octauo. 46. 11. & 128. 6. & 169. 18 & 170. 18. & 272. 11. & 374. 50
Quare. 482. 73
Pœna incircumcisi quæ. 169. 18
Ex necessitate circumcisionis & pœna ei adiuncta colligitur peccatum originale. 46. 11. & 169. 18. & 170. 18. & 272. 11. & 301. 7 & 374. 50. & 483. 74. & 506. 125. & 520. 151 & 524. 161 & 544. 201. & 555. 219.
Ad quid valuerit. 47. 11. & 301. 7
Per illam expiabatur peccatum originale. 47. 11
Liberabat à morte. 169. 18
Comparatio eius cum baptismo. 128. 6
Ante eam fuit iustitia fidei. 47. 11.
De circumcisio pignitur præputiatus. 300. 7
CLAVDIVS mittit Augustino libros Iuliani. 76
Ad eum mittit Aug. libros contra Iulianum. ibid.
Augustini ad Claudium epistola ibid.
CLAVDVS qui potest sanari, debet esse sine claudicatione. 581. 3
Qua ratione ibid.
Claudicationi comparatur peccatum. 580. 2. & seqq:
Claudicatio an Dei donũ dicenda si Deus hominem claudum resuscitaret. 160. 11
Genus humanũ ex peccato claudicat. 239. 16
CONCVBITVS inter cõiuges futurus erat etiam si nemo peccasset. 56. 23 & 222. 11
Alius quam nunc sit. 282. 16
Qualis. 48. 13. & 183. 25. & 222. 11. & 476. 59. Vide V. paradisus
Non potuisset esse sine motu corporũ. 68. 31
Hoc (semen) *tranquillà de homine obedientià membrorum ad nutum voluntatis exiret, si peccatum non præcessisset*. 44. 8
Concubitus vere nuptialis quis. 43. 7. & 283. 16
Quænam debeat in eo esse piorum coniugum intentio. 9. 8. & 191. 1. Vide V. coniux, & pudicitia.
Concubitus coniugalis factus intentione generandi non est peccatum. 13. 12. & 156. 7. & 280. 16. & 393. 68
Est bonus & laudabilis. 156. 7. & 192. 2
In coniugibus toleranda quædam intemperantia. 15. 14
Excessus quidam concũbendi in cõiugibus veniales. 22. 24
Concubitus coniugum qui fiunt causa voluptatis, nõ causa generandæ prolis sunt peccata. 15. 14. & 130. 7. & 166. 16. & 174. 21. & 270. 9. & 273. 12. & 283. 16. & 393. 68
Sed venialia propter nuptias. ibid. 15. 14. & 15. 15. & 174. 20. & 210. 3. & 270. 9. & 253. 12
Ratio ob quam sint venialia in coniugibus 15. 14. & 15. 15
In concubitus quem secundum veniam concedit Apostolus, sine dubio notatur & ignoscitur culpa. 130. 7
Concubitus qui fiunt propter vitandũ malũ incontinentiæ, non causa generandi, sed victrici concupiscentiæ seruiunt venialia peccata sunt. 15. 14
Carnis concumbendo appetere voluptatem nõ frater coniugem, venialem habet culpam 15. 15
Dum concumbitur nihil aliud cogitare potest. 270. 10
Etiam honestus concubitus non potest fieri in carne peccati sine concupiscentia & ardore libidinis 13. 12. & 22. 23
Nec sine confusione. 56. 22.
Quare exerceatur etiã honestus concubitus occulte. 20. 22. & 40. 5. & 55. 21. & 69. 33

Per hoc demonſtratur eſſe pudendus 55. 21
Petulantia in concubitu à concupiſcentia, 466 40.
Qui licitè, concumbit pudendâ libidine malo bene vtitur. 55. 21. & 156. 7. & 181. 24.
Qui illicite malo male vtitur. ibid.
Maritus intemperans eſt vxoris adulter. 30. 7. & 129. 7.
Non decet nos eſſe in iſta materia inaniter curioſos. 48. 13.
Vide plura V. concupiſcentia, coniunx, libido, nuptiæ, pudicitia.
CONCVPISCENTIA qua ſpiritus aduerſus carnem concupiſcit bona eſt. 46. 10. & 67. 30.
Ob quid ſpiritus aduerſus carnem concupiſcat. 118 3.
Quid carnem concupiſcere. 314. 14.
Concupiſcentia ab impndentibus impudenter laudatur. 4 1.
Laudatur à Iouiniano. 41 5.
Laudatur à Iuliano. 30. 35. & 187. 26. & 226. 12. 424. 106.
Refutatur. ibid.
Iuliano & Pelagianis eſt naturale bonum. 165. 14 & 177. 20. & 178. 20. & 264. 7.
Inconueniẽtia quæ inde ſequuntur. 264. 7
Laudare eam audent, non nominare, 42. 7, & 47, 12,
Pelagianis non concupiſcentia, ſed tantum eius exceſſus malus. 164. 13
Vocatur ab illis membrorũ potentia. 43. 7
Quo ſenſu id poſſit admitti. ibid.
Item vocatur à Pelagianis naturalis appetitus. 42. 7
Calor genitalis. 191. 2
Virilitas. 279. 15
Ponunt eam ante peccatum. 476. 60
Introducunt in paradiſum. 396. 70. & 397 71. & 476. 59
Cum ſua pugna. 554. 218
Contendunt eam eſſe laudabilẽ ex eo quod Auguſtinus aſſerat pœnam eſſe peccati. 246. 3
Refutantur. ibid.
Quiſnam ordo ſit inter concupiſcentiam & peccatum. 398. 71
Cõcupiſcentiã præceſſit mala volũtas, ibid.
Eſt ex peccato. 400. 72
Filia peccati. 22. 24
Pœna, plaga, veſtigium peccati. 9. 6. & 45. 9
Pudenda cõcupiſcentia nulla eſſet ſi nemo peccaſſet. 4. 1. & 67. 30. & 183. 25. & 211. 4. & 383. 63
Nulla fuiſſet in paradiſo. ibid. & 16. 16. & 48. 13. & 164. 13. & 212. 5. & 391. 67
Concupiſcentia carnis non eſt ex naturali connubio veniens bonum, ſed ex antiquo peccato accidens malum. 17. 17
Malũ eſt quod diabolica inflixit aſtutia. 383. 62
Id quod contra ſpiritum concupiſcit non eſt bonum. 278. 15
Concupiſcentia ſi bona eſt nihil mali deſiderare poteſt. 264. 7
Si bona ſemper ei aſſentiendum. ibid.
Cõcupiſcentia peccati an poſſit dici bona. 398. 71
Per concupiſcentiam carnalem non concupiſcitur hominis bonum. 321. 16
Concupiſcere mala, malum eſt, bona bonum. 263. 7
Tota controuerſia inter Auguſtinum & Iulianum an concupiſcentia bona ſit an mala: 171. 21. & 187. 26. & 193. 2. & 262. 7
Concupiſcentia mala non eſſet, ſi ſola generandi cauſa ad licitum concubitum moueretur. 218. 8
Concupiſcentia eſt mala. 194. 2. & 399. 71 & 400. 72
Diſcordioſum malum. 219. 8
Quantum malum. 194. 2. & 214. 7. & 296 5. & 319. 15. 325. 18
Quare mala. 145. 2
Eſt mala quia impellit in malum. 424. 106
Mala quia licitum & illicitum indifferenter appetit. 192. 2. & 322. 16
Conuincitur eſſe mala ex eo quod contra ipſam pugnetur. 17. 20. & 174. 21. & ſeqq: & 187. 26. & ſeq: & 191. 2. & ſeq. & 232. 14
Item conuincitur mala ex eo quod ſit frænanda. 192. 2. & 311. 11.
Item ex eo quod malum ſit illi conſentire, 195. 2. & 226. 13. & 401. 72
Item colligitur eſſe mala ex caſtigatione corporis. 318. 15.
Item ex eo quod indigeat remedio. 166. 15. & 173. 21. & ſeq: Item,

Item ex eo quod mala sint peccata. 319.15 & 397.71.
Ipsa per motibus suis accusatur. 195.2.
Non est virtus sed vitium. 260.7.
Culpabilis & vitiosa est. 584.6.
An sit vitium contra naturam. 492.114.
Vitium naturale quo sensu. 220.9.
Si non est vitium, saltem vitiata est. 554. 218.
Est morbus. 183.25.
Affectio quædam malæ qualitatis. 23.25.
Languor. 23.25. & 285.16. & 327.18. & 332.19.
Dicitur iniquitas, quare? 254.4.
Lex peccati, quare? 26.30. & 27.31.
Concupiscentia non est aliud quàm desiderium peccati. 384.6.
Lex in membris repugnans legi mentis. 45.9.
In nobis ipsis adversus nos ipsos inobediētia justissimo reciprocatu inobedientibus reddita. 46.9. & 49.32.
Iniustum erat ut obtemperaretur à servo suo, id est, à corpore suo, ei qui non obtemperaverat Domino suo. 8.6.
Displicet Deo etiam in baptizatis. 318.15.
Non est ipse sensus. 326.18.
Quærit pudendo secretum. 9.7.
Quare pudenda. 22.24.
De ea etiam nuptiæ confunduntur. 40.5.
Ejus impetus in fœminis. 258.5.
In continentibus non agit nisi desideria peccandi. 43.7. & 194.2.
Ejus motus ejus actus. 329.19.
Imperio suo membra movet quæ voluntate moveri non possunt. 22.24.
Per hoc indicatur esse peccati supplicium. ibid.
Inest etiam quando actu non movetur. 329.19. & seq.
Item quando non regnat. 584.6.
Litigat in homine. 399.71.
Ejus pugna interna. 195.2.
Contra illam pugna baptizatorum. 116.3: & seqq.
Contra illam pugna conjugatorū. 174.20.
Benè eo malo conjuges utuntur. 22.24. & 156.7. & 195.2.
Continentes melius non utuntur. 195.2. & 214.7.
Concupiscentiæ malo utitur non vincitur qui inordinatos ejus motus cohibet. 10.8.
Supplicium concupiscentiæ sentiunt castis immundi de eo graviore mentis supplicio exultant. 68.31.
Concupiscentiæ qualis dominatus etiam in eis qui ei resistunt. 35.2. & 116.3.
Conflictus ille miserabilis, licet non damnabilis. 35.2.
Agit suos impetus cùm excitatur, etiamsi non peragat cum frenatur. 126.6.
Desideria ejus mala & turpia etiamsi eis non consentiatur: 24.27
Ea sequi est peccatum: 249.3.
Debemus eis velle carere: 24.27
Lex vult ut eis careamus. ibid,
Carnis concupiscentias perficere quid? 186.26.
Quomodo differant, facere & perficere. ibid.
Quomodo dicatur hominem captivare? 26.30. & 27.31.
Quando regnet, quando serviat? 13.12.
In quibus regnet, in quibus non? 572.226
Frænanda à conjugatis: 165.24. & 192.2.
A spadonibus: 314.14.
Extirpanda: 192.2.
Mala est etiam tunc quando ei non cedi-tur: 264.7.
Iniquitas carnem spiritui reluctari etiā vincere non sinatur: 332.19.
Est illecebra & fomes pec[illegible]: 45.9.
Mater multorum peccatorum: 22.24.
In ejus consensu peccatum luxuriæ: 225.13
Item lasciviæ: 165.14.
Non est peccatum quando ei non consentitur: 21.23. & 22.24. & 72.34. & 119.3.4. & 140.10. & 249.3.
Quodam tamen loquendi modo dicitur peccatum quo & quare? 21.23. & 140.9. & 399.71. & 481.71. 571.226.
Concupiscentiam sentire non est peccatum, sed eam sequi: 247.3.
Aliud concupiscentia peccati aliud peccatum: 584.6.

Quomodo dicatur peccatum, pœna peccati & causa peccati. 217. 3
Quando in peccatum imputetur. 28.32
Ejus effectus in somnis etiam in corporibus castorum. 172. 20
Ab illis assensum furatur in somnis. 194.2.
Illud Deus non imputat. ibid.
Concupiscentia in genere humano fecit mali propaginem. 276. 15.
Vim habet occultam unde seminetur amarus oleaster. 23. 33
Exemplum oleæ & oleastri. ibid.
Hinc rea tenetur propago mortalium, hinc est qui nascitur sub principe peccatorum donec renascatur in Christo. 383. 62
Propter hanc solam fit ut etiam de iustis & legitimis nuptijs, non filij Dei, sed filij seculi generentur. 17.18. Vide V. pec. originale.
Propter concupiscentiæ malum homo qui per illa nascitur trahit originale peccatũ. 4.1
Ideo est sub diaboli potestate. 22.24. & 211.4
Ejus obligatione reus est quisquis nascitur. 575. 232
Remissio peccatorum quamdiu non fit in prole sic ibi est lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus eius cum illo sit, qui eum faciat æterni supplicij debitorem. 28.32
Quare cùm sit in parentibus sine reatu non sit etiam talis in prole. 23.25. & 28.32. & 280 16. Vide V. peccatum originale.
Non ipsa reatu suo rea est, sed hominem originaliter reum facit. 322. 17
Ejus reatus in Baptismo remittitur. 21.23. & 23.26. & [illegible]6.3. & 123.5
Post baptismum actu permanet, ibid. & 320.4. & 123.5. & 321.16
Remittitur non sic ut non sit, sed ut non imputetur. 23.25. & 72.34.
Lex peccati in baptismo remittitur, non finitur. 119.4.
Remisso reatu remanet tanquam infirmitas: 123.1. & 123.5.
Quo sensu eam post baptismum Ambrosius dixerit iniquitatem, 123.5.
Manet in renatis ad pugnam: 297.5
Quomodo dicatur mortua per baptismum cùm excitet tot desideria mala: 140.9.
Sepelienda est. ibid.
Cur eã Deus nõ extinguat: 194.2. & 206. 3
Deus non vult facilè à tanto malo liberare: 281.71. & 513.142.
Tollitur post hanc vitam: 29.3
Est etiam in sanctis: 400.72
Non fuit in Christo: 119.4.
Augetur lege prohibente: 613.4
Item malâ consuetudine 325.18. & 525.18
In proficientibus minuitur 23.25. & 321.16
Iuvenili ætate accenditur: 575.235
Augetur in eis qui ei serviunt: 23.25
Non consumitur in hac vita: 321.16
Ipsa non ejus reatus sentitur: 295.5
Ejus lucta minuit perfectionẽ justitiæ: 194.2
Mentis excellentiore natura frenari potest. 172.20
A concupiscentiali motu gratia Dei sanat: 265.8
Repugnatur ei robore charitatis: 575.233
Vincitur non aliâ cupiditate, sed Dei charitate: 265.8.
Ad eam frenandam adhibenda parcimonia cibi & potûs: 172.20
Impijs post hanc vitam veretur in tormentum: 322.16
Lex non concupisces, jubet ut desiderijs concupiscentiæ careamus: 23.27
Non perficitur in hac vita: 25.29
Ejus usus: ibid.
Qui vult non concupiscere, etiamsi tamen concupiscat, legi consentit 24. 27
Non concupisces est prohibitio generalis: 583.5
CONIVGVM ætas in qua possint generare: 161.11
Conjugalis pudicitia perfecta: 174.20
Vide V. pudicitia conjugalis.
Veri conjuges esse possunt sine commixtione carnis: 13.11
Perfectiores conjuges nihil agunt propter concupiscentiam: 194.2.
In conjugibus toleranda quædam intemperantia: 15. 14
Quid eis Apostolus secundum veniam cõcedat: 15. 14. Vide V. concubitus nuptiæ.
Conjugibus castis voluntas in sobolis procreatione, necessitas in libidine: 268.9

Con

Conjuges non sunt nisi nomine tenus qui propagationi obsistunt, abortum procurant, filios exponunt: 15. 15

Conjugis adulterium quomodo timere debeant Christiani. 17. 17

S. Patres quomodo olim cõjugibus usi. 10.8

CONSVETVDINE vires bonorum operum perduntur: 452. 10

Consuetudo quædam peccandi necessitas. 422. 105

Consuetudo mala vincenda: 325. 18

Contra eam dimicant baptisati. 338. 23

De consuetudine locũ Apostoli *non quod volo ago*, intelligit Iulianus: 452.10.& 465.38

Item illum, *Video aliam legem in membris meis &c.* 338.23

CONTINENTIA Dei donum: 613.4.

Continentiæ votum: 143.2. & 193.2

Continentiam professis non licet desiderare conjugium: 194. 2

Continentiæ votum inter conjugatos mutuo consensu initum: 700.

Continentia præstat matrimonio: 16. 16.& 192. 2.

Continentiæ tempus post Christi adventum, & quare? 14.13. & 16.16

Conversio ad Deum Dei donum: 615. 5

COR nostrum quando dicatur nos reprehendere: 593.11

Corde rectus & mundus quid differãt: 599.15

Cor nostrum an sit in potestate nostra: 750.8.& 761.13

Agit Deus quod vult in cordibus hominũ vel adjuvando vel judicando: 736. 20

Cor carneum quid? 627.14

Quomodo Deus dicatur illud dare. ibid.

Cor lapideum quid. ibid.

Vbi est aliqua voluntas bona non est cor lapideum: 627. 14.

Deus utitur cordibus malorum ad laudem bonorum: 637. 20

CORNELIVS ante baptismum adjutus Dei spiritu: 419. 98

Ejus eleemosynæ ante fidem in Christum acceptæ,& orationes exauditæ: 712. 7

Non fuerunt factæ sine aliqua fide. ibid.

Fides in Christum ei necessaria ad salutem: ibid.

Quidquid & antequam in Christum crederet, & cum credidisset bene operatus est Cornelius totum Deo dandum ne fortè quis extolletur. 712.7

CORPVS mortis quid, & quid ab eo liberari: 27.31

Non liberabuntur ab eo qui ad pœnam resurgent. ibid.

Non fuit in paradiso: 35. 2

Corpus hominis pro homine: 534.178

CORREPTIO non est negligenda: 654. 3. & 682.14

Non est ommittenda ratione gratuitæ prædestinationis: 635. 15

Ex charitate facienda 632. 17.& 684.15

Pro culparum diversitate diversa. 684.15

Per eam cognoscit homo se suo vitio non habere quod debet: 654.3

A Deo correptionis fructus. 682.14.

Ei conjungenda oratio. ibid.

Ejus necessitas & utilitas. 655.5.& 657.6

Corripitur origo damnabilis ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur: 657. 6

Correptione tunc tantùm homo proficit & corrigitur, quando Deus intus correctionem operatur. 656. 5.& 657.6

Homines sunt corripiendi, non tantùm eis petendus reditus & perseverantia. 669.9

Etiam corripiendi licet Deus possit sine correptione corrigere. 656.5.

Iustè corripiuntur qui non obediunt, licet gratiam obediendi non acceperint, & quare? 657. 6

An justus lapsus in peccatum possit se excusare dicendo quid me corripis qui non accepi perseverantiam. ibid.

Quare tali adhibenda correptio. 658.6.

Rectè corripitur quia sua voluntate in malam vitam mutatus est. 659.7

Damnatione dignus ni resipiscat. 659. 7.

Non se excusabit dicendo se non habuisse perseverantiam. ibid.

Correptionis manifesta utilitas si resipiscat correptus. 657.6

Cooperatur in bonum si correptus sit vocatus secundum propositum. 669.9.

Omnibus tamen adhibenda sub incerto: 682.14.

Adhibenda omnibus cum charitate Deo facturo misericordiam aut judicium: 669.9.

Ejus ratio est quia corripienti non constat an correptus sit prædestinatus & secundū propositum vocatus, an non: 669.9. & 684. 15. & 686.16

Nec gratia correptionem prohibet, nec correptio negat gratiam: 686.16.

Correptione bonum pro malo redditur: 686.16. & 632.17.

Publica peccata sola publicè corripienda: 686. 16.

Corripi nolle vitium est: 655.5.

Medicina electo tormentum reprobo: 682. 14.

CREATVRA omnis Dei bona: 263.7

Mutabilis quia de nihilo facta: 105.8.

Sine amore Creatoris nemo bene utitur creaturis: 210.3.

Credere vide V. Fides.

CVPIDITAS cupiditate vincitur. 200.3.

Cupiditatibus non ficut membris imperamus: 211.5.

Cupiditatum imminutio sanctitatis profectus: 314. 14

CYNICI concubitum conjugalem quia licitum, palam faciendum censebant: 21. 23. & 234. 15.

Eorum error naturali verecundiæ mirabili impudentia reluctatur: ibid.

Vnde dicti Cynici: ibid.

Secta canina: 234. 15.

CYPRIANI laus: 744.5.

Antiquior Manichæis: 66.29.167.16.

Ab eo Pelagiani victi antequā nati: 741.3.

Defendit originale peccatum: 66.29. & 80. 3. & 100.7

Circumcisionem necessariam 8. die: 66.29.

Ne anima periret de populo: 128.6.

Asserit parvulos baptisandos ante 8. diem, ne animæ pereant, si necesse sit: 66. 29

Commendatur ejus liber de oratione dominica: 625.13.& 741.3

In eo nomine cœli & terræ spiritum & carnem intelligit: 117.3

Item liber de mortalitate: 723. 14

Ab Aug. dicitur disputator Pœnus: 167.17

D

DAMNATIONIS causa nulla nisi peccatum: 22.23

Deus quia justus neminem potest damnare sine meritis malis: 170. 18

DESIDERIA mala habere & eis tradi, quid differant: 249.3.

Mali desiderium malum: 192.2.

Deus tradit in desideria mala non tantùm per patientiam, sed etiam per potentiā: 250.3

DELECTATIO morosa continentium, an & quale peccatum? 140.10

Condelectatio legi Dei secundum interiorē hominē de magna venit Dei gratia: 26.30

DEVS quomodo solus bonus: 596.14

Deo bonum esse est ipsum ejus esse: 597. 14.

Non cogitur ad volendum bonum: 421. 101

Non potest velle malum quia immutabilis: 421. 101.

Non premitur cogente necessitate licet non possit velle peccare: 422. 103

Dicitur velle id quod vult ut nos velimus: 685.18

Locutiones similes: ibid.

Ejus nomen quomodo sanctificetur: 628. 14

An præsciverit quod futurum non erat: 723. 14

Si bonitatem suam rebus subtraheret omnia ad nihilum redirent: 159. 10. & 318. 19

Deus pacis in homine conditor: 260.7.

Est creator etiam minimi vermiculi: 274. 13.

Operatur ubi non habitat: 315. 14.

Occultorum operum ejus utilitas: 299.7

Dei opere plus agitur in hominis generatione quàm parentum: 271. 11

Creat homines malos, non ut malos, 429. 114

Peccatum non est homini à Deo, 182. 24

Non facit voluntates malas, 253.4

Neminem tentat tentatione noxiâ, 747.6

Iustè & rectè creat quos peccatores fore præscit, 512.16. & 513.142
Cur? ibid.
Item quos præscit damnandos, 372.48. & 431.119. & 432.121.
Quare? 513.142.
Stultorum & indoctorum de ea re querelæ, 372.48
Licet homines quos creat sint sub diabolo, non tamen debet dici eos creare diabolo, 52.16. & 53.17. & 181.24
Sicut nec peccatores debet dici nutrire diabolo, ibid.
Non est inde culpabilis, 328.19
Dei in humanas voluntates potestas, 682. & 683 14. & 746.6.
Ejus rei exempla, 683.14
Voluntati Dei an possit voluntas humana resistere quo minus id quod vult faciat, 412.93. & 682.14
Sic velle & nolle in voluntatis & nolentis est potestate, ut divinam non impediat nec superet potestatem: 682.14
Deo volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium, ibid.
Deus habet *humanorum cordium quo placet inclinandorum omni potentissimâ potestate*: 683.14
Deus magis habet in voluntate sua potestates hominum quàm ipsi suas, ibid.
Deus dominatur voluntatibus hominum qui tamen suâ voluntate aguntur, 636.20.
Etiâ in malorũ cordibus Deus quod vult operatur, qui tamẽ suâ volũtate agunt, 637.21
Ejus rei exempla, 638. & 639.21
Deus operatur *in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum iudicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem iusto*, 639.22.
Deus etiam quo vult malas voluntates inclinat, 336.20. & seq.
Deus à se aversas & adversas convertit voluntates, 776.20.
Deus quomodo velit omnes homines salvos fieri, 682.14. & 684. & 685.15
Deus quos voluit de Ierusalem etiam ipsa nolente collegit. 412.93
Deus per hominem dicit quod homo prophetando dicit, 39.4
Deus facit quod se facturum esse promisit, 521.153. & 704.2. & 523.158. & 677.12. & 718.10
An homines possint dicere se facere quod promisit? 522.156
Id dicere possent si fides esset ex nobis, 719.10
Deus in ipsa conditione naturæ vitia non infligit immerita, 155.6.
Potest aliquos sine bonis meritis liberare quia bonus est, non potest quemquam sine meritis damnare quia iustus est, 170.18. vide 216.8
Multis non reddit supplicium quod debet, 438.113
Iudicia Dei occulta, inscrutabilia. Vide V. Iudicia Dei
Dei imago. Vide V. Imago.
Dei justitia. Vide V. Imago, meritum, pœna, parvuli, peccatum, prædestinatio.
DEXTERA. declinare in dexteram non est bonum, 650.
Prohibetur, ibid.
Quis declinet in dexteram, ibid.
Quid sit? ibid.
DIABOLVS est à Deo creatus justus, 170.9. & 186.26
Naturâ bonus, vitio malus, 22.23
In veritate fuit sed non perseveravit, 658.6
In ea per lib. arb. non stetit, 333 20
Ipse & angeli ejus ante lapsum quodammodo beatus, 671.10
Futuri sui casus ignarus, ibid.
Primus peccavit, 61.27
Per ipsum peccatum intrasse in mundum debuisset dicere Apostolus, si de imitatione fuisset locutus, ibid.
Gravius quàm homines puniendus, 22.23
Sub Dei est potestate, 305.9. & 328.19
Seduxit in paradiso voluntatem liberam, 411.90
Fecit miseram, ibid.
Auctor concupiscentiæ, 45.9
Vitium feminæ seminavit, 179.22
De illo tanquam frutice suo fructum jure decerpit, 427.109

Auctor culpæ est non naturæ. 384. & 426.
Nihil substantiæ in hominibus creavit, sed tantùm peccatum persuasit. 71. 34
An aliquis sub ipso sit, qui non fuerit post certamen ab eo superatus. 428.112
Princeps mundi unde. 40.5. & 462. 31.
An Dei institutionem turbet 487.87
Nihil potest nisi quatenus ei Deus dat potestatem. 213.7
Vnde congruù sit hominem ob vitium esse sub ejus potestate. 65.29
Vniversitas hominum non est sub ejus potestate. 410.88
Nec se, quidquam aliud Dei potestati subtrahit. 328. 19
Eo utitur Deus ad exercendam fidem bonorum. 637.20
Quid suum diabolus in hominis generatione agnoscat. 39. 5
DINOMACHVS voluptatem honestati putat conjungendam. 235.15. & 322.16
DISCRETIO non fit per dona omnibus communia. 709. 5. & 710.5
Fit per id quod Deus uni non alteri donavit. 709. 5
Testimonio Apostoli quis te discernit Aug. convictus cum malè de gratia sentiret. ibid.
Non eliditur per quascunque primæ integritatis reliquias. ibid.
DONATISTARVM cum Catholicis apud Cartaginem collatio. 149. 1
Quare illis concessa. ibid. & 354.10

E

ECCLESIA nunc non est sine macula & ruga. 30.34
Exploduntur id afferentes. ibid.
Quando talis futura. 598. 15
Quando gloriosa. ibid.
Quod tota Ecclesia tenet retinendum etsi ratione indagari nequeat. 295.5
Ejus dogma rectè & populare. 450.2
Orat pro suis inimicis. 197.3.
Ad eam Pelagius vult pertinere solos justos omni peccato carentes. 744. 5
In Orientali & Occidentali fides una. 85.4.
Salvâ fide aliquando Doctores Catholici in aliquibus discordant. 92.6
ELECTIO ad varia. 661.7
Alia per misericordiam alia per judicium. 662. 7
Iudas electus, sed ad quid. ibid.
Omnes & soli electi, vocati secundùm propositum. 661.7. & 706.3
Omnes electi vocati, non contra. 661. 7
Eorum nostris certus 679.13
Ex illis nemo perit. 661.7
Pauci comparatione reproborum, absolutè multi. 513.142
Eorum fides aut non deficit aut non reparatur aut mortem. 662.7
Non perseveraturi non sunt de eorum numero. ibid.
Dicuntur tamen electi dum bene vivunt ab hominibus nescientibus quid futuri sint. ibid.
Electio aliquorum de mundo gratiæ est, non præcedentium meritorum. 289.2. & 446 141. & 661.7 Vide Iacob, prædestinatio.
Nullù dignum invenit Deus, sed eligendo fecit dignum. 251.3
Vocantur ut credant, non quia crediderunt. 730.17
Apostoli Christum elegerunt, quia electi, non contra. 624.18
Non eliguntur electi quia crediderunt, sed ut credant. 734. 19
An & quos Deus eligat, justos an injustos, an quia tales fore prævidit an ut tales faciat. 732. 18
Rectè Deus in eis eligere dicitur quod ut in eis faciat eos eligit. 731.17
ELEEMOSYNA non prodest ad dimittenda peccata nisi fiat à baptisatis, 30. 33
EVA ab Adamo dicta vita. 38.4
In hoc magnum Ecclesiæ Sacramentù. ibid
Evam imitantur peccantes. 474.56
EXCÆCATIONEM præcedit malù meritum. 604.23. & 642.23
EXCOMMVNICATIONE non est in Ecclesia major pœna. 684.15
Excommunicationis causa. ibid.
EXCVSATIO eorum qui dicent se fidem non audivisse eos non liberabit à damnatione. 660.7.

Eorum

Eorum tamen excusatio est justior quàm dicentium non habuimus perseverantiam. 660.7.

Ejus ratio, *quoniam dici potest homo in eo quod audieras & tenueras in eo perseverares si velles, nullo autem modo dici potest, id quod non audieras credere si velles.* 660.7

Inexcusabiles quomodo dicantur qui scientes peccant. 609. 2

EXORCISMVS & Exsufflatio in baptismo sunt cęremoniæ vetustissimæ, 66.29.

In usu ante ortum Manichęorum. 65.29

Cur parvuli exsufflentur. 380.56. & 431. 117.

Exorcismus & exsufflatio probat in eis esse peccatum, & eos esse sub potestate diaboli. 19.20. & 53. 18. & 295. 5. & 374. 50. & 379.56. & 535. c.ult.

Injusta esset Ecclesia si exsufflaret non habentes peccatum. 80. 57

Mendaces sunt si non est originale peccatum. 504.120

Fiunt cum injuria Dei. 535.181.

Fiunt per totam Ecclesiam. 53.18

F

FÆLICITATES ętemæ duæ à Pelagianis constitutæ. 500.113.

Refutantur. ibid.

FÆMINA cui per ętatem non fluunt menstrua, non potest concipere. 160.161.11

Fœminam puduit, pudendi motus. 225.13

FATVM ponunt Pelagiani ubi non inveniunt meritum. 768.12. & 217.8.

Gratiam parvulorum fato tribuunt. ibid.

FATVITAS magnum malum. 153. 4.

An posset aliquis nasci fatuus si non esset originale peccatum. 183. 4.

FIDES non potest esse sine voluntate. 767.16

Prius est cogitare quàm credere. 702. & 703. c.3.

Credere est cum assensione cogitare. 704. 2.

Est spiritualis ædificij fundamentum. 712. 7.

Initium hominis Christiani. 740.2

Initium corrigendi cor. 603.19.

Inchoat meritum. 706.3.

Impetrat quod lex imperat. 629. 15

Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, natura est hominum, habere autem fidem quemadmodum habere charitatem gratia est fidelium. 710.5

Gratia fidem prævenit. 714.8

Nemo sibi sufficit ad eam inchoandam. 704. 2

Eam Deus operatur in cordibus nostris. ibid.

Dei donum est. 619.7. & 626.14. & 715.8 & 728. 15

Etiam ejus initium. 702. & seqq: & 708.5 & 715.8. & 719.10. & 11. & 735.19. & 738.21 & 769. 17

Si esset ex nobis gratia secundum merita daretur. 703.2. & 704. 2

Cur non tota salus homini sit attribuenda si ei datur initium, ratio nulla cõvincit. 704.2

Est tamen contra evidentissimas scripturas. ibid.

An fides colligatur esse ex nobis ex eo quod exigatur à nobis. 719.11. & 720.11

Si fides esset ex nobis gratia secundum merita daretur. 703.2. & 704. 2

Item nos faceremus quod Deus promisit. 719.10

Etiam fidem Deus promisit: 528.167

An in natura fides licet vitiata remanserit: 709.5

Credere & velle quomodo Dei & nostrum 706.3

Prędicato Euangelio cur alij credant, alij non credant. 714.8

Hi volunt, hi nolunt: 711.6

In electis præparatur voluntas à Domino, non alijs. ibid.

Illud venit de misericordia, hoc de judicio: ibid

Fides alijs datur, alijs non datur, cur non omnibus. 715.8

Credere & non credere est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Domino. 710.5.

Illi quia voluerunt crediderunt, illi quia noluerunt non crediderunt. Misericordia igitur & in-

Digitized by Google

iudicium in ipſis voluntatibus facta ſunt, 711. 6
Pro nolentibus credere oramus ut credant, 714. 8.
Qualis fides ad ſalutem ſufficiat, 619. 7
Fides in Chriſtum neceſſaria, 712. 7
A damnatione nemo niſi per fidem Chriſti liberatur, 660. 7
Non erunt ab illa liberi quibus fides non eſt prædicata, ibid.
Non ſe excuſabunt dicendo ſe non audiviſſe. 660. 7
Huc tamen eorum excuſatio erit juſtior quàm dicentium, non habuimus perſeverantiam, ibid.
Quare, ibid.
Procurabitur omnibus electis, ibid.
An audienda prædicatio fidei, cùm poſſit fine illa Deus aliquem erudire, 656. 5
Pauciſſimis id conceſſum, 773. 19
Nunquam defuerunt qui crederent in Chriſtum etiam extra gentem Iudæorum, 716. 9
Quibus fides non fuit annuntiata, præſciti ſunt non fuiſſe equidem crediturí, 717. 9
Id præſcivit Deus de infidelibus ante ſuum adventum, 716. 9
An ideo eis non annuntiata, ibid.
Quomodo verum id ſit ſine præjudicio gratiæ, ibid.
Non præſcivit id de Tyrijs & Sydonijs, 752. 9.
Sine fide impoſſibile placere Deo, 204. 3. *& ſeq.*
Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt. 208. 3. & ſeq:
Si Gentilis nudum operuerit nunquid quia non ex fide peccatum eſt? prorſus in quantum non eſt ex fide peccatum eſt, 208. 3
Ejus ratio. Ibidem
Vide plura. V. finis, gentes, infideles, virtus.
An & quomodo ab operibus fidem diſtinguat Apoſtolus, 711. 7
Fides Dei opus, ibid.
Cur ex fide potius quàm de operibus dicat Apoſtolus nos juſtificari, 712. 7
FILII Dei quidam ſecundũ præſentem juſtitiam, quidam ſecundum prædeſtinationem, 665. 9
Quidam Deo Filij Dei licet in præſenti nondum juſti, ibid. & ſeq:
An mali poſſint dici filij Dei, 597. 14
Reprobi quo ſenſu nunquam etiam dum erant juſti, fuerint filij Dei. 667. 9
Cur omnes filij dicuntur Apoſtolo vocati, cùm adhuc multi ſint vocandi, 668. 9.
Filius rectè dicitur intemperantiam commiſiſſe in patre, quia quando fecit in illo erat, 533. 177.
FINIS rectus ad bonum opus neceſſarius, 202. 3. & ſeq:
Tunc aliquid rectè fit cùm propter Deum fit. 247. 3.
Qui non propter hoc facit propter quod facere debet peccare convincitur. 202. 3.
Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt. 203. 3
Cùm non ad ſuum referuntur auctorem dona ei, hoc ipſo mali hus utentes efficiuntur iniuſti. 199. 3
Noverit itaque non officijs ſed finibus diſcernenda eſſe virtutes. 202. 3
Infideles utcunque opus legis facientes in hoc peccaverunt in quod homines ſine fide non ad eum finem iſta retulerunt ad quem referre debuerunt. 204. 3

G

GENERATIONIS initium à viro. 475. 56. & 485. 83.
Ætas conjugum in qua generare poſſint. 181. 11.
Sæpè vir poteſt generare ex muliere juniore qui non poteſt ex ſeniore. 160. 11
Generationi opponitur regeneratio. 498. 108.
Generatio ante peccatum ſine concupiſcentia, genitalibus ſicut alijs membris voluntati obedientibus. 43. 7
Nunc non fit membrorum potentia, ſed inobedientia. 43. 7.
Renati generant unde nati, non unde renati. 188. 26.
Generatio carnalis populi Dei pertinet ad teſtamentum vetus. 345. 25.

GENTES quæ naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, quæ intelligantur ad Apostolum ad Rom. secundo. 103. 3. & seq.

Cur potius dicantur gentes naturaliter quæ legis sunt facere quam Iudæi. 204. 3.

An eadem fortitudo gentilium & Christianorum. 407. 83.

Gentilium virtutes melius Deo quam eorum tribuuntur voluntati. 198. 3.

A Iuliano prædicantur. 197. 8.

Vide v. fides, finis, infidelis, virtus.

GRATIA quam catholica fides prædicat. 527. 166.

Gratia Christiana. 572. 227.

Non est lex nec natura. 624. 13.

Fides catholica de gratia & lib. arbitrio 649.

Gratia secreta est. 713. 8.

Si non est gratia quomodo Deus salvat mundum. 645.

Admonitio vt aliquis eligat vitam venit de misericordia Dei. 603. 9.

Gratia Dei per Christum in quibus consistat. 605. 20.

Qui nondùm agit quod & quomodò agendum est oret vt accipiat. 654. 2.

Plus prodest gratia quam nocuit peccatum. 492. 100.

Plus prodest regeneratio quam obsit generatio. 496. 104.

Quomodò magis abundet gratia. 490. 97. & 513. 142. & 545. 204. & 205.

Iul. vult in plures abundasse gratiam quã peccatum. 486. 85. & 489. 96.

Refutatur ibid.

Quomodo in parvulis gratia fit ex multis delictis in iustificationem. 61. 27. & 501. 114. 115. & 507. 126. & 526. 164. & 549. 212.

Quæstio de gratia & libero arbitrio obscura. 608. 1.

Obscurissima 646.

Difficillima 217. 8. & 648. & 715. 14.

De gratia Patres ante Aug. non nisi transeunter egerunt. 714. 14.

Frequentationibus autem orationum simpliciter apparebat Dei gratia quid valeret 715. 14.

Eius ratio ibid. vide v. oratio.

GRATIA GRATVITA dicitur quæ gratis datur. 640. 11.

Debet esse gratuita. 197. 3.

Non datur secundum merita. 436 131. & 439. 133. & 363. 38. & 617. 14. & 640. 11. & 710. 12. & 757. 12.

An aliquo & quo sensu dici possit quod homo mereatur gratiam. 197. 3.

Cur dici non possit dari meritis fidei, operum, orationis. 646.

Si secundum merita detur non est gratia. 615. 5. 701. 1.

Eam secundùm merita dari volunt Pelag. 626. 14.

Id damnavit Pelag. vide v. Palest. concil. & Pelag.

Qui volunt bona opera gratiam præcedere gratiam negant. 640. 22.

Convincuntur in parvulis. 640. 22.

Deus dat gratiam propter nomen suum, non propter merita hominum. 627. 14. & 438. 133.

Datur etiam malis meritis præcedentibus 616. 5. & 619. 14.

In eo est manifesta gratia. 447. 141.

Cur Deus eam det non merentibus. 749. 8.

Gratia inchoandi & perseverandi gratuita 760. 13.

Quidam nisi aliquid prius dent vt retribuatur eis à studio pietatis reprimi se putant. 720. 12.

Deficiunt in parvulis ibid. Vide v. parvuli.

In eis gratia manifestissima. 725. 15.

Ab eorum exemplo colligitur etiam adultis esse gratuita. 755. 11.

Eius gratuitas defenditur licet non essent obnoxii peccato originali. 757. 12.

Gratia Christi exemplum gratiæ nostræ. 445. 140. & 443. 138.

Qua gratia homo ille ab initio factus est bonus, eâdem gratia homines, qui membra eius sunt ex malis fiunt mali. 443. 138.

Gratia vnionis gratuita. 444. 140.

Oratio gratiæ signum & argumentum. 602. 19 vide v. oratio.

Non enim postularentur à Deo quæ præcipit, nisi ab illo donarentur vt fierent. 725. 14.

Gratiarum actio gratiæ argumentum. 741. 2.

Gratiæ Deo agendæ agendæ pro voluntate seruandi præcepta. 603. 19.

Deus facit id pro quo ei aguntur gratiæ. 735. 19.

Irrisoria est gratiarum actio si ob hoc gratia aguntur Deo quod non donavit ipse nec fecit. 741. 2.

Quid est quod hinc Deo gratias agis? Nempè vanum est atque inane, si cui gratias agit de hoc quod ipse non fecit. 735. 19.

Si homini gratias ageret pro eo, quod illum vel putaret non prastitisse, vel nosset, adulatio vel irrisio verius quam gratiarum actio diceretur. 735 19.

Mendaciter aguntur Deo pro eo quod ipse non fecit. 574. 130.

Gratia cur non omnibus detur. 449. 8. & 714. 8.

Omnibus iustè negaretur. ibid.

Magna gratia est quod plurimi per eam liberentur. 715. 8.

Cur hi potius quam isti inscrutabile. 749. 8.

An possit dici quod Deus non omnes doceat, quia nolunt discere. 714. 8.

Si voluisset docere omnes, omnes venissent. ibid.

Gratia per fidem I. C. eorum tantummodo est quorum est ipsa fides. 625. 13.

Quibus deest pœna peccati est. 674. 11.

Quibus datur gratis datur. ibid.

GRATIÆ DIVISIONES, EFFECTVS, EFFICACIA, NECESSITAS.

Gratia alia operans alia operans. 631. 13.

Ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. ibid.

Vt ergo velimus sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus vt faciamus nobiscum cooperatur. ibid.

Alia certantis alia victoris. 497. 106.

Hæc omnia mala aufert. ibid.

An debeat hic omnia vulnera auferre. 507. 126. & 501. 114. 115. & 526. 164. & 549. 212.

Alia gratia ante lapsum alia post lapsum. 672. 11.

Adiutorium sine quo aliquid non fit, & quo aliquid fit. 675. 12.

Declaratur exemplo alimenti & beatitudinis. 675. 12.

Necessaria gratia Adamo vt maneret in bono. 674. 11.

Sine ea cum libero arbitrio bonus esse non poterat. 673. 11.

Qualis fuerit. 674. 11.

Tale erat adiutorium, quod desereret (Adam) cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret vt vellet. 674. 11.

Gratia Adamo data relicta in libero arbitrio. 973. 11. & 674.

Eâ fuit demonstrata quid posset lib. arbitrium. ibid.

Vires primi hominis. 678. 12.

Si primo homini vel Angelis defuisset, hoc adiutorium sine sua culpa cecidissent. 674. 11.

Discrimen inter gratiam Adami ante lapsum, & gratiam post lapsum. 674. 11. & seqq.

Homo lapsus indiget auxilio potentiori quàm stans 672. 11.

Nunc verò posteaquàm est illa magna peccati meritò amissa libertas, eisam maioribus donis adiuvanda, remansit infirmitas. 678. 12.

Accipit potentibus. 674. 11. & 678. 12.

Quare. 678. 12.

Indiget gratia contra motus concupiscentiæ. 672. 11.

Vide v. Adam, Angelus, perseverantia.

Post

Post lapsum ad solam Dei gratiam pertinet vt ad eum veniamus, & ab eo non recedamus. 747. 7.

Desiderare gratiam initium est gratiæ. 153. 1. & 197. 3.

Prævenit gratia hominem vt Deum diligat 437. 131.

Gratia facit homini mores bonos. 522. 156.

Donum Dei est non peccare potiùs quàm præmium. 527. 166.

Negat id Iul. 528. 167.

Correctio quam Apostolus vocat humanã non fit, nisi opitulatione divinâ. 575. 134.

Gratiâ voluntas bona augetur. 619. 15.

Aufert cor lapideum & dat cor carneum. 713.

Adiuvat vt legis quisque sit factor, sine qua sub lege positus, tantummodò legis erit aditor. 624. 12.

Voluntas per gratiam bonæ libertati redditur. 496. 105.

Gratia ad immortalitatem perducit. 313. 13.

Non confert in hac vitâ omnimodam curationem. 140.

Liberat nunc ad omni peccato, non ab omni malo. 313. 13.

Opus piæ fortitudinis fit gratiâ Christianis propriâ. 407. 83.

Per gratiam non cogimur velle bonum. 480. 100.

Qui cogitur non vult. ibid.

Divinę gratiæ potestas in imbecilla hominis voluntate 679. 12. vide 671. & seqq. 11.

Voluntas humana, divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter agitur. 679. 12.

Deus facit vt velimus 630. 16.

Facit ex nolentibus volentes. 522. 157.

Facit vt homines fiant boni. 439. 133.

Bona fiunt Deo faciente vt fiant. ibid. & 641 21.

Vt faciat homo Deus facit prior 430. 134.

Per gratiam fit vt homo velit, & tantùm velit tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat. 674. 11.

Talis est vt non solùm, non possit sine illa vel apprehendere bonum vel permanere in bono si velit, sed etiam per illam efficitur vt velit. 674. 11.

Gratia Dei facit vt faciamus. 448. 14.

Fecit Deus vt vellent quod nolle potuissent gentes. 421. 54.

Hæc gratia quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur à nullo duro corde repulsa, ideò quippè tribuitur vt cordis duritia primitus auferatur. 713. 8.

Deus facit vt faciamus præbendo viresficacissimas voluntati. 630. 16.

Filij Dei aguntur vt agant, non tamen sic vt ipsi nihil agant. 654. 2.

Gratia prævenit hominem vt diligat Deũ quâ dilectione operetur bona. 437. 131.

Vt caveretur peccatum non lex sed gratia, non littera, sed spiritus fecit. 482. 72.

Audiunt & faciunt quibus datum est, non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant quibus non est datum. 763. 14.

Tutiores vivimus si totum Deo damus, non autem nostilli ex parte, & nobis ex parte committimus. 747. 6.

Nos volumus & operamur, Deus tamen vtrumque operatur in nobis. 761. 13.

Hoc nobis expedit credere & dicere, hoc est pium, hoc verum, vt sit humilis & submissa confessio & detur totum Deo. 761. 13.

Quare Deus iubet si ipse est daturus?

Quare dat si homo est facturus? nisi quia dat quod iubet, cùm adiuvat vt faciat cui iubet. 628. 15.

Vide v. perseverantia.

Etsi non intelligatur credi debet esse lib. arbit. & sine gratia non posse converti. 646.

Homo sine gratia nihil operari vel cogitare potest secundum Deum. 645. & 646.

Sine gratia non tantùm monstrante sed adiuvante nihil boni fit. 653. 2.

In fuga sæculi difficultas imò impossibilitas, nisi gratia Dei opituletur. 139. 9

Gratia Dei necessaria esse lib. arb. probatur. 612. 4.

Homo non tantùm eget gratiâ Dei vt iustificetur, sed etiam cùm iustificatus est. 617. 6.

Natura propriâ voluntate viriata non potest sine gratia Dei velle sanari. 584. 6.

Anathematisandus qui dicit voluntatem sine gratia ad vitandum peccatum sufficere. 606. 21.

Sine illo vel operante vt velimus vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. 631. 17.

A massa damnationis nemo liberatur nisi per merita Christi. 660. 7.

Sine gratiâ nullum meritum. 635. 19.

Homo manens in voluntate bona non indigebat gratiâ quâ levaretur. 406. 82.

Non tantũ necessaria est vt liberet à peccatis commissis, sed etiam à committendis. 409. 87. & 419. 98. & 653. 1. & 426. 108.

Vide v. liberum arbitrium & v. peccatum.

Homo quid sit sine gratiâ 616. 6. & 44. 8.

Homo si derelictus fuerit nihil boni valet ipse per se. 616.

Si gratia se subtraxerit cadit homo, non erectus sed præcipitatus libero arbitrio. 616. 6.

Qui sibi committuntur & à seipsis aguntur non sunt boni quia non sunt filii Dei. 267. 9.

Gratiam Christi in quo constituerunt Pel: 515. 146. & 414. 94. & 572. 127.

Gratiam commendant Pelagi, vt faciliùs fiat quod per naturam, & legem absolutè poterat. 541. 198. & 344. 23.

Gratia Pelagiana in solâ dimissione peccatorum. 572. 127. & 625 13. & 338. 13.

Eam solam volunt non secundùm merita dari. 617. 9.

Refutantur 214. 8.

Ex Oratione Dominica 625. 13.

Ad quid secundùm Iul. detur homini gratia. 415. 95.

Non peccare negat donum Dei. 528. 167.

Vult debere hic sanari per eam omnia peccati vulnera 497. 106.

Respondetur ibid.

Vide v. Iulianus & Pelagiani.

GREGORII Nazianzeni testimonium pro originali peccato. 86. 5. & 101. 7.

Fidem agnoscit esse Dei Domum. 774. 19.

HÆRETICI catholicos solent agnominare 404. 75 & 57. 23.

Hæreses quid boni per occasionem in Ecclesia adferant. 777. 20.

Hæreticorum mos apertas scripturas in sensus quos volunt detorquere. 67. 31.

HETRVSCORVM prædonum crudelitas. 236. 15.

HIERONIMVS laudatur. 103. 7. & 144. 10.

Eius testimonium pro originali peccato. 103. 7.

HILARIVS Epis. Gall. Pict. 81. 3.

Eius encomium. ibid.

Testimonia pro originali. idid. & 100. 7.

Hilarij Arelat. epistola ad Aug. de erroribus Massiil. 699.

Non dubitat de veritate doctrinæ Aug. ibid.

Videtur fuisse Aug. discipulus idid.

HOMINVM variæ affectiones ex occulto Dei iudicio. 198. 3.

Totum genus humanum quodammodò duo homines fuerunt. 525. 163.

Corpus hominis rectè dicitur homo. 534. 178.

Homini promissa æqualitas angelorum. 671. 10.

HORTATIO non omittenda, etsi dona Dei sint ad quæ hortamur. 770. 17.

Rectè ad illa hortamur. 764. 14.

Cavendum est ne dum timemus ne torpescat hortatio, extinguat oratio, accendat elatio. 766. 16.

Adhortatio ad fidei initium & perseverantiam tam vtilis ac ad alia opera bona cum omnia dona sint Dei. 770. 17.

Vide v. prædest. persev.

IACOB autem dilectus ex meritis. 436. 131. & 437. 132. & 439. 133.

Vide v. electio. prædestinatio.

Quomodo Deus misertus Iacob. 446. 141.

IESVS latinè Salvator. 74. 35.

Est IESVS id est Salvator parvulorum. 74. 35. & 378. 53.

Est

Est dictus à salvando. 383. 62. 363. 32.

IGNORANTIA & difficultas pertinent ad miseriam iustæ damnationis. 757. 11. & 759. 12.

Nolunt id Pelagiani. 757. 11.

Etiamsi essent primordia naturæ non culpandus sed laudandus esset Deus. 756. 11.

Eo posito nihilominùs vincuntur Manichæi. 757. 11.

Ignorantiæ malum in baptizatis. 320. 16.

Minuitur post baptismum. 321. 16.

Quomodò. ibid

Est minùs malũ quàm concupiscentia. ibid.

Mala de eo venientia. ibid.

Necesse vt peccet à quo ignoratur iustitia. 424. 106.

Ignorantia agendorũ peccãdi necessitas. 423. 105.

Ignorantiæ peccata an remissione iudigeant. 424. 106.

Quod genus delictorũ si non imputaret Deus iustus non ea sibi dimitti posceret homo fidelis. 423. 105.

Sunt peccata & pœnæ peccatorum. idid.

Nec ipsi sine pœnâ erunt, qui legem Dei nesciunt 610. 3.

Vtri graviùs peccent legem ignorantes an scientes. 610. 3. & 611. 3.

An ignorantia quærenda vt minùs peccetur. 611. 3.

Ignorantia varia. 611. 3.

An aliqua excuset ibidem.

IMAGO Dei quâ ratione homo dicatur. 384. 63. & 625. 13.

Imaginem Dei non intrare in regnum Dei magna pœna. 152. 3. & 243. 1. & 272. 11. & 502. 116.

Nullam volunt Pelagiani. 152. 3. & 243. 1.

Refutantur ibid.

Satis est ad intentum Augustini quod vel parva sit. 152. 3.

Contumelia imaginis Dei, separatio à regno Dei. 442. 136.

Imaginem Dei privari vita, supplicium capitale. 85. 4.

An innocens imago Dei possit separari à regno Dei. 384. 63. & 461. 31.

An Deus spernat imaginem suam non spretus. 368. 40.

Vtrum Deus nulli obnoxiam peccato imaginem suam privare possit vitâ æternâ. 85. 4. & 90. 5. & 104. 7. & 163. 12. & 243. 1. & 278. 15. & 344. 23. & 478. 63. & 479. 66.

Natos ex Adam transferri renatos oportet ad Christum; ne a regno Dei pereant imagines Dei, quod sine malo fieri quo dicit nec amorem habet nec timorem Dei. 278. 15.

Non enim erat ipsum sine crimine transire supplicium. 478. 63. vide 479. 66.

Vide v. parvuli peccatum originale.

IMITARI an possint dici peccatum Adæ nihil scientes. 497. 107.

Peccantes imitantur diabolum. 92. 6.

Imitanturr Evam. 474. 56.

Peccatur quidem imitatione hominũ, sed illius ratione peccatum non intravit in mundum. 470. 49.

Peccatum imitatorium per diabolum intravit in mundũ. 470. 48. & 472. 52. & 473. 53.

Parvuli non possunt dici imitari Christum. 343. 24.

IMPIORVM vnus magis alter minus peccat. quare. 496 105.

INCARNATIO non est facta ex Christi meritis. 443. 38. & 444. & 140. & 673. 11.

Per eam homo Deo cõiunctus Deo in vnitate personæ. 673. 11.

INFIDELES bona opera quædam faciunt, sed non benè. 203. 3. & 208. 3.

Illa potiùs opera Dei sunt dicenda quam ipsorum. 298. 3. & 209. 3.

An & in quo peccaverint infideles vtcumque opus legis facientes. 204. 3. & seq. & 209. 3. Vide v. fides, finis, gentiles, virtus.

Pro infidelibus orandum. 649.

Id indicat eos posse per gratiam converti. ibid. Vide v. Iudæi.

INFIRMITAS sola in nobis ipsis, est nobis causa pugnandi. 195. 2.

Est admonitio cavendæ superbiæ. ibid.

Virtus quomodò perficiatur in infirmitate. 195. 2.

INNOCENTIVS Papa definivit parvulos nisi manducaverint carnem filii hominis vitam prorsus habere non posse. 85. 4.

Agnoſcit originale peccatum. 84. 4.
Pelagium & Celeſtium damnavit. 144. 10.
Laudatur à Pelagio. ibidem.
Eius Epiſtolæ ad Carthaginenſe & Milevitanum Concilia laudantur. 84. 4.
IOSEPH verè pater Chriſti, & quo modo? 11. 10.
IOSEPH & MARIA non ſola hominum opinione, ſed verè coniuges 273. 12.
Quare ad Ioſephum deducta ſeries generationis Chriſti. 12. 11. & 273. 12.
IOVINIANVS Ambroſium vocat Manichæum 41. 5.
Catholicos Manichæos appellat. 57. 23. & 79. 2.
Nuptias virginitati æquat. 41. 5.
Virginitatem Mariæ poſt partum negat. 79. 2.
IRENEVS Lugdunenſis Epiſcopus fuit non longè à temporibus Apoſtolorum. 79. 3. 100. 7.
Agnoſcit originale peccatum. ibid.
ISAAC miraculo conceptus. 161. 11.
Non eſt natus ſine calore concubitus. 46. 10.
Ex concupiſcentiæ malo concretus. 169 18.
IVDÆI filij Diaboli, & filij Abrahæ, quomodò? 411. 90.
Infidelitas Iudæorum venit ex libera voluntate. 753 9.
Non poterant factis Chriſti credere, quare? 763. 14.
Alij ad benedictionem Iſraël, alij ad claudicationem pertinent. 730 16.
Iudæi in Chriſtum credentes, hæredes ex promiſſione. 523. 158.
IVDICIA Dei occulta. 441. 150
Noſtrum non eſt iudicare cur ſic ille, ſic iſte vocetur. 656. 5.
Inveſtigabiles igitur ſunt miſericordia quâ gratis liberat, & veritas qua iuſtè iudicat. 711. 7.
Iudicia Dei inſcrutabilia Dei iudicia perverſi homines non cogitant. 641. 22.
Stupendorum & inſcrutabilium iudiciorum Dei quædam exempla. 664. 8 & 751. 9.
Ad inſcrutabilia Dei iudicia pertinent variæ hominum affectiones & ingenia. 198. 3.
Ad ea pertinet, quod parvulorum vnus baptizetur, alter ſine baptiſmo moriatur. 641. 23. & 365. 38. & 366. 39.
Quod vnus eligatur alter reijciatur. 363. 35. & 366. 39. & 216. 8 & 217. 8.
Quod proles piorũ & fidelium parentũ ad baptiſmum non perveniat, & in eo perveniat proles impiorum, & infidelium. 664. 8. & 316. 14.
Quod geminorum par ſit cauſa exitus diſpar 755. 11.
Quod vnus rapiatur dum bonus eſt, ne malitia muret intellectum eius, alter relinquatur donec cadat. 641. 23. & 431. 119. & 664. 8. & 714. 14.
Quod adultis, quos prævidit credituros miraculis, ſi apud eos fierent, quibus non vult, non ſubveniat. 755. 11.
Quod hos non illos liberet. 759. 12. & 715. 8. & 765. 14.
Quod his potius quàm iſtis detur gratia. 749. 8.
Cur ergò non omnes docet vt veniant ad Chriſtum, niſi quia quos docet, miſericordia docet, quos non docet iudicio non docet? 713. 8.
In iudicio extremo ſanctis eſt neceſſaria miſericordia. 680. 13.
In iudicio extremo pro bonorum operum meritis miſericordia iuſtè tribuetur. 681. 13.
IVLIANVS. erat iuvenis. 104. 7.
juvenis confidentiſsimus. 137 8.
Fuit olim coniugatus. 165. 13. & 176. 20.
Profitetur continentiam. 177 21.
Olim Auguſtino charus ob Memoris Patris eius auctoritatem. 83. 4.
Vix quartam partem libri Aug. De Nuptiis & concupiſcentia attingit. 77. 1.
Contra eum ſcripſit quatuor libros. 77. 1.
Poſteà & alios octo. 348.
Ex eis 5. ad Aug. venerunt. 349.

Eis

Eis respondet Aug. 749.

Possessus est impietate pelagiana. 53. 18.

Innocentij in Pontificatu successorem de crimine prævaricationis accusat quod doctrinæ Innocentij noluerit refragari. 84. 4. &. 311. 12.

Ad Episcopos Orientales provocat. 84. 4.

Queritur examen & iudicium Episcopale sibi negari. 145. 10. & 354. 10.

Notat surreptionis acta Africana & Romana. 354. 10.

Duas ad Zozimum scripsit epistolas. 357. 18.

Queritur de iudicibus quod priùs causam odissent, quàm nossent. 147. 1.

Refutatur. ibid.

Eruditos iudices expescit. 449. 1.

Litteris sæcularibus inflatus est. 464. 36.

Dialecticæ artis astutiam iactat. 150. 2.

Quærit examen iam factum apud Apostolicam sedem & in iudicio Palestino. 494. 193.

Mononomachiam arroganter sibi vindicat. 144. 10. 303. 8.

Victoriam arroganter iactat. 453. 12.

Libidinosæ voluptatis pudens nominator, impudens prædicator. 50. 14.

Eius laudator & expugnator inexplicabili modo. 193. 2.

Calumniatur sectæ suæ desertores. 310. 11.

Vitiat scripturam 410. 88.

Eius fraus in citandis scripturis. 50. 14.

Catholicos vocat Traducianos. 353. 6.

Dogma Ecclesiæ populare vocat. 449. 2.

Suam, Manichæi, Ioviniani sententias proponit 418. 98.

Quod discrimen statuat. 360. 24. 418. 98. & 430. 115. & 432. 120.

Sententiam catholicam odiosè proponit. 351. 8.

Eius in Aug. calumniæ. 214. 8. & 217. 8.

Augustinum contradictionis arguit. 396. 71.

Manichæismum affingit Augustino. 75. & 79. 2. & seq.

Sub Augustini nomine idem de alijs Patribus dicere convincitur. 79. 3. & seq. 82. 4. & 103. 7.

Non facit id imprudenter & ex ignorantiâ, sed scienter & impudenter. 82. 4.

Augustinum vocat Epicuræum. 176. 20.

Ipse potius est talis. Ibid.

Augustinum vocat Apollinaristam. 169. 18. & 278. 15.

Diaboli cultorem. 169. 18.

Traducianæ rationis primatem. 387. 66.

Liberi arbitrij præcipuum negatorem. 427. 109.

Imponit ei quod olim cum ipso senserit. 312. 12.

Controversia inter Augustinum & Iulianum pertinent ad fidei fundamenta. 98. 6.

Controversia inter Augustinum & Iulianum de concupiscentia, tota in eo, an bona sit an mala. 173. 21. & 262. 7.

Iulianus negat originale peccatum & liberi arbitrij vulnera. 456. 20.

Naturam tanquam sanam laudat. 452. 15.

Secundum Iulianum nemo servus peccati est per peccatum alienum. 409. 88.

Vult neminem subire pœnam propter peccatum alterius. 155. 5. & 171. 19.

Refutatur. ibid.

Quærit per quid inveniatur peccatum in parvulo. 60. 27. & 62. 27. & seq. & 181. 24. & 458. 24. & 459. 27. & 460. 28. & 461. 29.

Respondetur ei verbis Apostoli. ibid.

Naturâ nos esse filios iræ quomodo intelligat. 309. 10.

Negat statum naturæ mutatum. 416. 96.

Refutatur ibid.

Contendit parentem id quod non habet non posse transmittere in prolem. 299. 6. & seq.

Refutatur. ibid.

Vult

Vult fieri non posse, vt quod bonum bonum est non habeat laudem communem cum eo fine quo esse non potest. 265. 8.
Refutatur. ibid.
Sentit Christum mortuum pro non habentibus peccatum. 291. 4.
Refutatur. ibid. & seq.
Deum velle omnes homines salvos fieri quomodo intelligat. 214. 8. & seq.
Eius intellectus refutatur. ibid.
Effectum non initium voluntatis Deo tribuit. 197. 3.
Eundem effectum rursus Deo aufert & naturæ tribuit. ibid.
Vult homines se emendare viribus propriæ voluntatis. 454. 15.
In paradiso viam ponit ad delictum. 397. 71.
Christum ponit non primam formam iustitiæ sed maximam. 539. 188.
Iustitiam dicit dare vnicuique suum sine gratia. 363. 35.
Refutatur. ibid.
Locum Apostoli ad Romanos explicat de peccato imitatorio. 60. 27. & 62. 27. & 340. 24. & 469. 47. & seq.
Refutatur. ibid.
Contendit Apostolum ad Rom. 7. loqui in persona Iudæorum. 388. & 389. 67.
Refutatur. ibid. vide v. *Paulus*.
Legem contrariam in membris Apostoli interpretatur consuetudinem. 394. 69. & 452. 10.
Refutatur. ibid.
Corpus mortis à quo liberari desiderat Apostolus intelligit peccata præterita & malam consuetudinem. 388. & 389. 67.
Morbum desiderii intelligit fornicationem 269. 9.
Refutatur. Ibid.
Gentes quæ naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, intelligit infideles. 103. & 204. 3.
Virtutes gentilium prædicat & voluntati tribuit. 197. 3.
In actu virtutis attendit quid, non propter quid agatur. 201. 3.
Refutatur. Ibid.
Omnium sensuum voluptatem docet esse naturalem. 357. 71.
Respondetur. 399. 71.
Contendit vxoribus Abimelech redditam esse libidinem. 171. 19.
Refutatur. Ibid.
Perfectam ignorantiam perfectam iustitiam vocat. 170. & 171. 19.
Refutatur. Ibid.
Solam mortem æternam vult esse pœnalem 537. 186.
Refutatur. Ibid.
Iuliani doctrina Manichæos adiuvat. 78. 1. & 104. 8. & seq. & 280. 16. & 285. 16. & 334. & 335. 21. & 408. 85. & 417. 97.
Manichæos iuvat negando vitium naturæ, vt miseriam parvulorum tribuant naturæ mali. 417. 97. & 499. 110.
Asserendo malum non posse nasci ex bono, 63. 28. & 108. 8.
Asserendo per opus Dei opus diaboli non transire. 108. 8.
Asserendo non posse radicem mali in eo quod donum Dei dicitur, locari. 103. 9. & seq.
Asserendo rationem rerum non finere quod de bono, malum de iusto proferatur iniquum 110. 9.
Illa eius dogmata refutantur. Ibid.
Iulianus contradicit sibi. 256. 5. & 267. 9.
Asserendo se pugnare contra concupiscentiam dogma suum destruit. 178. 21. & 187. 26. & 193. 2.
Item asserendo eam indigere remedio. 166. 15. & 173. 20. & 21.
Item asserendo corpus esse castigandum. 318. 15. & seq.
Item asserendo pro parvulis mortuum Christum. 70. 33.
Item asserendo petendam esse à Deo angelorum imitationem. 472. 54.
Vide plura de dogmatibus Iuliani, & Pelagianorum, verbo, concupiscentia, gratia, lex, parvuli, peccatum, Pelagiani.

IVSTIFICATIO hominis per quid fiat. 516. 165.

Secundùm Pelag. fit per solam peccatorum remissionem Ibid.

Vitæ huius iustificatio tribus peragitur baptismo, pugnâ cum vitiis, & remissione peccatorum in quæ labimur. 132.8.

Iustificatio tantum est gratia. 620.8.

In conspectu Dei quomodo nemo iustificetur. 600. 17.

IVSTITIA an reddat vnicuique quod suum sine gratia. 363. 35. & 365. 36.

Iustitia Dei dat multam non merentibus gratiam. 365. 38.

Iustitia secunda nativitas. 328. 19.

Donum Dei. 364. 37.

Iustitia huius vitæ quæ. 586. 8.

Iustitia Christiana tribus comprehensa, Ieiunio, elemosina & oratione. 587. 8.

Iustitia quænam & quando ex lege. 523. 158. & 624. 12.

Si quisquam iusti ex lege destruitur promissio. 524. 161.

Quæ ex fide. 523. 158.

An ante circuncisionem iustitia fidei nulla fuerit? 47. 11.

Quam iustitiam Apostolus vocet suam. 624. 12.

Suam iustitiam qui dicantur constituere. 623. 12. & 523. 158.

Qui moritur in iustitia habet requiem. 723. 14.

Deus esset iniustus si ad eius regnum verus non admittitur iustus. 199. 3.

Iustitia quæ homini est à Deo alia est ab ea Deus iustus est. 624. 12.

IVSTVS à concupiscentia trahitur ad peccati venialis consensionem. 421. 101.

Iusti etiam peccant. 419. 98.

Eorum lapsus quotidiani est. 152. 8. & 677. 12.

Iusti v. t. eadem qua nos fide iustificati. 47. 11.

In Christum crediderunt. 625. 13. 604. 19.

Eius gratia adiuti & salvati sunt. 604. 19 & 433. 124.

Eos ex fide incarnationis vixisse definivit Pelagius. 529. 188.

Iustorum libertas vt non serviant peccato est ad mortem. 677. 12.

Iustus recedens à iustitia & sic mortuus certò damnatur. 723. 14.

Si fuisset mortuus eo tempore quo erat iustus fuisset salvatus. Ibid.

Evertuntur per hoc merita quæ aliquis habuisset si vixisset. Ibid.

LAVDES proprias prædicare scriptura prohibet. 2.

LEVI filij in lumbis Abrahæ à Melchisedech decimati. 535. 180.

LEX. Quid Deus inferendâ lege intenderit 555. 210. & seq.

An aliud evenerit. ibidem.

Legis vtilitas. 556. 20.

Officium. 583. 5.

Legitimus vsus. 653. 1.

Qui legitimè lege vtitur discit in ea malum, & non confidens in virtute sua confugit ad gratiam, quâ præstante declinet à malo & faciat bonum. 653. 1.

Littera legis quomodò juvet prædestinatos. 415. 94.

Quomodò lex Apostolo virtus peccati. 584. 6.

Litteræ vetustas & novitas spiritus in quo. 622. 10.

Scientia legis ex Deo est 635. 19.

Quid interfit inter legem & promissionem 528. 157.

Cur non sint hæredes ex lege. 523. 158.

Si ex lege aliquis iustus destruitur promissio. 524. 160.

Legem esse gratiam quâ iuvamur ad non peccandum volebant Pel. 623. 11.

Legis & gratiæ diversi effectus. 633. 18.

Gratia legis dilectores, lex verò, non nisi prævaricatores facit. ibid.

Lex sine gratia littera occidens, in gratia

autem ſpiritus vivificans. 633. 18. & 415. 94.

Lex oſtendit quid faciendum, gratia adiuvat vt fiat. 653. 1.

Legis ſcientia an ſufficiat ad operandum charitatem 415. 95.

Quomodò dictum vſque ad legem peccatum erat in mundò. 481. 70. & 485. 84.

Lex an peccatum abſtulerit, infregerit, vel reſtrinxerit. 481. 70

Affirmat Iul: refutatur ibidem.

Iul: aſſerit peccati regnum latâ lege cecidiſſe, nec potuiſſe manere poſt legem. 542. 198.

Refutatur ibid.

Lex abundare facit peccatum, quomodò. 482. 72. & 554. 218. 553. 217. & 557. 221. & 559. 217.

Lex ſine gratia iram operatur. 622. 10. & 653. 1.

Gratia ſi deſit ad hoc lex adeſt, vt reos faciat & occidat. 653. 1.

Quomodò. 415. 94.

Quando antè homo cognoſcit peccatũ, ſi non adiuvat gratia, vt cognitum caveatur ſine dubio lex iram operatur. 622. 10.

Quis legis prævaricator. 622. 10.

Per legis cognitionem tollitur excuſatio quam homines adferre in peccatis ſolent. 609. 2.

An & quomodò peccatum imputetur, cùm lex non eſt. 543. 200.

Lex vetus per quid oſtenderit originale peccatum. 543. 200. Vide circumciſio, ſacrificium.

Lex in membris repugnans legi mentis, quid. 394. 69. Vide v. Præceptum.

LIBERTAS lib arb.

Diſputatio de libertate inter Auguſt. & Iul. 405. & ſeq. 78. & ſeq.

Libertas variis modis ſumitur. 409. 87.

Quæ libero arbitrio conveniat. Ibid.

Libertas an liberetur. Ibid.

Libertas à Iuliano definitur. 406. 82.

Libertas duplex alia quâ poſſit non peccari, alia quâ non poſſit peccari. 673. 17.

Ibi ſumus veraciter liberi, vbi non delectamur inviti. 26. 30.

Quid erit liberius lib. arbitrio quando non poterit ſervire peccato. 675. 11. Vide v. peccatum.

Libertas an dicat neceſſariò indifferentiam inter bonum & malum. 420. 100. & 421. 101.

An poſſe facere malum teſtimonium ſit libertatis. 406. 81.

Lib. arb. agit aliquid in actionibus bonis. 618. 15.

Per charitatem homo eſt liber ad bonum. 407. 84.

Quinam liberi ad bonum. 408. 86

Libernm arbitrium in bono, vndè. 414. 94.

Vnde in malo. Ibid.

Voluntas libera in malis qua delectatur malis. 414. 94.

Cur non ſit libera in bonis. Ibid.

An ſit liber ad bonum qui dicit non quod volo ago. 420. 99.

Liberum arbitriũ homni ineſſe probatur. 608. 2.

Fruſtra hortamur & rogamus ſi non eſt liberum arbitrium. 615. 5.

Præcepta arguunt lib. arb. vide v. præcepta.

Si non eſt liberum arbitrium quomodo Deus iudicat mundum. 645.

Liberum arbitrium ad bonum & malum faciendum confitendum eſt nos habere. 653. 1.

Lib. arbitrium ab Aug. non negatur ſed aſſeritur. 36. 2.

Peccatores habent liberam voluntatem in malo. 419. 99.

An etiam in bono. ibid.

Per liberum arbitrium peccatur: maximè quando delectatione peccatur. 413. 93.

Libertas quomodo maneat in ſervo peccati. 404. 76.

Lib. arb. Adami ante peccatum poterat bene velle & male. 675. 11.

An ante & post peccatum æqualis libertas ad bonum. 411. 91.

Maior libertas necessaria nunc quam ante lapsum. 676. 12.

Liberum arbitrium non perijt peccato Adæ 478. 93.

Quæ libertas perierit. ibid.

Peccati merito magna amissa libertas. 678. 12.

Peccati pœnâ perijt libertas non peccandi. 422. 11.

Victa vitio in quod cecidit voluntate caruit libertate naturæ. 582. 4.

Effectus primæ libertatis in angelis stantibus. 747. 7.

Non est nunc in viribus lib. arb. non recedere à Deo. 747. 7.

An & quomodo id in eius viribus fuerit ante lapsum. 747. 7.

Liberi à iustitia non sunt nisi arbitrio voluntatis; liberi à peccato non sunt nisi gratia Salvatoris. 413. 94.

Non est aliud arbitrium laudabiliter liberum, nisi Dei gratiâ liberatum. 405. 79.

Parum est ad non peccandum voluntatis arbitrium, nisi adiutum sanctur gratiâ Dei per I. C. D. N. 580. 2.

Non sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi à Domino victoria concedatur eranti, ne intret in tentationem. 614. 4.

Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonũ autem nihil est, nisi adiuvetur ab omnipotenti bono. 673. 11.

Homo per liberum arbitrium volvitur per diversas & noxias cupiditates. 681. 13.

Alij magis, alij minùs. ibid.

Libertas à peccato. 716. 15.

Cur liberos iustitiæ dixerit Apostolus, à peccato autem non liberos sed liberatos. 413. & 414. 94.

Ratio allata à Iul. 415. 107. & 416. 108.

LIBIDINIS nomine aliquandò solam voluptatem intelligit Aug. 230. 14.

Quò sensu naturalis possit dici. 262. 7.

Quomodò vitiosa pars animi à Philosopis dici potuerit. 324. 18.

Distinguitur à sentiendi vivacitate vtilitate & necessitate. 227. 14.

Describuntur singula. ibid. & seq.

Libido describitur in omnibus sensibus. Ibid. & seq.

Libido edendi distinguitur à fame. 228. 24. & 229.

Continendo, non edendo comprimenda est. 229. 14.

Vescendi & potandi libido tolerabilis. 231. 14

Quare. ibid.

Venerea mentem absorbet. 231. 14.

Non est fami aut siti comparanda. 258. 5.

LIBIDO Non fuit ante peccatum. 48. 13.

In obedientiæ inobedientia retributa post peccatum. 48. 13.

Libido est ex peccato. 55. 21. & 59. 26.

Non excitatur à Deo. 43. 8.

Dicenda est mala. 55. 21. & 185. 26. & 191. & 192. 2. & 462. 31.

In quo eius malum consistat. 369. 70. & 468. 45.

Ex eo quod sit frænanda colligitur esse mala. 311. 11.

Veniæ postulatio eius accusatio. 225. 13.

Est vitium. 386 65.

Aut vitium dicenda est aut saltem peccato vitiata. 73. 35. & 554. 218.

Cur non fit vitium in brutis. 211. 5. & 233. 14. & 506. 122.

Quo sensu vitiosa pars animi. 324. 18.

Libido audiendi in divinis canticis improbatur. 227. 14.

Est morbus 69. 33.

Religiosus omnis eam concubendo patitur 271. 10.

Libido pudenda non moveat membra nisi quando volumus, & non est morbus. 68. 33.

Non de illa erubescat licitus & honestus coniugatorum concubitus vitando conspectum & appetendo secretum & non est morbus. ibid.

Putenda, vnde. 467. 42. & 468. 45.

Ex se indomita. 190. 1.

Imperio suo movet membra in actu generationis. 22. 24.

Insomnis plerumque ad ipsius operis similitudinem & suæ motionis pervenit finem. 59. 26.

Imperiosa impudicis, domanda pudicis pudenda tamen & pudicis & impudicis. 72. 35.

Eius impetus in fœminis. 258. 5.

Quomodo de ea trahatur originale peccatum. 468. 42. & 469. 45. Vide peccatum originale.

Per eam humana caro, caro peccati. 554. 218.

Christus cur sine ea nasci voluerit. Ibid.

Cum vincitur diabolus vincitur. 262. 271. 10.

Quomodó ei repugnet pudicitia coniugalis. 554. 218.

Ab omnibus expugnanda. 467. 42.

Sanctorum in hac vita cum sensuum libidine pugna. 230. 14.

Eius impetus cantus gravitate fractus. 258. 5.

Eius malo bene vtitur ad filios procreandos iustitia coniugalis. 1.

Per libidinis malum non perit nuptiarum bonum. 9. 7.

Non est malum nuptiarum libido in nuptiis. 59. 26.

Non potest quę bona est desiderare aliquid malum, aut bonæ negandum est aliquod bonum 264. 7.

In paradiso non fuit pudenda libido. 49. 34.

Nec ibi posset esse. 161. 11.

An & qualis fuisset in paradiso. 396. 70. & 467. 42 & 505. 112.

Libido edendi si aliqua qualis in paradiso. 230. 14.

Aut nulla aut voluntati subiecta. 393. 68. & 212. 5. 230. 14.

Quæ nunc est non fuit in paradiso. 466. 39.

Ibi nec propria stimulasset nec aliena tentasset. 20. 22.

Sine libidine generatio filiorum in paradiso. 51. 14. & 181. 24. & 183. 25. & 467. 42.

Gratia Dei ibi magna erat vbi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat. 239. 16.

Libidine delectantur Pelagiani. 577. 236.

Laudatur à Iul. 468. 43. 450. 5.

Est ipsi membrorum vigor. 72. 35.

Naturalis appetitus. 42. 7.

Calor genitalis. 292. 2.

Ponitur ab eo in paradiso. 457. 40 & 476. 59. & 60.

Cum sua pugna. 554. 218.

Nulla nisi ipsi præter vxorem videtur esse culpabilis. 129. 7.

Vide v. concupiscentia.

MALVM non est natura sed vitiũ naturæ. 105. 8.

Malum aliud facimus aliud habemus. 233. 14.

Nihil est nisi defectus à bonitate. ibid. 111. 9.

Boni privatio. 110. 9. 197. 3.

Malum est quod repugnat voluntati bonæ. 196. 2.

Non potest esse nisi in & ex natura. *Ibid.* & 106. 8.

Malum ex opere Dei bono. Ibid. & seq. & 64. 28. & seq.

Non potest oriri nisi ex bono, 64. 28. & 105. 8. & 181. 24. & 387. 66.

Ideo ex bono potest oriri voluntas mala, quia bonum hoc factum est de nihilo, non de Deo. 64. 28. & 105. 8.

Malum in opere Dei bono. 64. 28. & 65. 30. & 265. 8. & 429. 114.

Non tamen laus ipsis communis. 265. 8.

Mala voluntas vndè. 64. 28.

Radix mali vndè. 109. 9. & seq.

Homo magis est malus à voluntate mala quam bonus à bonitate naturæ. 105. 8.

Malitia non est ex Deo, sed vel ex Adã originaliter tracta, vel per propriam voluntatem. 640. 21.

Mala quædam quorum Deus auctor. 158. 8.

Quod Basilius dicit malum facilè posse separari à voluntate vel substantia non humanæ voluntati facile est sed Dei misericordiæ. 87. 5.

Malum cum quo nascitur homo fructus primæ prævaricationis. 159. 8.

Malum bono, non bonum vincitur. 292. 7.

Malo bene vti bonum. 268. 9.

Mali potest esse vsus bonus. 157. 7.

Non est peccatum. 281. 16.

Non sunt facienda mala vt eveniant bona. 270. 10.

Quis dicatur abstinere ab omni re mala. 594. 12.

Malum quandò perficiatur. 25. 29.

MANICHÆORVM errores. 36. 3. & 37. 3. & 105. 8. & 408. 85. & 480. 115. & 432. 120.

Eorum delirium de concubitu principis tenebrarum cum muliere. 336. 22.

Eorum error de corporibus. 88. 5.

Vitia naturas & substantias statuebant. 387. 66.

Naturam Dei quam creaturam culpare malunt. 65. 29.

Naturam boni faciunt mutabilem, mali immutabilem. 4. 7. 97.

Natura boni ipsis natura Dei ibid.

Alium Deum corporum conditorem fingant. 430. 116.

Libros v. t. non recipiunt. 755. 11. & 756.

Ex novo quos volunt. Ibid.

Omnia testimonia quibus ex novo testamento probatur originale peccatum dicunt à scripturæ corruptoribus addita. 756. 11.

Ex libero arbitrio negant duci originem mali ibid.

Deum si ita est esse culpandum. Ibid.

Coæternam Deo ponunt naturam mali. 756. 11.

Vincuntur etiamsi ignorantia & difficultas naturæ ponantur primordia. 757. 12.

Probant duarum naturarum commixtionem ex miseriis parvulorum. 335. 21.

Ad quid necessarium liberatorem contenderent. 408. 85.

Discrimen inter Catholicos & Manichæos. 36. 3. & 105. 8. & 408. 85. & 430. 115.

Manichæi erant pauci. 449. 2. & 450. 3.

Et pessimi. 450. 3.

Iuvantur à Pelag.

Vide Pel. Iulianus.

Nundum erant tempore Cypriani. 167. 17.

MARIA non nisi parentum concupiscentia concepta. 277. 15.

Quo sensu coniux Ioseph. 12. 11.

Quare inter eos non intercesserit nuptialis concubitus. 12. 11.

MARTYRIVM finis optimus Christiani hominis. 740. 2.

Massa. Vide perditionis massa.

MASSILIENSIVM quidam doctrina August. offensi. 687.

Quod Augustinus disputavit de vocatione secundum propositum putant contrarium Ecclesiastico sensui. 687.

Inter eos multi virtutum studio egregii. 688.

Per libros de correptione & gratia quidam intelligentiores, quidam aversiores facti. 688.

Inter eos quidam Episcopi. 691.

Multi Ecclesiastica dignitate eminentes. 698.

Pauci audent eis contraire. 691.

Reliquiæ Pelagianæ hæresis quam perniciosæ. 691.

Eorum dogmata partim catholica partim Pelagianis consentientia. 688.

Agnoscunt originale peccatum. 687.

In quibus à Pelagianorum errore receſſerint. 702. 1.

Librum ſapientiæ negant eſſe canonicum. 696 & 723 14.

Aſſerunt neminem per Dei opera ſed per Dei gratiam regeneratione ſalvari. 688.

Ad nullum opus incipiendum hominem ſufficere. 694. & 704. 2.

Naturam non eſſe ita depravatam, quin poſſit, & debeat velle ſanari. 695.

Velle ſanari non numerant inter opera. 694.

Non negari gratiam ſi præcedere dicatur talis voluntas. 695.

Fidem eſſe ex nobis. 695.

Fidem licet vitiatam manſiſſe in natura cui prius perfecta donata eſt. 696.

Initium ſalutis ponunt in homine. 691.

In habenda fide cum Deo componunt, priorem partem ſibi ſumentes, poſterioré Deo relinquentes. 705. 2.

Ea quæ mediant inter initium fidei & perſeverantiam conſentiunt eſſe dona Dei. 779. 21. & 728. 21. & 770. 17.

Sentiunt idem quod olim ſenſerat Aug. 707. 4.

Cum eo non curaverunt proficere. Ibid.

Gratiam non comitem ſed præviam volunt eſſe humanorum meritorum. 690.

Eam etiam iis voluntatibus ſubdunt quas ab ea ſecundum ſuam phantaſiam non negant eſſe præventas. 690.

Quodcunque donum amittit & retineri poſſe propriâ voluntate. 697.

Sub prædeſtinationis nomine conquerun-tur ab Aug. induci fatalem neceſſitatem. 688.

Propoſitum vocationis adferre ſanctis occaſionem torporis, lapſis reſurgendi curam. 688.

Fidem illam eſſe audientium prædicationi contrariam. 689. & 694.

Ideò non promendam etſi eſſet vera. 689. & 698.

Aug. expoſitionem in ep. ad Rom. eſſe novam. 689.

Approbant quidquid Aug. in lib. de correptione & gratia, ſibi ex contradicentium ſenſu oppoſuit. 689.

Quomodo ex eorum ſententia facta prædeſtinatio. 688. & 694. & 696.

Omnes pariter prædeſtinationem ſecundùm præſcientiam recipiunt. 692.

Nolunt certum eſſe electorum numerum, quare. 691. & 697.

Ægre ferunt diviſionem perſeverantiæ hominis ſtantis & lapſi. 697.

Eam dicunt eſſe cauſam deſperationis. Ibid.

Si illa admittitur ad ſolum Adamum volunt pertinuiſſe exhortationem. Ibid.

Eorum de perſeverantia contra Aug. ſententia. 696.

Nolunt eam ſic prædicari vt non poſſit ſuppliciter emereri vel contumaciter amitti. 696.

Quæ ex eorum ſententiâ diſtinctio inter hominem ſtantem & lapſum. 697.

Omnibus volunt propoſitam eſſe propitiationem, vt quicunque ad fidem & baptiſmum accedere voluerit, ſalvus eſſe poſſit. 688.

Omnes homines velle Deum ſalvos fieri. 698.

Pro vniverſo genere humano mortuum eſſe Chriſtum. 691.

Nemine etiam impiiſſimo excepto. Ibid.

Exemplum parvulorum refugiunt. 698.

Diſcretionem parvulorum referunt in eorum merita quæ habituri fuiſſent ſi vixiſſent. 690.

Diſpenſari prædicationem Evangelij ſecundùm præſcientiam de futuro conſenſu. 690. & 695.

Id probant ex ſcriptis Aug. 695.

Quorundam ſententia magis quàm aliorum pelagianiſans. 689.

Gratiam creationis pro vera gratia recipit. ibidem.

Eius ope perveniri ad gratiam ſalvantem ab iis qui bono naturæ benè vti ſunt. 689.

Pro-

Propositum vocantis gratiæ in quo constiterit. ibid.

Tantum quemcumque facultatis habere ad bonum quantum ad malum. 691.

Massilienses illi priùs meliora senserunt. 691.

Fidem Christianam volunt istâ dissentione non violari 692.

Asserunt si nihil sit in homine quod correptio valeat excitare invtilem esse exhortationem. 596.

Hominem non culpandum in eo quod nunc non vult, sed tantum in, & cum Adamo. 697.

MATRIMONIVM indissolubile quia sacramentum. 11 10.

Non dirimitur pacto de servanda continentia perpetua. 12. 11. & 13. 12.

Nec vxoris sterilitate. 11. 10.

Id refunditur in rationé sacramenti. 17. 17. & 273. 12.

Verum fuit matrimonium inter Ioſephum & D. Virginem. 12. 11. & 13. 12. 272. 12. & 283. 12.

In eo fuere bona matrimonij. 273. 12. Vide v. nuptiæ.

MAXIMIANISTIS cur negata collatio. 149. 1.

MERITA bona & mala nobis inveniuntur. 616. 6. & 646.

Omne meritum est gratia. 661. 17.

Deus coronat in nobis dona sua non merita nostra. 617. 6. & 618. 7.

Merita hominum facit gratia &c. 710. 5.

An omne bonum vel malum meritum in voluntate propriâ. 492. 101.

Deus non damnat sine malis, liberat sine bonis. 216. 8.

Nemo aliquid mali patitur quod non meretur. 487. 87.

Deus non reddit singulis totum quod meretur apostatica creatura. ibid.

Merces debetur operibus bonis. 495. 113.

Nulli redditur nisi eius in hac vita sibi meritum comparaverit. 586. 8.

Cur inæquali tempore laborantibus æqualis data. 710. 5.

Meritum non semper auget operum difficultas 326. 18.

Post resurrectionem meritum nullum. 721. 12.

An indicetur aliquis secundum merita quæ habuisset si vixisset. 721. 12. & 752. 9.

Talia merita nulla. 723. 13. 14.

Sunt contra fidem. 754. 12.

Mirum est aliquem posse sentire talia dari. 721. 12.

Qui id sentiunt non merentur refelli. 754. 10.

Per illa effugium habent Pelag. negantes originale peccatum. 722. 11.

Frustra raperetur aliquis ne malitia mutaret intellectum eius. 726. 14.

Non prodesset ei mors iniustitia. ibid.

Refutantur illa merita per Tyrios & Sydonios. 752. 9.

MISERIA magna separari à Dei regno 502. 11. Vide v. imago.

Miseria humani generis an esse possit à iusto & omnipotente Deo si non esset originale peccatum. 352. 3. & 361. 25. & 362. 27. & 29. & 365. 38.

Vnde sit. 387. 54. & 395. 69. & 576. 276. & 495. 104.

An fuisset in Paradiso. 379. 54.

Sub iusto Deo nemo innocens miser. 365. 39.

Miseria hominum arguit originale peccatum. 487. 89.

Vide v. imago parvuli, peccatum originale.

MISERICORDIA miseriam respicit. 365. 39.

Malè misereri & infideliter misereri vitium 203. 3.

MONSTROSITAS & deformitas corporum vnde. 430. 116.

Nulla in paradiso. 4030. 116.

Nulla corpora monstrosa fuissent si nemo peccasset. 506. 123.

MORBORVM causæ 263. 7.

Morbi sunt ex peccato. ibid.

Non

Non fuissent in paradiso. Ibid.
Ponunt eos etiam illic Pelag. 577. 236.
Morbus desiderij Apud Apostolum, quid Iuliano. 269. 9.
MORTIS regnum quid. 61. 27.
Vnde regnet in eos, qui non peccaverunt. 540. 192. & 544. 202.
Non iustè regnat in eos, qui non peccaverunt, nisi sit originale. 537. 185. & 544. 202.
Qui ad peccatum quò mors intravit non pertinent, quo insto iudicio ad mortem pertinent? 544. 201.
Iul. vult in nullos regnare nisi exemplum peccantis adamaverint. 550. 214.
Refutatur. Ibid.
Parvuli regnum mortis tanquam hæreditario iure miseriæ subeunt. 550. 214.
Mors quomodo à Deo & quomodò à diabolo. 268. 9.
Homini congenita. 428. 110.
Duplex mors quantum ad meritum ad omnes pertransiit. 479. 66.
Transit ab Adamo. 491. 98. 99.
Est ex peccato. 491. 99.
Sequitur peccatum. 576. 236.
Cur peccati stipendium. 621. 9.
Mortem homini non peccanti obventuram dicebant Pelag. 577. 236.
Inconvenientia quæ indè sequuntur. Ibid.
Mortem non esse ex peccato damnavit Pelagius. 479. 66.
Asserit tamen Iulianus. Ibid.
An sola mors æterna pœnalis. 537. 186.
Asserit Iul. Refutatur ibid.
Tantum mortem temporalem esse pœnalem probat timor mortis. 537. 186.
Cur ad tempus relinquatur in electis. 492. 100.
Mors corporis cur tollatur à reprobis. 492. 100.
Mors aliquandò utilis quia tollit hominem è periculis peccandi. 723. 14. & 725. 14.
Non esset si puniretur merita non posita, sed tantùm ponenda si quis diutius vixisset. 723. 14.
Mortis corpus quid. 390. 67.
Mortis corpus cur carnem suam dicat Apostolus. 116. 3. & 388. 67.
Mortis corpus an in paradiso. 395. 69.
Quid liberari à corpore mortis. 117. 3.
Aliud exire aliud liberari de corpore mortis. 586. 8.
Illud ubi est mors contentio tua, non perficitur in hac vita. 117. 3.
Immortalitas duplex aliqua qua possit aliquis non mori, alia qua non possit mori. 675. 12.
Mori peccato quid. 244. 4. & 570. 225.
MVNDVS homines mali intelliguntur. 288. 2.
NATVRA omnis Deo creata. 105. 8.
In quantum natura omnis bona. 105. 8. & 429. 114.
Vndecumque nascatur. 56. 21. & 57. 24.
Quidquid boni habet à Deo habet 45. 9.
Naturæ bonitas à vitiorum malitia discernenda est. 468. 44. & 487. 88.
Quomodò bonitatis, & quomodo malitiæ capax. 105. 8.
Omnis creatura mutabilis quia creata ex nihilo. 105. 8. 109. 9.
Naturale vitium quodnam? 220. 9.
Natura sine voluntate an peccet. 401. 71.
Naturæ status an sit peccato mutatus. 416. 96.
Negat Iul. refutatur. Ibid.
Vulnus quod diabolus naturæ inflixit, in quo? 71. 34.
Naturam vitiavit homo primus sanat secundus. 577. 236.
Natura in tantum sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet. 579. 2.
Natura amat principiorum singularitrtem 10. 9.
Naturalis appetitus aliquis bonus & honestus. 42. 7.

Quidam habent divinum naturaliter munus intelligentiæ quo moveantur ad fidem si congrua suis mentibus signa videant vel facta conspiciant. 762. 14.

Naturalis appetitus beatitudinis & immortalitatis. 200. 3.

Naturalis vsus fœminæ quis Apostolo ad Rom. primo 55. 20. & 172. 20.

Quis iuxta Iulianum. 54. 19. & 172. 20.

Non omnis est laudabilis. 55. 20.

Concubitus cum meretrice, est vsus fœminæ naturalis. 55. 20.

Quis vsus contra naturam. ibid.

Naturæ errores monstra. 277. 15.

Quid facere naturaliter ea quæ sunt legis 204. 3.

An & quomodo id possit dici de infidelibus. 204. 3.

NECESSITATE quidam revocantur ab intentione mala. 413. 94.

An necessitas dicenda qua necesse est aliquid esse vel fieri. 422. 10.

Beata necessitas Dei qua iniustus esse non potest. 420. 10.

An excusat seu defendat. 422. 105. & 423. & 424. 106.

Necessitas peccandi an & qualis. Vide v. peccandi necessitas.

NVDITAS peccato indicata. 239. 16. Vide pudor.

NVPTIÆ. Controversia inter Aug. & Iulianum de nuptiis in quo. 78.

Pertinet ad fidei fundamenta. ibid.

Nuptias ab initio Deus instituit non diabolus invenit. 68. 32.

Ad quid nuptialis copula instituta. 180. 23.

Nuptiæ qualiter remedium concupiscentiæ. 191. 2. & 284. 285. 16.

Sunt aliud quam corporum commixtio. 28. 16. & 282. 16.

Non potuerunt esse sine motione corporum & diversitate sexuum. 67. 81. & 183. 25. & 211. 4.

Nuptiarum fructus ordinata susceptio filiorum. 180. 23. & 245. 7.

Sunt homines qui generantur non peccata cum quibus generantur. 38. 4.

Quatenus & ob quid bonæ sint nuptiæ. 168. 16.

In nuptiis laudanda bona nuptialia, proles fides sacramentum. 17. 17. & 386. 65. & 273. 1[illegible].

Vnde æstimandum nuptiarum bonum. 130. 7. & 166. 16.

Bonum nuptiarum etsi nemo peccasset. 166. 16.

In ordine suo laudandæ. 38. 4.

Non possunt nunc esse sine libidine. 59. 26. Vide concubitus.

Concupiscentia non est earum vitium. 1.

Nuptiarum negotium non est morbus. 393. 68.

Immunditia nuptiarum non est earum crimen. 113. 1.

Non est iis imputanda carnis concupiscentia. 17. 17.

Non sunt causa peccati. 59. 26. & 60. 26. & 281. 61.

Nec mali. 181. 24.

Nuptiarum bonum malo originali non potest accusari. 41. & 78.[illegible].

Libidinem inveniunt. 506. 122.

Libido per illas excusatur. 9. 7.

Faciunt bonum de malo. 9. 7.

Sicut si aliquis claudicando perveniret ad aliquid boni. 9. 7.

Benè eo malo vtuntur. ibid. & 22. 24.

De eo tamen erubescunt. 22. 24.

Nuptiarum bono male vtitur qui bestialiter vtitur, vt sit eius intentio in voluptate libidinis non in voluntate propaginis. 6. 4.

Nunc sunt aliæ quam si nemo peccasset. 69. 32.

Non secundum naturam sed secundum quandam in deterius mutatam qualitatem. 69. 32.

Explicatur similitudine. ibid.

Quales in paradiso. 383. 62. & 183. 25. 468. 45.

Quales ibi posuerit Iul. 488. 91.

Quales esse possent in cœlo. 488. 93.

Nullæ ibi futuræ. ibid.

Digitized by Google

OBEDIENTIA pia Dei Donum. 573. 228. & 574. 230.

OBDVRATIONIS in homine meritum. 640. 21. & 642. 23. & 755. 11.

OCVLVS bonus intentio bona. 210. 3.

Oculorum apertio in primis parentibus quid. 7. 5.

Qualem oculorum apertionem ſerpens promiſerit. 8. 6.

OLEA. Ex Olea gignitur Oleaſter. 18. 19. 72. 34.

Eius exemplo explicatur quomodò parentes iuſti generent prolem peccato infectā. 18. 19. & 28. 32. & 72. 34.

Fortè à Deo id inſtitutum, vt ex eo viſibili, illud inviſibile fieret veriſimile. 8. 9.

Simile quidem vſu venit in quibuſdam aliis rebus naturalibus 300. 7.

Oleaſter mali in ſcriptura ſignificationem habet. 301. 7.

OLYMPIVS Vir magnæ in Eccleſia gloriæ, Epiſcopus Hiſpanus, agnoſcit originale peccatum. 803. & 100. 7.

OMNIS. Vox OMNES ſecundum Iul. multitudinem non vniverſalitatem ſignificat. 480. 68. & 510. 135. & 532. 176.

Non ſemper qui *omnes* iidem etiam multi. 515. 145.

Cur Apoſtolus ad Rom. eoſdem dicat omnes & multos. 515. 145. & 516. 147. & 532. 175.

Quomodo vox omnes in diverſis locis explicetur, vide indicem ſcripturæ.

OPEROR Quinam poſſint vſurpare illud Apoſtoli, *non ego operor illud*. 25. 28. 29.

ORATIO Dei donum. 783. 23.

Oratio gratiæ argumentum. 590. 10. & 647. & 653. 2. & 658. & ſeq. 6. & 736. 20. & 741. 11. & 742. 2. & 745. 5. & 747. 7. & 768. 17. & 783. 23. & 784. 23.

Oratio poſt legem datam indicat ei implendæ non ſufficere voluntatem. 629. 16.

An rectè oretur ſi id quod petitur ſit in arbitrij naturaliter nobis inſiti poteſtate? 426. 108.

Oratio vaniſsima ſi voluntas ad implenda præcepta ſine adiutorio ſufficiat. 625. 13. & 626. 14.

Irriſoria oratio qua poſcitur à Deo quod ſcitur ipſe non dare. 741. 2.

Si hæc ab ipſo (Deo) *quidem poſcit Eccleſia ſed à ſe ipſa ſibi dari putat, non veras ſed perfunctorias habet orationes.* 783. 23.

Oratione cognoſcit homo vnde accipiat quod vult habere. 654. 3.

Initium fidei non peteretur orando à Deo niſi ab ipſo tribui crederetur. 736. 20.

Inde probatur eſſe donum. 743. 3.

Ab illo accipimus à quo petimus. 748. 7.

Oratio dominica ad cauſam gratiæ ſufficiens. 747. 7.

An pro aliquo orandum cum Deus poſſit ſine oratione convertere. 656. 5.

Cur Deus orari velit cum poſsit non orantibus dare. 748. 7.

Quorundam prætextus quod non, vel frigide orent, quod Deus ſciat quid nobis ſit neceſſarium. 766. 16.

Quædam dona Deus orantibus, quædam non orantibus præparat. 766. 16.

Cur Deus velit nos orare pro inimicis fidei. 781. 22.

Oratio dominica quotidiana noſtra mundatio. 29. 33.

Sine fructu diceretur à non baptizatis. 29. 33.

PALESTINI concilij Epiſcopi. 89. 5. & 100. 7.

Quomodò eos eluſerit Pelagius. 89. 5.

Eius geſta in cauſa Pelagii. 90. 5.

Quomodo in eo abſolutus Pelagius. 142. 10.

Hæreſis tamen Pelagiana damnata. 144. 10. & 148. 1 Vide Pelagius.

PARADISVS Eccleſiæ typus. 259. 6.

In paradiſo fuiſſet coniunctio corporum. 156. 7. & 211. 4. & 222. 11.

Alia quam nunc. 282.16. 222.11.
Non fuisset libido. Vide v. libido. Concupiscentia.
Inconvenientia quæ sequuntur ex eo quod in paradiso ponatur libido. 73. 35.
Ponunt eam illic Pelag. 222. 12.
Non erat ibi corpus mortis. 35. 2.
In paradiso qualis beatitudo. 71. 35.
Absit vt beatitudo illa posset aut in loco illo non habere quod vellet, aut in suo corpore vel animo sentire quod nollet 72. 35.
Fuisset illic vsus alimentorum & ligni vitæ 29. 14.
Quidam putaverunt contrarium, ibid.
Tranquilla potestas ibi in sumendis alimentis 259. 5.
Temperantia cibi & potus in paradiso qualis. 249. 4.
Pax & tranquillitas. 258. 5.
Felicia dormientium somnia. 271. 10.
Nulla illic corpora monstrosa. 430. 116. & 506. 13.
Qualem paradisum dicerent Pelagiani. 391. 67.
PARENTVM malæ valetudines plerumque ingenerantur corporibus filiorum. 71. 34.
Parentum peccata quodam sensu aliena, quodam nostra. 307. 10. & 371. 48.
Redduntur in filios. 374. 50. & 345. 25. & 380. 57.
Iustè 380. 57.
Eius rei exempla ex scriptura. 345. 25.
Quod indicitur scripto filius non portabit iniquitatem patris propheticè de promissione n. t. intelligitur. 345. 25.
Parientium dolor pœna peccati. 488. 91.
Partus in statu innocentiæ sine dolore. 51. 34.
PARVVLORVM natura adscribitur Deo, vitium diabolo. 64. 39.
Verumque tamen propter vitium est sub potestate diabolo. 65. 29. quare. 111. 4.
In vtero materno non sunt pars corporis materni. 316. 14.
Non possunt imitari Christum. 343. 24.
Christus est eis Iesus sive Salvator 378. 53.
Insanum prohibere à parvulis medicum Christum dicendo in eis non esse quod venit ille sanare. 360. 22.
An & quomodò de parvulis rectè dicatur, non peccaverunt. 537. 187.
Tunc parvulus dissipavit testamentum Dei hoc imperatâ circumcisione, sed illud de ligni prohibitione quandò per vnum hominé peccatum intravit in mundum. 46. 11.
Rei sunt præcepti à primo homine violati. 484. 77.
Trahunt similitudinem prævaricationis Adæ 544. 201.
Sic non renatis imputatur peccatum Adæ, sicut non renatis iustitia Christi. 381. 57.
Secundum Apostolum ad Cor. sunt mortui 291. 4. 385. 64.
Id colligitur ex eo quod pro eis sit mortuus Christus. 291. 4. & 461. 30. & 509. 133. & 512. 138.
Parvuli sunt impii. 518. 169.
Id ex eo probatur, quod Christus sit pro impiis mortuus, ibid.
Si peccatum non habent non prodest eis mors Christi. 530. 72.
Si non nascuntur cum peccato, sunt alieni à populo Dei. 498. 108.
Item alieni à sanguine Christi. 183. 25.
Non pertinent ad gratiam Christi, si non habent peccatum. 503. 118.
Quomodo parvuli sint ex multis delictis in iustificationem. 501. 144. & seq.
Sunt sub diabolo. 19. 20.
Vndecunque nascantur. 3. 1.
Hoc in antiquissima & fundatissima fidei catholica regula continetur. 3. 1.
Non possunt sub eo esse nisi ratione peccati. 19. 20.
Miseria parvulorum.
In ortu plorant reatum. 126. 6.
Ab infantia per insipientiam ad sapientiam transeunt. 255. 4.
Quidam forte magna gratia à lege illa excepti, ibid.

Vndecumque naſcantur pertinent ad iugum filiorum Adæ 316 14.

Affliguntur à ſpiritibus immundis. 308. 10. & 486. 87.

Contingit id etiam baptiſatis. 308 10.

An omnes habeant munera gratiæ neceſſaria? 377. 53.

Deus eis ſi eſſent innocentes iſta non negaret 377. 53.

Vnde ſit quod vexétur à ſpiritibus immundis. 154. 5. 308. 10. & 486 87.

Vnde morbi & defectus. 153. 3.

Malum verò ſi nullum ex origine traherent, nunquam cum vitiis vel corporalibus naſcerentur. 155. 6. Vide 154. 5.

Eius ratio: quia Deus eſt conditor corporũ qui vitia humanæ naturæ non infligit immeritæ. 155. 6.

Non paterentur tanta mala niſi præceſſiſſet originale peccatum. 243. 1. & 281. 1.

Non fuiſſent ea paſſi in paradiſo. 461. 28. 379. 54.

Grave iugum ſuper filios Adæ vnde? & an id foret iuſtum, ſi non eſſet originale peccatum. 113. 1. & 141. 10. & 152. 3. & 170. 8. 286. 1. 352. 3. 361. 25. 362. 27. & 29. & 31. 296. 5. & 307. 10. & 371. 49. & 374. 50. & 432. 120. & 122. & 442. 136. & 453. 13. & 13. & 415. 16. 18. & 456. 21. & 457. 22. & 484. 81. & 487. 89. & 489. 95. & 495. 104. & 503. 117. & 504. 119. & 506. 124. & 512. 138. & 513. 141. & 514. 144.

Negando originale malum cauſam miſeriæ parvulorum Manichæos iuvant Pelagiani 499. 10. & 507. 236.

Pro parvulis ante circumciſionem inſtitutum ſacramentum. 172. 11.

Quando baptizantur in morte Chriſti peccato moriuntur. 97. 6. & 103. 7. & 294. 5. & 531. 173 & 568. 222.

In baptiſmo peccato moriuntur. 290. 3. & 570. 225. & 531. 143.

Eunt in damnationem niſi renaſcantur in Chriſto. 138. 9.

Bibunt ſanguinem Chriſti. 461. 30.

Niſi manducaverint carnem filii hominis & biberint eius ſanguinem parvuli vitam habere non poſſunt. 149. 1 & 163. 12. 722. 31.

Quomodò credant in Chriſtum. 289. 3. & 307. 10. & 379. 56.

Credunt per alium ſicut per alium peccaverunt 308. 10. 379. 56.

Niſi crediderint condemnantur. 289. 3 & 380. 56.

Abrenuntiant diabolo per corda & ora geſtantium. 569. 214. 19. 20.

An quod parvuli quidam non baptizentur poſſit ſoli parentum negligentiæ imputari. 759. 12.

Aliquandò miniſtris volentibus & paratis, Deo nolente non baptizantur. 760. 12.

Res in baptiſmo parvulorum Dei providentiâ, non fortuitis caſibus agitur 759. 12.

Baptizantur aliquandò infidelium parvuli, non fidelium. 640. 22. & 760. 12.

In eo occulta Dei providentia. ibid. Vide v. iudicia.

Vnus gratia aſſumitur alter iuſtitia relinquitur. 336. 39.

Vt relinquantur, omnibus per iuſtitiã debetur. ibid.

Quomodò renatis debeatur regnum cælorum 439. 133.

PARVVLI non circumciſi damnabantur. 484. 77.

Non tamen ipſis præcipiebatur circumciſio. 484. 77. Vide v. circumciſio.

Ante tribunal Chriſti referunt propria corporis ſui. 307. 10.

Non baptizati æternâ morte plectuntur. 491. 98.

An iuſtè ſeparentur à regno Dei. 503. 117.

Vnde id ſit iuſtum. 503 117. Vide v. imago.

Parvulorum ſine baptiſmo diſcedentium damnatio leviſſima. 272. 11.

An melius ſit ipſis non eſſe. ibid.

An ipſis ſit locus medius præparatus inter regnum cœlorum & ſupplicium. 374. 50.

Locum ſecundæ fælicitatis eis hæreſis Pelagiana ædificavit. 435 130.

Pelag. quærunt eis locum extra regnum Dei. 722. 13.

PELAGIANI fato tribuunt diversos exitus parvulorum. 758. 2.

Parvulis innocentiam attribuunt. 153. 4. & 378. 54. & 501. 114. & seq & 516. 141.

Quo sensu admitti possit quod sint innocentes. 53. 4. & 92. 6.

Iulianus eos dicit inviolatæ inculpatæque naturæ. 286. 1.

Dicit nec nasci iustos nec iniustos. 171. 19.

Creatione bonos, adoptione meliores. 377. 53. & 418. 111. & 502. 117.

Pelagianorum de baptismo parvulorum contradictiones & paradoxa. 151. 3.

Fatentur eis esse necessarium baptismum, & ad quid? 151. 3. & 377. 53. & 478. 54.

Fatentur pro eis mortuum esse Christum. 510. 134. & 529. 172.

Fatentur eos redimi. 152. 3.

Nolunt parvulos esse mortuos. 291. 4. & 515. 193.

Refutantur, & infert Augustinus, ergò nec pro iis mortuum esse Christum. ibid.

Nolunt Christum parvulis esse Iesum. 56. 26. & 242. 2. & 529. 170

Negant medicinam Christi eis esse necessariam 3. 1. & 37. 2.

PASSIONIS vox usu Ecclesiastico non nisi ferè in malo intelligitur. 70. 3.

PATERNIANORVM hæresis quæ. 261. 7.

PAVLVS ab omni concubitu se continuit. 613. 4.

Pauli merita mala. 616. 5. & 617. 6.

Merita bona. 617. 6.

Pauli vocatio à sola gratia. 616. 5.

Paulum ad Rom. 7. loqui in persona Iudæorum contendit Iulianus. 115. & 116. 3. & 137. 8. & 184. 26. & 339. 21. 390. 67.

Refutat Aug ostendens eum loqui in persona propria ibid; & 388. 67. & seq. & 420. 99.

Cum Iuliano olim sensit Augustinus, sed postea cognovit aliud esse probabilius. 337. 93. & 707. 4.

Quid Paulus castigaverit quando dicebat castigo corpus meum. 133. 8.

Loca quædam in Paulo aliter legunt Augustinus & Iulianus, Iuliani tamen lectio est editionis vulgatæ. 477. 63. & 486. 85. & 417. 148. & 548. 210.

PECCATVM ORIGINALE qui negat est perfectè Pelagianus. 65. 29.

Negantium originale peccatum dogma pestiferum. 30. 35.

Quæstio de originali peccato pertinet ad fidei fundamenta. 92. 6. & 100. 7.

Non est talis vt fugiat cognitionem popularem. 99. 7.

Capita obiectionum Pelagianicarum contra originale peccatum. 112. 1. & 138. 9.

Eis respondetur auctoritate Patrum. 118. 1. & seq. & summatim. 138. c. 9. & 10.

Peccatum originale dari probatur auctoritate SS. Patrum 79. 3. & seq

Probatur argumentis ex eorum scriptis desumptis. 112. 1. & seq.

Probatur ex gravi iugo parvulorum. Vide v. Parvuli.

Probatur ex lege circumcisionis, & pœna adiuncta. Vide v. Circumcisio.

Probatur ex præcepto de sacrificio pro peccato. Vide v Sacrificium.

Probatur ex separatione parvulorum aliquorum à regno Dei. 309. 10. & 366. 40. Vide v. Parvuli, Imago.

Eius reatus ipse se prodit. 504. 119.

An sit eiusdem generis cum actualibus. 499. 111.

Est æqualiter in omnibus. 507. 225.

Fuit præputio significatum. 102. 7.

De eo nihil homini præcipitur, nisi vt renascatur. 576. 135.

Non est hominis à Deo. 182. 24.

Peccatum est & pœna peccati. 307. 47.

Non extitit nisi ex voluntate. 456 21.

Nullius peccati origo nisi ex voluntate mala. 154. 5.

Peccatum originale ex voluntario primi hominis peccato sumpsit exordium. 40. 5. & 60. 26. & 63. 28. & 154. 5.

Est in parvulis ex Adam sicut gratia à Christo 493. 101.

Quo sensu alienum, quo proprium. 380. 57. & 657. 6.

Originalia peccata aliena sunt sed paterna sunt, & per hoc iure seminationis & germinationis & nostra sunt. 372. 48.

Vide v. Adam.

In loco Apostoli, *per vnum hominem* etc. tota causa de peccato originali consistit. 202. 7.

Quale peccatum per vnum hominem in mundum intraverit, quod imitatione committitur an quod nativitate trahitur. 470. 49.

Explicare locum Apostoli, *per vnum* &c. de peccato imitatorio est novitium Pelagiani erroris machinamentum. 103. 7.

Cur per vnum hominem dicat Apostolus intrasse peccatum in mundum. 61. 27. & 474. 56. & seq. & 531. 173. & 541. 194.

Per quem in mundum intraverit. 470. 48.

Non est imputandum Deo, nec parentibus generantibus. 271. 10.

Trahitur à parvulis ex quibuscunque parentibus nascantur. 3. 1. & 19. 20. & 72. 34.

Vndecunque trahatur est opus diaboli. 4. 1.

Eius transfusio difficulter explicatur. 295. 5.

Non tamen ideò neganda. 298. 5.

Vt enim quod dimissum est in parente trahatur in prolem miris quidem modis fit, sed tamen fit. 18. 19.

Vide plura ibid.

Quomodo ex iusto generetur peccator, non facili ratione indagatur. 18. 19.

Duo modi id contrahendi, alter si anima fit ex traduce, alter si non ex traduce. 254. 4.

Vtro modo fiat, fatetur se nescire Augustinus ibid.

Quare trahatur etiam de iustis parentibus. 17. 18. & 188. 16.

Vnde trahat illud, qui nascitur de honesto concubitu. 283. 16.

Quæ causa transfusionis peccati originalis. 40 5. & 44. 8. & 47. 12. & 126. 6. & 179. 21. & 180. 24. & 183. 26. & 211. 4. & 277. 15.

Vide v. Concupiscentia.

Homo *ideo peccato est obstrictus originis quia de malo nascitur quo caro concupiscit adversus spiritum, non de bono quo spiritus concupiscit adversus carnem.* 141. 10.

Dico plane propter delictum eos esse diabolo: ideò autem expertes non esse delicti, quia de illa commixtione sunt nati qua sine pudenda libidine non potest etiam quod honestum est operari. 40 5.

Eius transfusio explicatur exemplo Oleæ & Oleastri 18 19.

Forte ideo à Deo institutum, quod ex olea generetur oleaster. Ibid. v. oleaster.

Explicatur exemplo podagræ à patre transfusæ in prolem. 533. 177.

Exemplo circumcisi gigantis præputiatum 300. 7.

Eius merito humanum genus factum est ludibrium dæmonum 335. 21.

Omnibus pœnis dignissimum. 153. 4.

Etiam solum trahit in condemnationem. 496. 105. & 62. 27. & 343. 24.

Obtusitas naturalis quorundam, pœna originalis peccati. 155. 4.

Manet actu, transit reatu. 23. 26. & 24. 27. & 318. 19 & 329. 19.

Omnis peccati reatus regeneratione solvitur. 113. 1.

Remanet tamen infirmitas. 113. 1.

Valetudo mala. 325. 18.

Moritur in baptismo. 140 9.

Quomodo sit mortuum cum exciter tot desideria mala. 140 9.

Pugnandum cum peccatis mortuis. 140. 9.

Aliud

Aliud est peccare, aliud habere peccatum.
PECCATVM ACTVALE quid sit, aliquid naturale an accidens, & an res an actus dici debeat. 580. 2.
Optime dicitur mala rei qualitas. ibid.
Comparatur claudicationi. Ibid.
Actu transit reatu manet. 13. 26. & 24. 27. & 328. 19. & 329. 19.
Peccati transacti reatus quid & vbi sit. 331. 19.
Non est sine propria voluntate. 154. 5.
An natura sine voluntate peccet. 401. 72.
An non volentes peccent. Ibid.
Homines adulti non invitis in peccatum carnis necessitate coguntur, sed in peccato suâ voluntate retinentur, & à peccato in peccatum suâ voluntate precipitantur 414. 94.
Peccato libertate servitur. 413. 94.
An vnius peccatum alius perpetret. 454. 15.
Peccatum ab Aug. in lib. de 2. animabus definitum, voluntas amittendi vel retinendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere. 367. 44.
Obiicit illam definitionem Iul. August. 367. 44. & 455. 17. & 465. 38. & 484. 80.
Responsio August. definitum esse ibi id quod est tantummodò peccatum, non quod etiam pœna peccati, 367. 44. & 455. 17. & 465. 38. & 484. 80.
Definitio illa respicit Adamum. 368. 47.
An iam dentur peccata à quibus liberum abstinere, quæ sint tantummodò peccata. 369. 47. & 423. 105.
Multa sunt qua agunt homines mala à quibus eis liberum est abstinere. ibid.
Nulli tam liberum ac Adamo. ibid.
An voluntati hominis sit liberum abstinere qui dicit non quod volo bonum sed quod nolo ago malum. 368. 47. & 465. 38.
Adamo valde liberum abstinere à peccato: quare. 455. 17.
An detur necessitas peccandi. 422. 105. & 424. 106.
Vide ignorantia, necessitas.
Qualis. 422. 105.
Ex mala consuetudine. ibid.
Ignorantia agendorum peccandi necessitas. 422. 105. & 424. 106. Vide, v. ignorantia.
Quando necessitate peccetur. 423. 105.
Necessitas peccandi ex peccatis nulla necessitate commissis. ibid.
Est pœna peccati à quo liberum fuit abstinere. ibid.
An excuset à culpa. 424. 106.
Peccatum voluntatis ne sit an necessitatis 580. 2. & 581. 4.
Quomodo peccent non volentes. 401. 72.
Peccatum quomodo vitari possit. 579. 2.
An debeat posse vitari. 585. 6.
Quandò possit vitari. ibid.
Quia peccavit voluntas secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas. 282. 4.
Per arbitrij libertatem factum est, vt esset homo cum peccato, sed iam pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate ferit necessitatem. ibid.
Quomodo sit culpa hominis quod non sit sine peccato, cum non possit esse sine peccato. 584 6.
Respondetur ideo esse culpam hominis, quod non est sine peccato, quia sola hominis voluntate factum est, vt adiistam necessitatem veniret, quam sola hominis voluntas superare non posset. 584 6.
Homo viator potest peccare & non peccare, sed cum quadam diversitate. 419. 98.
Est in malorum potestate peccare, vt autem peccando hoc vel illud malitia faciant, non est meorum potestate sed Dei dividentis tenebras. 729. 16.
Non peccare donum ne si an præmium. 527. 166.
Donum esse non vult Iulianus. 528. 167.

Quis

Quis illud det. 527. 156.

An homo debeat esse sine peccato. 580. 3.

Deus vult hominem esse sine peccato. Ibid.

Præceptum est homini esse sine peccato. 586. 8.

An homo per seipsum possit esse sine peccato. 586 7.

Si per seipsum homo potest esse sine peccato, ergo gratis Christus mortuus est. ibid.

Aliud est esse sine peccato, aliud sine querela 592. 11.

Illud de solo Christo dictum est, hoc de multis iustis dici potest ibid. & 594. 13.

Qui putat aliquem esse vel fuisse cui necessaria non fuerit remissio peccatorum, an contrarius sit divinæ scripturæ. 605. 21.

Qui dicit aliquem accepta peccatorum remissione ita in hac carne vivere vt non habeat peccatum, an contradicat Ioanni Apostolo 605. 21.

An locus 1. Iois. 1. 8. *Si dixerimus quia peccatum non habemus &c.* explicari possit de vitio concupiscentiæ. ibid.

Aug non audet reprehendere dicentes esse vel fuisse præter Christum, qui nunquam actualiter peccaverint. 606. 21.

Sed nec valet id defendere. 606. 21.

Qui nunquam peccavit an dicere debeat, *dimitte nobis debita nostra* 606. 21. & 585. 7.

An id omnibus orandum. 585. 7.

Aliter beatus qui sine peccato est, aliter cui Deus non imputat peccatum. 606. 21.

Quis dicatur recedere ab omni peccato. 596. 13.

Aliud recedere aliud recessisse. ibid.

Aliud non facere bonum aliud non esse sine peccato etiamsi homo faciat multa bona 595. 13.

Plures peccatores quam imitatores Christi, etiam additis parvulis. 517. 148.

IMPECCABILITAS duplex. 675. 12.

Aliud posse non peccare aliud non posse peccare. ibid.

Non posse peccare angelis meretis meriti. 675. 11.

Idem fuisset homini si stetisset. ibid.

In cælo tanta libertas, in qua necesse est permaneat bene vivendi, & nunquam peccandi voluntaris falsoque necessitas. 582. 4.

PECCATVM omne sit vel faciendo quod prohibitum vel omittendo quod præceptũ est. 583. 5.

Quid peccatum ad mortem. 677. 12.

Distinctio inter crimen & peccatum. 600. 17.

Peccatum aliquando pœna peccati. 249. 3. & 253. 4. & 312. 12. & 616. 20. & 718. 10.

Eius rei varia exempla. 250. 3. & 287. 1.

In eo iudicium non peccatum Dei. 718. 10.

Aliud peccatum, aliud pœna peccati, aliud vtrumque. 369 47.

Exempla singulorum. 369. 47.

Peccata quidem venalia quædam mortalia. 490. 97. & 584. 9.

Venalia eleemosinis mundanda. 589. 9.

Exemplum peccati per quem. 469. 47.

Peccati imitatio vide v. imitatio.

Homo permittens eius peccatum, in quem est ipsi potestas, cum ipso reus est. 251. 4.

Deus tantum iustè innumerabilia permittit. 252. 4.

Aliqua peccata remittuntur in futuro sæculo 317. 15.

Nulla in cœlo. 317. 15.

PELAGIVS de Hieronimo quæritur quod ei tanquam æmulo inviderit. 144. 10.

Illa verba, *da quod iubes, & iube quod vis, ferre non potest.* 776. 20.

Quomodo eluserit PP. concilii Palestini. 89. 5.

Quomodo ab eis absolutus 895. 101. 7. & 142. 10.

Damnavit Iulianum & Pelagianorum causam in illa synodo. 89. & 90. 5. & 148. 1.

Damnavit in ea gratiam secundum merita nostra dari. 177. 20. & 439. 133. & 527. 166 & 759. 12.

Id tamen postea docuit. 614. 6.

Item

Item damnavit Adam mortalem factum, ita vt sive peccaret, sive non peccaret moriturus esset. 391. 67.

Damnavit infantes si non baptizentur, habere vitam æternam. 89. 5. & 163. 12.

Non potest hoc vllâ calliditate in aliud detorquere. 89. 5.

Damnavit ore, servavit corde. 90. 5.

Item peccatum Adæ tantum ipsum, non genus humanum læsisse. 89. 5. 498. 107.

Explicuit id posteà de imitatione. 89. 5.

Item parvulos nasci in eo statu, in quo Adã fuit ante peccatum. 416. 96.

PELAGIANI & Cælestiani à quo dogmate dicti. 36. 3.

Perniciosiùs quàm Manichæi errant. 57. 23.

Eos iuvant. 577. 236. Vide Iul. & Manich:

Hæretici novi. 3. 1. & 19. 2. 512. 4.

Inter eos non pauci sacerdotes. 399. 72.

De paucitate gloriabantur. 450. 3.

Eorum error occasionem dedit copiosiùs disputandi de gratia. 617. 6.

A Cypriano convicti antequàm nati 741. 2.

Eorum disputationes superbissimæ & Deo ingratissimæ. 451. 7.

Præcipitatores liberi arbitrij. 626. 14. & 575. 233.

Eiusdem vani inflatores non defensores. ibid. & 521. 154.

Inimici crucis Christi. 542. 198.

Ruina morum & pudoris interitus. 259. 6.

Eorum iactantia, hipocrysis, dolus. 136. 8.

In falsâ virtute confidunt. 177. 20.

Eorum crudelis misericordia. 384. 63.

Peiùs quàm Manich. in parvulos sæviunt. 363. 32.

Invident hominibus Salvatorem. 428. 112.

Negant Christum parvulis IESVM. 363. 32.

Falsæ & noxiæ eorum laudes 577. 236.

Deum aut iniustum aut invalidum faciũt. 335. 21.

Augustinum imponunt quod nuptias damnet. 1. & 3. 1. & 30. 35.

Item quod dicat hominem quicquid illis nascitur opus esse diaboli. 3. 1.

Quod neget liberum arbitrium. 36. 3.

Quod neget Deum nascentium conditorem. 36. 3.

PELAGIANI doctrinæ capita 741. 2.

Contradictiones & paradoxa. 151. 2.

Eorum sententia est fato fieri quod merito non fit. 217. 8. 758. 12.

Fato tribuunt gratiam parvulorum. 758. 12.

Velut sanam laudabant humanam naturã. 37. 3. & 361. 24.

Crudeliter. 37. 3.

Negant prolem quæ per concupiscentiam carnis nascitur trahere originale peccatum. 30. 35.

Obiectiones præcipuæ. 112. & 113. c. 1. & 138. 9.

Laude divinorum operum peccatum originale auferre conantur. 58. 26.

Mala naturæ non discernunt ab eius bonitate. 59. 26.

Doctrinæ & exempli magisterium tantùm agnoverunt in Christo. 279. 15.

Concupiscentiam in paradiso ponunt. 396. 70.

Nullos nisi baptizatos ad regnum cœlorum admittunt. 306. 9.

Duas æternas fœlicitates faciunt. 500. 113.

Ex Pelag. sententiâ si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocuit, & in Christi iustitia non credentibus prodest. 379. 56.

Adamum contendunt moriturum si non peccasset. 393. 68.

Cur secundum eos verbum caro factum. 414. 94.

Cur lex data. ibid.

Vnde homo imago Dei. ibid.

Iuxta eos possumus nobis mereri vnionem hypostaticam. 443. 138.

Iustificationem ponunt in sola remissione peccatorum. 526. 165.

Refutantur. ibid.

Alia eorum dogmata de concupiscentia seu libi-

libidine, gratia, & parvulis, peccato, &c. vide illis locis, vide etiam plura verbo Iulianus

PERDITIONIS MASSA. De ea nemo nisi Deus liberat. 645

Cur non possit aliquis dicere, fides, iustitia oratio mea, me liberat ibid.

Deus neminem tenetur eripere. 671. 10.

Quod aliquos liberet, facit gratis. ibid.

Nulla Dei reprehensio si nemo liberaretur. 715. 8.

Qui non liberantur in massa relinquuntur. 764. 14.

Cur non liberet inde omnes. 216. 8. & 217. 8.

Cur non omnes in ea relinquat. 217. 8.

PERFICERE bonum & malum quomodo & quando aliquis dicatur. 25. 29.

PERIZOMATA. Vide succinctoria.

PERSEVERANTIA quænam sit de qua disputat Aug contra Massil. 740. 1.

Est donum Dei. 658. 6. & 677 11. & 739. 1. & 769. 17.

Id docuit Aug. lib. ad Simplianum. 778. 25.

Id negare alienum à fide. 768. 17.

Prob. ex eo quod orando eam petamus. Vide v. orat.

Petitur fere per totam orationem dominicam. 741. 2 &seq.

Alias evacuaretur oratio, Christi pro Petro. 658. 6.

Perseverantiæ adiutorium quale primo homini datum. 676. 12. & 679. 12.

Quale nunc detur sanctis in regnum Dei prædestinatis. 676. 12. & 678. 12.

Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantum tale adiutorium perseverantiæ datur, sed tale vt eis perseverantia ipsa donetur. 676. 12. Vide 678. 12.

Cur Deus iam det aliud quam dederit homini primo. 679. 12.

An homo lapsus posset perseverare in bono cum adiutorio tali, quale erat Adami ante lapsum. 679. 12.

Deus facit perseverare in bono quos facit bonos. 677. 12.

An Christo rogante pro Petro ille defecisset si voluisset. 663. 8.

Quando rogavit ergo ne fides eius deficeret, quid aliud rogavit, nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, perseverantissimam voluntatē 663. 8.

Nemo concesso dono persev. non perseverat. 745. 5.

Perseverantia si data est perseveratum est, si non est perseveratum non est data. 745. 6.

Perseverantia martyrum quam aliorum difficilior. 740. 2.

Vtrumque facile Deo dare ibid.

In vitam æternam nemo ordinatur nisi perseverantiæ dono. 659. 6.

Discretis à perditionis massa procurabitur. 660. 7.

Cur vni detur nō alteri, inscrutabile. 663. 8

Cur quibusdam iustis non detur. 750. 8.

Hominibus apparet omnes qui boni apparent fideles perseverantiam vsque in finem accepere debuisse. 750. 8.

Deus autem melius esse iudicavit miscere aliquos non perseveraturos numero sanctorum. 750. 8.

Quare. 680. 13. & 750. 8.

Quam diu homo vivit in hac vita incertum an id habeat. 739. 1. & 745. 6.

Iustus in iustitia non perseverans non posset se excusare dicendo se donum illud non accepisse. 660. 7.

Quoniam dici potest homo in eo quod audiret & teneras perseverares si velles. 660. 7.

Nemo potest illud amittere. 745. 6.

An possit amitti antequā habeatur. 748. 6.

Nemo perseverare desistit nisi prius inferatur in tentationem. 745. 5.

Dimittitur lib. arb. qui non accipit donum perseverantiæ. 681. 13.

Non perseveraturi quomodo vocētur 663. 7

Non sunt à massa damnationis præscientia & prædestinatione discreti. 661. 7.

PETRVS Apostolorum primus. 84 4.

PHARAONEM Deus induravit iusto iudicio, nihilominus ille se induravit libero arbitrio. 641. 23.

PHILOSOPHI gentiles in quibusdam fidei Christianæ propinquaverunt. 236. 15.

PLATO animas à Deo conditas putat, easque in bestias resolvi. 128. 6.

PLATONICI dixerunt animas ob scelera in alia vita facta luendarum pœnarum gratia nasci. 240. 16.

In hoc catholicæ fidei aliquo modo appropinquarunt. 236. 15.

Eius erroris occasio & fundamẽtũ. 140. 16.

Quasnã dixerint esse veras virtutes. 199. 3.

Minores Deos asserebant conditores corporum 430. 156.

POENA infligitur aliquando ob peccatum alterius. 171. 19.

Negat id Iulianus refutatur. 155. 5.

Pœna an possit esse sine malo merito. 503. 117.

Vniversum hoc sæculum Deus voluit hominibus esse pœnale. 504. 119.

Non omnis pœna laudabilis. 246. 3.

Pœnam quæ nec error est nec libido, debet patientia tolerare. 247. 3.

Punire nullius peccati meritum habentes non potest Deus sine eversione iustitiæ. 512. 139.

Iniquum est sine merito transire supplicium. 478. 63. & 479. 66.

Deus non omnibus infligit pœnam quam eis debet. 418. 133.

POENITENTIAM nemo agit nisi Deus dederit. 251. 4.

Pœnitendi cum voluptate vicinitas. 231. 14

POLEMO Xenocratis oratione ad frugẽ conversus. 104. 7. & 83. 4.

POLYGAMIA in v.t. quo sine cõcessa. 109

Cur non licita vnius fœminæ cum pluribus viris. ibid.

Monogamia est melior ibid.

PRÆCEPTA quare dentur. 608. 2.

Ostendunt oportere nobis inesse ab habẽda ea quæ præcipiuntur propriã voluntatem. 5. 3.

Præceptione cognoscit homo quid debeat habere. 654. 3.

Præcepto admonitum est liberum arbitrium vt quæreret Dei donum. 633. 18.

Quandonam præcepta sunt vtilia. 614. 5.

Deus rogatur vt det quod iubet. 719. 11.

Deus facit vt homines faciunt quæ præcipit. 718. 10.

Si id est verum quid opus vt præcipiat. 720 11.

Præceptum est lib. arb. argumentum. 590. 10 & 609. 2. & 647.

Non prodessent nisi homo habere t lib'ũ arb. 608. 2. & 633. 18.

Præcepta Dei vt fierent, nec inberetur si nihil ibi nostra voluntas ageret, nec oraretur si sola sufficeret. 590. 10.

Præcepta conveniunt lib. arbitrium 621. 9.

Multa nominatim conveniunt voluntatem 609. 2.

An & quomodo homini præcipi possit quod facere nequit. 581. 3. & 629. 16.

Cur Deus talia præcipiat non valentibus implere. 413. 93. & 629. 16.

Ideo iubet aliqua quæ non possumus, vt noverimus quid ab illo petere debeamus. 629. 16.

Omnia præcepta ad duo charitatis referuntur. 583. 5.

Diliges: generalis est iussio. 585. 7.

Præceptum non est grave quod sit diligendo. 590. 10.

Non est grave charitati. 591. 10

Quibus sint vel non sint gravia præcepta Dei. 590. 10.

Cur non esse gravia, scriptura commemorat. 590. 10. & 613. 4. Vide v. charitas.

PRÆDESTINATIO quid. 768. 14.

Quid prædestinare. 768. 17.

Quid interfit inter prædestinationem & gratiam. 718. 10.

Quid interfit inter prædestinationem & præscientiam. 718. 10.

Prædestinatio præscientiæ nomine interdum significatur. 772. 18. & 773. 19.

Eius rei exemplum irrefragabile. 772. 18.

Cur ea voce tractatores verbi Dei vsi. 773. 19.

Prædestinatione fecit Deus quod fuerat ipse facturus. 718. 10.

Præscivit Deus reliquias quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus. 773. 18.

Cur hic fiat vas in honorem iſte in contumeliam inſcrutabilis eſt quæſtio. 424 126.

Si ſolvatur ſecundum merita voluntatum manifeſta eſſet. 434. 126.

Prædeſtinationis electio non eſt ex præcognitis operibus. 252. 4. & 437. 132. & 446. 141. &c.

Iacob an electus ex operibus. 437. 132. & 436. 131. & 446. 141.

Affirmat Iul. 436 141. & 437. 132. & 446. 141.

Refutatur ibid.

Aug. dicit eum ideò eſſe novum Antichriſtum, eique apertiſsimè contradicere in quo locutus eſt Chriſtus. 437. 132.

Prædeſtinatis quod exorbitent cedit in bonum. 668. 9.

Promiſſio Abrahæ facta, de Dei prædeſtinatione venit. 718. 10.

Totus prædeſtinatorum numerus ſalvandus 680 13.

De prædeſtinatis nemo perit. 252. 4. & 666. 9. & 630. 16.

Qui pereunt non fuerunt de prædeſtinatorum numero 677. 12.

Non obfuiſſet Iudæis ſua exæcatio ſi fuiſſent de numero prædeſtinatorum. 763. 14.

Homo incumbere debet vt agat quod Deus prædeſtinavit. 768. 17.

Prædicatione prædeſtinationis in hoc opere homo non impeditur ſed adiuvatur. 768. 17.

Quando prædeſtinationis prædicatio non ſit omittenda. 775. 10. & 766. 15.

Quandonam ommitti poſſit & taceri. 767. 16. & 782. 13.

An ammittenda ne detur aliquibus occaſio corporis. 765. 15. & ſeq. ad finem.

In monaſterio Aug. quidam occaſione prædicationis de præſcientia Dei factus Apoſtata. 766. 15.

An ideo tacenda ibid.

Nunquid propter huiuſmodi cauſas ea quæ de præſcientia Dei vera dicuntur vel neganda ſunt vel tacenda, tum ſo quando ſi non dicantur in alios itur errores? 766. 15.

Prædicatio prædeſtinationis non eſt occaſio deſperationis. 782. 22.

Abſit autem à vobis ideo deſperare de vobis, quoniam ſpem veſtram in ipſo habere iubemini. 782. 22.

An vero timendum eſt ne tunc homo deſperet, quando ſpes eius ponenda demonſtratur in Deo, non autem deſperaret, ſi eam in ſe ipſo ſuperbiſsimus & infeliciſsimus poneret. ibid.

Hoc enim eſt dicere tum de ſua ſalute hominem deſperare, quando ſpem ſuam non in ſeipſo ſed in Deo didicerit ponere. 771. 17.

Doctrina prædeſtinationis non eſt adverſa vtilitati prædicationis. 762. 14. & 773. 19. & 775. 19.

Melius homines ſe firmitati promiſſionis Dei, quam ſuæ infirmitati ſe cõmittunt. 719 11

Miror homines infirmitati ſuæ ſe malle committere, quam firmitati promiſſionis Dei. ibid,

Nemo certus de prædeſtinatione ſuâ. 680. 13.

Obiectio, *ſed incerta eſt mihi, inquis, de meipſo voluntas Dei.* 719. 11.

Reſp. *Quid ergò tua ne tibi de te ipſo voluntas certa eſt, nec times? Cùm igitur vtraque incerta ſit, cur non homo firmiori quam infirmiori fidē ſuam, ſpem, charitatemq; committit?* ibid.

Incommoda & invtilis prædicationis formula. 765. 15. & 780. 22. & 781. 22.

Quædam vera quidem de prædeſtinatione ſed non ita odiosè dicenda 780. 22.

Doloſi vel imperiti medici, eſt, etiam invtile medicamentum ſic alligare, vt aut non poſſit, aut obſit. 779. 22.

Cõmodiores citra offenſionem prædicandæ prædeſtinationis formulæ. 779. 22. & 780. & 781. c. 22.

Pro hac doctrina eccleſiæ totius in ſuis orationibus teſtimonium, 782. 23. & 784. 23.

Sicut ergo in his orationibus, ita in hac fide nata eſt, & creſcit & crevit Eccleſia. 783. 23.

Prædeſtinationis huius fidem quæ contra novos hæreticos novâ ſollicitudine nunc defenditur nunquàm Eccleſia Chriſti non habuit. 784 23.

Nimia contentionis eſt prædeſtinationi contradicere vel de ea dubitare. 779. 21.

Hoc ſcio neminem contra iſtam prædeſtinatio-

nem

nem quam secundum scripturas sanctas defendimus nisi errando disputare potuisse. 773. 19

PRÆPVTIO significatum originale peccatum. 128. 6. 302. 7.

PRÆPVTIO significatum originale peccatum. 128. 6. 302. 7.

De circumciso nascitur præputiatus. 300. 7.

PRÆVARICATIO & peccatum quo modò distinguantur. 536. 185 & seq.

Solos Iudæos Iul. vult legis prævaricatores. 547. 109.

Refutatur. ibidem.

PROFESSIO castitatis olim in monasteriis. 612. 4.

Professæ virgines olim habitum mutarunt. 260. 6.

PROMISSIO Dei. Vide v. Deus, Dei promissio.

PSALMVS ædificationis cur in ordine psalmorum posterior quàm dedicationis. 315. 14.

PVDICITIA coniugalis Dei donũ. 5. 3. & 613. 4. & 190. 1.

Minùs tamen quàm continentia. 5. 3.

Discrimen inter pudicitiam & virginitatem. 218. 8.

Vtraque reperitur sine altera. 219. 8.

Pudicitia est virtus cui vitium contrariũ est impudicitia. 6. 4.

Vera pudicitia quid requirat. 6. 4. & 174. 21. & 210. 3.

Pudicitia coniugalis benè vtitur malo libidinis. 180. 23. 211. 5. 192. 2. & 218. 8.

Requirit vt coniuges hoc fine generent filios, vt eos ex membris primi hominis transferant ad membra Christi. 6. 4. & 9. 8.

Hoc modo vsi coniugibus SS. PP. in vet. test. 10. 8.

An reperiatur in infidelibus. 196. 3 & 219. 8. 5. 3.

An sit Dei donum. 5. 3.

An peccent non referendo eam ad Deum. 5. 3.

Absit pudicum veraciter dici, qui non propter Deum connubii fidem servat uxori. 196. 3.

Quomodo verâ ratione pudicum corpus asseritur, quandò à vero Deo animus fornicatur. 6. 4. & 196. 3.

Virginitas in infidelibus. 219. 8.

Melior est pudicitia coniugalis fidelium quàm virginitas infidelium & hæreticorum. 219. 8. & 6. 4.

Eius ratio. 7. 4.

PVDOR est in humano corpore ex peccato nec fuisset si non processisset peccatũ. 715 & 8. 6. & 42. 6. & 47. 12. & 160. 10. & 247. 16.

Pudorem ab initio membris genitalibus insitum contendit Iulianus.

Refutatur. 237. 16.

Quare homo eum in genitalibus magis, quàm aliis membris habeat. 8. 6.

In statu innocentiæ non fuisset pudor in concubitu coniugali. 51. 14.

Quid nos pudeat. 45. 9.

Neminem debet pudere quod bonum est. 55. 21.

Sed hoc ipso malum esse indicat. ibid.

PVDENDA vnde quædam membra dicantur. 48. 13. & 211. 5.

Membra genitalia ante peccatum quidem erant, sed pudenda non erant. 20. 21. & 20. 21. & 40. 5.

Immò tanquàm opera Dei prædicanda. 40. 5.

Quid nobis esset ingratius, quid irreligiosius, si in membris nostris, non de vitio vel de pœna nostra, sed Dei confunderemur operibus. 46. 9. Vide 237. 16.

Pudenda non essent nisi legi mentis lex peccati invidè repugnaret. 245. 2.

Quæ Deus fecit honesta condendo nos fecimus inhonesta peccando. 237. 16.

Cur membra genitalia ab Apostolo dicantur inhonesta. 238. 16. & 268. 9.

Primi parentes in statu innocentiæ non erubescebant, nec habebant quod puderet. 8. 5.

Qui vestitus gratiâ non habebat in nudo corpore quod puderet, spoliatus gratiâ sensit quod operire deberet. 239. 16.

Membra genitalia nomine corporis vocat Apostolus. 256. 5.

Cur pudeat de eis loqui. 45. 9.

Propter quid iam sint inhonesta. 217. 16. & 268. 9.

Quandò teguntur adhibetur eis honestas. 8. 6. & 238. 16.

An omnia membra quæ teguntur sint ex peccato pudenda. 222. 12.

Cur genitalia, cur quædam alia membra tegantur. 223. 12. & 160. 8.

Motus genitalium ante peccatum erat sine pudore. 225. 13. & 236. 16.

Pudendorum motus ideò indecentes, quia inobedientes. 8. 6. & 68. 31.

Inobediens eorum motus est ex supplicio. 68. 31.

Pudendus non esset motus genitalium, si genitalia non libidini, sed voluntati sicut cætera membra servirent. 68. 31. & 256. 5.

In statu innocentiæ voluntati servissent. 68. 31.

Quis vsus pudendorum malus. 111. 5.

Quis genitalium motus ab Augustino reprehensus. 225. 13.

Non sunt pudenda in brutis quæ sunt pudenda in homine. 223. 12.

Vide v. concubitus, concupiscentia, libido.

QVALITATES afficiendo transeunt de corpore in corpus, non emigrando. 275. 14.

Eius rei exempla. 276. 14.

Qualitas affectionalis, & affectio quomodò differant. 314. 18.

REPROBI ad electorum nascuntur vtilitatem. 252. 4.

Habent ad tempus veram iustitiam. 665. 9.

Reprobi quomodò nunquam verè sint vel fuerint filij Dei. 666. 9.

Rectè tamen eos, quos videmus piè viuere, dicimus tales. ibid.

Verè id sunt si perseverent, si non perseverant non sunt tales apud Deum. ibid.

Deserunt & deseruntur. 681. 13.

RETICIVS Episcopus Augustudunensis magnæ in Ecclesia auctoritatis. 80. 3. & 379. 55.

Interfuit damnationi donati. Absolvit Cæcilianum. ibid.

Eius testimonio probatur originale peccatum. 80. 3. & 100. 7.

ROMANVS Episcopus cæteris loco prior. 84. 4.

SACRAMENTA potissimùm alteri vitæ prosunt. 155. 6.

SACRIFICIVM pro peccato in vanum præcipitur, si non est originale peccatũ. 504. 19. & 544. 102. & 555. 219. Vide peccatum originale.

SALVS non ex operibus quo sensu. 9 10. 8.

SALVTEM omnium vult Deus nos optare & procurare, quia incertum est nobis quosnam salvare decreverit. 684. 15 & 686. 16.

Salutem nulli qui ea dignus est deesse, quo sensu dixerit Augustinus. 718. 10.

SALVANDI pauci in comparatione pereuntium. 513. 142. & 545. 205 & seq.

Absolutè tamen sunt multi. ibid.

Sanctorum certamina in hac vita. 395. 70.

Sanctificari nomen Dei quomodò petamus 659. 6.

SAPIENTIÆ liber reiicitur extra canonem à Massilienfibus. 696. & 723. 14.

Canonicæ scripturæ auctoritatem obtinet in Ecclesia à multis annis. 724. 14. & 725.

Commendatur. 769. 17.

SARA quare parere non posset. 160. 11.

Eius vulvam Deus ad emissionem seminis vivificavit. 149. 18.

SCIENTIA mali habita post peccatum illud perpetiendo. 8. 6.

SEMEI voluntate propriâ Davidi maledixit. 636. 20.

Quomodò dixerit ei Deus, quod Davidi malediceret. 637. 20.

Si Deus id ei iussisset fuisset laudandus. 637. 20.

SEMEN pro filio sumitur. 43. 8.

Semen humanum vitiatum est. 44. 8. & 168. 17. & 289. 2. & 300. & 301. 7. & 506. 123. & 552. 216.

Damnatum est. 168. 17.

Maledictum est ab initio, antiquæ illius inobedientiæ vitio. 53. 17.

Seminis vitium diabolus seminavit. 179. 22.

An & quomodò fieri possit, quod res arbitrij, conditioni seminum misceatur. 304. 9.
Seminatio in paradiso qualis 68. 31. Vide v. concubitus, concupiscentia, libido, paradisus, pudor.
Comparatur effusioni vrinæ. ibid.
Seminationi agricolæ seminatis in agro. 58. 14.
Voluptas carnalis concupiscentię non conseit semina. 48 13.
Semen spirituale per Christum. 553. 216.
SENTIENDI vivacitas, necessitas, vtilitas, & libido, distinguenda. 227. 4.
Confunduntur à Iuliano. ibid.
Describuntur singula.
SENEX quidam 84. annorum lyristriam sibi ad libidinem emit. 160. 11.
SIMPLICIANVS Ambrosij in Episcopatu successor. 707. 4.
SINISTRA. quis dicatur declinare ad sinistram 650.
Quomodo Deus non noverit eos qui sunt ad sinistram. 650.
SORDES pro peccatis ponuntur 66. 29.
SVCCINCTORIA, seu perizomata campestria, quæ sunt & vnde dicta. 67. 30. & 127. 6. & 243. & 245. 2.
Vulgus eas munituras vocat. 127. 6.
SVPERBIA quantum malum. 247. 3.
Quantum eius periculum. 680. 13. & 107. 3
TEMPLVM Dei in hac vita quomodo homo esse incipiat. 88. 5.
TENTATIO duplex. 746. 4.
Aliud tentatio aliud in tentationē inferri. 747. 6
Quid intrare in tentationem. 614. 4.
Anathematizandus est qui negat nō esse orandum ne intremus in tentationem. 6. 6. 11.
Id negat qui dicit voluntatem cum sola lege sufficere. 606. 21.
TRINITATIS opera inseparabilia. 713. 8
Turbantius Episcopus ab errore Pelagiano liberatus 358. 1. & 453. 11.
TYRIIS & sidoniis non profuit quod credidissent si apud eos fuissent factæ virtutes, quæ fuerunt factæ apud Iudæos 763. 4.
Non fuerunt apud eos factæ. 758. 9.
Non erant excæcati & obdurati, sicut Iudæi. 762. 14.
Relicti sunt in massa perditionis. ibid.
Punientur in die iudicii. 753. 9.
Habebant divinum quoddam naturaliter munus intelligentiæ. 761. 14.
Quoniam vt crederent non erat eis datum, etiam vnde crederent est negatum. 672. 14.
VALERIVS comes ad quem scripti libri de nuptiis & concupiscentia. 2.
Scripsit tres ad Aug. epistolas. ibid.
Eius laudes. ibid.
Scripsionis occasio. 3. 1.
Cur ad eum libros suos miserit Aug. 4. 2.
Eius studium. 2. & 31. 35.
Vir militaris. 5. 2.
Obsersans pudicitiæ coniugalis. 4. 2.
VASA misericordiæ quænam. 447. 141.
Vasa iræ quæ, & cur dicantur. 434. 127. & 447. 141.
Vasa in contumeliā nulli nisi mali. 429. 114
Quomodo Deus faciat vasa in contumeliam. 435. 130.
Vasis iræ Deus bene vtitur, non vt eis, sed vt vasis misericordiæ profit. 729. 16.
Non datur neutrum genus vasorum. 442. 137. & 503. 117.
An detur locus medius vasis quæ nec sunt in honorem nec in contumeliam 448. 141.
VERITAS quando tacenda, quando dicenda. 766. 16.
Veritatē tacendi, vel non tacēdi causæ. 767
Veritatis aliquando vestigia apud prophanos auctores. 214. 12.
VICTORIA peccati est donū Dei. 614. 4.
VIR naturali ordine imperat fœminæ. 10. 9
VIRTVS omnis etiam quæ per corpus operatur in anima habitans. 64. & 120. 4.
Virtutis definitio ex Cicerone. 200. 4.
Virtutis perfectio non est desperanda 123. 8
Eius natura humana est capax. 131. 8.
Quomodo in infirmitate perficiatur. 195. 12.
Virtutes infidelium & gentilium. 197. 3. & seq.
Veræ virtutis ratio inde statuenda. 205. 3.
Absit vt in aliquo sit vera virtus nisi fuerit in fide. 198. 3.

Non

Non est vera virtus quæ non prodest ad salutem. 201. 3.

Ad cognoscendum an aliqua sit vera virtus, non tantum quid agatur, sed etiam propter quid agatur considerandum est. 101. 3.

Non officiis sed finibus discernuntur veræ virtutes. 202. 3.

Veræ virtutes Deo servire debent. 201. 3. & seq. Vide v. fides, finis, gentiles.

VITA non est, extra regnum Dei. 163. 12.

Vita æterna quomodo merces & gratia. 619. 8. & 620. 8 & 681. 13.

Est gratia pro gratia. 621. 9.

Cur Apostolus non dixerit, & an possit dici, stipendium iustitiæ vita æterna. 621. 9.

VITIA quædam virtutibus affinia. 202. 3.

Vitium ideo displicet, quia detrahit vel minuit quod in natura placet. 197. 3.

Vitium quod sit contra naturam. 419. 14.

Vitium propagat vitium. 475. 57.

Vitium hominis est quod sit malus. 655. 5.

Quinam contra vitia non dimicent veraciter. 305. 70.

Continua hominis contra diversa vitia luctatio descripta à Cypriano. 131. 8.

Pugnandum cum vitiis mortuis. 139. & 140. 9.

VOCARI secundum propositum quid? 667. 9. 728. 16.

VOCATIO secundum propositum non est omnium sed tantum electorum. 706. 3.

Vocatio duplex. 252. 4. & 728. 16.

Vocati secundum propositum non possunt dicere se meruisse quod sic vocarentur. 730. 16.

VOLVNTAS bona arbor bona, voluntas mala arbor mala. 60. 26. & 106. 8. & seq.

Voluntas bona quænam. 203. 3.

Voluntas magna, magna charitas. 613. 17.

Voluntatem parvam & invalidam qui habeant. 639. 17.

Voluntas libera in malis quia delectatur malis. 414. 94.

Cur non in bonis. 414. 94.

Voluntas semper est libera sed non semper bona 628 15.

Vnde in bonum mutetur. 584. 6.

Voluntas hominis an facile mutetur. 574. 23.

Bonum non sine voluntate nostra 603. 19.

Velle bonum & malum quomodo homo possit. 451. 7.

Velle & nolle propriæ voluntatis est. 611. 3

Quando velle sit vtile. 629. 15.

Scriptura cur hominis voluntatem conveniat. 36. 45. & 42. 93.

Quo sensu recte dicamur servare Dei mandata si volumus. 630. 16.

Certum est nos mandata Dei servare si volumus, sed quia voluntas præparatur à Domino, ab illo petendum est vt tantum velimus, quantum sufficit vt volendo faciamus 630. 16.

Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum est quod paulo antepositus, præparatur voluntas à Domino, ibid. Vide plura similia ibid.

Voluntate sua quisque Deum deserit, vt merito desperatur. 746. 6.

Voluntate sua cadit qui cadit voluntate Dei stat, qui stat. 750. 8.

Apostoli sententia, *non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei*, non potest converti. 618. 7.

Voluntas quomodo membra moveat. 257. 5.

VOLVPTAS potest esse honesta. 45. 8.

Voluptas sensuum qualis in paradiso sit futura. 799. 71.

Voluptatis nomine concupiscentiam vocat Iulianus. 45. 9. & 48. 13. & 536. 184.

VTI. qui non diligens vtitur quasi non vtitur. 281. 16.

Etiam bonis quibusdam sic vtendum vt non diligantur. 281. 16.

ZACHARIAS pro propriis peccatis sacrificium obtulit. 600. 17

FINIS.

Digitized by Google